THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Rare Books

SOLD
BY ORDER

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/operainterpretat12apul



COLL · RE

LUCII APULEII MADAURENSIS

PLATONICI PHILOSOPHI

OPERA

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLVSTRAVIT

JVLIANVS FLORIDVS

J. V. L. Can. Carnot.

JUSSU CHRISTIANISSIMI REGIS, IN USUM SERENISSIMI DELPHINI



PARISIIS,

Apud Federicum Leonard, Regis, Sereniſſimi Delphini, & Cleri Gallicani Typographum, viâ Jacobæâ ſub Scuto Veneto.

M. DC. LXXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

COLL. REG.

A6550

SERENISSIMO

DELPHINO LUDOVICO LUDOVICI MAGNI FILIO

JULIANUS FLORIDUS J. U. L. Can. Carn.

SISTIT *ſe tibi tandem*, SERENISSIME DELPHINE, *poſt moras ſanè quàm longas Apuleius noſter. Sub tuis ille dudum auſpiciis,*

juſſu parentis Auguſtiſſimi, novo cultu adornari cœptus, & ad umbilicum perductus, ſi non omnino tempore (quod, tua in diſcendo celeritate vix ſuſtinente docentium moras, difficillimum erat) certè non intempeſtivè prorsùs in manus veniſſet tuas, niſi, quæ & aliis non paucis, huic quoque maligna fata lucem diu invidiſſent. Vnde, cum ſe jam nimis ſerum, & tibi plane inutilem cerneret, perpetuis quibus eum damnaveram tenebris premi ſe haud admodum invitus patiebatur. Sed natâ tibi è fauſtiſſimo connubio trina prole, cui ad dignas Principibus Viris artes per veſtigia tua ſternendum erit iter propediem, contineri diutius non potuit

quin è ſcriniis meis erumperet, ratus ſibi quoque in Regiis pueris erudiendis partes aliquas, & opportunam ſui meique erga te obſequii conteſtandi occaſionem obtingere aliquando poſſe. Hac eum ſpe volentem emitto lubens. Quis enim vel leviter tibi placuiſſe, & tantillum profuiſſe tuis non toto animo exoptet, ac ſummæ fortunæ ducat loco, cum ſe ſciat eadem operâ toti orbi Chriſtiano profuturum? Huc quippe potentiæ gloriæque nomen veſtrum evexit LVDOVICVS MAGNVS parens tuus, ſic rem Gallicam prudentia, Religionem pietate ſtabilivit, ſic invidorum infenſorumque vicinorum hoſtiles animos fregit armis, ſic virtutis ſuæ admi-

ratione ac fama rerum geſtarum extremas orbis gentes ad ſui venerationem concivit, ut nulla jam pœnè mundi natio ſit, nullus populus, cujus res rationeſque non ſint cum veſtris aliquo modo conjunctæ: dum hos ſuſtentat opibus Princeps munificentiſſimus, illos armorum terrore bellãtor acerrimus continet in officio, alios confirmat præſidiis, alios vel ſola nominis ſui umbra tutos ſecuroſque præſtat; & ſtabilita tot triumphis pace non ad luxum & deſidiam abutitur, ſed ampliorem ſibi ex parto per eam otio, quam ex omnibus, quas retulit, victoriis, laudum ſegetem quærit. Nullis quippe jam relictis in hac orbis luce, quos debellet, hoſtibus, ip-

ſum

ſum tenebrarum Principem aggreditur, & de cœlitum adhuc amplius, quam de mortalium judicio ſollicitus, dum commeantium undique in has oras advenarum admirationem ſuperbis ædificiorum ac ſubſtructionum molibus excitat, apud cœleſtis patriæ cives plauſum multo jucundiorem ex ſubverſis hæreſeos templis aucupatur. Teterrimum illud monſtrum, quod nullis ſuperiorum regum armis, nullis conatibus domari potuerat, otiantis LVDOVICI MAGNI ſubciſivis curis debellandum ſervabatur. Quo jam proſtrato ac penitus confecto, ſanatis atque ad concordiam & unanime tum erga Deum, tum erga Principem obſequium reductis ſuorum omnium

animis, propagatis late finibus, & hoſtibus aut deletis, aut cladibus ſuis ad ſaniora revocatis conſilia, quid habet amplius Gallia ad ſummam felicitatem optandum, niſi ut ea propria ſibi ac perpetua Deus faciat; hoc eſt, ut vitam Regi optimo diuturniſſimam, & Prolem virtutis ejus æmulam, eique quàm ſimillimam concedat? Alterum ut ſperemus faciunt cùm eximia in florentiſſimum hoc Regnum Supremi Numinis benignitas, tùm juges caſtiſſimæ Chriſti Sponſæ Eccleſiæ pro ſtudioſiſſimo ſplendoris ac fidei ſuæ aſſertore preces: alterum jam nobis conceſſum nòn ſine jucundiſſimo lætitiæ ſenſu animadvertimus, SERENISSIME

DELPHINE, *cùm in te formam iſtam Imperio & LUDOVICO patre dignam cernimus, cùm altam indolem plurimâ comitate conditam, cùm acrem ingenii vim, & robur iſtud corporis, æſtus, frigoris, imbrium, ſitis, famis & vigiliæ patiens, & nullo labore fractum obſervamus. Nec diſſimiles Patri filios & Avo nepotes ſpondet nobis tum BORBONIUS BAVARUSQUE Sanguis haud unquam degener, tùm egregia in Aula orbis principe educatio. Aderunt quippe ipſis præſtantiſſimi artium omnium exercitationumque liberalium Magiſtri. Aderunt Magiſtrorum omnium præceptis & adhortationibus potentiores Paternorum,*

Maternorumque exemplorum ſtimuli, quibus mirum bona indoles quantum excitetur. Aderit cùm recentium, tùm veterum ſapientiæ humaniorîſque litteraturæ auctorum lectiſſima ſupellex. quos inter Apuleius quoque noſter locum ſibi aliquem dari poſtulat: non quòd tantum ſibi arroget, ut Regios Pueros cupiat inter Mileſias ſuas Punicas conſeneſcere, quod Clodio Albino quondam exprobrabat Imperator Severus; ſed quòd, gnarus utile dulci Principibus maximè pueris eſſe admiſcendum, non deſperet amplam eruditionis ſuæ, obſoletioris paulò & ſalebroſioris, penum fabulis non inficetis conditam ipſis fore nec inuti-

lem, nec injucundam. Eſt & ubi graviores perſonas ſuſtineat, Oratoris ſcilicet copioſi & ingenioſi, in prolixa ſua Apologia, & Fragmentis verè floridis aliarum orationum, ac Philoſophi non inelegantis, in opuſculis illis, in quibus totius Platonicæ Doctrinæ placita, huc illuc in Philoſophi illius Dialogis ſparſa, colligit, ac veluti in compendiaria tabella ponit ante oculos. His nominibus, & quod à me tuis ſub auſpiciis expolitus exornatuſque eſt, & Auguſtiſſimo Tuo Nomini inſcriptus, aditum ad Te quærit, SERENISSIME DELPHINE. *quem ſi facilem ei conceſſeris, ſi vota & obſequia mea deferentem benignè*

exceperis , & in tuorum volueris eſſe numero : curas vigiliaſque meas optimè collocatas putabo , atque ad novam Auſonii Poëtæ editionem , quam Tibi adorno , alacrior me accingam.

PRÆFATIO.

ECCE tibi, LECTOR OPTIME, L. Apuleius Madaurenſis Philoſophus Platonicus Interpretatione noſtra, & Notis jamdudum illuſtratus, & pluſquam nonum preſſus in annum, munificentiâ Regiâ ſub SERENISSIMI DELPHINI auſpiciis tandem prodit in lucem. Cujus editionis rationem, & conſilium accipe.

Cum primùm impoſitum ſibi à LUDOVICO MAGNO educandi unici Regii Pueri munus glorioſiſſimum ſuſcepiſſet Illuſtriſſimus MONTAUSERII DUX CAROLUS SANCTAMAURÆUS Vir omnibus belli & pacis artibus dudum ſpectatiſſimus, fide antiqua magis, ſanctiſque moribus, atque omnigena eruditione, quam ipſo nobiliſſimi generis ſplendore clarus, litterarum ac litteratorum apud Auguſtiſſimum Regem fautor ſtudioſiſſimus ac vere MOECENAS alter; Regium eſſe imprimis arbitratus, prodeſſe quamplurimis, ratuſque non medio-

criter promotum iri ſtudia, non ſolum privata Regii ſui Alumni, ſed etiam publica cæteræ juventutis, ſi Scriptores Latini omnes interpretatione faciliori, & notis non ad eruditionis oſtentationem luxuriantibus, ſed ad difficultatum omnium explanationem concinnè contractis illuſtrarentur; communicato conſilio cum Illuſtriſſimo Condomenſium anteà, nunc Meldenſium Epiſcopo JACOBO BENIGNO BOSSUETIO Viro elegantiſſimis firmiſſimiſque pro Fidei Catholicæ aſſertione ſcriptis, ſtrenuiſque adverſus hæreſim conflictationibus toto orbe notiſſimo, vitæque ac morum ſuavitate, & ſanctimonia non minus, quam Doctrinæ profunditate, & paſtorali cura commendato, cui erudiendi SERENISSIMI DELPHINI munus incumbebat; ſuaſit Regi munificentiſſimo, ac pro ea, qua valet apud ipſum, auctoritate facile perſuaſit, uti ſelectis Viris ea provincia demandaretur.

Cum autem eos omnes Auctores, qui teri magis in ſcholis ſolent, jam occupaſſent alii Viri eruditione ac doctrinâ præſtantes; ego quoque in partem operis vocatus Madaurenſem hunc Platonicum mihi depopoſci, Africanæ quidem & durioris paulo locutionis, ſed eruditionis reconditiſſimæ, & præcipuæ difficultatis, eoque nomine eadem quâ poëtas veſte, hoc eſt, præter notas, interpretatione perpetua exornandum.

Quod ut accuratius perficerem, prolixos Philippi Beroaldi in hujus Scriptoris Metamorphoſin ſeu Aſinum commentarios, copioſiſſimam Joannis Pricæi, tum in eandem Metamorphoſin, tum in Apologiam

logiam, Collectaneorum ſylvam, Iſaaci Caſauboni, & Scipionis Gentilis in eandem Apologiam obſervationes, Elmenhorſtii, Woweriique notas, Gaſp. Schoppii in opera hæc omnia ſymbolam Criticam, & quidquid Stewechius, Brantius, Barthius, Lipſius, aliique, quotquot in manus venire potuerunt, in aliquos auctoris hujus locos ſcripſerunt, ſummo ſtudio pervolvi, & ex iis, quæ maxime ad rem viſa ſunt, in interpretationem, notaſve noſtras tranſtuli, laudatis utplurimum auctoribus. quæ ab illis neglecta, aut tranſcurſa fuerunt (fuerunt autem non pauca) quam optimè potui executus ſum. Philoſophicos ſcriptoris hujus libros, quos pauci admodum & obiter tantum ac pauciſſimis in locis attigerant, adductis ex Platone, & Ariſtotele, unde deſumpti ſunt, ſimilibus diſſimilibuſve, enucleavi, explanavi, ſupplevi. Librum περὶ ἑρμηνείας, ſive *De Syllogiſmo Categorico* fœdiſſimè corruptum compluribus locis reſtitui ope duorum libelli tantum ejus Manuſcriptorum Codicum vetuſtiſſimorum, qui in Bibliotheca noſtra Capituli Carnotenſis aſſervantur. Juvit etiam me nonnihil in exponendo libello *De Deo Socratis* Manuſcriptus ejus libri codex Bibliothecæ tunc Thuanæ, nunc Menarſianæ.

Sed nitorem ſuum ac ſplendorem, ſi quem habet hoc opus, maxime debet acri & limato judicio Viri omni eruditionis genere tota Europa celebratiſſimi, & optimè cum de Re Litteraria, tum de Chriſtiana Religione meriti PETRI DANIELIS HUETII Abbatis Alnetani, & Sueſſionenſium Præſulis Deſignati, cujus poſt Illuſtriſſimum BOSSUE-

TIUM, in erudiendo SERENISSIMO DELPHINO ſecundæ tunc partes erant, & lucubrationum noſtrarum arbitrium.

Adjeci ad calcem totius operis Indicem locupletiſſimum atque accuratiſſimum vocum omnium, quæ in hoc ſcriptore reperiuntur; opus ut multo, quam prima fronte videatur, utilius, ita & longe difficilius. in quo conficiendo quantum mihi laboris, quantum tædii fuerit devorandum, nemo, niſi qui idem ſaxum aliquando volverit, bene æſtimaverit.

Cur autem tam ſero ad te hoc opus è prælo exierit, cum jam tua parvi referat ſcire, narrando hic operam nolim abuti. Hoc unum ſcias velim, per me non ſtetiſſe, quin hoc noſtro qualicunque munere citius fruereris. Vale, LECTOR OPTIME, & Auſonium Poëtam ſimili ornatu comptum à nobis propediem exſpecta.

APULEII VITA ET SCRIPTA EX WOWERIO.

MADAURA civitas Africæ in Numidiæ & Gætuliæ confinio ſita, oppidum Syphacis, eoque victo Maſiniſſæ Regis, munere pop. R. & Veteranorum militum novo conditu ſplendidiſſima colonia. Hæc L. Apuleium claro loco ortum patria excepitr Patre genitus eſt Theſeo Duumvirali, aliiſque honoribus perfuncto: mater illi Salvia; cujus origo à Plutarcho & Sexto Philoſopho ejus nepote manavit. Natalis vero Hadriano imperante incidiſſe videtur; & quidem poſtremo illius imperii tempore, ſi rectè colligimus ætates clariſſimorum Virorum quorum meminit. Lollii Urbici Cl. Viri. Præfecti urbis teſtimonio in judicio niti conatur: quo legato Antoninum Pium Britannos debellaſſe Capitolinus tradit. Lollianum quoque Avitum Cl. V. in Apologia ad teſtimonium vocat, quem ſub Antonino Philoſopho, & L. Aurelio Vero Bithiniæ præfuiſſe apparet ex Ulpi. l. 1. *de Decur.* Scipionem Orphitum Africæ Proconſulem memorat in Floridis,quem idem Capitolinus Præfectum Urbis D. Pio imperante, & mox ſub Antonino Philoſopho aliis honoribus auctum narrat. ex quibus, ut in re clara, adſerere licet Apuleium temporibus Antonini Pii, Divorumque Fratrum vixiſſe. Decora illi & elegans corporis ſpecies, ut etiam ſine vi carminum non ſolum Pudentillam prope jam floris extincti, ſed vel Penelopen ad amorem ſui inducere potuiſſet, ſi qua tamen auctoritas tabulis, quibus imagines Virorum Illuſtrium ex antiquis monumentis Doctiſſimus Vir Fulvius Urſinus expreſſit. Quanquam illarum fidem certam probarunt Apuleii accuſatores, qui vultus liberalitatem, capillos delicatos, atque ad lenocinium decoris promiſſos, nimiumque adeo munditiarum ſtudium, tanquam crimina, intenderunt: quorum nihil faſtidiosè à ſe ſpernit Apuleius; ſed pervenuſta & eleganti oratione iſthæc omnia competere

Philoſopho oſtendit. Et verè quidem conveniensPhiloſopho, nihil in ſe ſordidum, nihil immundum pati, plane etiam abſurdum, & ab omni ratione alienum, ut is qui cæleſtia & æterna contemplatur ſpurcus & pollutus incedat, pura & incorrupta attrectatione maculosâ contaminet. Ingenuarum artium ſtudiis ſemper deditus, earum cultu omnem ætatem tranſegit. Primis pueritiæ annis ſedem ac magiſtram ſtudiorum Carthaginem habuit, quam poſtea Athenas tranſtulit. Inde Carthaginienſes parentes ſuos ac primos magiſtros celebrat. Inde gloriatur ſe illis, *nec lare alienum, nec pueritia inviſitatum, nec magiſtris peregrinum, nec ſecta incognitum, nec voce inauditum, nec libris illectum, ſectam Athenis Atticis confirmatam*, Carthagini vero *inchoatam.* Platonicæ enim familiæ nomen dedit, eique divinæ ſectæ ſe tranſcripſit, quam præclare ingenii monumentis exornavit, ut, vel jure quodam Præcipui, Platonicus. Petiit deinde Romam, ubi *advena ſtudiorum Quiritium*, ita enim ſcribit, *indigenam ſermonem, nullo Magiſtro præeunte, excoluit.* Eam tamen peritiam Linguæ Latinæ, & JurisQuiritium aſſecutus eſt, ut cauſarum patronum ageret, & ſtipen .io forenſi mereret. Unde, cum ſacris deſponſus, & tenuitate impeditus eſſet, quominus iis traderetur; hoc ſtudio ſufficientes ſumptui nummos acquiſivit. nam etſi Apuleio & fratri cohæredi relictum à patre H S. vicies, tamen patrimonii vires impenſæ peregrinationes, crebræ liberalitates, & diutina ſtudia non parum attriverant, nec veretur in conſeſſu Judicum, & frequentia auditorum animosè dicere: *Amicorum pleriſque opem tuli, & magiſtris plurimis gratiam retuli, quorumdam etiam filias dote auxi; neque enim dubitaſſem, vel univerſum patrimonium impendere, ut acquirerem, quod majus eſt, contemptum patrimonii.* Certe non valde opulentum fuiſſe, haud obſcurè conſtat; nam & XI. Metamorphoſeon ſe admodum pauperem ait, adeo ut veſtem ipſam vendere ſit coactus, quo ſacrorum impenſis parem ſummam corraderet. Niſi potius tunc temporis pauperem capies, exhauſtum ſcilicet diutina peregrinatione, & recentem à deformatione, quæ omnibus bonis ſpoliaverat. Cum vero accuſatores paupertatem exprobraſſent, tanquam in proprio & familiari crimine,

ſuoque Philoſophò accepto & convenienti, tantum non divina oratione prope dixerim exultat, & paupertatem vel divitibus ultro expetendam proponit. Et ſanè veriſimile videtur, cum Apuleius minus ſe locupletem cerneret, ideo facilius impulſum, ut Æmiliæ Pudentillæ nuptias non aſpernaretur; nam alioquin parum dignum illius ingenio, ut juvenis corpore & animo elegans duceret viduam, nullis formæ blandimentis, & annis rebus voluptariis jam fere abnuentibus, niſi prolixa dote & molli conditione invitatus. quamvis ipſe multis verbis amoliri conatur, hanc ſuſpicionem, nullaque avaritiæ cauſa concupiſſe uxorem ex tabulis docet. Qua vero occaſione Oeam venerit, qua conditione Pudentillæ matrimonio junctus ſit, copiosè narrat. Ex hac tamen utriuſque diſſimilitudine nata opinio, veneno & magicis maleficiis coactam mulierem nupſiſſe, inde apud Cl. Maximum Africæ Procos. à Licinio Æmiliano reus Magiæ poſtulatus, quod ſcilicet ſexagenariam, poſt longam viduitatem, carminibus ad ſui ætatem flexiſſet, ut grandem dotem amanti mulieri extorqueret; ſed adverſus intentata crimina inſignis eloquentiæ præſidio munitus peritiſſime velitatur, eaque innocenti ſine cauſa objecta, longa oratione oſtendit. Magiæ tamen noſcendæ deſiderio ardenti ſe flagraſſe ſcribit, atque ideo Theſſaliam maleficiis famoſam petiiſſe, niſi hæc imitatione Græci auctoris, quem exprimebat, ſcripſerit. Multa & mira de eo tradita, ac peritiſſimum artium Magicarum, & Chriſto præſtantiâ miraculorum ſuperiorem ab Ethnicis æſtimatum Lactantius & Auguſtinus memoriæ prodiderunt. Quod vero idem D. Auguſtinus notat, quaſi præclara ſua eloquentia & Magicis artibus ne ad aliquam quidem judiciariam poteſtatem pervenire potuiſſet, nolim illi vitio dari. Multa profecto intervenire potuerunt, quæ impedirent, ne virtutibus tribuerentur merita, quæ jure ſuo petere debebant; prave judicantium error, invidia æqualium, & ſingulorum quædam perverſa cæcitas, quâ indignis faſces deferunt. Cum gratia aut odium imperat, idem ille orbis pari vertigine ſemper circumvolvitur, in quo prætura Catonem negligit. Nempe quia non adſecutus Apuleius, quæ virtutes & ingenii bona

merebantur, ideo adipiſci non potuit? Infirma ratio & ſolis imperitis concluſa. quinimo nunquam illa conſequi affectavit, in quibus alii anxie vota ſua ſuſpendunt. Quid enim ſacra hæc & impolluta ac ſemper quieta & ſecura profeſſio, quid, inquam, commercii habet cum ſtrepitu forenſi, fraude accuſatorum, gemitu reorum, ſanguine innocentum? Quis vero ſimilior Deo, quis propior quam Philoſophus, qui relicto mortalitatis contagio, myſteriis divinis conſcius, divina conſilia rimatur, ad cæleſtium conſortium prope admiſſus? Unde ipſi Apuleio Philoſophus omnium Deorum Sacerdos definitur. Quæ igitur decora Philoſopho, quæ ſalvo Philoſophiæ honore potuit, & ambiit, & obtinuit. Sacris enim quamplurimis initiatus: *Sacrorum*, inquit, *pleraque initia in Græcia participavi, multijuga ſacra & plurimos ritus, varias cærimonias ſtudio Veri, & officio erga Deos didici.* Sacerdotem Provinciæ Africæ munera edidiſſe, & venatores veſtiviſſe auctor eſt D. Aug. & ipſe in Floridis ſe Æſculapii Antiſtitem profitetur. quo pertinet quod apud Oeenſes de iſtius Numinis majeſtate publice diſſeruit, oratione edita commendavit, hymnumque ei dedicavit. In libro *de Deo Socratis*, cum variarum gentium peculiares Deos recenſuiſſet, Æſculapium ubique coli addit, tanquam hujus numen præclarius referret, cui ſe in primis conſecrarat. Nam Carthaginienſium Deos religioſius ſe venerari ait; Æſculapius vero Numen illorum tutelare & proprium, ut ex Tertulliano & aliis patet. Iſidis in Græcia, & Romæ Oſiridis ſacris initiatus eſt, ubi & ſegregatus ab aliis, & in Collegii Iſiaci Paſtophoros cooptatus, ſacrorum munia obiit. Dignitates autem iſtæ & eximiæ eruditionis fama varios illi in diverſis civitatibus ſtatuarum honores pepererunt. Carthagini ex decreto ſplendidiſſimi ordinis ſtatua eſt illi locata. Oeæ quoque ſtatuam Apuleio erectam, licet cives aliquot Oeenſes intercederent, D. Aug. refert. Non potuit autem in tanta nominis celebritate, tantis animi bonis, tam præclara doctrina, quin plurimos amicos reperiret: præſertim cum multorum ſtudia paſſim juvaret quà publicis diſſertationibus, quà editis ingenii ſui monumentis. Inde eſt quod ad Scipionem Orphitum Africæ Procos. ſcribere non veretur.

Ita ſemper ab ineunte ævo bonas artes ſedulo colui, eamque exiſtimationem morum ac ſtudiorum cùm in Provincia noſtra, tum etiam Romæ quæſiſſe me tute ipſe teſtis es; ut non minus vobis amicitia mea capeſſenda ſit, quam mihi veſtra concupiſcenda. Lollianum avitum Africæ Procos. patronum illi & amicum legimus, ejuſque epiſtolarum teſtimonio in judicio nititur. Severianum item Africæ Procos. & Honorinum ejus filium legatum. Strabonis Æmiliani neceſſitudine miris modis gloriatur, quam inchoatam commilitio ſtudiorum ait. teſtis illi fuit in curia Carthaginienſium de ſtatua locanda apud quem libello miſſo interceſſit, ut celebris locus concederetur. unde ipſius honori librum conſcripſit. Præter hos amicos laudat Clementem Poëtam, cujus extabat Alexandreis pulcherrimum carmen; Savidium Severum & Julium Perſium, Quintianum, cujus eruditionem & eloquentiam valde commendat; Appios apud quos Oeæ diverterat, & Fauſtinum cui libros *de Mundo & Philoſophia Morali* inſcripſit, quem tamen cum filium vocat, affectus potius quam ſanguinis cognomen exiſtimarim. Fuit autem in Apuleio elegans ingenium, & indolis gratioſa quædam feſtivitas, doctrinæ vero varietas tanta, ut inter præcipua ejus exempla merito cenſeri poſſit. plurimis artibus pleroſque imbui, ſe vero omnium peritum, ait. *Univerſas*, inquit, *Philoſophiæ crateras bibi. canit Empedocles carmina, Plato Dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon hiſtorias, Xenophanse Satyras: Apuleius hæc omnia, novemque Muſas pari ſtudio colit.* Hanc tamen tantam tamque variam ingenii, & induſtriæ famam pari conſenſu adſecutus eſt. Quanta enim animi contentione, quam indefeſſo ſtudio optimas artes ſectatus ſit, ipſe de ſe teſtatum reliquit. Scribit enim in Apologia, *Continuationem litterati laboris omnem gratiam corpore deterſiſſe, habitudinem tenuaſſe, colorem obliteraſſe, vigorem debilitaſſe, ſe ab ineunte ævo unis ſtudiis litterarum ex ſummis viribus deditum, omnibus aliis ſpretis voluptatibus, ſuper omnes homines impenſo labore, diu noctuque, cum deſpectu & diſpendio bonæ valetudinis eloquentiam quæſiviſſe.* Abſque eo eſſet, omnes ferè diſciplinas non excolere, ſed ne percipere quidem potuiſſet. nihil vero optimorum ſtudiorum intactum reli-

quit. *Pcëmata omne genus ſe confeciſſe* gloriatur, *apta lyræ, ſocco, cothurno, ſatyras & griphos, hiſtorias variarum rerum, Orationes, Dialogos, & alia ejuſmodi tam Græce quam Latine.* Ex his tamen tam multis operibus pauca admodum laudanda majorum curioſitas, velut jacturæ naufragio ſubduxit. Maximam vero illorum partem, ſive fatali patrum oſcitantia, ſive inſidioſa magnis ingeniis longi temporis ſerie periiſſe veriſimile eſt. Nam quæ de rerum naturalium cognitione reliquerat, tota interciderunt: cum tamen hanc Philoſophiæ partem præcipuè excolendam ſuſcepiſſet. abdita enim naturæ & rerum cauſas, animalium proprietates inter varia experimenta ſe inveſtigaſſe narrat; quæ ab Ariſtotele, Theophraſto, aliiſque naturæ patronis incompoſitè congeſta, ſe ordine tradidiſſe, & illis omiſſa ſuppleviſſe refert. Ex his omnibus collegit opus naturalium quæſtionum haud dubiè magnum, nam & quintum ejus Librum laudari video, & quamvis Græce hoc opus conſcripſerat, pleraque tamen & Latinè invulgavit, ac præſertim quæ de piſcibus in eo docuerat. Quod autem præcipuum iſtorum librorum argumentum fuerit, ipſe in Apologia docet. Servius Virgilii interpres Apuleii *de Arboribus* mentionem facit, Priſcianus *Medicinalium* auctoritate uſus. Medicinæ certè ſe peritum & ſtudioſum memorat; unde & Themiſon Medicus mulierem morbo comitiali infeſtatam domum ejus, ut inſpiceret, deduxit. Medicus igitur Apuleius; ſed Medicus Philoſophus, qui non tam curando morbo, ut accuſatores finxerant, quam ut morbi cauſam indagaret, mulierem ad ſe perduci paſſus, quod fieri ſolitum, in Commentario de diſciplinis priſcis notabo. Obverſatur liber *de Herbis* Apuleio inſcriptus, falſo huic Platonico Madaurenſi aſſignatus: ſed eruditi erroneum ſcriptum Apuleio Celſo Medico vindicant, quem Scribonius Largus præceptorem ſuum laudat, & Marcellus inter Medicinæ auctores recenſet. *Phædonem* Platonis Apuleium tranſtuliſſe ex Græco, Sidonius & Priſcianus prodidere. *de Republica* ſcripſiſſe Fulgentii teſtimonio conſtat. *de Numeris* ipſum Latine docuiſſe Caſſiodorus & Iſidorus tradunt. tranſtulit etiam Nicomachi *Arithmeticam*, ut ex eodem Caſſiodoro conſtat,

qui

qui & *de Muſica* illum Latinè ſcripſiſſe auctor eſt. Philologici vero argumenti quamplurima conſcripſit. Poëmata varia & plurimas diſſertationes. Epigrammata amatoria Auſonio laudata, Carmen de virtutibus Scipionis Orphiti, Hymnus Æſculapio dedicatus Græco & Latino ſermone conſcriptus, item dialogus hymno præfixus ipſius teſtimonio nota. Epiſtolarum ad Cerelliam idem Auſonius meminit, quas laſcivioris argumenti fuiſſe apparet. Librum *de Proverbiis* ſecundum laudat Chariſius. *Convivales quæſtiones* plurimorum auctoritate claræ cujus argumenti fuerint, colligere licet ex Macrobio, qui Plutarchum ejuſdem argumenti libros reliquiſſe tradit. quò pertinet quod in Floridis legimus: Apuleium ſcripſiſſe griphos. Moris enim fuit γρίφυς, ſeu quæſtiones ambagibus involutas in conviviis ad ſolvendum proponere, de quibus præter Heſychium, Suidam, Scholiaſten Ariſtophanis, Athenæus lib. 10. ex Clearcho & aliis. Pollux κυλίκεια ζητήματα vocat. Ambigo an libri Ludicrorum, quorum meminit Nonius, ad idem opus referendi. Suadere videtur Macrobius, qui totum hoc ſcribendi genus ludicrum vocat. Cognati indubie argumenti. In conviviis antiquorum frequens urbanitas. ſoluti enim vino, ut ſolet, dicteriis & ſalibus ludebant: unde apud Ciceronem Epiſt. ad Pætum: *non multi cibi ſed joci hoſpes*. Et ſenex iſte apud Plautum Milite: *vel cavillator facetus, vel conviva commodus*. Apul. Metam. 1. *cibo ſatio, poculo mitigo, fabulis permulceo. jam ad lubentiam proclives erant ſermones & joci, ſcitum & cavillum*. Lib. 2. *jam epularis ſermo percrebuit, jam riſus affluens, & joci liberales & cavillus hinc inde*. Varium autem cavillationum genus: ut Plutarch. Sympoſ. 2. & Macrob. Saturnal. 7., ſæpius cum contumelia alterius conjunctum: unde diſſidia & rixæ obortæ: ideo prudentiores ad quæſtiones convivales deflectere maluerunt. Utrumque argumentum Apuleio pertractatum, & hoc quidem lib. *Quæſtionum*, illud vero *Ludicrorum*. ita legimus apud Suetonium, Cajum Meliſſum Grammaticum conſcripſiſſe libros *ineptiarum*, ſive *jocorum* CI. Sed ipſe Nonii locus cujuſcujus judicium ſecuti parum probæ fidei videtur. Neque enim ſatis aperte Apuleio libros Lu-

dicrorum vindicat. Diſputationis de Æſculapio, quamapud Oenſes recitavit,in Apologia meminit. Librum de ſtatua ſibi erecta, in quo gratias agebat Carthaginienſibus, & librum Scipionis Æmiliani honoribus dedicatum ipſe quoque laudat. Præterea orationem vulgaſſe adverſus contradictionem quorumdam civium, de ſtatua apud Oeenſes locanda, D. Aug. teſtis. *Hermagoras* Apuleii, Fulgentii & Priſciani mentione notus: cujus argumenti fuerit, adſequi non potui. Dialogi ſpeciem præ ſe ferre videtur. inſcriptio à perſona, cui partes loquentis dederat. Tributus autem in plures Hermagoras, imitatione Platonis, ut ex locis à Priſciano citatis conjicere licet. quam vero idem Priſcianus *Epitomam* ejus laudet, ignoro: niſi ad hiſtoriarum epitomen referas; quo & locus, quem profert, ducere videtur, & illa in Floridis: *hiſtorias variarum rerum, nec non dialogos laudatos philoſophis.* Et hæc quidem omnia injuria temporis invida molitione nobis ſubtraxit. Inter illa vero, quæ velut ex communi incendio reſervata, primi occurrunt Metamorphoſeôn libri ſuo jure primum locum occupaturi, ſi ætatis aut annorum cenſu æſtimetur. Nam prima fœtura excidiſſe Apuleio liquido dignoſcimus ex ipſo, quòd cùm alias gloriari ſoleat de verborum proprietate, initio horum librorum veniam præfatus ſit: *ſi quid exotici ac forenſis ſermonis rudis locutor offenderet*, tanquam ſi recens à ſtudio fori, huic meditationi ſe tradidiſſet. Nam primum ejus tyrocinium poſtquam Latine didiciſſet, in cauſis agendis, & primum hoc opus Latine vulgaſſe, etiam illa produnt, quæ ſubnectit eodem loco, *hæc ipſa vocis immutatio, deſultoria ſcientiæ ſtilo, quem arceſſimus, reſpondet.* Quæ enim illa vocis immutatio, niſi quod Græcum ſermonem familiarem & conſuetum mutaret, & jam Latine ſcribere inſtitueret? Illi Metamorphoſeôn libri ludicri plane, & varii argumenti: in quibus tamen non deſerit inſtitutum, ut à Græcis accepta Latine tradat. infinita quidem de ſuo miſcet, ſecutus tamen veſtigia Luciani, qui fere ſimili fictione λύκιον ſive ὄνον ſcripſit. Rationem inſcriptionis ipſe Apuleius reddidit initio lib. I. *figuras fortunaſque hominum in alias imagines converſas, & in ſe rurſum mutuo nexu refectas hic exordior:* & potior ſane

argumenti pars ſui ipſius tranſmutatio. Hunc itaque titulum impoſuit auctor, quem ſolum antiqua exemplaria præferunt: illum vero de *Aſino aureo* alii affinxerunt. Si enim ad argumenti indicium adjicere aliquid voluiſſet, imitatione Luciani, *de Aſino* fortaſſe, nunquam vero *de Aſino aureo* inſcripſiſſet. ita Ciceronis Dialogum, quem *Brutum* appellarat, ſub titulo *de claris Oratoribus* expoſuerunt. Idem in aliis Ciceronis libris & Platonis dialogis obſervare licet: qua parte ſæpius erratum in Auſonii aliorumque operum lemmatis. velim autem doceri ex ipſo Apuleii opere, quæ ratio ſuadere potuiſſet, ut *de Aſino aureo* inſcriberet: velim oſtendi quo proximo argumento hoc colligi poſſit. At Auguſtino, & aliis hoc indice laudantur. quis negabit? ſed ut notos antiquis hoc titulo conceſſerim, ita ab Apuleio hac inſcriptione vulgatos non ſit veriſimile. Quia verò hoc opus placuit, ſive ob figmenti feſtivitatem & leporem fabularum, ſive aliam quamvis ob cauſam, obtinuit ut *de Aſino aureo* diceretur. Pervulgatum eſt pulcra & elegantia aurea dici, ut Græcis τὰ χρυσᾶ, ἄριστα καὶ καλά. Ita apud Plinium lib. Epiſt. 2. *aurea Fabula*, & Caii Juriſconſulti *Aureorum Commentarii*. Atqui ut τῶν Πυθαγορείων ἔπη τὰ χρυσᾶ, ita Apuleii *de Aſino aureo*. Video & *Mileſiarum* ἐπιγραφὴν iiſdem libris aſſignari, nullo tamen certo antiquo auctore, niſi quòd Imperator Severus Epiſt. ad Senatum apud Capitolinum *Mileſias Punicas* appellet. Nunquam tamen *Mileſiarum* libros inſcriptos affirmabis. nam illa Severi contemptim dicta in Albinum itidem Afrum: ipſe autem Apuleius initio operis ſermone Mileſio varias fabulas conſcripturum ſe ait. Mileſiæ enim hujus ſcilicet argumenti fabulæ, in quibus ut Hieronym. ad Euſtochium, ludus & oblectatio: unde Tertullianus de anima, cap. 23. Mileſias Æonum appellat commenta Æonum Valentiniani. μιλησιακῶν Ἀριστίδου meminit Ovidius Triſtium lib. 2. Plutarchus in Craſſo vocat βιβλία ἀκόλαστα. Siſennæ Mileſiarum lib. 11. laudat Chariſius Verba vero Fulgentii, ut hoc in tranſcurſu moneam, 3. Mytholog. in fabula Pſyches, ubi librorum *Metamorphoſeôn* mentionem facit, corrupta ſunt: *ſed quia hæc*, inquit, *Saturantius & Apuleius pene duorum continentia li-*

brorum tantam falſitatum congeriem enarravit. Nullis, quod ſciam, ſcriptorum indiciis notus hic Saturantius, neque adeo auctoris nomen. Mendoſa autem Fulgentii verba ita reſtituenda: *ſed quia hæc ſaturantius Apuleius pene duorum continentia librorum.* Lib. *de Allegoria, lib. Virgil. ut tuis ſaturantius aliquid adhuc faciamus ingeniis*, & *ſaturanter hæc in libro Phyſiolog.* Tertullianus de anima, *Cætera Hermippus quinione voluminum ſatiatiſſime exhibebit.* Apologiæ quid opponas? ſive eloquentiam, ſive reconditam eruditionem ſpectes; fruſtra quæris. Eam unicam & continuam auctoritate Divi Auguſtini, ipſiuſque adeo orationis cohærentia æquis cenſoribus Viri eruditi jam perſuaſerunt. & fingamus duplici actione recitatam, una nihilominus oratio erit. Obſervandum autem inprimis laudabile ſtudium Apuleii vertendis Græcorum ſcriptis. quale ſit illud, in Apologia docet, ubi ait: *ſe cohibilius & ordinatius conſcribere Latine, & in omnibus aut omiſſa inquirere, aut defecta ſupplere, res pauciſſimis cognitas Græce & Latine propriis & elegantibus vocabulis conſcribere*, & quæ deinde ſequuntur. hoc inſtitutum cùm accurata diligentia executus ſit, non tam à Græcis tranſlata, quàm propria & vernacula ipſius videntur quæ hujus argumenti reliquit. Ita Platonis decreta in compendium coegit, eaque induta elegantiſſimæ orationis ſpecie Latinis prodidit, illo opere quod *de Dogmate Platonis* inſcripſit. Non intelligo autem unicum libellum, quem hactenus titulo iſto vulgarunt, ſed adjunctum oportuit librum *de Philoſophia* & περὶ ἑρμηνείας. ita demum Platonicæ Philoſophiæ corpus integrum erit. quæ ratio eſt quòd in libris antiquis duo iſti priores nulla diſtinctione ſeparantur. Inſcripſit autem totum hoc opus, quo Platonis decreta narravit, *de Dogmate Platonis* ut Alcinous, apud Græcos ſimilis argumenti librum, εἰσαγωγὴν τῶν δογμάτων Πλάτωνος. Quo vero ordine hæc Platonis decreta traditurus, ipſe docet *de Dogmate Platonis*, ubi, poſtquam pauca de ipſo Platone præfatus, ſubjungit, *quæ autem conſulta, quæ dogmata Græce licet dici, ad utilitatem hominum, vivendique, & intelligendi & loquendi rationem extulerit, hinc ordiemur. Nam quoniam tres partes Philoſophiæ congruere inter ſe primus*

obtinuit; nos quoque ſeparatim dicemus de ſingulis, à naturali Philoſophia facientes exordium. Vulgatiſſima Philoſophiæ diviſio ex ſententia Platonis, εἰς γνῶσιν τῶν ὄντων, quæ eſt φυσική, πρᾶξιν τῶν καλῶν, quæ ἠθική, καὶ τοῦ λόγου θεωρίαν, quæ διαλεκτική. Primo igitur loco, ſive libro iſto qui hactenus *de Dogmate Platonis* inſcriptus, de Philoſophia Naturali agit. libro, qui *de Philoſophia*, τὴν ἠθικὴν docet. ita enim orditur *Moralis Philoſophiæ caput.* &c. libro περὶ ἑρμηνείας τὴν λογικὴν complexus. initio ejus libelli: *ſtudium ſapientiæ*, inquit, *pleriſque videtur tres ſpecies ſeu partes habere, Naturalem, Moralem, & de qua nunc dicere propoſui, Rationalem.* Non intelligo autem quâ ratione ſolus ille libellus de dogmate Platonis inſcribi debeat, quo Philoſophiam naturalem tradit, cum non minus in reliquis Platonis dogmata executus ſit: quemadmodum nec ille ſolus ſit de Philoſophia quo τὸν ἠθικὸν τόπον complexus. Vere quidem Philoſophia, qua noſtri meliores efficimur, ἡ τῶν τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστημάτων καὶ παθῶν φάρμακον. Nec tamen propterea obtinebit ut ſola Philoſophia audiat. Quare totum opus decretorum Platonis, *de dogmate Platonis* inſcripſit, & ſingulas Philoſophiæ partes ex recepta diviſione tribus libellis ſeparatim tradidit, quorum prior continet Naturalem, alter Moralem, tertius Rationalem. Abſolutâ igitur triplici Philoſophiâ, commodùm ſuccedit ἡ πρώτη φιλοσοφία, quæ dedita rebus corpore & materia ſolutis, ut Deo, Angelis, Geniis, & illorum adjunctis. Hanc complexus eſt Apuleius lib. *de Deo Socratis*, cujus præter alios ſæpe mentionem facit D. Aug. lib. 7. & 10. de Civitate Dei, plurima ex illo loca erroris convincere conatus. quæ vero de Manibus ex Apuleio profert Iſidorus, ſine dubio ad hoc ſcriptum pertinent, in quo tamen eadem non facile reperies. Priſcianus *Dialogum* vocat. Non invitus illorum ſententiæ acceſſerim, qui minus integram hanc diſputationem exiſtimarunt, nam & ipſa fine mutila & deficiens videtur: initium vero plane irreptitium & alieno loco poſitum, nihil cognatum habet cum graviſſima diſputatione & rerum divinarum contemplatione Qui autem inducti iis verbis: *ut cætera Latinæ materiæ perſequamur*, exiſtimarunt, principium Græco ſermone conceptum fuiſſe., minus recte ſenti-

re videntur. Quid attinet ea Græce enarrare, quæ copioſa quadam facundia & divina quadam majeſtate verborum à Platone tradita? non deflectit ab inſtituto. conſtituerat autem mutuata à Platone Latinis verbis prodere. Libet deinde interrogare quomodo dicat, *quæſtionis hujus media tenemus*, quam poſtea ab ipſo capite deducit? Quæ denique tam deſultoria loquentis oratio, ut jam velut in auditorio apud plures ſermocinetur, mox ad unum orationem convertat? Quare, ne lectorem Philoſophiæ intentum intempeſtive à ſeriis ad ludicra avocaret, induci me paſſus ſum ut *Floridis* ob ſimilitudinem adjungerem. Nemo me vituperabit, quòd ad votum legentis hæc compoſui. non abjeci partum, ſed aptiori loco expoſui. Platonis Philoſophiæ compendium recte ſequitur liber *de Mundo*. Peripateticæ doctrinæ contracta quædam eſt definitio. continet enim deſcriptionem univerſi, quam velut in tabella depictam uno aſpectu intueri licet. Eximia doctrina, pari elegantiæ conſenſu tradita. dignum opus, in quo eloquentiæ ſuæ Veneres exprimeret; quod hac, ut ita dicam, transfuſione non mutat ſaporem, nec quidquam gratiæ illi perit. ea eſt interpretis diligentia & ingenii quædam vis peculiaris. Et hæc quidem Philoſophiæ propria, quæ temporum injuriam effugerunt. *Florida* omnium maxime depravata ad nos pervenerunt: neque enim fœdis ſolum mendis contaminata & hiulca, ſed paſſim intemperata commixtione confuſa: ipſa ἐπιγραφὴ ſuppoſita, & ab aliena manu: diſpoſitio ab imperitis. Neque enim video quomodo ſub certos libros redigas, quæ ſine ullo connexu ubique lacera, luxata, mutila, nihil aliud promittunt quam reliquias integri corporis, nuda ſcilicet fragmenta excerpta ex diſſertationibus Apuleii, quas pleraſque Carthagini habuit. ea à ſtudioſis Apuleii congeſta titulo *Floridorum* nobis tranſmiſſa ſunt, falſa librorum diſtributione. Verum me dicere ipſa ἐπιγραφὴ loquitur. Nam, qui Florida dici exiſtimant ab efflореſcenti & læto dicendi genere, inſcitiam ſuam produnt, hac enim ratione totum opus *Florida* inſcripſerint. *Florida* ſunt *Electa* ἀνθολογίαι, χρηστομαθίαι, & *flores* τὰ χρήσιμα Plin. lib. 3. Epiſt. 5. ait, avunculum ſuum reliquiſſe *Electorum Commentarios.* & obſervandum quod eodem loco

ſcribit, *annotabat excerpebatque;* quia ſcilicet notam τοῦ χρηστοῦ, appingebant, ut poſteà excerperent, quod vocat *annotare.* Vide Clement. de Polymathia cap. 17. In Gloſſis: *ex electis*, ἐκ τῶν λογογράφων; nam & λογογραφίας vocant τὰς ἐκλογάς. Inde *Eclogarii* apud Ciceronem, ad Atticum, lib. 16. qui excipiebant τὰ χρήσιμα & notatu digna. Nam quos Alciatus ſomniat *analectas* minime recipio, & quæ deinde Cœlius & alii comminiſcuntur, falſa ſunt. Non erat opus difficultate illa involvere, in quibus nulla erat. Divus Hieronymus refert Melitonem Aſianum Sardenſem Epiſcopum reliquiſſe ἐκλογῶν libros 6. Electa ergo Plinii & ἔκλογα Me'itonis ſunt τὰ ἀνθηρά Harpocrationis. Scribit enim Suidas Harpocrationem ſcripſiſſe ἀνθηρῶν συναγωγήν. Quis ignorat poſterioribus *deflorare* ἐξανθίζειν, ſive τὰ χρήσιμα *excerpere.* Sæpe occurrit hæc vox in Caſſiodoro, aliiſque ejus ævi. Et *Defloratorum* libri inſcribuntur, in quibus variæ Ciceronis aliorumque χρεῖαι. *Florida* igitur ſunt τὰ ἀνθηρά. Ita *Electa* ex veteri poëmatio excerptores inſcripſerunt *Floridum de qualitate vitæ*: plane ſimili indice & materia. eſt enim Cento plurium verſuum concinnatus ex integro poëmate. Satis jam, ut arbitror, conſtat quid *Floridorum* titulus notet, quem convenientem his fragmentis fateantur neceſſe eſt qui ipſa verba conſiderarint. Vera hæc præſto, non mea aſſertione nec fide, ſed proprio cujuſque judicio. Omnes in rem præſentem voco, atque ut ipſam orationem ejuſque connexum fixis oculis intueantur, rogo. Audebo interim repetere verba antiqui pictoris, qui cum intellexiſſet Helenam Zeuxidis à quodam contemni, petiit, ut ſuis in ea contemplanda oculis intueretur; abeſſe non poſſe, quin divinam & pulcram cerneret. Utinam pari modo impetrarem, ut animi mei obtutu hæc conſiderare dignarentur! nullius auctoritas rationem vinceret, nec longi temporis præſcriptio errori inveterato patrocinium præſtaret. Equidem miror inter tot eruditos Apuleii interpretes neminem advertiſſe collecta hæc Florida incondite coaluiſſe. Nimirum hoc poterat receptus error, ut vel acute cernentibus caliginoſam cæcitatis nubem offunderet! Etenim ſi toties injuria cœli

impedita recitatio eſt, quoties ſermo interciſus; Jovem Pluvium valde iratum, imo implacabilem habuiſſe Apuleium credendum eſt. Si toties diverſi caſus intervenere, qui diſſerentem abegerunt, quoties abrupta oratio; plane inauſpicatò ad dicendùm acceſſerat. Et maluiſſem profecto ſemel hæc adſerere, quam ſuadere; ſi per eorum moroſitatem liceret, qui, ſtimulati ambitione φιλοδοξίας, vel mero meridie lucere negant. à quibus quid expectem niſi operoſum contemptum? quo ſolo utinam reſideret maledicentium rabies. ſed non lenient impetum morbi, etiamſi me infeliciter operam luſiſſe dixerint, niſi hoc quoque adjecerint, deprecandum mihi infandæ temeritatis crimen. quod tamen non prohibebit, quin os aperiam adverſus vulgi ſententiam & tot ætatum conſenſum. Reſcindere igitur libuit male coacta, & non recte cohærentia ſeparare. quod apud æquos cenſores fraudi mihi non erit. Supereſt ἀνεχόμενος poëmation vulgatum à Clodio Bineto, lepidum quidem & venuſtum, quod tamen Apuleio non adſcripſerim: niſi induxerit fortior ratio, quam mollis hæc & delicioſa elegantia. Sunt qui *Aſclepium* Hermetis Triſmegiſti dialogum, tanquam ab Apuleio verſum, inter ejus opera vulgare ſolent. Impellere illum poterat auctoris dignitas & argumenti præſtantia: ſed oratio plane ſicca & exſanguis, nihihilque ſimile habens cum Apuleiana ubertate & lætitia. Hæc tam varia tamque præclara præſtantis ingenii monumenta cum nunquam ſine fructu reconditæ eruditionis lectorem dimitterent, & tamen mirum in modum corrupta & mendis depravata oberrarent; non defuerunt viri docti, qui in iis reſtituendis ſerio laborarunt, quos laude ſua non fraudabit grata poſteritas. Horum veſtigia, etſi longo intervallo, impares ſequimur. quanquam, ſine arrogantia dixerim, haud minus mihi debet, quam cuiquam illorum. Jam deſtinatum morti ad vitam revocarunt, ſed debilem & ægrotantem deſtituerunt. Quòd lætior caput exerat, quòd ſani coloris & ſanguinis, quod firmi artus & conſtans valetudo, noſtrum eſt opus. Certum, Apuleium infinitis mendis liberavi; nec tamen diſſimulo haud pauca etiamnum reſidere falſa & corrupta lectione obvoluta: ſed ea etiam aliis pro

deſperatis

deſperatis expoſita & relicta, quæ tamen facile emendabunt quibus in divinando felicior Genius addicit, aut in eruendis libris fortuna benignior magis favet. Æquiores nobis erunt, nec invidioſa calumnia diligentiam noſtram different, quòd aut felicius in his litteris verſari, aut prolixiori otio uti contigit. hoc tamen palam profiteri non verebor, ſi alii parem operam Apuleio locarint, futurum ut penitus emendatus & incorruptus ſit. Cæterùm non me fugit damnatum Apuleium & vulgo inviſum. Certe ſub graviſſimo elogio proſcripſerunt neſcio qui ludimagiſtri, cymbala fanaticæ & ebrioſæ juventutis, quibus nihil pulcrum aut probum, niſi quod humi ſerperet, quod paucis ſcriptoribus uſurpatum: ex quibus mendoſa quæque & vulgaria ad imitandum ſeligunt. Inde cum illorum ſcripta attigeris, ſimul commiſeratio aut ſomnus obrepit, nec ſane mirum faſtidientis ſtomachi illos eſſe, quos peritiores cenſeas comiſſatores, quam oratorum judices: ideoque eorum ſententias ii ſoli receperunt, quos ex crapula heluco attentatos & ſemiſopitos deprehendas; ſobriis vero non magis obhæſerunt, quàm helluonum ructus. Dicant nunc in primis, ſi poſſunt diſerte, an quiſquam ab Antoninorum ævo extitit, qui Apuleio comparari ſuſtineat. certe reliquis omnibus abſtulit nomen, & ſuæ claritatis fulgore tenebras obduxit. Quàm eleganter, quàm perite Philoſophiam tradit! quantum acumen ſententiarum! quæ feſtivitas argumentorum! ut taceam nugarum hanc lancem conditam antiquæ & non protritæ doctrinæ ſucco; quis denique in dictione lepos, perpetuis imaginibus aſperſis, amœnâ & floridâ! Sed redundat atque effunditur libero nimis fluxu. habes quod reprehendas, at copiæ vitium erit. admiranda enim in explicando facundia & perennis fons ubertatis. At verbis audax & obſoletus. utrobique tamen felix. nam quæ ex penu ejus petita videntur, excuſat ſignificationis proprietas. ſola aſperitas & affectatæ compoſitionis horror aures lædere poterat: in quo idoneum patriæ patrocinium. peregrinus litteris Romanis Apuleius, & Afer, quibus peculiare fuit vincere acumine & ſententiis. Obſervandum autem incultam hanc & duram phraſim præcipue obvium in libris Me-

tamorphoſeôn. excuſabit igitur & argumentum, quod, varium & jocoſum, involvendum fuit pingui hac & ſquallenti, ut ita dicam, lacerna: quâ & Varronis Menippeas, & Martiani Capellæ Artes, quas Satyra dictante conceperat, incinctas videas. Satius ergo fuerat vitia hæc Apuleii erudita interpretatione levare, frui his deliciis, &, ſi quæ in iis ſtomachi noſtri infirmitatem ſolverent, cauta obſervatione ſublegere, & ab eorum contactu temperare potius, quam totum inconſulta temeritate damnare. Sed næ ego imperitus, qui cauſam Apuleii agam, cum recte ſentientes accuſatores non habet. quin potius cohibebo me, & contemnam ſtultis & imperitis reſpondere, quibus, ut pueris, terrori rerum umbræ, cum de ipſis corporibus parum conſtat, quæ intueri aut tangere verentur. nempe ſpernunt quæ ignorant, & difficultate territi admovere manus non audent. Ego profecto grande operæ pretium tuli, quod Genio meo pauciſſimis hiſce horis litavi. Quid enim attinet circuitu agere? ſemper adeo amatorem me habuit Apuleius, ad cujus lectionem etiam primis annis impetuoſe rapiebar: non quòd placerent dulcia illa vitia, aut quòd magnopere me caperent Mileſiæ & id genus nugamenta, quæ ne tralatitia quidem lectione dignari ſoleo, & à quibus etiam illa ætate judicio abhorrebam (quanquam & ſummi viri ad luſus & amores narrandos deſcenderunt, & graviſſimæ doctrinæ præcepta ludicris iſtis temperarunt: quorum exemplo incitatus aliquando ſimile argumentum ſuſcepi, nec viſa eſt eruditis illepida prorſus & inelegans compoſitio, cujus præcipuus finis ut Latini ſermonis parum peritis eriperem falſam perſuaſionem, qua imbiberunt Latinæ Linguæ tantum rigorem, ita enim vocant, ut flecti ad has Veneres non poſſit) ſed trahebat me conſenſus ingeniorum, vel potius proprietas quædam & peculiaris gratia Apuleiani ingenii, quam ſentio & intelligo potius quam profero, ut non dicam de ſecta Platonica & tota philoſophandi ratione. Nihil adeo & nos amamus, nihil novimus, niſi feſtum, & lætum, & ſuperum, & cœleſte, ut rite decebat hominem optimo loco natum, & liberaliter educatum. Salve igitur, mihi jucunda anima, & has corollas, quas ſparſi ad tumulum jam areſcentis lubens excipe. *Hæc VVouver.*

VETERUM SCRIPTORUM
DE
APULEIO PLATONICO
TESTIMONIA.

Imp. Severus Epiſt. ad Senatum de Clodio Albino apud Jul. Capitolinum.

MAJOR fuit dolor, quòd illum pro litterato laudandum plerique duxiſtis, cùm ille næniis quibuſdam anilibus occupatus, inter Mileſias Punicas Apuleii ſui conſeneſceret.

Palladius de Re Ruſticâ, lib. 1. Tit. XXXV.

Apuleius aſſerit ſemina bubulo felle maceranda antequam ſpargas.

Marcellus de Medicamentis in Epiſt. ad filios.

Veteres Medicinæ artis auctores, Latino ſermone perſcripti, Apuleius & Celſus & Apollinaris.

Sed de alio Apuleio hæc duo teſtimonia videntur eſſe, ut rectè conjicit VVouverius.

D. Hieronymus in Pſalm. 81.

Non eſt grande facere ſigna, nam fecere ſigna in Ægypto Magi contra Moyſen, fecit & Apollonius, fecit & Apuleius.

Lactantius Div. Inſtit. lib. v. cap. iij.

Item cùm facta ejus mirabiliter deſtrueret, nec tamen negaret; voluit oſtendere Apollonium vel paria vel etiam majora feciſſe. Mirum quod Apuleium prætermiſit, cujus ſolent multa & mira commemorari.

Marcellinus ad D. Auguſtinum.

Sed tamen etiam ego in hac parte, quia plurimis quidquid reſcripſeris profuturum eſſe confido, peccator acceſſerim; ut adeo vigilantiùs reſpondere digneris, in quibus nihil aliud Dominum quàm alii homines facere potuerunt, feciſſe vel legiſſe mentiuntur. Apollonium ſiquidem ſuum nobis & Apuleium, alioſque Magicæ artis homines in medium proferunt, quorum majora contendunt extitiſſe miracula.

D. Auguſtinus ad illum, Epiſt. v.

Quis autem vel riſu dignum non putet, quod Apollonium & Apuleium, cæteroſque artium Magicarum peritiſſimos conferre Chriſto, vel etiam præferre conantur.

Et pòſt:

Apuleius enim, ut de illo potiſſimùm loquamur, qui nobis Afris Afer notior, non dico ad regnum, ſed nec ad aliquam quidem judiciariam poteſtatem cum omnibus ſuis Magicis artibus potuit per-

venire: honeſto patriæ ſuæ loco natus, & liberaliter educatus, magnâque prædītus eloquentiâ. An fortè iſta, ut Philoſophus voluntate contempſit, qui ſacerdos Provinciæ pro magno fuit; ut munera ederet venatoreſque veſtiret, & pro ſtatua ſibi apud Oeenſes locanda, ex quâ civitate habebat uxorem, adverſus contradictionem quorumdam civium litigaret? Quod poſteros ne lateret, ejuſdem litis Orationem ſcriptam memoriæ commendavit. Quod ergo ad iſtam terrenam pertinet felicitatem, fuit magnus quoad potuit. Unde apparet eum nihil amplius fuiſſe, non quia noluit, ſed quia non potuit. Quanquam & adverſus quoſdam qui ei Magicarum artium crimen intenderant eloquentiſſimè ſe defendit.

Idem ad Deogratias, Epiſt. xlix.

Et tamen ſi hoc quod de Jona ſcriptum eſt, Apuleius Madaurenſis, vel Apollonius Tyaneus feciſſe diceretur, quorum multa mira nullo fideli auctore jactitant, quamvis & Dæmones nonnulla faciant Angelis ſanctis ſimilia, non veritate, ſed ſpecie, non ſapientiâ, ſed planè fallaciâ: tamen, ſi de iſtis, ut dixi, quos Magos vel Philoſophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur.

Idem de Civit. Dei lib. iv. cap. ij.

Quæ uno loco Apuleius breviter ſtringit in eo libro, quem *DE MUNDO* conſcripſit.

Idem lib. viij. cap. xij.

Recentiores tamen Philoſophi nobiliſſimi quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt ſe dici Peripateticos, aut Academicos, ſed Platonicos. Ex quibus ſunt valdè nobilitati Græci, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius: in utrâque autem linguâ, id eſt, Græcâ & Latinâ, Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis.

Paulò pòſt:

Hæc ſi ita ſunt, quæ licèt apud alios quoque reperiantur, Apuleius tamen Platonicus Madaurenſis de hac re ſolâ unum ſcripſit librum, cujus titulum eſſe voluit *DE DEO SOCRATIS.* Ubi diſſerit & exponit, ex quo genere Numinum Numen ſibi Socrates habebat adjunctum & amicitiâ quadam conciliatum. à quo perhibetur ſolitus admoneri, ut deſiſteret ab agendo, quando id quod agere volebat proſperè non fuerat eventurum. Dicit enim apertiſſimè & copioſiſſimè diſſerit, non eum Deum eſſe, ſed Dæmonem: diligenti diſputatione pertractans iſtam Platonis de Deorum ſublimitate, & hominum humilitate, & Dæmonum medietate ſententiam.

Ibidem deinde.

Aut ergo fallitur Apuleius, & non ex iſto genere numinum habuit amicum Socrates, aut contraria inter ſe ſentit Plato, modò Dæmones honorando, modò eorum delicias à civitate benè moratâ removendo: aut non eſt Socrati amicitia Dæmonis gratulanda: de qua uſque adeò & ipſe Apuleius erubuit, ut *DE DEO SOCRATIS* prænotaret librum: quem, ſecundùm ſuam diſputationem, quâ Deos à Dæ-

monibus tam diligenter copioſèque diſcernit, non appellare *DE DEO*, ſed *DE DÆMONE SOCRATIS* debuit. Maluit hoc in ipsâ diſputatione, quàm in titulo libri ponere. Ita enim per ſanam doctrinam quæ humanis rebus illuxit, omnes vel pænè omnes Dæmonis nomen exhorrent; ut quiſquis ante diſputationem Apuleii, quâ Dæmonum dignitas commendatur, titulum libri *DE DÆMONE SOCRATIS* legeret, nequaquam illum hominem ſanum fuiſſe ſentiret. Quid autem etiam ipſe Apuleius quod in Dæmonibus laudaret, invenit, præter ſubtilitatem & firmitatem corporum, & habitationis altiorem locum? Nam de moribus eorum, cùm de omnibus generaliter loqueretur, non ſolùm nihil boni dixit, ſed etiam plurimum mali. Denique, lecto illo libro, prorſus nemo miratur, eos etiam ſcenicam turpitudinem in rebus divinis habere voluiſſe: & , cùm Deos ſe putari vellent, Deorum criminibus oblectari potuiſſe, & quicquid in eorum ſacris obſcœnâ ſolemnitate, ſeu turpi crudelitate vel ridetur, vel horretur, eorum affectibus convenire.

Idem eodem lib. cap. xix.

Poſtremò ipſe Apuleius numquid apud Judices Chriſtianos de Magicis artibus accuſatus eſt?

Et poſt:

Hujus autem Philoſophi Platonici copioſiſſima & diſertiſſima extat oratio, quæ crimen artium Magicarum à ſe alienum eſſe defendit: ſeque aliter non vult innocentem videri, niſi ea negando quæ non poſſunt ab innocente committi.

Idem lib. x. cap. xxvij.

Quanto humanius & tolerabilius conſectaneus tuus Platonicus Apuleius erravit, qui tantummodò Dæmones à Luna, &c.

Idem lib. xij. cap. x.

Unde & Apuleius cùm hoc animantium genus deſcribit: *Sigillatim*, inquit, *mortales, cunctim tamen univerſo genere perpetui.*

Idem lib. xviij. cap. xviij.

Nam & nos cùm eſſemus in Italiâ, audiebamus talia de quadam regione illarum partium: ubi ſtabularias mulieres imbutas his malis artibus in caſeo dare ſolere dicebant quibus vellent ſeu poſſent viatoribus, unde in jumenta illicò verterentur, & neceſſaria quæque portarent, poſtque perfuncta opera iterùm ad ſe redirent. nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem humanamque ſervari. Sicut Apuleius in libris quos *ASINI AUREI* titulo inſcripſit, ſibi ipſi accidiſſe, ut accepto veneno, humano animo permanente, aſinus fieret, aut judicavit aut finxit.

Εἰς Ἀπουλήϊον Χριστοδώρου.

Καὶ νοερῆς ἄφθεγκτα Λατινίδος ὄργια μούσης
Ἄζετο παπταίνων Ἀπυλήϊος, ὅντινα μύσην
Αὐσονὶς ἀρρήτου σοφίης ἀνεθρέψατο σειρήν.

Et intellectualis taciturna Latinæ Orgia Muſæ

Colebat inquirens Apuleius, quem Sacerdotem
Auſonia arcanæ ſapientiæ nutrivit Siren.

Commentator vetus Horatii ad Epod. xv.

Simili modo etiam Apuleius ſcribit *DE ASINO AUREO*, animam ſuam fuiſſe in corpore aſini, meminiſſeque ſe devexiſſe plurima ſegmenta & onera in Ægyptum.

Macrobius Saturnal. lib. vij cap. iij.

Cùm ergo videas, mi Aviene, inſtituenda eſt enim adoleſcentia tua, quæ ita docilis eſt, ut diſcendo præcipiat; cùm videas, inquam, anceps omne eſſe ſcommatum genus; ſuadeo in conviviis, in quibus Lætitiæ inſidiabitur Ira, ab ejuſmodi dictis faceſſas: & magis *CONVIVIALES QUÆSTIONES* vel proponas, vel ipſe diſſolvas. Quod genus veteres ita ludicrum non putarunt, ut & Ariſtoteles de ipſis aliqua conſcripſerit, & Plutarchus, & veſter Apuleius.

Idem in ſomnium Scipionis lib. j. cap. ij.

Fabulæ in bonam frugem repertæ ſunt, velut Comœdiæ, quales Menander ejuſve imitatores agendas dederunt, vel argumenta fictis caſibus amatorum referta, quibus vel multum ſe Arbiter exercuit, vel Apuleium nonnunquam luſiſſe miramur.

Servius Honoratus in viij. Æneid.

Sunt enim numina aliqua tantùm Cœleſtia, aliqua tantùm Terreſtria, aliqua Media; quos Deos Apuleius Medioxumos vocat, hoc eſt, qui ex hominibus Dii fiunt.

Sidon. Apollinaris, lib. 2. Epiſt. ad. Heſperium.

Siſque oppidò meminens, quod olim Martia Hortenſio, Terentia Tullio, Calphurnia Plinio, Pudentilla Apuleio, Ruſticiana Symmacho, legentibus meditantibuſque candelas & candelabra tenuerunt.

Idem lib. iv. ad Claudianum.

Si reare quemquam mortalium, cui tamen ſermocinari Latialiter cordi eſt, non pavere cùm in examen aurium tuarum, quippe ſcriptus adducitur: tuarum, inquam, aurium, quarum peritiæ, ſi me decurſorum ad hoc ævi temporum prærogativa non obruat, nec Frontonianæ gravitatis aut ponderis Apuleiani flumen æquiparem; cui Varrones, vel Atacinus, vel Terentius, Plinii, vel avunculus vel Secundus, compoſiti, impræſentiatum ruſticabuntur.

Aurel. Caſſiodorus Dialecticæ compendio.

Tertiæ formulæ inveniuntur ſpecies ſex. quas omnes atque ejus generis alia qui pleniùs noſſe deſiderat, legat librum Apuleii Madaurenſis, qui de hac re eleganter & copiosè diſſeruit.

Idem ibidem.

Apuleius Madaurenſis ſyllogiſmos categoricos breviter enodavit.

Priſcianus lib. x.

Diſpeſco, *diſpeſcui*, quod ponit Apuleius in Dialogo qui eſt *DE DEO SOCRATIS*: *cùm & habitacula ſumma ab infimis tantâ intercapedine faſtigii diſpeſcant*, id eſt, diſtent.

Iſidorus Originum lib. ij.

Has formulas categoricorum ſyllogiſmorum qui plenè noſſe deſiderat, librum legat qui inſcribitur ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ Apuleii; & quæ ſubtiliùs ſunt tractata cognoſcet.

Fulgentius Placiades de priſco ſermone.

Apuleius *ASINO AUREO* introducit ſororem Pſyches marito detrahentem dicere: *Patre meo ſeniorem maritum ſortita ſum, deinquovis pumilo pumiliorem, & cucurbita glabriorem.*

Idem ibid.

Choragium, virginale funus vocatur. Apuleius *METAMORPH. Choragio itaque perfecto, domuitionem parant.*

Idem ibidem.

Edulium ab edendo dicitur prægustativa comeſtio. Apuleius *ASINO AUREO: Eduliis opipare excepta.* Opiparè, id eſt, lautè, & delicioſè.

Idem Mytholog. lib. iij. de Pſyche.

Apuleius in libris *METAMORPHOSEON* hanc fabulam planiſſimè deſignavit, &c. *quæ vide, & ibi fabulæ Pſyches expoſitionem.*

Jo. Saliſberienſis de Nug. Curial. lib. vj. cap. xxvij.

Et hic quidem non eſt meus ſermo, ſed quem omnium ſapientium cœtus concelebrat, & quem in libro qui inſcribitur *DE DEO SOCRATIS* facile eſt invenire. Cujus verba, propter elegantiam ſenſuum & orationis lepidam venuſtatem, curavi inſerere: ut his quæ ſcribuntur promptiùs adhibeatur fides; cùm de puriſſimo fonte majorum eadem profluxiſſe conſtiterit. Ait itaque Apuleius: &c.

Deinde:

Hæc Apuleius eleganter quidem & ſplendidè.

Idem lib. vij. cap. vj.

Ex quibus valdè nobilitati ſunt Græci, Plotinus, Iamblichus, & Porphyrius Catholicæ, ut dicitur, fidei peſſimus impugnator. In utraque verò Linguâ, Græcâ ſcilicet & Latinâ, nobilis extitit Apuleius Afer: vir magnus in primis, & qui venuſtate morum & dicendi copia Socraticum fontem & Platonicum torrentem facilè redoleat vel tenuiter ſapienti.

Idem lib. viij. cap. x.

Verùm quia Lætitiæ in conviviis frequenter inſidiatur Ira, ab ejuſmodi dictis temperandum eſt, & *QUÆSTIONES CONVIVIALES* in omnes proponendæ ſunt aut ſolvendæ. Quod genus ita veteres ludicrum non putarunt; ut & Ariſtoteles aliqua de ipſis ſcripſerit, & Plutarchus, & Apuleius, cum Frontone.

Idem Epiſt. clxxij.

Ut ait Apuleius in libris *DE DEO SOCRATIS*, laudem celeritatis ſimul & diligentiæ nemo aſſequitur.

Vincentius Beluacenſis Specul. Hiſtoriar. lib. iv. cap. vij.

De Apuleio multa loquitur Auguſtinus, in libris de Civitate Dei.

Hujus reperi duos libros, unum de Vitâ & Moribus Platonis, alium qui intitulatur *DE DEO SOCRATIS.*

Carolus Magnus de non adorandis imaginibus, lib. iv.

Dicente Apuleio Platonico Philoſopho Madaurenſi, in libro qui inſcribitur περὶ ἑρμηνείας.

Fridericus de Re Accipitrariâ.

Pelicani qui ab Apuleio dicuntur coſani.

P. Bleſenſis Epiſt. lxxxv.

Cicero, & Apuleius, & Auguſtinus, & Hieronymus teſtantur plus eſſe animam quàm corpus.

RECENTIORUM ALIQUOT de Apuleio ejuſque Operibus judicia.

Volaterranus Anthologia, qui eſt Comment. Urbanorum, lib. xiij.

LUCIUS Apuleius Philoſophus Platonicus è Madaura Africæ oppido, patrem habuit Theſeum, matrem Salviam, ut ipſemet in Metamorphoſeos libris teſtatur. Athenis liberales artes adſecutus, Platonis decreta ſibi propoſuit ante omnia ſectanda. Omnigenæ vir eloquentiæ, & diverſam ab antiquis ingreſſus viam, novum dicendi genus adſumpſit. In verbis enim novus, in ſententiis creber, in tranſlationibus audax, in inventione acutus, in elocutione varius, ut in ipſius operibus licet deprehendere. Nam libros undecim Metamorphoſeos ſcripſit de Aſino Aureo, Lucianum imitatus Sophiſtam, &c.

Gaſpar Barthius Adverſariorum lib. xix. cap. xv.

Quem ſcriptorem omnium nobis maximè fecimus obnoxium, ejus perpetuam illuſtrationem ideò ad tempus deſeruimus, ne cura illa alias nobis prorsùs interſtingueret, &c. Scriptorem nos loqui eruditiſſimum, ingenioſiſſimum, eloquentiſſimum L. Apuleium norunt fortaſſe qui noſtras curas hactenùs promulgatas non faſtidierunt, &c.

Idem lib. xxi. cap. vij.

Penu perpetuum eruditionum eſt Madaurenſis Philoſophus; unde nec mirum poſt tot aliorum obſervationes, nobis novam talium meſſem quotidie ſuccreſcere. Scioli, & delicatæ naris magiſtri aliorſum paſtum ſuum quæſitum abeant: nos inſtitutum ejus illuſtrandi promptiùs perſequemur.

Idem lib. xlvi. cap. xvi. in medio.

Et Apuleius proprietatis Latinæ amator eximius (qui ſplendidè mentitus eſt in Procemio ſui Operis, de eâ Linguâ à ſe ærumnosè perceptâ, & difficulter ſcribendâ, cùm affectet ſemipoëticum dictionis genus, & fabulam ipsâ ſtili novitate commendare voluerit) *ſempiternam viciniam amnis*, dixit lib. I. Metamorphoſ. &c.

Et locis aliis innumeris totius Operis Adverſariorum varios Apuleii locos illuſtrans, ejus honorifice meminit.

Juſtus

Juſtus Lipſius Epiſtolicarum Quæſt. lib. ij. Epiſt. xxij.

Ego verò Apuleii lectionem abhorrendam non cenſeo, quidquid iſti de Arpinati ſcholâ inveſtes pueri dicant. Ciceronem admirantur? Laudo. Et ſcilicet nos eo modo non ſcripſimus, aut ſcribere nunc, ſi res ferat, non poſſimus. Sed non hoc agitur. Et ut dem illis ad eloquentiam Ciceronem unicum eſſe: intelligere & ſapere tamen eſt a multis. Quanquam, illum ipſum Apuleii ſtilum quòd contemnunt, vellem parciùs. Et eamus ab iſtis diſcipulis ad judices ex Lege Pompeiâ triginta annorum. Tumidus fortaſſe, vegrandis, & adfectatæ elegantiæ ſcriptor eſt: at certè doctus litteras & mores veteres, & in ſermone ipſo Plauti in primis imitator. Itaque ille neſcio quis Rhetoriſta, qui rudere illum dixit, non loqui: probet priùs de Plauto, & credam de Apuleio. Sed Afer ille fuit, & eſt nimirùm etiam nunc in Italiâ odium Pœnorum, &c.

Idem lib. Electorum j. cap. xviij.

Apuleii graviora quædam intexere huic capiti conſtitui, & hanc operam gratificari doctis. tantùm doctis, quos magnifacere ſcriptorem illum, & multa haurire quotidie ex ejus fontibus, ſatis mihi conſtat. At vos, Tulliani pueri, bonum factum, ſi hoc caput non tangetis.

Idem lib. ij. Electorum, cap. xxj.

De Apuleio non ſum neſcius quid vulgus hodie ſentiat, & quid melior doctorum ordo. Jacet apud illum, ſtat vigetque apud iſtos, hoc ſaltem talo, quod nugarum illum ludum temperet, ac miſceat crebro velut ſale priſcæ ac reconditæ doctrinæ. Doctrinæ in moribus dico, & in verbis. Nam ſtilum ejus quod ineptum eſſe volunt: fatebor in parte (nec enim aſperitatem illam & horrorem quæſitæ dictionis uſquequaque excuſo.) Sed tamen doctè ineptum, & è quo multa bona ſelectaque hauriat bonæ ſelectæque mentis Lector. Verba non pleraque omnia proba? propria? phraſis non ſæpè florida? metaphoris & imaginibus amœna? mihi ſic videtur: etſi in univerſo orationis filo, ſcabrum illud, & ex adfectatâ nimis antiquitate horridum, radit ſæpè & lædit meas aures. Sed hîc quoque duo ei patrocinantur, Patria & argumentum. Ortu enim Afer fuit: quibus velut inſitum in ſententiis inventionibuſque acutis eſſe: aſperis duriſque in ſermone. Jam argumentum miſcellum ei eſt, & Satyricum, quod amat hunc cultum quæſitum, pinguem, & ſqualenti quodam auro. Varronis Fragmenta è Satyris vident? etiam examinent. reperient ea haud longè eſſe à Mileſiis iſtis Punicis, & inculti cultûs ſtilo.

Bonaventura Vulcanius Præfat. in Apuleium.

Graſſata eſt hæc ſciolorum audacia atque veſania (ut de mendis, quæ inſcitiâ librariorum irrepſerunt, nihil dicam) cùm in optimos veteris illius ævi ſcriptores, qui, ſi reviviſcant, ſua ipſi ſcripta ægrè ſint agnituri, tum verò præcipuè in Apuleium, ſcriptorem, qui, ſive verba, ſive rem, & ſummam Latina de Græcis convertendi dexteritatem ſpectes, nemini Claſſicorum Auctorum facilè cedit, &c.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos Amez & Feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, grand Conſeil, Requeſtes de noſtre Hôtel, & de noſtre Palais à Paris, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers qu'il appartiendra; SALUT. Ayant fait choix de noſtre bien amé FREDERIC LEONARD noſtre Imprimeur, pour mettre ſous la Preſſe les anciens Auteurs Latins, Hiſtoriens, Poëtes, & autres, ſur leſquels on a fait des Commentaires & des Notes pour l'inſtruction de noſtre fils le Dauphin, deſquels Auteurs le Terence, le Plaute, le Lucrece, le Phedre, le Sallufte, le Florus, le Tite-Live, le Cornelius Nepos, le Velleius Paterculus, le Juſtin, le Claudien le Quinte-Curce, le Juvenal, le Perſe, le Catullle, le Tibulle & le Properce, l'APULE'E avec l'Interpretation & les Commentaires du Sieur FLEURY Licentié és Droits, Chanoine de Chartres, & Profeſſeur d'Eloquence en nôtre College de Navarre, ſont en eſtat d'eſtre imprimez, Et ledit LEONARD Nous ayant fait tres-humblement remontrer le prejudice qu'il recevroit, ſi aprés les grands frais qu'il doit faire pour l'impreſſion de ces Livres, d'autres entreprenoient de les contrefaire, ce qui pourroit arriver ſi Nous ne luy accordions nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, deſirant traiter favorablement ledit LEONARD, & empeſcher qu'il ne ſoit fruſtré de ſon labeur, & des grandes dépenſes qu'il luy convient ſupporter pour leſdites impreſſions; Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter leſdits Livres dans tous les lieux de noſtre obeïſſance, en telles Marges, Volumes & Characteres qu'il voudra, pendant le temps & eſpace de vingt années, à compter du jour que chacun d'iceux ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois: faiſant tres-expreſſes inhibitions & défenſes à tous Marchands Libraires, Imprimeurs, & à tous autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer, ou faire imprimer, contrefaire, ou alterer leſdits Livres, les vendre ny les diſtribuer par toutes les Terres & Seigneuries de noſtre obeïſſance, d'autre impreſſion que de celle dudit Expoſant, à peine de trois mille livres d'amende applicable, un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſpital General, & l'autre tiers audit Expoſant; de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts: A la charge de mettre deux Exemplaires de chacun deſdits Livres en noſtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres de noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres-cher & feal le ſieur d'Aligre Chevalier, Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes. Si vous mandons

que du contenu en icelles vous faſſiez & ſouffriez jouïr & uſer pleinement & paiſiblement ledit LEONARD, & ceux qui auront droit de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit donné aucun empêchement. VOULONS qu'en mettant au commencement ou à la fin deſdits Livres Copie des Preſentes, ou un Extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adjoûtée, & aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. MANDONS au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous Exploits, ſaiſies, & autres actes requis & neceſſaires, ſans demander aucune autre permiſſion, nonobſtant toutes oppoſitions ou appellations quelconques, clameur de Haro, Charte Normande, Priſe à partie, & Lettres à ce contraires, dont Nous nous reſervons la connoiſſance. & à noſtre Conſeil; CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, DONNE' à Verſailles le vingtiéme jour d'Aouſt, l'An de grace mil ſix cens ſoixante-quatorze; & de noſtre Regne le trente-deuxiéme Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, DESVIEUX.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 10. *Septembre* 1674. *ſuivant l'Arreſt du Parlement du* 8. *Avril* 1653. *& celuy du Conſeil Privé du Roy du ſixiéme Fevrier* 1665. *Signé*, THIERRY *Syndic.*

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 23. Juin 1688.

APVLEII OPERVM SYLLABVS.

TOMO I. CONTINENTVR

METAMORPHOSEON SIVE DE ASINO.

Liber	I.	pag. 1	Liber	VII.	pag. 205
Liber	II.	pag. 35	Liber	VIII.	pag. 232
Liber	III.	pag. 70	Liber	IX.	pag. 267
Liber	IV.	pag. 101	Liber	X.	pag. 314
Liber	V.	pag. 141	Liber	XI.	pag. 355
Liber	VI.	pag. 173			

APOLOGIA pag. 399

TOMO II.

DE HABITVDINE DOCTRINARVM Platonis Philoſophi.

DE PHILOSOPHIA NATURALI. pag, 565

DE PHILOSOPHIA MORALI. pag. 594

DE SYLLOGISMO CATEGORICO. pag. 630

DE DEO SOCRATIS. pag. 664

DE MUNDO. pag. 704

FLORIDA. pag. 757

FRAGMENTA. pag. 831

INDEX VOCUM OMNIUM.

L. APULEII METAMORPHOSEON SIVE *DE ASINO* LIBRORUM XI.

ARGUMENTA.

Ex PHILIPPI BEROALDI Commentariis.

Lib. I.

LUcius *Apuleius Magiæ noſcendæ cupiens, Theſſaliam petit; ubi Artes Magicæ pollebant. In itinere duobus viatoribus ſe tertium comitem adjungit. Narrantur inter eundum mira quædam & incredunda de Circulatore, deque Meroë & Panthia lamiis ac ſagis. Mox acceſſus Lucii ad Hypatam civitatem; hoſpitiumque Milonis, & hoſpes ipſe deſcribitur.*

Lib. II.

DUm *Hypatæ loca ſingula curioſiùs contemplatur, Byrrhænam matronam opulentam recognoſcit: ſtatuamque in ejus domo faberrime factam explicat. à qua commonitus, ut ab uxore Milonis hoſpitis caveat perinde ac maximâ Magarum; in ancillæ amorem propenſus labitur. Cœnaticus Byrrhænæ apparatus deſcribitur. inibi inſeruntur & fabellæ convivales, licentioſique cachinni conſtrepentes; mortui cuſtodia, cuſtodis nares aureſque præſectæ. Mox regreſſio Lucii nocturna ad hoſpitium, non ſine ſudore & cæde, qua non tam homicida factus eſt quàm utricida.*

Lib. III.

EXorto *die Magiſtratus cum miniſtris domum Apuleii petunt: eumque tanquam homicidam in judicium trahunt. Tur-*

ba populi confluentis, & cuncta ſtipantis eleganter deſcribitur. Accuſator homicidii reum agit: reus innocentiam ſuam tutatur, cauſamque agit argumentis oratoriis. Inter hæc anus adventat, tanquam parens necatorum: quos ut utres eſſe apparet, exoritur cachinnus immodicus: & ſic Dei Riſus celebrata cum hilaritate Solemnia. Photis cauſam docet facti utricidii. Mox adhibet Lucium ſpectatorem Pamphiles, in avem ſe transfigurantis, unguine magico delibutæ, qui & ipſe tali deſiderio flagrans, dum in bubonem geſtit immutari, per errorem pyxidis unguentariæ in aſinum transfiguratur. In calce latrocinale furtum refertur, quo aſinus, cum cæteris jumentis, onuſtus gazis Milonis hoſpitis abducitur.

Lib. IV.

DEMUTATUS *in aſinum Apuleius, ærumnas laborioſas eloquenter enarrat, quas ſub aſinina forma, humana mente retenta, peregrinatione multiplici perpeſſus eſt: interſeruntur tempeſtiviter varii latronum caſus: deſcribitur & ille, qui effigiem urſæ ſubiens, inſtruxit apparatum gladiatourm. De induſtria inſerit fabulam Pſyches, quæ & voluptate & eruditione eſt refertiſſima.*

Lib. V.

CONTINET *Pſyches domicilium, Cupidinis amorem, ſororum Pſyches viſitationem: earundem ſubſequitur invidia, quarum impulſu Pſyche credula, maritum Cupidinem vulnuſculo percutit: ex quo devoluta è culmine beatitatis, fit ærumnoſa. quam Venus infeſta atrociter exagitat. tandem poſt multiplices exhauſtas ærumnas, fit conjunx ſui Cupidinis. nuptiæ celebrantur in cœlis inter cœlicolas.*

Lib. VI.

POST *anxiam diſquiſitionem, poſt Cereris ſuaſionem, poſt Junonis refragationem, Pſyche ultronea Veneri ſe offert. Veneris aſcenſus in cœlum, & Numinum imploratio deſcribitur, ejuſque in Pſychen juſſa imperioſiſſima memorantur: ut ſcilicet acervum omnifariæ frugis granis ſejugatis diſponeret; ut*

ſloccum velleris pretioſi quæſitum adferret; ut liquorem Stygium urnula deferret; ut pyxidem Proſerpinæ formoſitate repletam referret. quibus omnibus divino adminiculo confectis, nubit Pſyche in concilio Deorum Cupidini ſuo; celebranturque in cœlo nuptiæ. ex quo matrimonio naſcitur Voluptas.

Lib. VII.

SUB *diluculum matutinum unus latronum reliquis collegis renuntiavit, quemadmodum illa, quæ contigerant in domo Milonis Hypatini latrocinia & facinora infanda, imputabantur L. Apuleio, & quod nullus latronum ſuper tanto ſcelere inſimulabatur, ſed ſolus Apuleius omnis facinoris auctor fuiſſe credebatur, quoniam nuſquam comparebat. quæ audiens Apuleius in aſinum transformatus, ſecum querebatur & medullitus ingemebat, quod pro inſonte ſons, pro innocente nocentiſſimus haberetur: nec cauſam ſuam agere poſſet. Inſeruntur narratiunculæ feſtivæ: agaſonis improbitas, & fœmineæ fraudes graphice deſcribuntur.*

Lib. VIII.

NEX *mariti Charites miſeranda, exoculatio amatoris Thraſylli facta per Chariten, ultronea puellæ mors: mutatio domini, enarratio Sacerdotum Deæ Syriæ luculenta, & illorum ſpurciſſimæ libidines, flagra, diſſectionesque membrorum, fraudes ac decipulæ detectæ continentur.*

Lib. IX.

CONTINET *aſtum aſini, quo lanienam evaſit. Sequitur alterum periculum, quo rabioſus creditus, auxilium aquæ potus acquiſivit. Narratio fabellæ de fœmina maritum illudente, cujus amator ſub ſpecie emptoris in dolio fefellit. ſors captioſa Syriacorum Sacerdotum, furtumque deprenſum. Deſcriptio piſtorii operis, cui fuit mancipatus. Explicatio fabularum de adulteriis impudicitiaque fœminarum lepidiſſima: domini rurſus mutatio, à piſtore ad hortulanum facta tranſlatione. Dirum familiæ infortunium. hortulani in militem abactorem in-*

ſultatio ; aſini occultatio , & proſpectus.

Lib. X.

Continetur *militis cum aſino ad civitatem acceſſus : facinoris muliebris ob amorem inceſtum infandumque luculenta deſcriptio : aſini duobus fratribus facta venditio , quorum alter piſtor erat , alter coquus : mox fratrum ob aſini furtivam rapinam cibariam, diſſidium atque contentio. Aſini vita genialis & paraſitica ſub domino mitiore : fœminæ ſceleſtæ ad beſtias damnatio : judicii Paridis editio : aſini fuga ex ſpectaculo.*

Lib. XI.

Totus *quidem Apuleius elegantia & eruditione plenus eſt : hic vero noviſſimus liber inter omnes excellit. in quo dicuntur quædam ſimpliciter, multa ex fide hiſtorica, plurima ex ſecretariis Philoſophiæ , & religionis Ægyptiæ deprompta. In principio eloquenter explicatur oratio , non aſinalis , ſed Theologica , ad Lunam , ejuſque luculenta deſcriptio. mox Lunæ ad Lucium benevola inſtitutio , pompæ ſacerdotalis copioſa & erudita deſcriptio , ex aſino in hominem priſtinum devoratis roſis facillima reformatio : religioſa ſacris Iſidis & Oſiridis initiatio, caſtimoniarum abſtinentia : altera ad Lunam deprecatio : felix Romam versùs profectio : ubi Sacris Romanis initiatus , in collegium Poſthophororum adlectus eſt.*

L. APULEII

*LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI METAMORPHOSIS; SIVE LUSUS ASINI.

LIBER PRIMUS.

1. **A**T ego tibi [2] ſermone iſto Mileſio varias Fabulas conferam;

INTERPRETATIO.

*Æ*GO *verò narrem tibi* libens *hac oratione ludicrâ diverſa commenta*;

NOTÆ.

* LUCII *Apuleii Madaurenſis Metamorphoſeos, ſive Luſus Aſini.*] Hanc Aldinæ Editionis ἐπιγραφὴν, libens poſt Elmenhorſtium & Pricæum ſervavi, rejectâ, quæ in multis Editionibus legitur, *De Aſino Aureo*: de qua Erycius Puteanus, in Epiſtola ad Elmenhorſtium Apuleii Editionem adornantem, eleganter ſcribit: *Tu facis aureum, quem fruſtrà appellamus. Error quidem, & admiratio olim ejuſmodi titulum dedit, & quia pulcherrimum putavit Lucii Aſinum, à pulcherrimo metallo nominavit. Sic quidem & Pythagoræ carmina, & alia multa, quæ commendari potErant, τὰ χρυσᾶ dicta. Si meo ſuffragio res geratur ſimpliciter*: De Aſino, vel Metamorphoſeôn *inſcribum*.

3 aureſque tuas bibulas lepido ſuſurro permulceam, (modò ſi 4 papyrum Ægyptiam, argutia 5 Nilotici calami inſcriptam non ſpreveris inſpicere) 6 & figuras fortunaſque hominum in alias imagines

INTERPRETATIO.

& deliniam tuas aures avidas blandâ ſermocinatione, (dummodò tu non dedignatus fueris intueri chartam Ægyptiam exaratam acumine arundinis Niliacæ.) Hic incipio, ut admireris ſortem & formas hominum mutatas in alias ſpecies,

NOTÆ.

Hæc Puteanus. Idem argumentum tractarunt Lucianus, cujus liber extat Λούκιος ἢ ὄνος, *Lucius ſeu Aſinus*, inter reliqua ejus Opera, & Lucius Patrenſis, qui ſcripſit Μεταμορφώσεως λόγους διαφόρους, atque inter eos unum qui inſcribitur, Λουκὶς ἢ ὄνος *Lucis, ſeu Aſinus*, ut teſtatur Photius in Bibliotheca, qui etiam definire ſe certò poſſe negat uter utrum imitatus ſit, quoniam incertum uter fuerit vetuſtior: inclinat tamen ut imitatorem Lucianum pronunciet. Horum certè noſter ita imitator fuit, ut è ſuo penu innumerabilia protulerit, atque inter cætera venuſtiſſimum illud Pſyches Ἐπεισόδιον. Tota porrò hæc Metamorphoſis Apuleiana & ſtilo, & ſententiâ Satyricon eſt perpetuum (ut rectè obſervavit Barthius Adverſ. l. 51. cap. 11.) in quo Magica deliria, ſacrificulorum ſcelera, adulterorum crimina, furum, & latronum impunitæ factiones palam differuntur. Ne autem, puto, fruſtra eſſet aurei nomen Aſino huic inditum, ventrem ipſius ruſpari non dedignantur fumivenduli Chryſopœæ ſectatores aurum ſe ex ejus ſtercore, (ut olim ex Ennii Virgilius) colligere poſſe ſperantes, mirum quàm inaniter!

1. *At ego*, &c.] Hoc libri principium ad ea uſque verba: *Theſſaliam (nam & illi*, &c.) multi in verſiculos tribuunt authoritate nixi Florentini codicis; ſed cùm multi alii extent Mſs. Codices, in quibus aliter ſe habet, & revera hi verſus tam licentioſi ſint, totque pedum genera admittant, ut quævis proſa oratio, ipſæque adeo Ciceronis orationes in verſus ſimiles digeri poſſint, melius viſum eſt, neglectâ metrorum ratione, hæc omnia uno tenore excudi, authoribus Wovverio, Pricæo & Scriverio.

At ego, &c.] Præfatiuncula eſt totius Operis. Particula *at* inceptiva eſt ad ornatum tantùm pertinens. Sic Horatius libri Epodôn, Oden 5. incipit:

At ô Deorum quidquid in Cœlo regit
Terras, & humanum genus!

2. *Sermone iſto Mileſio.*] Mileſii populi Ioniæ deliciis luxuque diffluentes, unde *Mileſius ſermo* facetus & jocoſus. De Fabulis Mileſiis vide quæ diximus in Præfatione hujus Operis.

3. *Aureſque tuas bibulas*, &c.] Sic mavult Scaliger, quàm ut vulgò, *benevolas*. Quod etiam confirmat Vvovverius authoritate Mſs. plurimorum. Et certè non eſt cur benevolentiam captet qui Mileſias narrat, ſatis enim per ſe ipſæ placent. *Bibulæ aures* ſunt audiendi avidæ. *Vacivæ* Plauto. Perſ.

Necquidquam populo bibulas donaveris aures.

4. *Papyrum Ægyptiam.*] Papyrus frutex eſt, qui, ut refert Plin. lib. 15. Hiſt. Natur. cap. 11. *Naſcitur in paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, ubi evagatæ ſtagnant, brachiali radicis obliquæ craſſitudine triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem faſtigiatus.* Ex hoc frutice charta fiebat ſecto in prætenues, ſed quàm latiſſimas tænias, quas Plinius philuras ſeu phillyras vocat. Modum & fabricam omnem, & varia genera chartarum fuſiùs vide apud eumdem Plin. libro ſuprà laudato capp. 11. & 12. & quæ ad hæc capita Scaliger ſcripſit adverſus Guilandinum in ejus Opuſculis.

5. *Nilotici calami.*] Martialis:

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

6. *Figuras fortunaſque hominum in*

converſas, & in ſe rurſùm mutuo nexu refectas, ut mireris, exordior. Quis ille, paucis accipe. [1] Hymettos Attica, & [2] Iſthmos Ephyræa, & [3] Tænaros Spartiaca, [4] glebæ felices æternùm [5] libris felicioribus conditæ [6] mea vetus proſapia eſt. Ibi [7] linguam Attidem [8] primis pueritiæ ſtipendiis merui: mox in urbe Latia [9] advena ſtu-

Interpretatio.

& iterum reſtitutas in ſeipſas mutuâ connexione. Audi paucis verbis *quis ille e*go ſim. *Hymettus Atticus, & Iſthmus Corinthiacus & Tænarum Laconicum arva beata celebrata in omne ævum voluminibus fortunatioribus ſunt antiqua origo mei generis. Ibi inſumpſi primos annos* meæ *pueritiæ linguæ Atticæ* ediſcendæ. *Deinde cùm veniſſem Romam ſtu-*

Notæ.

alias imagines converſas.] Putà luporum, aſinorum, &c. quod Magicâ arte, & herbarum quarumdam vi fieri poſſe vulgò creditum eſt. Virg. in Pharmaceutria:

His ego ſæpè lupum fieri, & ſe condere ſylvis
Mœrin, ſæpè animas imis excire ſepulchris,
Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes.

1. *Hymettos Attica.*] Hymmettus mons eſt Atticæ marmore inclytus, & melle, quod inter cætera mella primas tenet. Porrò *Hymettus*, *Iſthmus*, & *Tænarus* quæ hîc fœminino genere uſurpavit Apuleius, cæteris ferè maſculino efferuntur.

2. *Iſthmo Ephyræa.*] Ephyre olim dicta eſt, quæ poſteà Corinthus. Sita eſt in ipſo Iſthmo, qui Peloponeſum adnectit Continenti Græciæ, haberque hinc Corinthiacum Sinum, qui & Cirræus dictus eſt, illinc Saronicum, quorum hic à mari Ægæo, ille ab Ionio protenditur. Inclytus fuit Iſthmus Corinthiacus Templo Neptuni, & Ludis Iſthmiis quinquennalibus à Theſeo in Neptuni, vel, ut alii volunt, Palæmonis honorem inſtitutis, in quibus victor coronâ pineâ coronabatur.

3. *Tænaros Spartiaca.*] Tænarum Laconiæ Promontorium eſt, itemque oppidum; eſt &, juxtà Promontorium illud, ſpiraculum ejuſdem nominis ex quo deſcenſum ad Inferos patere Noſter dicit infrà l. 6. *Lacedæmon*, inquit, *Achaiæ nobilis civitas non longè ſita eſt: hujus conterminam deviis abditam locis quære Tænarum*, &c.

4. *Glebæ felices.*] *Arva fertilia.* Conſentit noſtro Ariſtophanes, qui Atticam ait eſſe λιπαρὰν χθόνα, *pingue ſolum.*

5. *Libris felicioribus conditæ.*] Bertinus Codex & alii *creditæ* minùs benè. l. 4. *& nomen meum cœlo conditum*, &c. *libris felicioribus* dicit, quippe qui nunquam ſint intermorituri, ſed locis his famam æternam conſervaturi.

6. *Mea vetus proſapia eſt.*] Nonio *proſapies* eſt generis longitudo, dicta à *proſupando*, id eſt, *proferendo.* Paulus Feſti Breviator: *Proſapia, Progenies, id eſt, proſparſis, & quaſi jactis liberis, quia ſipare ſignificat jacere*, &c. Hîc *proſapia* generis originem ſignificat.

7. *Linguam Attidem.*] Hanc lectionem germanam eſſe probavit ex variis Mſs. Pricæus, & Elmenhorſtius, qui hoc exemplum affert ex verſibus antiquis *de Ventis* ab Iſidoro Hiſpal. laudatis, de Natura rerum, c. 37.

—— *dictus Libs Attide linguâ;*

Ubi, quemadmodum & hic, *Attis lingua*, Attica eſt. Aliàs *Attis* eſt ipſa regio Attica, ſic dicta ab Atthide Cranaï filia, ut vult Strabo l. 9. Geograph. in Beroaldi & Colvii Editionibus legitur: *ibi, inquam, in Attide.*

8. *Primis pueritiæ ſtipendiis merui.*] Metaphora à re militari: ſtipendia pecuniæ ſunt militibus ob ſuam navatam operam militarem diſtribui ſolitæ. A ſtipibus qui numuli ærei ſunt ſtipendia dicta.

9. *Advena ſtudiorum.*] Is eſt intelligendus qui ſtudiorum causâ domo profectus peregrè degit in Academia aliqua publica.

diorum [1] Quiritium indigenam ſermonem [2] ærumnabili labore, nullo magiſtro præeunte, aggreſſus excolui. Et ecce præfamur veniam, ſi quid [3] exotici atque forenſis ſermonis rudis locutor offendero. Jam hæc quidem ipſa vocis immutatio [4] deſultoriæ ſcientiæ ſtylo [5] quem accerſimus, reſpondet. [6] Fabulam Græcam incipimus, Lector intende, lætaberis.

Interpretatio.

dendi causâ, incubui linguæ nativæ Romanorum magno & moleſto labore. Cùm id *ſu cepiſſem nullo magiſtro docente. Jam ergo rogo veniam, ſi* ego *imperitus locutor linguæ* mihi *extraneæ, & peregrinæ, in aliqua re peccavero. Jam quidem hæc ipſa mutatio ſermonis convenit ſtilo artis transformatriæ quem trahimus* in uſum. *Exordimur Fabulam Græcam; adverte animum Lector, gaudebis.*

Notæ.

1. *Quiritium indigenam ſermonem.*] Linguam Romanam, à Quirino, qui Romulus eſt, dicti ſunt Quirites, qui Romani ab eodem Romulo.

2. *Ærumnabili labore.*] Aldus *ærumnali* minùs benè, noſter infrà lib. 8. *Ærumnabili ſe ſubtrahere vitæ tacita decrevit.*

3. *Exotici ac forenſis.*] Romanus ſermo Apuleio peregrinus erat, utpote Afro, & Athenis educato. *Forenſis* vel *extraneum* ſonat nomine derivato ab adverbio *foris*, vel *oratorium* à *foro*, in quo Oratores Cauſas agebant.

4. *Deſultoriæ ſcientiæ.*] Magiæ, cujus ope homines in varias animalium formas ex humana tranſire, ac veluti deſilire credebantur. *Deſultorii equi* dicti, ex quorum uno in alium homines agilitate corporis præditi inter currendum deſiliebant, & illi homines *deſultores.*

5. *Quem accerſimus.*] Sic legit Pricæus in Venet. Editione eſt *acceſſimus.* Scaliger reponebat *arceſſimus.* Pricæi lectionem firmat ipſe Apuleius infrà l. 5. *nec ullo te genere mortis accerſito perimas.*

6. *Fabulam Græcam.*] Tum quia ſcena ejus Theſſalia eſt Græciæ regio: tum quia deſumpta eſt ex Luciano, qui idem argumentum Græcè tractavit.

[1] THESSALIAM (nam & illic originis maternæ noſtræ fundamenta [2] à Plutarcho illo inclyto, ac [3] mox Sexto Philoſopho nepote ejus prodita gloriam nobis faciunt) eam Theſſaliam ex negotio petebam. [4] Poſt ardua montium, & lubrica vallium, & roſcida cæſpitum, & gleboſa camporum [5] emenſa; equo indigena peralbo vehens, jam eo quoque admodum feſſo, ut ipſe etiam [6] laſſitudinem ſedentariam inceſsûs vegetatione diſcuterem, in pedes deſilio. Equi ſudorem [7] fronte curioſè exfrico, [8] aures remulceo, frænos detraho, in gradum lenem ſenſim proveho, quoad laſſitudinis incommodum alvi ſolitum [9] ac naturale præſidium eliquaret. Ac dum is [10] jentaculum ambulatorium, ad prata, quæ præterit, ore in latus de-

INTERPRETATIO.

IBAM in Theſſaliam (illic enim principia meæ ſtirpis maternæ derivata ab illuſtri illo Plutarcho, ac deinde à Sexto Philoſopho ejus nepote ſunt mihi decori) ibam, inquam, in illam Theſſaliam. Poſtquam ſuperavi montes præruptos, & valles declives, & cæſpites rorulentos, & campos glebis plenos, inſidens equo candidiſſimo in illa regione nato, qui erat etiam valdè fatigatus, deſilio in pedes, ut ego quoque diſſiparem agitatione ambulationis laſſitudinem ſedendo contractam. Defrico ſtudioſè ſudorem ex fronte equi, demulceo manibus *ejus aures, aufero fræna* ex ore, *deduco* illum *paulatim lento paſſu, donec conſuetum & naturale remedium* evacuationis *alvi diſſiparet moleſtiam laſſitudinis. Et dum ipſe demiſſo capite captat pabulum inter ambulandum converſo obliquè ore*

NOTÆ.

1. THeſſaliam.] Hujus Provinciæ limites hos ponit Herodotus, in Polymnia, ab Oriente montes Oſſam, & Pelion : à Septentrione Olympum; ab Occaſu Pindum; à Meridie Othryn. Magorum, herbarumque ad Magica veneficia pertinentium ferax habita eſt, eoque nomine paſſim apud Authores celebrata. Fuit & *Theſſalia* Macedoniæ urbs, teſte Plinio.

2. *A Plutarcho illo.*] Servius ad l. 10. Æneid. *Antiqui ILLE vel magnitudini, vel nobilitati aſſignabant.*

A Plutarcho illo inclyto.] Matrem habuit Apuleius Salviam ex Plutarchi Chæronenſis genere. Chæronea tamen Bœotiæ civitas eſt, non Theſſaliæ. Sed Salviæ majores fortaſſe ex Bœotia in Theſſaliam migraverant.

3. *Mox Sexto Philoſopho.*] Sextus hic Plutarchi nepos præceptor fuit M. Antonini Pii Imperatoris. Extat hodie liber ejus *de Medicina animalium.*

4. *Ardua montium, & lubrica vallium,* &c.] Græca phraſis eſt τὰ ὑψηλὰ τῶν ὀρῶν : cùm dicere debuiſſet *arduos montes, lubricas valles, roſcidos cæſpites,* &c. Similiter dixit Velleius Paterculus *per avia itinerum fugiens.* Innumerabilia exempla reperias apud Authores.

5. *Emenſa.*] Paſſivè hîc, ſæpiùs tamen activè uſurpatur.

6. *Laſſitudinem ſedentariam.*] Torporem illum, qui ex diuturniori ſeſſione, & equitatione contrahitur.

7. *Fronte exfrico.* Sunt qui legant *fronde* non ineptè; foliis enim arborum, aut gramine, vel paleâ, ſi ſuppetat, equorum ſudorem detergere ſolent.

8. *Aures remulceo.* Hoc eſt, manibus leniter frico, idque ſecundum flexum villorum. *Demulcere caput* inter blanditias. Terent.

Non poſſum pati quin tibi caput demulceam.

9. *Naturale præſidium.*] Suſpicabatur quidam *reſiduum* vel *proficium*.

10. *Jentaculum ambulatorium.*] Herbas quas inter ambulandum carpebat.

torto pronus[1] affectat, duobus comitibus, qui fortè paululùm proceſſerant, tertium me facio. Et, dum auſculto quid ſermonis agitaretur, alter [2] exerto cachinno, [3] Parce, inquit, in verba iſthæc tam abſurda, tamque immania mentiendo. Iſto accepto, ſititor alioqui novitatis, immò verò, inquam, impertire ſermone, non quidem [4] curioſum, ſed qui velim ſcire vel cuncta, vel certè plurima: ſimul [5] jugi, quod inſurgimus, aſperitudinem fabularum lepida jocunditas levigabit. At ille qui cœperat, Næ, inquit, iſtud mendacium tam verum eſt, quàm ſi quis velit dicere, [6] magico ſuſurramine [7] amnes reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes expirare, Solem inhiberi, [8] Lunam deſpumari, ſtellas evelli, diem tolli. noctem tene-

INTERPRETATIO.

ad prata quæ prætergreditur, adjungo me tertium duobus, qui fortè fortunâ prægreſſi erant aliquantulùm. Et dum capto auribus quid dicerent inter ſe; unus ex illis *claro cum riſu; deſine, ait, mentiri iſtis ſermonibus tam ineptis, & tam portentoſis. Hoc audito*, ego *avidus cæteroqui novitatis; contrà verò, inquam, fac me participem tuæ narrationis, non quidem quod ſim curioſus, ſed* quia *velim ſcire aut omnia, aut ſaltem permulta: eâdem operâ elegans ſuavitas fabularum complanabit ſcabritiem montis in quem ſcandimus. Sed ille qui inceperat: profectò, inquit, iſtud mendacium æquè verum eſt, ac ſi quis dicat fieri magico incantamento, ut fluvii celeres redeant* in fontes ſuos, ut *pelagus immotum conſtringatur* gelu, *ut venti flatu deſtituti deficiant, Solis* curſus *ſiſtatur, Luna* cogatur *ſpumam fundere, ſidera revellantur* Cœlo, *auferatur dies, & nox pro-*

NOTÆ.

1. *Affectat.*] Sic rectè Marinus Becichemus. Alii *allectat*, alii *adjectat*, malè. Hoc eodem libro infrà. *Appronat ſe*, &c. *avidus affectans poculum.*

2. *Exerto cachinno.*] Sic lege, *non exorto.* Exertus cachinnus eſt clarior ac ſolutior riſus cum oris & narium ſono, ſæpiùs irriſorius.

3. *Parce, inquit*, &c.] Miram aliquam & fide majorem hiſtoriam narraverat alter, quam hic ſibilo & cachinno excipit.

4. *Curioſum.*] In malam partem accipe pro loquaci, malevolo, & eo qui aliena curat, eaque, nihil quæ ad ſe artinent.

5. *Jugi quod inſurgimus.*] Id eſt, *in quod ſurgimus*, ſeu *aſcendimus.* Sexcenta ejuſmodi apud Apuleium reperias loca, quibus præpoſitio verbum componens caſum ſuum poſt ſe regit, tametſi non repetatur.

6. *Magico ſuſurramine.*] Incantamenta enim clam & ſubmiſsâ voce à Magis proferebantur, & quaſi inſuſurrabantur, ne à profanis audiri poſſent.

7. *Amnes agiles reverti*, &c.] Megæra apud Claudianum l. 1. in Rufinum.

Ire vagas quercus, & flamina ſtare coëgi,
Verſaque non prono curvavi flumina lapſu
In fontes reditura ſuos.

Enothea apud Petronium.

——— ——— Mihi pontus inertes
Summittit fluctus, Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos ſua flabra pedes, mihi flumina parent,
Hyrcanæque tygres, & juſſi ſtare dracones.
Quid leviora loquor? Lunæ deſcendit imago
Carminibus deducta meis, &c.

8. *Lunam deſpumare.*] Valerius Flaccus Argonautic. l. 6.

Quamvis Athracio Lunam ſpumare veneno

ti. Tunc ego in verba fidentior, Heus tu, inquam, qui ſermonem jeceras priorem, ne pigeat te, vel tædeat reliqua pertexere. Et ad alium : [1] Tu verò craſſis auribus, & obſtinato corde reſpuis quæ forſitan verè perhibeantur. Minùs hercule calles praviſſimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auditu nova, vel viſu rudia, vel certè ſupra captum cogitationis ardua videantur : quæ ſi pauló accuratiùs exploraris, non modò compertu evidentia, verum etiam factu facilia ſenties.. Ego denique [2] veſpera, dum [3] polentæ caſeatæ offulam modico grandiorem [4] in convivas æmulus contruncare geſtio, mollitie cibi glutinoſi faucibus inhærentis, & ima gula ſpiritus detinentis, minimo minùs interii. Et tamen [5] Athenis proximè [6] ante

INTERPRETATIO.

ducatur. Ego tum factus *audacior ad loquendum : Heus tu, inquam, qui inceperas priorem narrationem, ne graveris abſolvere quod ſupereſt. Et* converſus *ad alium : tu autem, inquam, obtuſo auditu & pertinaci animo repudias quæ referuntur fortaſſe verè. Profectò neſcis ea quæ apparent vel nova auribus, vel inſolita oculis, vel certè difficiliora quàm ut poſſint comprehendi cogitatione, exiſtimari mendacia opinionibus falſiſſimis ; quæ ſi perſcrutatus fueris paulò diligentiùs, comperies non ſolùm poſſe clarè cognoſci, ſed etiam facilè fieri. Poſtremò heri veſperi, cùm ego vellem avidiùs mordere fruſtum paulò craſſius placentæ caſeo conditæ, impulſus* nempe *æmulatione conveſcentium. nihil propius factum eſt, quàm ut ſuffocarer mollicie viſcoſæ eſcæ, quæ adhærebat gutturi* meo *& intercludebat animam in infima parte faucium : & nihilominus vidi nuper his ambobus oculis Athenis ante*

NOTÆ.

Sciret, & Hæmoniis agitari cantibus Umbras.

Lucanus l. 6.

Et patitur tantos cantu depreſſa (Luna) *labores,*
Donec ſuppoſitas propior deſpumet in herbas.

Spuma quam Luna fundebat cantu depreſſa *lunare virus* dictum eſt, quod quidem non niſi ſummo labore emittere ſydus illud creditum, eâque de causâ carmina Veneficarum valdè formidare. Aurel. Nemeſianus Ecloga 4.

Cantavit quod Luna timet, quo rumpitur anguis.

1. *Tu verò craſſis auribus.*] Alterum alloquitur comitem verbis prioris non credentem.

2. *Veſpera.*] *Heri veſperi.* Similiter l. 2. *Veſpera quoque cum ſomno concederes.* Et aliis locis benè multis, imitatus videtur Græcos, qui ἑσπέρας eodem ſenſu dicunt. Xenophon Ἑλλην. 4. Ἑσπέρας συνεδειπνοῦν αὐτῷ, *heri veſperi cœnavi cum eo.*

3. *Polentæ caſeatæ.*] Polentæ nomine hordeacea farina, & quidquid ex ea fieret, appellabatur. Græci τὰ ἄλφιτα dicunt, *polenta caſeata*, de qua hic loquitur Apul. libum fuit ex hordeacea farina caſeo indito ſubactum, quod genus cibi glutinoſum eſſe ſolet, præſertim ſi calidum devoretur. Τυρόεντα πλακοῦντα habet Heſychius.

4. *In convivas æmulus.*] Sic Elmenhorſt. & Pricæus rectè, *æmulus in convivas* eſt qui, ne plus ſe edant, timet, ideoque avidiùs vorat. Veterem lectionem *in convivas æmulos* retinet Gaſp. Barthius Adverſ. l. 24. c. 1. & facetè per convivas æmulos, *canes* intelligit, ſed minimè placet commentum illud.

5. *Athenis proxime.*] Sic lege, non *proximo*, mirè hîc hallucinatus eſt Beroaldus qui *proximo* retinet, & interpretatut *appropinquo. Proximè* hîc ſonat *nuper: ante hos paucos dies.*

6. *Ante Pœcilen porticum.*] Στοὰ ἡ

Pœcilen [porticum] iſto gemino obtutu [1] Circulatorem aſpexi [2] equeſtrem ſpatham præacutam mucrone infeſto devoraſſe : ac mox eundem invitamento exiguæ ſtipis venatoriam lanceam , quâ parte minatur exitium , in ima viſcera condidiſſe. Et ecce, ponè lanceæ ferrum, [3] quâ bacillum inverſi teli ad occipitium [4] per inguen ſubit, puer in mollitiem decorus inſurgit: inque flexibus tortuoſis [5] enervem & exoſſem ſaltationem explicat, cum omnium, qui aderamus, admiratione. Diceres [6] Dei Medici [7] baculo, quod ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, [8] ſerpentem generoſum lubricis amplexibus

INTERPRETATIO.

porticum Pœcilen præſtigiatorem quendam deglutientem gladium equeſtrem acutiſſimum, acumine in os *converſo ; & deinde eumdem immergentem in intima præcordia ſpiculum eâ parte quâ intentat necem, propoſitâ vili mercedulâ. Et ſtatim poſt ferrum ſpiculi puſio effœminatæ pulchritudinis aſcendit* ea parte *quâ baculus lanceæ conditæ penitus fertur ad poſteriorem partem capitis per imum ventrem : & exhibet ſaltationem mollem & infractam, flectendo ſe & complicando* variis modis *cum ſtupore* noſtrûm *omnium qui adſtabamus. Diceres illum eſſe anguem magnanimum , qui complexibus ſinuoſis inhæreret baculo Æſculapii, quem* Deus ille *geſtat nodis aſperum, ramulis*

NOTÆ.

Ποικίλη, id eſt, *varia*, porticus fuit Athenis variis picturis ornata operâ Polygnoti & Myconis. In ea videbatur depicta Pugna Marathonia , in qua Miltiades centum millia Perſarum & Medorum profligavit. Hinc Perſio dicitur :

—— —— *Bracchatis illita Medis*
Porticus.

Πεισιανάκτειον anteà dictam hanc porticum reperio apud Diogenem Laërt. in Zenone. Hæc Ποικίλη Στοὰ Zenonis Auditorium fuit, & ab ipſa Stoïci dicti ſunt ejus diſcipuli. Fuit & alia *Pœcile porticus* in Elide , teſte Pauſaniâ. Quæ à Plinio heptaphonos appellatur , quod in ea vox redderetur ſepties.

1. *Circulatorem.*] A circulo dicti Circulatores. Sunt, qui Græcis θαυματοποιοὶ, vagi homines , qui præſtigiis quibuſdam, ac manuum agilitate ſpectantium aciem fallunt, quique, ut ait Plutarchus, τὰ Λακωνικὰ ξίφη διὰ μικρότητα κατέπινον, *Laconicos enſes utpote breviores devorabant.*

2. *Equeſtrem ſpatham.*] Vegetius docet gladios majores vocari *ſpathas* , minores verò *ſemiſpathas.* Spatha equeſtris videtur diſcrepuiſſe à pedeſtri. Fuerit forſan brevior & latior, quales ſunt acinaces.

3. *Quâ bacillum inverſi teli.*] Lego *immerſi* , in viſcera nempè Circulatoris, quid enim ſibi velit hoc loco *inverſum telum* non ſatis liquet mihi.

4. *Per inguen.*] Sic habent permultæ Editiones. Nonnullæ *per ingluviem* ex utravis lectione ſenſus elici poteſt commodus. Si *ingluviem* legere malis, repone in interpretatione *per gulam*, loco harum vocum *per imum ventrem.*

5. *Enervem & exoſſem ſaltationem.*] Nervi & oſſa roboris , & vigoris in corpore cauſa ſunt. Hinc mollem & agilem ſaltationem *enervem & exoſſem* vocat, quaſi dicas nullo corporis vigore præpeditam. *Enodem* dicat Claudian.

Quis magis enodes laterum detorqueat artus.

6. *Dei Medici.*] Æſculapii , Apollinis, ex Coronide Nympha filii. Plures Æſculapios facit Cicero l. 3. de Natura Deorum.

7. *Baculo quod, &c. nodoſum gerit.*] Feſtus de Æſculapio : *Bacillum nodoſum habet, quod artis difficultatem ſignificat.*

8. *Serpentem generoſum*, &c.] Cur ſer-

inhærere

inhærere. Sed jam cedo, tu ſodes, qui occœperas, fabulam remetire. Ego tibi ſolus hîc pro iſto credam, & quod ingreſſui primum fuerit ſtabulum, prandio participabo. Hæc tibi merces poſita eſt. At ille: [1] iſtud quidem quod polliceris, æqui bonique facio: verùm, quod inchoaveram, porrò exordiar. Sed [2] tibi priùs Solem iſtum dejerabo [3] videntem Deum, me vera comperta memorare. Nec vos ulteriùs dubitabitis, ſi [4] Theſſaliam proximam civitatem perveneritis, quòd ibidem paſſim per ora populi ſermo jactetur, quæ palàm geſta ſunt. Sed, ut priùs noritis qui ſim, & [5] cujatis, & [6] quo quæſtu me te-

INTERPRETATIO.

tantùm *ſemireſectis. Sed nunc dic age, tu, qui exorſus eras narrationem, repete eam* ab initio. *Ego ſolus hic habebo tibi fidem hujus loco, & faciam te participem mei prandii in proximâ cauponâ, in quam poterimus intrare. Hoc præmium tibi conſtitutum eſt. Tum ille: haud equidem magni pendo, quod promittis: ſed tamen, jamjam reſumam à principio, quod inceperam. Verùm jurabo tibi antè per hunc Solem, qui Deus eſt cernens*, omnia, *me narrare, quæ expertus ſum vera eſſe. Et vos non ambigetis ampliùs, ſi ingreſſi fueritis proximam urbem Theſſaliæ, quia illic fama* horum *vulgò percrebuit in ore plebis*, utpote *quæ facta ſunt in propatulo. Sed ut ſciatis priùs quis ego ſim, & ex qua gente, & quo com-*

NOTÆ.

pens baculo Æſculapii implexus vulgò repræſentaretur, cauſa hæc eſt. Adrepentem ad baculum ſuum ſerpentem cùm Æſculapius repetitis ictibus occidiſſet, ad vitam illum ſerpens alius allatâ, & adhibitâ herbâ quâdam revocavit præſente & ſpectante Æſculapio, qui eadem poſteà herba uſus Hippolytum, ſeu, ut alii volunt, Glaucum ſuſcitavit ad vivos. Plura de Æſculapio vide apud Natalem Comitem, & Lilium Gyraldum Syntagmate 7.

1. *Illud quidem quod polliceris æqui bonique facio.*] *Æqui bonique conſulere*, eſt *in bonam partem accipere*. Hîc *æqui bonique facio* idem ſonat ac illud Horatii:

Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus.

Eſtque honeſta oblati recuſatio.

2. *Tibi priùs dejerabo Solem iſtum.*] Solenne fuit jurare per Solem. Julian. in Miſopogone, *καὶ τοῦτο μάρτυρα καλῶ τὸν μέγαν ἥλιον πρὸς τοὺς ἀπιστοῦντας.* Ovid. 3. Metamorphoſ.

Per tibi nunc ipſum Solem *(neque enim præſentior illo*
Eſt Deus) adjuro tam me tibi vera referre
Quàm veri majora fide.

3. *Videntem Deum.*] Quippe qui ſit mundi oculus, quo cuncta colluſtrantur, & redduntur conſpicua. Valerio Flacco Argonaur. l. 5. verſ. 247. Sol dicitur *omnituens*. Æſchylo *πανόπτης κύκλος*.

4. *Theſſaliam proximam civitatem.*] Aldus *Theſſalicam*, rectè. Nec audiendus Pricæus, qui, ut vulgatam lectionem tueatur, locum hunc Solini profert l. 14. de Theſſaliæ oppidis: *Egregia ſunt Phthia, Lariſſa, Theſſalia, & Thebæ.* Nam quidquid ſit de illa urbe *Theſſalia*, quam quidem Plinius non in Theſſalia Provincia, ſed in Macedonia collocat, Ariſtomenes hic, qui ſuos caſus enarrat, Hypathæ incidit in Socratem, & alia paſſus eſt monſtra, quæ infrà narrat.

5. *Cujatis.*] In recto caſu, pro *cujas*, cujus ſexcenta exempla occurrunt in priſcis Authoribus. Sufficiat hoc unum Accii in Telepho:

Qui neque cujatis eſſet unquam potuimus
Multa rogantes ſcire.

6. *Quo quæſtu me teneam.*] *Suſtentem.* Sic Plautus Pſeudolo. *Nec boni ingenii*

neam, audite. [1] Æginenſis quidem ſum, [2] Hypatæo melle, vel caſeo, & hujuſcemodi cauponarum mercibus per Theſſaliam, [3] Ætoliam, [4] Bœotiam ultrò citrò diſcurrens. Comperto itaque, [5] Hypatæ, quæ civitas cunctæ Theſſaliæ antepollet, [6] caſeum recentem, & ſciti ſaporis admodùm commodo pretio [7] diſtrahi, feſtinus adcucurri id omne [8] præſtinaturus. Sed, ut fieri aſſolet, [9] ſiniſtro pede profectum me ſpes compendii fruſtrata eſt. Omne enim pridie Lupus

INTERPRETATIO.

mercii genere me ſuſtentem, auſcultate. Ego ſum ex Inſula Æginæ, hinc inde commeans per Theſſaliam, Ætoliam, & Bœotiam cum *melle Hypatænſi, vel caſeo, & ſimilibus mercibus popinalibus. Cùm igitur audiviſſem in urbe Hypata, quæ eſt primaria totius Theſſaliæ, caſeum recentem, exquiſiti ſaporis venalem eſſe pretio valdè modico, advolavi celeriter totum empturus. Verùm, ut ferè contingit, ſpes lucri me fefellit, itinere ſuſcepto malo omine. Nam Lupus dives*

NOTÆ.

quidquam ineſt, niſi ut improbis ſe artibus teneant. Noſter l. 9. *Parvis mercedibus vitam tenebat.*

1. *Æginenſis quidem ſum.*] Ex Ægina Inſula in Saronico Sinu poſita, quam, ut ait Ovidius Metam. l. 7.

Oenopiam veteres appellavere; ſed ipſe
Æacus Æginam genitricis nomine dixit.

2. *Hypatæo melle vel caſeo.*] Magna hîc varietas. Alii *Hypatæo*, alii *Æthnæo*, Beroaldus *Ennæo.* Quid ſi reponas, *Athenæo melle, vel Hypatæo caſeo*, ut Athenæum mel ſit *Athenienſe* Ἀθηναῖον: mel nempe illud Cecropium adeo decantatum? Certè de *Hypatæo caſeo* Noſter mox: *Comperto itaque Hypatæ*, &c. *eſſe caſeum recentem & ſciti ſaporis*, ubi de melle nihil habet. Qui *Æthnæo* retinent, *Siculum* interpretantur, Hyblæum nempe mel plurimùm quoque celebratum, & ſecundæ ab Attico bonitatis.

3. *Ætoliam.*] Ætolia regio eſt proxima Epiro, Acarnaniæ, & Locris finitima, ſic dicta ab Ætolo Martis filio, qui eam, ex Elide ejectus, incoluit.

4. *Bœotiam.*] Regio hæc ad mare Ægæum. Sita eſt contra Eubœam Inſulam, hujus caput Thebæ à Cadmo conditæ. Fuere & alia ejus nomina. Dicta enim fuit *Aonia*, *Ogygia*, *Hyantis*, *Meſſapia*, & *Cadmeis.*

5. *Hypatæ.*] Hypata, Græcis τὰ Ὕπατα Theſſaliæ urbs eſt ad Sperchium amnem ſita. In ea primam fabulæ ſuæ ſcenam poſuit Lucianus, ſicut & Noſter.

6. *Caſeum recentem*, &c. *id omne præſtinaturus.*] Videtur hîc Apul. σολοικίζειν. Crediderim primò ſcriptum *caſeum recente*, neutro genere: ἀρχαϊκῶς pro *recens*. Caſeum enim Veteres neutro quoque genere extulerunt teſte Non.

7. *Diſtrahi.*] *Diſtrahere* Juriſconſultis vendere eſt: & *Diſtractio* venditio. Aliàs *diſtrahere* ſeparare eſt ac divellere.

8. *Præſtinaturus.*] *Præſtinare* verbum vetus eſt, quod ſignificat *emere.* Plaut. Epidico:

Ut præſtines argento priuſquàm venit filius.

9. *Siniſtro pede.*] Improſpero. Contrà *dextro pede* profectus dicitur, cui quod ſuſcepit, ſuccedit ex animi ſententia. In auguriis tamen ſiniſtrum pro ſalutari & proſpero, & ſiniſtræ aves & læva tonitrua boni præſagii. Virgil. Æneid. 3. ——— *Subitoque fragore*
Intonuit lævum, &c.
Unde Feſtus & Servius exiſtimant auſpicium *ſiniſtrum* dici à *ſinendo.* Id alii hac diſtinctione acute ſatis expediunt: dicunt ſcilicet, in iis, quę ab hominibus proficiſcuntur, ut ſternutatione, profectione, &c. dextra eſſe meliora, contrà verò in iis quę Dii mittunt, ut avibus, tonitru, &c. pręſtare ſiniſtra, quoniam dextra Deorum ſiniſtra ſit hominum.

[1] negotiator magnarius coëmerat. Ergo igitur inefficaci celeritate fatigatus, commodum veſperâ oriente [2] ad balneas proceſſeram. Ecce Socratem contubernalem meum conſpicio. Humi ſedebat ſciſſili palliaſtro ſemiamictus, pœnè alius, lurore ad miſeram maciem deformatus: qualia ſolent [3] Fortunæ decermina ſtipes in viis erogare. Hunc talem, quanquam neceſſarium & ſummè agnitum, tamen dubiâ mente propiùs acceſſi. Hem, inquam, mî Socrates, quid iſtud? Quæ facies? Quod flagitium? At verò domi tuæ jam defletus & [4] conclamatus es. Liberis tuis [5] tutores Juridici Provincialis decreto dati. Uxor perſolutis officiis feralibus, luctu, & mœrore diutino defor-

INTERPRETATIO.

mercator illum comparaverat univerſum die præcedenti. Cum ergo iviſſem ſub veſperum ad thermas defeſſus inutili feſtinatione, conſpicor ſubitò Socratem familiarem meum. Sedebat humi ſemiopertus palliolo lacero, prope diverſus à ſeipſo *ob pallorem, deturpatus miſerando macrore,* talis omninò *qualia ſolent* eſſe illa *purgamenta fortunæ,* quæ *mendicant nummulos in compitis. Ad illum tali modo ornatum acceſſi dubitabundo animo, tametſi mihi eſſet familiaris & intimè notus. Hem, inquam, mî Socrates, quid hoc eſt rei? Quis vultus? Quod probrum eſt iſtud? Sed jam familia tua te proſecuta eſt lachrymis, & vociferationibus lugubribus* quaſi mortuum. *Tutores conſtituti ſunt tuis filiis Sententiâ Præfecti Provinciæ. Conjux tua procurato tuo funere, deturpata fletu & longo dolore,*

NOTÆ.

1. *Negotiator magnarius.*] Idem videtur eſſe quem Apul. l. 5. dicit *magnis pecuniis negotiantem.* Gallicè vertas, *Marchand en gros.* Colvius tamen ſuſpicatur genus aliquod peculiare mercatorum fuiſſe *Magnarios*, ductus hac Inſcriptione Romæ reperta.

MAGNO. ET. INVICTO.
IMP. CÆS. C. VALER. AUREL.
CONSTANTINO. PIO. FEL.
INVICTO. AUG. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. COS. III. P. P. PROC.
D. N. CORPUS. CORIARIORUM.
MAGNARIORUM. SALARIORUM.
DEVOTI. NUMINI. MAJESTATIQUE.
EJUS.

Ego, quod ſuper hac re pronuntiem, certi nihil habeo. Prior tamen interpretatio veri mihi videtur ſimilior.

2. *Ad balneas.*] Fœminino genere publicas dici; neutro verò privata *balnea*, ſeu *balnea* docet Varro, l. 8. de Lingua Latina. De balneorum ſtructura & ſitu, conſule Vitruv. l. 5. c. 10.

3. *Fortunæ deterrima.*] Lege cum Lipſio *decermina.* Apud Feſtum *decermina* dicuntur, *quæ decerpuntur purgandi cauſa.* Intellige hîc miſerrima illa hominum mendicabula, quæ fortunæ quaſi purgamenta ac propudia ſunt. Vvover. volebat *crimina* minus appoſitè, ut arbitror.

4. *Conclamatus es.*] Servius ad illud Æneid. 6. *Pars calidos latices.* *Plin. in Natur. Hiſtoria dicit hanc eſſe cauſam, ut mortui & calidâ aquâ abluantur, & per intervalla conclamentur, quod ſolet plerumque vitalis ſpiritus excluſus putari, & homines fallere. Denique refert quemdam ſuppoſitum pyræ adhibitis ignibus erectum eſſe, nec potuiſſe liberari, unde & ſervabantur cadavera ſeptem diebus, & calidâ aquâ abluebantur, & poſt ultimam conclamationem comburebantur: unde traxit Terentius, Deſine: jam conclamatum eſt.* Lucanus Pharſal. l. 2. *Corpora nondum Conclamata jacent* *Conclamatus* ergo hîc ſumitur pro eo, qui certo mortuus habetur.

5. *Tutores Juridici Provincialis decreto, &c.*] Juridicus Provincialis eſt is

mata, [1] diffletis pœnè ad extremam [2] captivitatem oculis ſuis, domus infortunium novarum nuptiarum gaudiis [3] à ſuis ſibi parentibus hilarare compellitur. At tu hìc [4] larvale ſimulachrum cum ſummo dedecore noſtro viſeris. Ariſtomene, inquit, næ tu Fortunarum lubricas ambages, & inſtabiles incurſiones, & reciprocas viciſſitudines ignoras. Et cum dicto, ſutili centunculo faciem ſuam, jamdudum punicantem præ pudore, obtexit; ita ut ab umbilico pube tenus cætera corporis renudaret. Nec denique perpeſſus ego tam miſerum ærumnæ ſpectaculum, injectâ manu, ut adſurgat, enitor. At ille, ut erat capite velato: Sine, ſine, inquit, [5] fruatur diutiùs tropæo For-

Interpretatio.

oculis ita tabefactis ex copia lachrymarum, ut ferè viſu orbata ſit, incitatur à ſuis ipſius parentibus ad commutandam calamitatem ſuæ domûs lætitiâ novi matrimonii. Sed tu interim *ſpectrum ſepulchrale conſpiceris hìc cum noſtro maximo probro. O! Ariſtomene, ait, tu profectò non noviſti periculoſos anfractus, & impetus varios, & alternas mutationes fortunarum. Et cùm hoc dixiſſet, obvelavit palliaſtro conſuto ex multis pannis vultum jampridem erubeſcentem ex verecundia; ita tamen ut revelaret cæteras corporis partes ab umbilico uſque ad inguina. Ego denique non ſuſtinens tam deplorabilem aſpectum miſeriæ, prehendo ipſum, & conor erigere in pedes. Sed ille obtectâ facie, ut erat: Permitte, permitte, ait, ut Fortuna potiatur diutiùs*

Notæ.

Magiſtratus qui jus dicit in Provincia, ſive is Prætor ſit, ſive Proconſul, ſive Præſes, ſive alius quivis, qui Provinciam regat. Hujus erat tutores pupillis, quibus nec teſtamento dati, nec legitimi erant, conſtituere; nec hujus tantùm, ſed & omnium Magiſtratuum Municipalium.

1. *Diffletis pœnè ad extremam captivitatem oculis.*] Similiter Quintil. Declamat. 16. *Cognitâ clade mariti, rariſſimi uxor exempli totos efflevit oculos, fontemque illum perennium lacrymarum tantùm cœcitas clauſit.* Porrò locum hunc περιφραστικωτέρως paulò reddidi in interpretatione: ſed vix aliter ſenſus ejus omnis poterat exprimi, tanta ineſt ἐνέργεια.

2. *Captivitatem.*] Appoſitè de oculis Virgil. Georgic.

Aut oculis capti fodere cubilia talpæ.

3. *A ſuis ſibi parentibus.*] A propriis parentibus. Sic Terent. Adelphis:

Suo ſibi hunc gladio jugulo.

4. *Larvale ſimulachrum.*] Larvæ dictæ ſunt animæ hominum malis vitæ meritis contaminatæ, quas occurrere noctu, atque obvios terrere credebant: Vide Noſtrum in l. de Deo Socratis. Alio ſenſu & pro ſceleto ſumitur. Petronius: *Potantibus ergo, & accuratiſſimè nobis lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit ſervus ſic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur*, &c. Hinc larvale ſimulacrum dicitur Socrates ille pallore & macie confectus, ac ſceleti ſimilis. Similiter & in Apologia Noſter: *Macilentam, vel omninò eviſceratam formam prorſus horribilem, & larvalem.* Eſt & larva in Theatro faciei tegmen. Horat.

Nil illi larva, aut tragicis opus eſſe cothurnis.

5. *Fruatur tropæo Fortunæ.*] *Tropæum* ſeu *trophæum* dictum eſſe ἀπὸ τῆς τροπῆς, id eſt, à converſione ſeu fuga hoſtis, auctor eſt Iſidorus Hiſpal. Orig. l. 18. cap. 2. nam ab eo quod hoſtem quis fugaſſet, merebatur trophæum. Erat autem illud Lorica cum Galea, & Femoralibus ornata ſpoliis hoſtium, ſuſpenſa ex annoſæ alicujus arboris trun-

tuna, quod fixit ipſa. Effeci ut ſequeretur: & ſimul unam è duabus laciniis meis exuo, eumque properè, veſtio dicam, an contego? Et illicò lavacro trado: [1] quod unctui, quod terſui opus, ipſe præminiſtro: ſordium enormem eluviem operosè effrico: probè curatum ad hoſpitium, laſſus ipſe, fatigatum ægerrimè ſuſtinens, perduco: lectulo refoveo, cibo ſatio, poculo mitigo, fabulis permulceo. [2] Jam ad lubentiam proclives erant ſermones & joci, & ſcitum eſt cavillum: jam dicacitas tinnula; cùm ille imo de pectore cruciabilem ſuſpiritum ducens, dextrâ ſæviente frontem replaudens: Me miſerum! infit, qui, dum voluptatem gladiatorii ſpectaculi ſatis famigerabilis conſector, in has ærumnas incidi. Nam, ut ſcis optimè, [3] ſecundum quæſtum Macedoniam profectus, dum [4] menſe decimo ibidem attentus nummatior revertor; modicò priùs quàm [5] Lariſſam accederem, per tranſ-

INTERPRETATIO.

trophæo, quod ipſa ſuſpendit. Evici tamen ut mecum veniret: & ſimul diſpolio me altera ex duabus veſtibus meis, & induo eum celeriter, vel potiùs cooperio, & ſtatim colloco illum in balneo: ego ipſe ſuppedito ei unde ſe ungat, & quo ſe tergat: abrado magno cum labore immanem copiam ſordium: poſtquàm curatus eſt à me diligenter, deduco eum ad diverſorium meum, defeſſum ſuſtentans magno labore, quia ego *ipſe* eram *defeſſus.* Ibi *recalfacio eum toro, expleo dapibus, vino animæquiorem reddo,* & *delinio narratiunculis. Jam colloquia noſtra, & cavilli propendebant ad hilaritatem. Joci etiam* noſtri erant *faceti, & dicteria* noſtra *ſtrepera; cùm ille trahens ſuſpirium acerbum ab intimis præcordiis, & percutiens frontem manu infeſtâ: O me infelicem! dit, qui delapſus ſum in hæc calamitates, dum ſtudeo me oblectare ſpectaculo gladiatorum ſat celebri. Nam, ut apprimè noſti, cùm iviſſem in Macedoniam lucri faciendi causâ, atque ibi detentus fuiſſem per decem menſes; dum redeo inde pecunioſior, paulò antequàm appropinquarem Lariſſæ, viſurus ex iti-*

NOTÆ.

co, aut pilâ, aut pariete, ut eſſet victori monumentum victoriæ ſempiternum. Hîc Socrates per tropæum fortunæ ſeipſum intelligit, egregio quo erat ornatu futurum omnibus inſtabilitatis, & malignitatis fortunæ monumentum.

1. *Quod unctui, quod terſui.*] Balnei utenſilia, oleum, ſtrigilem, & linteum abſterſorium. Vide Noſtrum, lib. 2. Florid.

2. *Jam ad lubentiam proclives erant ſermones & joci.*] Miſſis variis Criticorum in hunc locum argutiis, huic lectioni inhæreo, quam etiam reperio in Scriveriana editione anni CIƆ IƆC XXIIII. Eſt autem *lubentia* genialis quædam hilaritas & licentia, qualis in conviviis ubi pectora mero concaluere. Nomen eſt à *lubendo* ductum, ſicut & *lubido*, & *prolubium.*

3. *ſecundum quæſtum.*] Alii *ſecundo quæſtu.* Quod non improbo, & interpretor *proſpero lucri proventu.*

4. *Decimo menſe ibidem attentus.*] Non ab *attendo* hîc *attentus* derivatum eſt, ſed ab *attineo*, quod & pro *detineo* uſurpatur. Tacit. l. 1. Annal. *At ille* (Germanicus) *moriturum potiùs quàm fidem exueret clamitans, ferrum à latere diripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prehenſam dexteram vi attinuiſſent.*

5. *Lariſſam.*] Urbs eſt Theſſaliæ ad Peneum amnem, Achillis patria. Fuerunt & aliæ multæ hoc nomine, quas apud Geographos videre eſt.

irum ſpectaculum obiturus, in quadam avia & [1] lacunoſa convalli à vaſtiſſimis latronibus obſeſſus, atque omnibus privatus, tandem evado: &, utpote ultimè affectus, ad quandam cauponam [2] Meroën anum, ſed admodùm ſcitulam, devorto: eique cauſas & peregrinationis diuturnæ, & [3] domuitionis anxiæ, & ſpoliationis diurnæ aperio. Et dum miſer refero quæ memini, illa me ſatis quàm humanè tractare adorta, cœnæ gratæ atque gratuitæ, ac mox urigine percita, cubili ſuo applicat. Et ſtatim miſer, ut cum illa acquievi, ab unico congreſſu [4] annoſam ac peſtilentem contraho: & ipſas etiam lacinias, quas boni latrones contegendo mihi conceſſerant, in eam contuli: [5] operulas etiam quas adhuc vegetus

Interpretatio.

nere illud *ſpectaculum*, *circumventus ſum à prædonibus immaniſſimis in quadam valle deviâ & anfractuoſâ*, à quibus *ſpoliatus* meis bonis *omnibus*, *elabor tandem: & quoniam redactus eram ad extremam miſeriam*, *recipio me ad quandam cauponam* nomine *Meroën*, *vetulam* quidem, *ſed valdè elegantem; atque expono ei cur tandiu peregrinatus fueram, quare me recipiebam domum ſollicitus, & quomodo ſpoliatus fueram* eo ipſo *die. Et dum ego infelix narro ea quorum recordor, illa incipiens me tractare perquàm comiter, excipit me cœnâ jucundâ & gratis* quidem, *ac deinde lecto ſuo, libidine ipſam inſtigante. Et ſimul atque ego infortunatus cubui cum illa, ex uno tantùm concubitu traxì contagionem diuturnam. Dedi quoque ei veſtes ipſas quas humani illi prædones mihi reliquerant ad me operiendum; mercedulas quoque quas lucra-*

Notæ.

1. *Lacunoſa convalli.*] Lib. 4. *Convalles lacunoſæ, cavæque nimium.* Lacunæ & lamę, depreſſiores ſunt humi partes, in quibus aqua ſtagnare conſuevit. Legunt alii quidam *laciniosâ*, hoc eſt, anfractuoſa.

2. *Meroën anum.*] *Meroë* hìc nomen cauponę, fortè confictum à *mero*, quòd eſſet vinolenta, & merobiba. Ut illa *Meroë*, de qua Auſonius Epigram. 19.

Et tu ſic Meroë: non quòd ſis atra colore,
Ut quæ Niliaca naſcitur in Meroë:
Infuſum ſed quod vinum non diluis undis,
Potare immixtum ſueta merumque merum.

3. *Domuitionis.*] Vox ex duabus conflata, *domum itionis*.

4. *Annoſam & peſtilentem.*] Si ſit ſincera lectio, aliquid deeſſe ac ſubintelligi neceſſe eſt, putà *ægritudinem*, vel *contagionem*. Quędam exemplaria habent *anatem & peſtem*. Anatem porrò dixerunt Veteres morbum anuum; ſicut ſenium morbum ſenum, teſte Feſto. Ad quem vide Not. Scaligeri. Vvovver. malebat *damnoſam ac peſtilentem* ſcilicet Meroën anum, in quam congeſſit infelix Socrates quidquid latronum manibus ſubduxerat. Ita ut *damnoſa* hìc ſit quę opibus ſpoliat: at magis accedit ad vulgatam lectionem, ideoque magis placet Gaſparis Barthii conjectura adverſatiorum l. 33. c. 22. ubi ex Manuſcripto ſuo codice qui habet *annoſam peſtilentem*, reponit *annoſam peſtilentiam.* Ait nempe Socrates ſe ex unico congreſſu contraxiſſe peſtilentiam annoſam, hoc eſt, diuturnam & multorum annorum, peſtiferum ſcilicet amorem, quo incenſus eſt in ſceleſtam illam anum, contactu ejus quaſi philtro dementatus.

5. *Operulas etiam.*] Id eſt, operarum mercedulas, quas merebat infelix Socrates artem ſagariam exercens, poſtquàm ſpoliatus fuerat à latronibus,

[1] ſagariam faciens merebam; [2] quod me ad iſtam faciem, quam pauló antè vidiſti, [3] bona uxor & mala Fortuna perduxit. Pol quidem tu dignus, inquam, es extrema ſuſtinere, ſi quid eſt tamen noviſſimo extremius, qui voluptatem Veneream, & ſcortum ſcorteum [4] Lari & liberis prætuliſti. At ille digitum à pollice proximum ori ſuo admovens, & in ſtuporem attonitus: Tace, tace, inquit: & circumſpiciens tutamenta ſermonis, [5] Parce, inquit, in fœminam divinam, ne quam tibi linguâ intemperante noxam contrahas. Ain' tandem? inquam: potens illa & regina caupona quid mulieris eſt? Saga, inquit, & divina, potens cœlum deponere, terram ſuſpendere, fontes durare, montes diluere, Manes ſublimare, Deos infimare, ſidera extinguere, Tartarum ipſum illuminare. Oro te, inquam, [6] aulæum tragicum dimoveto, & ſipatium ſcenicum complicato: & cedo verbis communibus. Vis, inquit, unum vel alterum, imó plurima ejus audire facta? Nam, ut ſe ament efflictim non mo-

INTERPRETATIO.

bar exercendo ſagariam artem, dum eram *adhuc firmus; donec egregia* illa *conjux, & fors iniqua redegerunt me ad eum ſtatum quem modò conſpexiſti. Profectò tu mereris, inquam, pati acerbiſſima (ſi tamen eſt aliquid acerbius acerbiſſimo* tuo caſu *) quandoquidem antepoſuiſti amatorium gaudium, & meretricem rugoſam domui* tuę *& filiis* tuis. *At ille applicans digitum indicem labiis ſuis & ſtupore perculſus: Sile, ſile, ait, & circumſpectans an tutò loqui poſſet: noli, inquit,* maledicere *mulieri divinæ, ne accerſas tibi aliquod periculum intemperantiâ linguæ. Itane verò? inquam, illa potens, &* plane *regina ſtabulariæ, qualis fœmina eſt? Maga eſt, ait, & futuri præſcia, quæ poteſt deturbare cœlum, terram ſurſum tollere, conſtringere ſcaturigines* aquarum, *liquefacere montes, educere in ſublime umbras* mortuorum, *deprimere Deos, obſcurare ſtellas, & colluſtrare ipſum infernum. Obſecro te, inquam, aufer periſtroma tragicum, & convolve velum theatricum, & dic ſermone familiari. Viſne, ait, auſcultare unum vel duo, immò permulta ejus facinora? Nam* efficere *ut non ſolum po-*

NOTÆ.

quamque exercuit, quandiu per vires licuit. Nec probare poſſum Beroaldi interpretationem de reculis operosè fabrefactis.

1. *Sagariam faciens.*] *Sagaria* ars eſt ſaga faciendi, quæ veſtes breviores erant, ad militum præcipuè uſum.

2. *Quod me ad iſtam faciem*, &c.] *Quod* hîc eſt *quoad*, multa alia exempla hujus acceptionis profert Schoppius, ſuſpect. lect. l. 4. epiſt. 6. quem vide.

3. *Bona uxor.*] Male ſollicitatur à quibuſdam hic locus. *Uxor* etiam pro concubina ſumitur. Noſter l. 10. *& quoniam neque egregia illa uxor mea*, &c. matrona nimirum cum qua ipſe Aſinus cubuerat.

4. *Lari.*] Lares Ædium Dii, ac præcipuè foci Præſides, & Lares ſæpe pro ipſis ædibus, ut hoc loco. Eos ex Mercurio & Lara, ſive Larunda Nympha genitos fabulantur. Sacri erant ipſis canes, quòd fidi cuſtodes ſint domuum. Vide Ovid. l. 2. Faſtorum, & Roſin. Antiq. Rom. l. 2. & 4.

5. *Parce, inquit, in fœminam divinam,*] Subintellige aliquid, putà *invehi, probra jacere*: aut quid ſimile.

6. *Aulæum tragicum dimoveto*, &c.] Id eſt, deſine grandibus verbis ſcena tragica dignis loqui, &, ut ait Plautus, *paratragœdiare*.

dò incolæ verùm etiam Indi, vel [1] Æthiopes utrique, vel ipſi [2] Antichthones, [3] folia ſunt artis, & nugæ meræ. Sed, quod in conſpectu plurium perpetravit, audi. Amatorem ſuum, quòd vi aliam temeraſſet, unico verbo mutavit [4] in feram caſtorem: quòd ea beſtia captivitatis metuens, ſe ab inſequentibus præciſione genitalium liberat; ut illi quoque ſimile, quòd Venerem habuit in aliam, proveniret. Cauponem quoque vicinum, atque ob id æmulum, deformavit in ranam, & nunc ſenex ille dolium innatans vini ſui, adventores priſtinos in fæce ſubmiſſus officioſis [5] ronchis raucus appellat. Alium de foro quidem, quòd adverſus eam locutus eſſet, in arietem deformavit: & nunc aries ille cauſas agit. Eadem amatoris

INTERPRETATIO.

pulares ejus *ipſam ament perditè, ſed etiam Indi, vel Æthiopes utrique, vel ipſi Antichthones, ſunt* tantùm *leviora ſcientiæ* ejus, *& puræ næniæ. Sed auſculta quod fecit coram multis* hominibus. *Convertit in fibrum belluam unicâ voculâ amantem ſuum, qui per vim vitiaverat aliam* mulierem: *quoniam ea beſtia timens ne capiatur, expedit ſe à perſequentibus* venatoribus *abſciſſione teſticulorum: ut idem quoque accideret ei, quia rem habuerat cum alia. Commutavit quoque in ranam ſtabularium vicinum ſuum, & propterea ſibi invidentem: & nunc ille ſenex natans in cado vini ſui, depreſſus in fæcem ſalutat antiquos ſuos hoſpites raucâ voce, & comiter coaxando. Mutavit quoque alium forenſem* cauſidicum *in arietem, quia declamaverat in ipſam, & nunc ille aries* factus *cauſas orat. Eadem condemnavit ad perpe-*

NOTÆ.

1. *Æthiopes utrique.*] Tum Orientales, tum Occidentales, Nilo fluvio, quem Veteres Aſiæ & Africæ terminum poſuere, à ſe invicem ſeparati, ut docet Strabo Geograph. l. 1. hos Homeri verſus explicans

Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

Orientalium & Occidentalium Æthiopum mentio apud Herodot. in Thalia & Polymnia: & Heliodor. Æthiopicorum, lib. 9.

2. *Antichthones.*] Sic dicti, quòd habitent τὴν ἐναντίαν χθόνα, terram noſtrę contrariam. Mela pro Antipodibus ſumere videtur. Martianus Capella lib. 6. Antichthonas eo ſenſu intelligit, quo vulgò Antipodas intelligimus: ſed Antipodum apud illum alia paulò acceptio eſt, nempe pro iis, qui in contraria parte ejuſdem Zonę habitant. Plin. l. 6. cap. 22. Antichthonas ait habitare ad Taprobanam Inſulam in Zona hyemali. Quidquid ſit, vim vocis ſi ſpectemus, Antichthones erunt Antipodes, aut ſaltem ii qui inferius Hemiſphęrium noſtro contrarium incolunt.

3. *Folia ſunt artis.*] Levia & minima eorum quę efficere poteſt ejus ars, ſicut folia ſunt leviſſima, & viliſſima pars arborum. Sic Plaut. Menęchmis. Act. 2. ſcen. 3.

Dixin' ego iſthæc hic ſolere fieri? Folia nunc cadunt,
Præut ſi triduum hoc hic erimus, Tunc arbores in te cadent.

4. *In feram caſtorem.*] Nota eſt de caſtore fabula, quam noſter infrà exponit. Ex hujus animalis teſtibus fit caſtoreum unguentum, de quo Plin. l. 32. cap. 3.

5. *Ronchis.*] *Ronchus* propriè ſonus eſt, quem edunt naribus ſtertentes, & *ronchiſſare* ſtertere eſt. Transfertur hîc ad ſignificandam ranę coaxationem.

ſui uxorem, quòd in eam dicaculè probrum dixerat, jam in ſarcinam prægnationis obſepto utero, & repigrato fœtu, perpetuâ prægnatione damnavit. Et, ut cuncti numerant, [1] octo annorum onere miſella illa, velut elephantum paritura, diſtenditur. [2] Quæ cùm ſubinde ac multi nocerentur, publicitus indignatio percrebuit; [3] ſtatutumque eſt ut in eam die alterâ ſeveriſſimè ſaxorum jaculationibus vindicaretur. Quod conſilium virtutibus cantionum antevortit. [4] Et, ut illa Medea, unius dieculæ à Creonte impetratis induciis, totam domum, filiamque cum ipſo ſene flammis coronalibus deuſſerat: ſic hæc [5] devotionibus ſepulchralibus in ſcrobem procuratis, ut mihi temulenta

INTERPRETATIO.

tuam gravitatem conjugem ſui amantis, jam occluſâ vulvâ ejus, & retardato infante, ut diſtendatur mole uteri; quia dixerat in ipſam convicium paulò *mordaciùs, Et nunc infortunata illa tumet ſarcinâ octo annorum, prout omnes numerant, perinde ac ſi enixura eſſet elephantem. Quæ* mulier *& multi alii cùm ſæpiùs læderentur* illius maleficiis, *odium publicum concitatum eſt* in eam, *& decretum eſt ut die ſequenti animadverteretur graviſſimè in eam lapidum jactibus. Quam conſpirationem prævenit vi incantamentorum, & ſicut Medea illa exorato ſpatio unius diei à Creonte, combuſſerat totam ejus Regiam, natamque cum ipſo patre ſene incendio ex corona* concepto*: ita hæc peractis ritè imprecationibus feralibus in fovea, quemadmodum* ipſa *mihi*

NOTÆ.

1. *Octo annorum onere miſella velut elephantum paritura.*] Elephantes uterum decem annis geſtare tradidit Plin. Ariſtoteles & Ælianus biennium ſaltem prægnare elephantum affirmant.

2. *Quæ cùm ſubinde ac multi nocerentur.*] *Noceri* paſſivum à *noceo*, quod activè uſurpavit Plautus. Vulgò neutrum eſt. Mihi valdè placet Hamiltoni conjectura, qui ſcriptum primitùs ſuſpicatur, *quæ cùm ſubinde à multis noſcerentur*, planiſſimo ſenſu, & quem poſtulare hic videtur locus.

3. *Statutum eſt in eam*, &c.] Statutum intellige ſubitaneo populi conſenſu, non decreto Judicum.

4. *Et ut Medea illa*, &c.] Cùm Glaucam, ſeu, ut alii volunt, Creuſam Creontis Corinthiorum Regis filiam Jaſon ducturus eſſet uxorem, Medeâ repudiatâ: hæc, impetrato à Creonte unius diei ſpatio, quo ſe, ut aiebat, ad profectionem pararet, Regiam cum Creonte & nova nupta combuſſit. Quo id pacto non convenit inter Scriptores. Seneca in Medea pallam facit veneno infectam, ab ipſa per filios ſuos ad novam nuptam mitti veluti munus nuptiale, ex qua exiliens ignis eam cum patre & Regiâ conſumpſit. Diodorus ait Medeam magicis artibus in aliud animal mutatam noctu ingreſſam eſſe Regiam, incendiſſeque igne ex quadam radice magica facto, cujus ea vis eſt, ut extingui nequeat. Plinius & Apuleius noſter, quibus adſtipulatur Hyginus Fab. 25. coronam fuiſſe affirmant, quam Medea ad ſponſam Jaſonis miſerit, & cujus veneno ipſa cum Regia cremata ſit. Venenum illud Plin. lib. 2. putat fuiſſe naphtam, quod genus ait eſſe bituminis igne eminus conſpecto incendium trahens.

5. *Devotionibus ſepulchralibus in ſcrobem*, &c.] Diis Superis in erectis aris, Terreſtribus in terra, Inferis verò in ſcrobe ſacrificia fiebant. Sic Ulyſſes, referente Homero lib. 11. Odyſſ. ſcrobem cubitalem fodit, in quam mulſum, merum, aquam, ſanguinemque victimarum infudit ad evocandos mortuorum, præcipuèque Tireſiæ, Manes. Vide ejuſmodi ſepulchrales devotiones apud Heliodor. Æthiop. l. 6. ſub finem, & Canidiam Horatii.

narravit proximè, cunctos in ſuis ſibi domibus tanta cantionum violentia clauſit; ut toto biduo non clauſtra perfringi, non fores evelli, non denique parietes ipſi quiverint perforari : quoad mutuâ hortatione conſonè clamitarent, quàm ſanctiſſimè dejerantes, ſeſe neque ei manus admolituros; &, ſi qui aliud agitârint ſalutare laturos ſubſidium. Sic illa propitiata totam civitatem abſolvit. At verò cœtus illius auctorem nocte intempeſtâ, cum tota domo, [[1] id eſt, parietibus, & ipſo ſolo, & omni fundamento] ut erat clauſa, ad centeſimum lapidem in aliam civitatem ſummo vertice montis exaſperati ſitam, & ob id ab aquis ſterilem, tranſtulit. Et quoniam denſa inhabitantium ædificia locum novo hoſpiti non dabant, ante portam projectâ domo diſceſſit. Mira, inquam, nec minùs ſæva, mi Socrates, memoras. Denique mihi quoque non parvam incuſſiſti ſollicitudinem, immò verò formidinem, [2] injecto non ſcrupulo, ſed lanceâ, ne quo numinis miniſterio ſimiliter uſa, ſermones iſtos noſtros anus illa cognoſcat. Itaque maturiùs quieti nos reponamus : & [3] ſomno levata laſſitudine noctis, anteluciò aufugiamus iſtinc quàm pote longiſſimè. Hæc adhuc me ſuadente, inſolitâ vinolentiâ ac

Interpretatio.

vetulit nuper ebria, incluſit omnes in propriis ipſorum ædibus tantâ vi incantamentorum, ut per duos ſolidos dies repagula non potuerint perrumpi, neque januæ extrahi, nec denique ipſi parietes perfodi : donec hortatu mutuo exclamarent unanimiter jurantes per ſanctiſſima quæque, ſe non illaturos manus violentas *in illam, & præbituros ei opem ſalutiferam, ſi aliqui attentarent aliud* in eam. *Et illa hoc modo placata liberavit totam urbem. At verò mediâ nocte tranſportavit ſuaſorem illius conſpirationis cum univerſa domo [id eſt, cum parietibus, & ipſo ſolo, & univerſis fundamentis] clausâ quemadmodum erat, in aliam urbem* illinc diſtantem *centum milliaribus, poſitam in ſupremo cacumine montis ardui, & propterea laborantem aquæ penuriâ. Et quia ædes incolarum inter ſe ſtipatæ non relinquebant locum* huic *novo advenæ, abjecit ædes ante portam* urbis, *& abiit. Stupenda, inquam, narras, mi Socrates, neque minùs crudelia. Denique affeciſti me etiam non mediocri anxietate, immò verò metu, (immiſiſti enim mihi non ſcrupulum, ſed haſtam) ne illa vetula utens ſimiliter alicujus Dæmonis famulatu, reſciat hæc noſtra colloquia. Itaque tradamus nos ocyùs ſomno, & cùm minuerimus defatigationem* noſtram *ſopore noctis, proripiamus nos hinc ante diluculum quàm longiſſimè poterimus. Dabam adhuc hæc monita, cùm bonus Socrates jam dormiens canoris ronchis ſtrepebat oppreſſus temulentiâ inſuetâ, & laſſitudine diei.*

Notæ.

1. *Id eſt, parietibus & ipſo ſolo, & omni fundamento.*] Hæc Gloſſema redolent. Meritò ergo delet Wovver.

2. *Injecto, non ſcrupulo, ſed lanceâ.*] *Scrupi & ſcrupuli* lapilli ſunt, qui in calceum illapſi ſollicitudinem faciunt pedem premendo, & urendo. Hinc ſæpè *ſcrupulus* pro ſollicitudine ſumitur. His autem verbis nihil aliud ſignificat Ariſtomenes, niſi ſe, oratione Socratis, non levi aliquâ ſollicitudine, ſed gravi formidine fuiſſe perculſum.

3. *Somno levatâ laſſitudine noctis.*] Vel dele *noctis*, vel lege *ſomno noctis levatâ laſſitudine.*

diurnâ fatigatione pertentatus bonus Socrates, ſopitus jam ſtertebat altiùs. Ego verò adductâ fore, peſſulíſque firmatis, grabatulo etiam ponè cardines ſuppoſito, & probè aggeſto, ſuper eum me recipio. Ac primùm præ metu aliquantiſper vigilo, dein [1] circa tertiam fermè vigiliam paululùm conniveo. Commodùm quieveram: & repentè impulſu majore, quàm ut latrones crederes, januæ reſerantur, immò verò fractis & evulſis funditùs cardinibus proſternuntur. Grabatulus alioqui breviculus, & uno pede mutilus ac putris, impetûs tanti violentiâ proſternitur: me quoque evolutum & excuſſum humi recidens in inverſum cooperit ac tegit.. Tunc ego ſenſi naturaliter quoſdam affectus in contrarium provenire. Nam ut lacrymæ ſæpiculè de gaudio prodeunt; ita & in illo nimio pavore riſum nequivi continere, [2] de Ariſtomene teſtudo factus. Ac dum in infimum dejectus, obliquo aſpectu quid rei ſit, grabatuli ſolertiâ munitus opperior; video mulieres duas altioris ætatis. Lucernam lucidam gerebat una, ſpongiam & nudum gladium altera. Hoc habitu Socratem benè quietum circumſtetere. Infit illa cum gladio: Hic eſt, ſoror Panthia, [3] carus Endymion: [4] hic catamitus meus, qui diebus ac noctibus æta-

INTERPRETATIO.

Ego verò poſtquàm clauſi oſtium, & obſirmavi peſſulos, oppoſuique ac rectè obdidi cardinibus meum lectulum, reclino me in illum. Ac primò quidem *maneo pauliſper inſomnis propter timorem: deinde claudo tantillùm oculos circa mediam ferè noctem. Vix eram ſopitus, cùm ſubitò fores aperiuntur majore impetu, quàm ut credas* eſſe *fures, quin immò dejiciuntur* humi, *effractis & extractis penitùs cardinibus. Lectulus* qui *aliunde* erat *brevior & truncus uno pede, ac putridus dejicitur vi tam validæ impulſionis, & cadens in inverſum operit ac contegit me devolutum & deturbatum. Tunc ego expertus ſum quoſdam* animi *motus excitari* cauſis *contrariis. Quemadmodum enim lacrymæ ſæpè oriuntur ex lætitia, ita & ego in illa graviori formidine non potui cohibere riſum*, cùm me viderem *factum teſtudinem ex Ariſtomene. Dumque humi proſtratus expecto quid rei ſit, obliquè aſpiciens, protectus induſtriâ lectuli; aſpicio duas fœminas grandioris ævi. Una geſtabat lampadem accenſam, altera ſpongiam & gladium diſtrictum. Hoc ornatu circumdederunt Socratem altè ſopitum.* Tunc *quæ habebat gladium dixi: Iſte eſt, ô ſoror Panthia, dilectus Endymion, iſte eſt Ganymedes meus, qui dies noctesque ludibrio ha-*

NOTÆ.

1. *Circa tertiam fermè noctis vigiliam.*] Seneca in Troade:

Partes ferè nox alma tranſierat duas,
Clarumque ſeptem verterant ſtellæ jugum:
Ignota tandem venit afflictæ quies, &c.

Circa tertiam noctis vigiliam eſt circa mediam noctem. Nox enim antiquis in partes quatuor diviſa, quæ vigiliæ, atque etiam cuſtodiæ dictæ ſunt caſtrenſibus vocabulis.

2. *De Ariſtomene teſtudo factus.*] Sicut enim domum ſuam teſtudo, ita ipſe grabatulum ſuum portabat, quo veluti teſtâ erat opertus.

3. *Carus Endymion.*] Endymion filius fuit Æthlii, & Calices, cujus egregiâ formâ captam Dianam fabulati ſunt ad eum in Latmum Cariæ montem de-

tulam meam illuſit : hic eſt qui meis amoribus inſuper habitis, non ſolùm me diffamat probris, verùm etiam fugam inſtruit. At ego ſcilicet [1] Ulyſſei aſtu deſerta ſum, & vice Calypſonis æternam ſolitudinem flebo. Et porrectâ dextrâ, meque Panthiæ ſuæ demonſtrato: At hic, inquit, bonus conſiliator Ariſtomenes; qui fugæ hujus auctor fuit, & nunc morti proximus, jam humi proſtratus grabatulo ſuccubans jacet, & hæc omnia conſpicit, impunè ſe relaturum meas contumelias putat. Faxo eum ſerò, immò ſtatim, immò verò jam nunc, ut & præcedentis dicacitatis, & inſtantis curioſitatis pœniteat. Hæc ego ut accepi, ſudore frigido miſer perfluo, tremore viſcera quatior; ut grabatulus etiam ſuccuſſus & inquietus ſuper dorſum meum palpitando ſaltaret. At bona Panthia: Quin igitur, inquit, ſoror, hunc primùm [2] bacchatim diſcerpimus, vel membris ejus

INTERPRETATIO.

buit meam juventam: hic eſt qui aſpernatus meos amores, non tantùm me differt maledictis, ſed etiam comparat ſe ad fugiendum. Verùm ego nempe derelicta ſum aſtutiâ hujus *Uyſſis, & velut* altera *Calypſo lugebo viduitatem æternam; & extendens* manum *dextram meque oſtendens ſuæ Panthiæ. At hic, inquit, egregius ſuaſor Ariſtomenes, qui conſilium dedit hujus fugæ, & qui nunc jacet vicinus letho, jam ſtratus humi, cubans ſub lectulo, quique videt hæc omnia, credit ſibi impunè fore probra quæ in me dixit. Curabo ut pœniteat eum,* ſed *tardiùs; immò mox, immò verò nunc jam, &* ſuæ *prioris maledicentiæ, & præſentis curioſitatis. His auditis, ego infelix madui totus ſudore gelido, mea viſcera cœperunt exagitari metu;* adeo *ut lectulus etiam agitatus & inquies ſubſultaret ſuper dorſum meum trepidando. Sed humana illa Panthia: quidni ergo, ait, ô ſoror, dilaniamus primùm hunc more Bacchantium, aut colligatis ejus ar-*

NOTÆ.

ſcendiſſe, dormientemque oſculari ſolitam. Sunt, qui concubuiſſe quoque dicant, atque ex eo quinquaginta peperiſſe filias; alii, tres tantùm. His fabulis occaſionem datam inde aiunt, quòd ſtudioſus fuerit Lunæ obſervator Endymion, ejuſque phaſes varias primus attentè conſideraverit.

4. *Hic Catamitus meus.*] Pro *Ganymede* veteres Romani *Catamitum* dixerunt. De Ganymede à Jove rapto ob egregiam formam fusè Mythologici. Socratem formoſorum illorum nomine inſignit Meroë per amaram ironiam.

1. *Ulyſſei aſtu deſerta vice Calypſonis* &c.] Comparat Meroë Socratem ſe fugientem Ulyſſi Calypſonem deſerenti. Fuit autem Calypſo Nympha, Oceani & Thetidis filia, quæ naufragum Ulyſſem ſociis omnibus ob mactatos Solis boves amiſſis, hoſpitio excepit in Inſula Ogygia, vel, ut Hygino, & Melæ placet, Ææâ, in qua regnabat; eumque per ſeptem annos in antris voluptariis detinuit, amore ejus capta. Ab ea tamen divulſus Ulyſſes juſſu Jovis rate confectâ rurſus mari ſe commiſit, viduam & flentem deſerens. Vide Homerum, Ὀδυσ. l. 1.

2. *Bacchatim diſcerpimus.*] Ut Pentheum, & Orpheum Bacchæ olim diſcerpſiſſe dicuntur. Vide Ovid. Metam. lib. 3. & 11. Hinc *bacchari* furere, & ipſa Bacchi ſacra *Orgia* ἀπὸ τῆς ὀργῆς, hoc eſt, *à furore* dicta ſunt.

[1] deſtinatis, virilia deſecamus? Ad hæc Meroë; ſic enim reapſe nomen ejus, tunc fabulis Socratis convenire ſentiebam: Immò, ait, ſuperſit hic ſaltem, qui miſelli hujus corpus parvâ contumulet humo. Et capite Socratis in alterum dimoto latus, per jugulum ſiniſtrum capulo tenus gladium totum ei demergit, & ſanguinis eruptionem vaſculo admoto excipit diligenter, ut nulla ſtilla compareret uſquam. Hæc ego meis oculis aſpexi. Nam etiam, [2] ne quid immutaret credo à victimæ religione, immiſsâ dextrâ per vulnus illud ad viſcera penitùs, cor miſeri contubernalis mei Meroë bona ſcrutata protulit: cùm ille impetu teli præſecatâ gulâ, vocem, immò ſtridorem incertum per vulnus effunderet, & ſpiritum rebulliret. Quod vulnus qua maximè patebat, ſpongia offulciens Panthia: Heus tu, inquit, ſpongia, cave in mari nata, per fluvium tranſeas. His editis, ab imo remoto grabatulo, varicùs ſuper faciem meam reſidentes veſicam exonerant; quoad me urinæ ſpurciſſimæ madore perluerent. Commodùm limen evaſerant: & fores ad priſtinum ſtatum (integræ) reſurgunt; cardines ad foramina reſident; [3] poſtes ad repagula redeunt;

INTERPRETATIO.

tubus amputamus ei *genitalia? Ad ea Meroë, (nam ſic tunc intelligebam nomen ejus reipsâ congruere cùm narrationibus Socratis) immò, inquit, hic certè reſtet qui levi terrâ operiat corpus hujus infortunati. Et reclinato capite Socratis in alteram partem, condit* in ejus corpus *totum gladium ad manubrium uſque per ſiniſtram colli partem, ſuſcipitque ſtudiosè cruorem erumpentem parvo vaſe ſuppoſito,* adeo *ut nuſquam gutta ulla cerneretur. Ego hæc vidi meis oculis. Enimverò humana illa Meroë inſerens* manum *dextram per plagam illam ad intima uſque præcordia,* & illa *rimans, ne immutaret aliquid à ritu hoſtiæ (ut arbitror) deprompſit cor infelicis mei ſodalis, cùm ille* interim *præſecto gutture ictu gladii, emitteret per plagam vocem, vel potiùs ſtridorem confuſum, & effunderet animam unà cum bullis* ſanguinis. *Quam plagam Panthia obturans ſpongiâ per totum ejus hiatum: heus tu ſpongia, ait, vide ne* tu, quæ *orta* es *in mari, tranſeas per flumen. His dictis, ſublato è terra* meo *lectulo, divaricatis cruribus conquiniſcentes ſuper vultum meum evacuant veſicam, donec me* totum *perfunderent humore impuriſſimi lotii. Vix oſtio exceſſerant, cùm januæ integræ eriguntur in ſtatum priorem, vectes redeunt ad poſtes,*

NOTÆ.

1. *Deſtinatis.*] *Ligatis.* Hoc ſignificatu Vitruv. l. 5. *Si autem propter fluctus, aut impetus aperti pelagi deſtinatæ arcæ non potuerint contineri.* &c. & apud eundem *deſtinæ* ſunt trabiculæ, ſeu aſſeres, quibus illæ arcæ revinciuntur.

2. *Ne quid immutaret à victimæ religione.*] Quia in Sacrificiis quemadmodum hic Socratis cor, ita victimarum educebantur viſcera, ut ex eorum contemplatione liqueret litatumne eſſet, an non. quin & futura prædicebat Haruſpex iis inſpectis.

3. *Poſtes ad repagula redeunt.*] Immò *repagula ad poſtes.* Hi enim immoti ſtant ab utraque parte oſtii, cùm contrà repagula moveantur modò in hanc, modò in illam partem, aperiendæ vel claudendæ januæ cauſa.

[1] ad clauſtra peſſuli recurrunt. At ego, ut eram etiamnum humi projectus, inanimis, nudus, & frigidus, & lotio perlutus, quaſi recens utero matris editus, immò verò ſemimortuus, verum etiam [2] ipſe mihi ſupervivens & poſthumus, vel certè deſtinatæ jam [3] crucis candidatus: Quid, inquam, de me fiet, ubi iſte jugulatus mane paruerit? Cui videbor veriſimilia dicere, proferens vera? Proclamares ſaltem ſuppetiatum, ſi reſiſtere vir tantus mulieri nequibas. Sub oculis tuis homo jugulatur, & ſiles? Cur autem te ſimile latrocinium non peremit? Cur ſæva crudelitas, vel propter indicium ſceleris, arbitro pepercit? Ergo quoniam evaſiſti mortem, nunc illò redi. Hæc idemtidem mecum replicabam: & nox ibat in diem. Optimum itaque factu viſum eſt anteluculò furtim evadere, & viam, licet trepido veſtigio, capeſſere. Sumo ſarcinulam meam, & ſubditâ clavi peſſulos reduco. At illæ probæ & fideles januæ, quæ ſuâ ſponte deſeratæ nocte fuerant, vix tandem & ægerrimè tunc clavis ſuæ crebrâ immiſſione patefiunt. Et heus tu, ubi es? inquam, valvas ſtabuli abſolve: anteluciò volo ire. Janitor ponè ſtabuli oſtium humi cubitans, etiam nunc ſemiſomnus: Quid tu, inquit, ignoras latronibus in-

INTERPRETATIO.

peſſuli revertuntur ad clauſtra. Ego verò eo ſtatu quo eram adhuc proſtratus humi, exanimatus, ſpoliatus, gelidus, & urina perfuſus velut infans *recenter egreſſus ex ventre matris, quinimmò ſemimortuus, vel potiùs ſuperſtes mihi ipſi, & poſt mortem meam renatus, aut ſaltem brevi ſubiturus patibulum mihi jam paratum: quid fiet de me, inquam, quando hic jugulatus viſus fuerit primo diluculo? Quis me putabit loqui veriſimilia, tametſi vera dicam?* Dicent, *Debebas ſaltem efflagitare auxilium, ſi tu tam magnus vir, non poteras obſiſtere fœminæ. Quid? homo jugulatur in tuo conſpectu, & tu taces? Quare verò non fuiſti interfectus eadem cæde? Cur fera ſævitia non peremit te inſpectorem* hujus homicidii *ſaltem ne indicares* auctorem *ſceleris? Quia igitur effugiſti necem, nunc ad eam regredere. Hæc ſubinde revolvebam apud me, & nox vergebat ad diem. Exiſtimavi ergo conſultiſſimum eſſe me proripere clanculùm ante lucem, & ingredi iter quamvis paſſu trepidanti. Capio meum faſciculum, & retraho peſſulos ſubinſertâ clave. At illæ bonæ & fidæ fores, quæ ultrò apertæ fuerant nocte, ægrè demùm & ſummo labore tunc reſerantur frequenti inſertione* & verſatione *ſuæ clavis. Et heus tu, inquam,* ô Janitor! *ubinam es? Fac pateant fores diverſorii: volo exire antelucano* tempore. *Oſtiarius recumbens humi poſt januam diverſorii adhuc ſemiſopitus, quid, inquit, an tu neſcis itine-*

NOTÆ.

1. *Ad clauſtra peſſuli.*] *Clauſtra* hîc ſunt illa poſtium foramina in qua peſſuli immittuntur. Aliàs *clauſtra* ſunt ipſa repagula, atque etiam ſepta & ſepes.

2. *Ipſe mihi ſupervivens & Poſthumus.*] *Poſthumi* ſunt liberi mortuis jam patribus nati. Se autem poſthumum ſibi facete dicit, quaſi ſibi poſt mortem ſuam renatum.

3. *Crucis candidatus.*] *Candidati* dicebantur petitores Magiſtratuum, à toga candida quam, induebant. Quod verbum tranſlatum eſt ad eos omnes, qui aliquid vel petunt, vel expectant propediem, ut hic crucem.

feſtari vias, qui hoc noctis iter incipis? Hem, & ſi tu, alicujus facinoris tibi conſcius ſcilicet, mori cupis; nos[1] cucurbitæ caput non habemus, ut pro te moriamur. Non longè, inquam, lux abeſt: & prætereà, quid viatori de ſumma pauperie latrones auferre poſſunt? An ignoras, inepte, nudum nec à decem palæſtritis deſpoliari poſſe? Ad hæc ille marcidus & ſemiſopitus, in alterum latus evolutus: Unde autem, inquit, ſcio, an[2] convectore illo tuo, cum quo ſeró deverteras, jugulato, fugæ mandes præſidium? Illud horæ memini me, terrâ dehiſcente, ima Tartara, inque his canem Cerberum prorſus eſurientem mei proſpexiſſe. Ac recordabar profectò, bonam Meroën non miſericordia jugulo meo peperciſſe, ſed ſævitia cruci me reſervaſſe. In cubiculum itaque reverſus, de genere tumultuario mortis mecum deliberabam. Sed cùm nullum aliud telum mortiferum Fortuna, quàm ſolum mihi grabatulum ſubminiſtraret: Jam jam grabatule, inquam, animo meo cariſſime, qui mecum[3] tot ærumnas exantlaſti, conſcius & arbiter quæ nocte geſta ſunt, quem ſolùm in meo reatu teſtem innocentiæ citare poſſum: tu mihi ad Inferos feſtinanti ſubminiſtra telum ſalutare. Et cum dicto reſtim, quâ erat intextus, aggredior

INTERPRETATIO.

ra obſideri à prædonibus, qui viam capeſcis hac hora *noctis? Quamvis enim optes mori, urgente ſcilicet te conſcientia alicujus ſceleris, nos tamen non habemus caput cucurbitæ, ut moriamur tuo loco. Diluculum appetit, inquam, & inſuper quid prædones poſſunt eripere viatori de maxima inopia? An neſcis, ô ſtulte,* hominem *nudum ne à decem quidem athletis poſſe ſpoliari? Ad hæc ille languens & ſemiſomnus convertens ſe in alterum latus: ſed qui ſcio, inquit, an interfecto tuo illo comite, cum quo* huc *deveneras* heri *veſperi, nunc fugâ ſaluti conſulas? Recordor me illo momento vidiſſe tellure hiante infimum Avernum, & in eo canem Cerberum mei* edendi *cupidiſſimum. Et certè veniebat mihi in mentem bonam Meroën non abſtinuiſſe manus à collo meo ex commiſeratione, ſed crudelitate ſuâ me reſervaviſſe ad patibulum. Cùm ergo rediiſſem in cubiculum, diſquirebam apud me genus aliquod mortis ſubitarium; ſed cùm Fortuna nulla alia arma mihi ſuppeditaret, quibus poſſem mihi mortem conſciſcere, præter ſolum lectulum: Nunc, ô lectule, inquam, mihi dilectiſſime, qui perpeſſus es mecum tot labores, particeps & teſtis* eorum *quæ acta ſunt hac nocte, quem unum teſtem meæ innocentiæ adducere poſſum in mea accuſatione; tu mihi ſuppedita arma utilia properanti* deſcendere *ad orcum. Et hoc dicto incipio ſolvere funem quo erat conſtrictus.*

NOTÆ.

1. *Cucurbitæ caput.*] Hoc eſt, craſſum ut eſt cucurbita, proindeque ſtolidum. Stoliditatis enim notantur capitones. *Cucurbitæ caput* proverbium eſt.

2. *Convectore illo tuo.*] *Convectores* ſunt, qui ſimul vehuntur; eſtque dictio propria Nauticorum. Hîc tamen *convector* pro comite viæ ſumitur. Legunt quidam *convictore*, alii *convivone* ſeu *combibone*. Scaliger *convennone*, Gruterus Suſpicion. lib. 1. c. 8. *conventore*. *Conventore* dixerit Noſter, ut dixit *adventores*. ſuprà: *& nunc ſenex ille dolium innatans vini ſui adventores priſtinos in fæce ſubmiſſus officioſis ronchis raucus appellat.*

3. *Tot ærumnas exantlaſti.*] Illa nempe nocte, cum ſagarum validiſſimo impetu ſubverſus eſt unà cum janua, & ipſo Ariſtomene.

expedire : ac tigillo, quod feneſtræ ſubditum altrinſecùs prominebat; injectâ atque obductâ parte funiculi, & alterâ firmiter in nodum coactâ : aſcenſo grabatulo, ad exitium ſublimatus, immiſſo capite laqueum induo. Sed dum pede altero fulcimentum, quo ſuſtinebar, repello, ut ponderis deductu reſtis ad ingluviem adſtricta ſpiritus officia diſcluderet ; repentè putris alioquin & vetus funis diſrumpitur. Atque ego de alto decidens, Socratem, (nam juxta me jacebat) ſuperruo, cumque eo in terram devolvor. Et ecce in ipſo momento janitor introrupit, exertè clamitans : ubi es tu, qui altâ nocte immodicè feſtinabas, & nunc ſtertis involutus ? Ad hæc, neſcio an caſu noſtro, an illius abſono clamore experrectus Socrates, exurgit prior : &, Næ, inquit, meritò ſtabularios hos omnes hoſpites deteſtantur. Nam iſte curioſus dum importunè irrumpit, credo ſtudio rapiendi aliquid, clamore vaſto, marcidum alioquin me altiſſimo ſomno excuſſit. Emergo lætus atque alacer, inſperato gaudio perfuſus : &, Ecce (inquam) janitor fideliſſime, comes, [1] & pater meus, & frater meus, quem nocte ebrius occiſum à me calumniabaris. Et cum dicto Socratem deoſculabar amplexus. At ille [2] olore alioqui ſpurciſſimi humoris perfuſus, quo me Lamiæ illæ infecerant, vehementer

Interpretatio.

& immiſſa circumvolutaque parte reſticulæ, parvæ trabi quæ feneſtræ ſuppoſita erat, & extabat alteram partem verſùs, alterâ verò ex parte *conſtrictâ firmo nodo : conſcendo lectulum, attollens me ad mortem, & inſerto capite circumdo collum* meum *laqueo. Sed dum rejicio altero pede fulcrum quo ſuſtentabar, ut funis conſtrictus circa fauces depreſſione ponderis interciperet functiones halitus ; reſtis putrida cæteroquin, & vetuſtate labefactata ſubitò abrumpitur. Et ego ex ſublimi ruens delabor ſuper Socratem, (cubabat enim prope me) & cum illo deturbor humi. Et ecce eo ipſo puncto temporis oſtiarius irrupit in* cubiculum *clamans altâ voce : Ubinam es tu qui nimiùm properabas nocte* adhuc *profundâ, & nunc altum dormis involutus* ſtragulis*? Ad hæc verba Socrates ſurgit prior, expergefactus, haud ſcio an meo lapſu, an inconditâ illius vociferatione : &, Profectò, ait, omnes adventores jure execrantur hos caupones. Nam hic curioſus moleſtè huc introrumpens, animo, ut arbitror, quidpiam furandi, excitavit me licet valdè ſopitum, ex profundiſſimo ſomno, ſuo immani boatu. Exurgo gaudens & hilaris, delibutus inexpectatâ lætitiâ, &, O fidiſſime oſtiarie, inquam, ecce comes & parens, & germanus meus, quem tu vinolentus hac nocte falsò inſimulabas à me interfectum. Et hoc dicto amplectebar Socratem, & ſuaviabar. Ille porro offenſus fœtore impuriſſimi liquoris, quo veneficæ illæ me perfuderant, magnopere*

Notæ.

1. *Et pater meus, & frater,* &c.] Hæc ſunt blandientis, ſic apud Athenæum lib. 6. ἐγώ σε πάντων ἀνθρώπων ἠγάπησα μᾶλλον, καὶ σύ εἶ μοι καὶ παῖς καὶ υἱὸς, καὶ τὰ ἄλλα πάντα.

2. *Olore.*] Quidam habent *odore*, ſed *olor* idem ſonat, eſtque à verbo *oleo* inclinatum nomen, ſicut & adjectivum *olidus*.

aſpernatur.

aſpernatur. Apage te, inquit, fœtorem extremæ latrinæ. Et cauſas cœpit hujus oloris comiter inquirere. At ego miſer, adficto ex tempore abſurdo joco, in alium ſermonem intentionem ejus denuò derivo: &, injectâ dexterâ, Quin imus, inquam, & [1] itineris matutini gratiam carpimus? Sumo ſarcinulam: & pretio manſionis ſtabulario perſoluto, capeſſimus viam. Aliquantulum proceſſeramus: & jam [2] jubaris exortu cuncta colluſtrantur; & ego curioſè ſeduló arbitrabar jugulum comitis, quâ parte gladium delapſum videram. Et mecum: Veſane, aio, quin poculis & vino ſepultus extrema ſomniaſti. Ecce Socrates integer, ſanus, incolumis. Ubi vulnus? Spongia ubi? Poſtremò [3] cicatrix tam alta, tam recens? Et ad illum, Næ meritò, inquam, medici fidi [4] cibo & crapulâ diſtentos ſcæva & gravia ſomniare autumant. Mihi denique, quòd poculis veſperi minùs temperavi, nox acerba diras & truces imagines obtulit; ut adhuc me credam cruore eſſe humano aſperſum, atque impiatum. Ad hæc ille

INTERPRETATIO.

me *averſatur. Aufer te* hinc, *inquit, ô putor imæ cloacæ, & cœpit blandè rogare unde ſic olerem. At ego infelix, excogitato ſtatim cavillo inepto, converto iterum ejus animum ad aliam orationem, & amplexus illum, Quin procedimus, inquam, & fruimur amœnitate inceſſûs matutini. Capio manticam meam, &, perſolutâ cauponi mercede noſtræ pernoctationis, mandamus nos viæ. Progreſſi eramus tantiſper, & jam omnia refulgebant propter ſolis ortum. Et ego obſervabam ſtudioſè ac diligenter collum mei comitis eâ parte quâ conſpexeram immergi gladium, &* ſic aiebam *apud me; O ſtulte, certè ſomniaſti abſurdiſſima* quia *obrutus* eras *vinolentiâ & crapulâ. En Socrates illæſus, ſalvus & incolumis. Ubi eſt plaga? Ubi ſpongia? Ubi denique cicatrix adeo profunda, adeo recens? Et* alloquens *illum: Profectò, inquam, Medici fideles jure optimo cenſent dapibus & mero ſaturos pati ſomnia crudelia, & moleſta. Nam, quia nimis bibi vini* heri *veſpere, nox aſpera exhibuit mihi ſimulachra immania & atrocia: adeo ut putem adhuc me eſſe perfuſum, & maculatum humano ſanguine. Ille*

NOTÆ.

1. *Et itineris matutini gratiam carpimus.*] Virgil. 3. Georgic.

Luciferi primo cum ſidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent.

2. *Jubaris exortu.*] Virgil.

It portis jubare exorto Troiana juventus.

Jubar, teſtibus Varrone & Feſto, eſt ſtella Luciferi, ſic dicta, quòd ſplendor ejus diffunditur in modum jubæ leonis, unde & quidquid jam ſplendet *jubar* dicitur, ut *jubar* auri, argenti, gemmarum, & Solis ipſius. Quaptopter hîc *jubaris* exortum, intellige, *Solis*: eo enim ait Noſter cuncta colluſtrari; quod ſtellæ Lucifero convenire nequit.

3. *Cicatrix tam alta, tam recens.*] *Cicatrix* propriè nota eſt in cute ex vulnere relicta. Hîc tamen pro ipſo vulnere ſumitur.

4. *Cibo & crapulâ diſtentos ſcæva & gravia ſomniare,*] Cicero de Divination. l. 1. *Vera quidem multò plura* (ſomnia) *evenirent ſi ad quietem integri iremus; nunc onuſti cibo & vino perturbata & confuſa cernimus.*

ſubridens, At tu, inquit, non ſanguine ſed lotio perfuſus es. Verumtamen & ipſe per ſomnium jugulari viſus ſum mihi. Nam & jugulum iſtum dolui, & cor ipſum mihi avelli putavi: & nunc etiam ſpiritu deficior, & genua quatior, & gradu titubo, & aliquid cibatus [1] refovendo ſpiritu deſidero. En, inquam, paratum tibi (adeſt) jentaculum. Et cum dicto manticam meam humero exuo; caſeum cum pane properè ei porrigo: Et, juxta platanum iſtam reſideamus, aio. Quo facto, & ipſe aliquid indidem ſumo. Eumque avidè eſitantem aſpiciens aliquanto intentiore acie, [2] atque [3] pallore buxeo deficientem video. [4] Sic denique eum vitalis color turbaverat; ut mihi præ metu nocturnas etiam Furias illas imaginanti, fruſtulum panis, quod primum ſumpſeram, quamvis admodum modicum, mediis faucibus inhæreret, ac neque deorſum demeare, neque ſurſum remeare poſſet. Nam & crebritas ipſa commeantium metum mihi cumulabat. Quis enim de duobus comitum alterum ſine alterius noxa peremptum crederet? Verùm ille, ut ſatis detruncaverat cibum, ſitire impatienter cœperat. Nam & optimi caſei bonam partem avidè de-

INTERPRETATIO.

ſubridens ad hæc verba: *At tu, inquit, conſperſus es non cruore, ſed urinâ: attamen viſum eſt quoque mihi inter dormiendum gulam mihi præſecari. Dolorem enim ſenſi in his faucibus, & credidi mihi extrahi cor ipſum, & nunc quoque deſtituit me animus, & genua mihi labant, vacillo incedendo, & cupio aliquid cibi quo reficiam animam. Ecce, inquam, præſtò adeſt tibi jentaculum. Et hoc dicens depono ex humero peram* meam;*offero ei ſtatim caſeum cum pane: Et, ſedeamus, inquam, prope iſtam platanum. Quod cum feciſſemus, ego quoque aliquid mihi ſumo ex eadem pera. Et intuens oculis paulò magis attentis eum cupidè comedentem, video illum ſtatim deficere lurore buxeo. Denique ita turbatus fuerat in eo color nativus, ut mihi recogitanti lamias iſtas nocturnas, buccella panis, quam primùm in os ingeſſeram, licet valdè parva, hæreret in media gula præ formidine, nec poſſet deſcendere infrà, neque redire ſurſùm. Nam frequentia ipſa tranſeuntium augebat mihi* ſuprà modum *formidinem. Quis enim crederet alterum ex duobus comitibus interfectum eſſe abſque culpa alterius? At ille, cùm multùm devoraviſſet cibi, cœperat urgeri ſiti vehementiſſima. Comederat enim cupidè magnam partem ca-*

NOTÆ.

1. *Refovendo ſpiritu.*] *Spiritui.* Nominum quartæ declinationis dativus apud antiquos ſæpè effertur ſimilis ablativo.

2. *Atque.*] *Atque* hîc ſonat, ſtatim, illicò, confeſtim, ut & in hoc Virgilii verſu, autore Gellio l. 10. c. 29.

Si brachia forte remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

3. *Pallore buxeo.*] Cujuſmodi colorem habet buxi lignum.

4. *Ita eum vitalis color turbaverat.*] Niſi aliud quid latet καταχρηστικῶς & ἀρχαϊκῶς ſimul poſitum, *Vitalis color eum turbaverat*, pro *in eo turbatus fuerat*, quemadmodum ſum interpretatus. Certè non hîc ſolùm activum pro paſſivo uſurpavit Noſter. Lib. de Dogmate Platonis: *Talis igitur ac de talibus Plato, non ſolùm Heroum virtutibus præſtitit, verum etiam æquiparavit Deum poteſtatibus*, hoc eſt, *æquiparatus eſt.*

voraverat: & haud ita longè radices platani lenis fluvius in ſpeciem placidæ paludis ignavus ibat, argento vel vitro æmulus in colorem. En, inquam, explere latice fontis lacteo. Adſurgit: & opertus palliolo, in planiorem ripæ marginem complicitus in genua appronat ſe, avidus adfectans poculum. Nec dum ſatis extremis labiis ſummum aquæ rorem attigerat: & jugulo ejus vulnus dehiſcit in profundum patorem, & illa ſpongia repentè de eo devolvitur: eamque parvus admodum comitatur cruor. Denique corpus exanimatum in flumen pœnè [1] corruerat: niſi altero ego ejus pede retento, vix & ægrè ad ripam ſuperiorem attraxi. Ubi defletum pro tempore comitem miſellum arenoſâ humo in amnis viciniâ ſempiternâ contexi. Ipſe trepidus, & eximiè metuens mihi, per diverſas & avias ſolitudines aufugi: & quaſi conſcius mihi cædis humanæ, relictâ patriâ & Lare, ultroneum exilium amplexus, nunc Ætoliam, novo contracto matrimonio colo. Hæc Ariſtomenes. At ille comes ejus, qui ſtatim initio obſtinatâ incredulitate ſermonem ejus reſpuebat. Nihil, inquit, hac fabulâ fabuloſius, nihil iſto mendacio abſurdius. Et ad me converſus: Tu autem, inquit, [2] vir, ut habitus & habitudo demonſtrant,

INTERPRETATIO.

ſei præſtantiſſimi; & non ita procul à radicibus platani placidus fluvius labebatur tardus in morem ſtagnantis paludis, certans colore cum argento, aut vitro. Ecce, inquam, ſatia te liquore candido hujus *fontis. Exurgit* ille, *& amictus* ſuo *palliolo, inclinat ſe in partem æquabiliorem ripæ, complicatis genibus, avidè captans potum. Vixque contigerat primoribus labris ſupremam aquæ ſuperficiem, cùm plaga gutturis ejus aperitur in altum hiatum, & ſpongia illa ex ea ſubitò delabitur, parúmque ſanguinis unà cum illa defluit. Poſtremò cadaver exanimum ferè ceciderat in amnem, ſed ego firmiter apprehenſo uno ex ejus pedibus, difficulter, & magno cum labore retraxi ipſum ad ſuperiorem partem marginis. Ubi delamentatus infortunatum ſocium prout tempus ferebat, contumulavi* cum *terrâ ſabuloſâ juxtà fluvium,* cui adjacet *æternùm vicinus. Ego verò pavidus, ac mirum in modum mihi timens, fugæ me dedi per deſerta varia & inacceſſa: & veluti reus apud me homicidii, cedens in exilium ſpontaneum, deſerto patrio ſolo, & domo meâ, nunc habito in Ætolia, inito ibi novo connubio. Hactenus Ariſtomenes. Sed ille comes ejus qui ab ipſo principio repudiabat ejus narrationem pertinaci incredulitate: Nibil eſt, ait, falſius hoc commento, nihil ineptius hoc mendacio. Et ad me reſpiciens: Tu verò, ait, qui es vir excultus quantum facies & forma cor-*

NOTÆ.

1. *Corruerat.*] Sic optimè Aldus & Mſs. codices plurimi. Malè ſollicitant hunc locum Elmenhorſt. & Pricæus, qui *cernuat* reponunt. Scio *cernuum* eſſe *inclinatum*, & demiſſo capite quaſi terram cernentem. Sed fruſtrà Apuleius bis idem repeteret. Jam enim Socratem *cernuaſſe* dixit ſuprà: *In planiorem ripæ marginem complicitus in genua appronat ſe avidus affectans poculum*, &c. vides illum jam *cernuum*. At ubi delapsâ ſpongiâ exanimatus eſt, cadaver ejus, ut erat inclinatum, in flumen pœnè delapſum erat, nî Ariſtomenes pede retraxiſſet. Planus eſt ſenſus. Vox *corruerat* proba. Itaque miror cur eam repudiare voluerint.

2. *Vir, ut habitus & habitudo de-*

ornatus, accedis huic fabulæ? Ego verò, inquam, nihil impoſſibile arbitror; ſed [1] utcumque fata decreverunt, ita cuncta mortalibus provenire. Nam & mihi & tibi, & cunctis hominibus multa uſuvenire mira, & pœnè infecta; quæ tamen ignaro relata fidem perdant. Sed ego & credo hercules, & gratas gratias memini, quod lepidæ fabulæ feſtivitate nos avocavit: aſperam denique ac prolixam viam ſine labore & tædio evaſi. Quo beneficio etiam illum vectorem meum credo lætari, ſine fatigatione ſui me uſque ad iſtam civitatis portam non dorſo illius, ſed meis auribus provecto. Is finis nobis & ſermonis & itineris communis fuit. Nam comites utrique ad villulas proximas lævorſum abiere. Ego verò quod primum ingreſſui ſtabulum conſpicatus ſum acceſſi, & de quadam anu caupona illicò percontor: Eſtne, inquam, Hypata hæc civitas? Annuit. Noſti-ne Milonem quemdam è primoribus? Arriſit. Et verè, inquit, iſtic primus perhibetur Milo, qui [2] extra urbem totam, & pomœrium colit. Remoto, inquam, joco, parens optima, dic, oro, cujatis ſit, & quibus

Interpretatio.

poris tui indicant, habeſne fidem huic fabulæ? Quantum ad me, inquam, exiſtimo nihil non poſſe fieri, ſed omnia contingere hominibus prout fata conſtituerint. Puto enim mihi tibique, & univerſis mortalibus plurima vulgò accidere admiranda, & quæ ferè nunquam contigerint, quæ tamen, narrata cuipiam inexperto, amittant fidem. Aſt ego profectò, & huic habeo fidem, & grates habeo maximas, quia nos tenuit attentos venuſtate facetæ fabulæ: poſtremò emenſus ſum ſcabrum & longum iter abſque laſſitudine & faſtidio. Ob quod benefactum arbitror hunc quoque meum equum gaudere, cùm pervectus fuerim ad hanc uſque portam urbis non dorſo ejus, ſed meis auribus. Ibi terminus fuit & colloquii noſtri, & viæ communis. Nam ambo viæ ſocii deflexerunt ad propinquos pagos ſiniſtram partem verſus. Ego autem veni ad primum diverſorium quod ſubire potui: & quæro è veſtigio à quadam vetula ſtabularia: Eſt-ne, inquam, hæc urbs Hypata? Illa *affirmavit nutu capitis. Agnoſciſ-ne Milonem quemdam inter primarios* hinc cives? *Ad hæc illa riſit: Et, meritò, ait, iſte Milo primarius dicitur, qui habitat extra pomœrium, & extrà totam civitatem. Secluſâ, inquam, cavillatione, dic, quæſo, mater optima, & cujas ſit, & in qua domo habitet.*

Notæ.

monſtrant, ornatus.] Onomaſticon vetus Pricæo laudatum: *habitus:* σχῆμα. *habitudo* ἕξις. Hæc ad corpus, ille ad ea quæ propter corpus, hoc eſt, ad veſtimenta, propriè pertinet. Similiter utrumque uſurpat Noſter infrà, l. 9. *quidam procerus, &, ut indicabat habitus & habitudo, miles è legione*, &c.

1. *Utcumque fata decreverunt.*] *Fatum*, inquit Gellius lib. 5. cap. 2. ex Chryſippi ſententia, *eſt ſempiterna quædam, & indeclinabilis rerum ſeries.* Hyginus *Fatum* ex Nocte & Erebo natum ait. Fulgentius verò Parcas ipſas *fata* vocat, eaque tria eſſe ait, quem vide Mythol. l. 1.

2. *Extrà urbem & pomœrium colit.*] *Pomœrium* ex Tito Livio lib. 1. locus fuit tam intra quàm extra urbis murum, quem antiqui in condendis urbibus augurato conſecrabant, neque in eo ullum extrui ædificium patiebantur. Unde factum, ut, quotieſcumque Roma amplior facta eſt, *pomœrium* prolatum fuiſſe dictum ſit.

diverſetur ædibus. Vides-ne, inquit, extremas feneſtras, quæ foris urbem proſpiciunt, & altrinſecùs fores proximum reſpicientes [1] angiportum? Inibi iſte Milo diverſatur, ampliter nummatus & longè opulentus, verùm extremæ avaritiæ, & ſordis infimæ infamis homo: fœnus denique copioſum [2] ſub arrhabone [3] auri & argenti crebriter exercens; exiguo lare incluſus, & [4] ærugini ſemper intentus; cum uxore etiam calamitatis ſuæ comite habitat. Neque præter unicam paſcit ancillulam: & habitu mendico ſemper incedit. Ad hæc ego riſu ſubjicio: Benignè, inquam, & proſpicuè Demeas meus in me conſuluit, qui peregrinantem tali viro conciliavit, in cujus hoſpitio nec fumi nec nidoris nebulam vererer. Et cum dicto modicò ſecùs progreſſus, oſtium accedo, & [5] januam firmiter oppeſſulatam pulſare vocaliter incipio. Tandem adoleſcentula quædam procedens, Heus tu, inquit, qui tam fortiter fores verberaſti, [6] ſub qua ſpecie

INTERPRETATIO.

Cernis-ne, ait, has *ultimas feneſtras, quæ forinſecùs ſpectant ad urbem, & januam* iſtam *ex altera parte, quæ reſpicit proximum anguſtum vicum? Illic habitat Milo iſte valdè pecunioſus, & maximè locuples, ſed laborans infamiâ ſummæ parcitatis, & extremarum ſordium: denique ſæpè exercens uſuram uberrimam acceptis pignoribus auri & argenti, concluſus anguſtâ domunculâ, & perpetuò incumbens rubigini* ſuorum nummorum, *cum conjuge etiam participe ſuæ miſeriæ. Neque alit* quenquam *præter unam famulam: & ſemper ambulat ornatu mendici. Ego reſpondeo ad illa* verba *cum joco: Demeas meus liberaliter & ſplendidè mihi providit, qui me peregrè euntem commendavit ejuſmodi homini, apud quem dum diverterem, non metuerem caliginem fumi, neque odorem* culinæ. *Atque hoc dicto paululùm procedo, & venio ad januam, cœpique cum clamore tundere fores validè occluſas peſſulis. Tandem puella quædam progreditur, & ; Heus tu, ait, qui pulſaviſti tanto impetu noſtram januam, quo* pignoris *genere* dato

NOTÆ.

1. *Angiportum.*] Et *angiportus* eſt vicus anguſtior, & plerumque curvus. Fuit autem *angiportum* vel pervium, quod exitum haberet in aliquam viam, vel impervium, quod careret exitu. Sic enim apud Terentium in Adelphis.
SYR. *Eſt ad hanc manum ſacellum, ibi angiportum propter eſt,* &c. *hac pergite.* DEM. *Id quidem angiportum non eſt pervium.*
Unde liquet fuiſſe & *pervia*, & *impervia*. *Angiportus* impervios *fundulas* vocatas fuiſſe ait Varro lib. 4. de Lingua Latina.

2. *Sub arrhabone.*] Græcum eſt vocabulum ἀῤῥαβὼν. Meliùs dici Latinè *arram* quàm *arrhabonem* ait Gellius, lib. 16.

3. *Auri & argenti.*] Vaſorum & ornamentorum ex auro & argento.

4. *Ærugini.*] *Ærugo* propriè eſt rubigo æris [*verd de gris*] ſicut *ferrugo*, ferri. Sumitur hîc pro ipſo ære, ſive pecunia longo ſitu rubiginoſa.

5. *Januam pulſare vocaliter incipio.*] Id eſt, *pulſare januam, & ſimul aliquem evocare qui aperiret.* Qui mos erat pulſantium. Nil frequentius in Comœdiis, quàm eos, qui pulſant fores, ſimul clamare: *Ecquis in ædibus eſt? Heus ecquis hic eſt? Ecquis hoc aperit oſtium? Ecquis exit?*

6. *Sub qua ſpecie mutuari cupis.*] D. Hieronymus in Matthæum cap. 21. *Poſuerant nummularios qui mutuam ſub cautione darent pecuniam, proque uſuris accipiebant varias ſpecies.*

mutuari cupis? An tu ſolus ignoras, præter aurum argentumque, nullum nos pignus admittere? [1] Meliora, inquam, ominare, & potiùs reſponde, an intra ædes herum tuum offendam? Planè, inquit: ſed quæ cauſa quæſtionis hujus? Literas ei à Corinthio Demea ſcriptas ad eum reddo. Dum annuntio, inquit, hæc, ibidem me operitor. Et cum dicto rurſùm foribus oppeſſulatis, intrò ſe capeſſit. Modicò deinde regreſſa, patefactis foribus, Rogat te, inquit. Intuli me: eumque accubantem exiguo admodum grabatulo, & commodùm cœnare incipientem invenio. Aſſidebat pedes uxor, & menſa vacua poſita, cujus monſtratu: En, inquit, hoſpitium. Benè, ego: & illicò litteras Demeæ trado. Quibus properiter lectis, Amo, inquit, meum Demeam, qui mihi tantum conciliavit hoſpitem. Et cum dicto jubet uxorem diſcedere. Utque in ejus locum aſſideam, jubet. Meque etiam nunc verecundiâ contantem arreptâ laciniâ detrahens: Adſide, inquit, iſtic: nam præ metu latronum nulla [2] ſeſſibula, ac ne ſufficientem ſupellectilem parare nobis licet. Feci. Et ſic: Ego te, inquit, etiam

INTERPRETATIO.

vis mutuum ſumere? Tu-ne unus omnium neſcis nullam nos recipere arram, niſi aurum & argentum? Dic meliora verba, inquam, & reſponde potiùs, an inveniam domi tuum herum? Maximè, ait, ſed cur hoc me rogas? Affero, inquam, *ad eum epiſtolam ipſi ſcriptam à Demea Corinthio. Expecta me, inquit, hoc ipſo in loco, interim dum hæc ipſi refero. Et cùm hoc dixiſſet, obditis iterum januæ peſſulis, conſert ſe in ædes. Paulò pòſt deinde reverſa, & apertis foribus: Orat te, inquit,* meus herus ut intro eas. *Ingredior, eumque offendo diſcumbentem in lectulo valdè parvo, & tunc cœnæ facientem initium. Sedebat ad pedes ejus conjux, & menſa inanis appoſita erat. Quam mihi oſtendens, Ecce, ait, tuum hoſpitium. Rectè eſt, inquam: & ſtatim do ipſi in manus epiſtolam Demeæ, quam cùm celeriter perlegiſſet; Diligo, inquit,* amicum *meum Demeam, qui mihi comparavit tam clarum hoſpitem. Et, hoc dicto, præcipit uxori ut abiret, me verò jubet ſedere propè ipſum in ejus loco. Et apprehenſá veſte trahens me adhuc morantem præ modeſtiá; Adſide mihi, inquit, in iſto loco. Nam propter timorem prædonum non audemus emere ulla ſedilia, ac ne inſtrumenti quidem familiaris quantum eſt opus. Feci* quod jubebat. *Tum ſic me affatus eſt: Ego facilè judicarem, inquit,*

NOTÆ.

1. *Meliora, inquam, ominare.*] *Omen* præſagium eſt ab aliqua hominis actione; locutione, putà, inceſſu, ſternutatione, aut ſimilibus, quæ omnia ſuperſtitioſa antiquitas diligenter obſervabat. Ancillulæ verba hîc tanquam mali *ominis* Lucius averſatur, &, ut propriè loquar, abominatur, monetque ut meliora dicat. Qui mos erat antiquorum quotieſcumque verba mali *ominis* audierant. Contrà, ſi fauſta dicerentur, *omen accipio*, aiebant.

2. *Nulla ſeſſibula.*] Sic Beroaldus optimè. *Seſſibula* ſunt ſedilia. hac voce utitur Plautus in Pænulo, Act. 1. Scen. 2.

——— *An ibi vis inter iſtas verſarier*
Proſedas, piſtorum amicas, relliquias alicarias
Miſeras, cœno delibutas, ſervicolas ſordidas,
Quæ tibi olent ſtabulum, ſtatumque & ſellam, & ſeſſibulum merum,
&c.

de iſta corporis ſpecioſa habitudine, deque hac virginali prorſus verecundiâ, generoſâ ſtirpe proditum, & rectè conjicerem. Sed & meus Demeas eadem literis pronuntiat. Ergo brevitatem [1] gurguſtioli noſtri ne ſpernas peto. Erit tibi adjacens & ecce illud cubiculum, honeſtum receptaculum. Fac libenter diverſeris in noſtro. Nam & majorem domum dignatione tuâ feceris: & tibi ſpecimen glorioſum arrogâris, ſi contentus Lare parvulo, [2] Theſei illius cognominis patris tui virtutes æmulaveris, qui non eſt aſpernatus [3] Hecales anus hoſpitium tenue. Et vocatâ ancillulâ: Fotis, inquit, ſarcinulas hoſpitis ſuſceptas cum fide conde in illud cubiculum: ac ſimul è promptuario oleum unctui, lintea terſui, & cætera huc eidem uſui profer ocyter, & hoſpitem meum produc ad proximas balneas: ſatis arduo itinere atque prolixo fatigatus eſt. His ego auditis, mores atque parſimoniam ratiocinans Milonis, volenſque me arctiùs ei conciliare, Nihil, inquam, [4] rerum iſtarum, quæ itineris ubique ritè nos comitantur, indigemus. Sed & balneas facilè percontabimur.

INTERPRETATIO.

ex tuâ iſtâ eximiâ corporis formâ, atque ex iſto virginali pudore, te eſſe ortum claro genere. Verùm meus quoque amicus *Demeas idem affirmat in ſua epiſtola. Oro te ergo ne aſperneris tenuitatem noſtræ domunculæ, habebis illud cubiculum huic contiguum quò te honeſtè recceptes. Ne graveris verſari in noſtro. Reddes enim ædes ampliores, ſi dignatus fueris* in iis habitare, *& præterea vindicabis tibi gloriam non mediocrem, ſi contentus anguſtâ domo, imitatus fueris virtutes Theſei illius ejuſdem nominis, ac tuus pater* eſt; *qui non dedignatus eſt* ſuccedere *exiguo tecto vetulæ Hecales. Tum accerſitâ famulâ: Heus Fotis, ait, ſume ſarcinas hoſpitis* noſtri, *& repone fideliter in illo cubiculo, atque unà deprome actutùm ex cellâ promptuariâ oleum ad ungendum, & linteamina ad tergendum, & reliqua* quæ *ad eumdem uſum* ſpectant, *& deduc meum hoſpitem ad thermas, quæ ſunt in proximo. Defeſſus enim eſt viâ ſatis difficili ac longâ. Hæc cùm audiviſſem, reputans apud me vivendi rationem, & frugalitatem Milonis, cupienſque magis demereri ipſum: Nullâ, inquam, ex ejuſmodi rebus opus habeo, eas* enim *mecum porto in omnibus meis peregrinationibus; quin ego ipſe quoque facilè exquiram* ubi *thermæ* ſint.

NOTÆ.

1. *Gurguſtioli noſtri.*] Feſtus *Gurguſtium genus habitationis anguſtum à gurgulione dictum.* Eſt autem *gurgulio*, qui & *curculio* animalculum frumenta depaſcens.

2. *Theſei illius cognominis tui patris.*] Hinc patet Apuleii patrem vocatum fuiſſe *Theſeum. Theſeus* porrò filius fuit Ægæi Athenarum Regis ex Æthra filia Pithei. Tam multa memoratu digna geſſit, ut inter plures Hercules unus numeretur. Vide Plutarchum in ejus vita.

3. *Hecales anus.*] Hecales paupertatem celebravit Callimachus. Hæc Theſeum adhuc adoleſcentem hoſpitio excepit, ipſique appoſuit herbas ſylveſtres. Ab illa anu ductum proverbium *nunquàm Hecale fies*, cujus ſenſus *nunquam laborabis inopiâ.*

4. *Iſtarum rerum quæ itineris ubique nos comitantur.*] Geſtatæ nimirùm in hippoperis, ut a provido viatore par erat. Seneca epiſt. 87. *M. Cato Cenſorius cantherio vehebatur, & hippoperis quidem impoſitis, ut ſecum utilia portaret.*

Planè, quod eſt mihi ſummè præcipuum, equo, qui me ſtrenuè pervexit, fœnum atque hordeum, acceptis iſtis nummulis, tu, Fotis, emito. His actis, & rebus meis in illo cubiculo conditis, pergens ipſe ad balneas, ut priùs aliquid nobis cibatui proſpicerem, [1] forum cupedinis peto: inque eo piſcatum opiparem expoſitum video. Et percontato pretio, quod centum nummis indicaret, aſpernatus, viginti denariis præſtinavi. Inde me commodum egredientem [2] continuatur Pytheas, condiſcipulus apud Athenas Atticas meus; qui me poſt aliquammultùm temporis amanter agnitum invadit, amplexuſque ac comiter deoſculatus: [3] Mi Luci, ait, ſat pol diu eſt, quod interviſimus te. At hercules, exinde cùm à magiſtro digreſſi ſumus. Quæ autem tibi cauſa peregrinationis hujus? Craſtino die ſcies, inquam. Sed quid iſtud? [4] Voti gaudeo. Nam & [5] lixas & virgas, & habitum prorſus ma-

INTERPRETATIO.

Tu, Fotis, accipe hanc pecuniam, & compara fœnum atque hordeum meo equo, qui me geſtavit tam graviter: hujus enim rei *profectò mihi prima cura eſt. His factis, & ſarcinis meis repoſitis in illo cubiculo, cùm peterem thermas; eo ad forum cupedinarium, ut nobis priùs providerem de aliqua re ad cibum: ibique conſpicio magnam & lautam piſcium copiam venalem, & cùm rogaviſſem quanti eſſent, repudiato pretio centum nummorum, quo* piſcator *æſtimabat eos, emi* ſolùm *viginti denariis. Eo ipſo tempore quo exibam inde, ſubſequitur me Pytheas ſocius* olim *meorum ſtudiorum Athenis Atticis; qui cùm me poſt aliquod tempus agnoviſſet, amice aggreditur, complexuſque & blandè ſuaviatus: O mi Luci, inquit, certè valdè dudùm eſt quod te vidimus. At profectò ab* illo uſque tempore *quo exceſſimus è diſciplina Magiſtri noſtri. Quamobrem verò tu veniſti? Cras audies, inquam, At quid hoc eſt? Lætor* te potiri *optatis. Nam cerno lictores & faſces, & in te ornatum qui ma-*

NOTÆ.

1. *Forum cupedinis peto.*] Feſtus: *Cupes & cupedia antiqui lautiores cibos nominabant. Inde macellum forum cupedinis appellabant. Cupedia autem à cupiditate ſunt dicta. Vel, ſicut Varro vult, quòd ibi* (in foro cupedinis) *fuerit Cupedii Equitis domus, qui fuerat ob latrocinium damnatus.* Minùs placet poſtremum hoc Etymon. Inter *cupedias* porrò primum locum apud antiquos tenuerunt piſces. Horatius, lib. 2. Satyra 2. raris frugalitatem laudans.

—— *Benè erat non piſcibus urbe petitis,*
Sed pullo atque hædo, &c.

Cicero in Piſonem: ſordes ejus oſtendens: *Extructæ menſæ non conchyliis, aut piſcibus, ſed multâ carne ſubrancidâ.*

2. *Continuatur Pytheas.*] *Aſſequitur.* Ad verbum, *continuus fit mecum.*

3. *Mi Luci.*] Prænomen fuit Apuleii *Lucius*. Prænomine autem quempiam compellare blandius erat, quàm nomine. Juxtà illud Horatii:

Quinte puta, aut Publi, gaudent prænomine molles
Auriculæ. ——

4. *Voti gaudeo.*] Deeſſe videtur nonnihil, putà, *te factum eſſe compotem*, aut ſimile quid.

5. *Lixas & virgas.*] *Lixæ* propriæ militum ſervi ab aqua militibus ferenda ſic dicti. Aqua enim veteri vocabulo *lixa* dicebatur, unde derivatum *elixare*, quod eſt aquâ ferventi coquere. Hîc *lixæ* ſunt Ædilis *lictores*.

giſtratu

giſtratui congruentem in te video. Annonam curamus, ait, & [1] Ædilem gerimus; &, ſi quid obſonare cupis, utique commodabimus. Abnuebam, quippe qui jam cœnæ affatim piſcatus proſpexeramus. Sed enim Pytheas, visâ ſportulâ, ſuccuſſiſque in aſpectum planiorem piſcibus, At has quiſquilias quanti paraſti? Vix, inquam, piſcatori extorſimus accipere viginti denarios. Quo audito, ſtatim arreptâ dextrâ, [2] poſtliminiò in forum cupedinis reducens, Et à quo, inquit, iſtorum nugamenta hæc comparaſti? Demonſtro ſeniculum in angulo ſedentem. Quem confeſtim pro Ædilitatis imperio voce aſperrimâ increpans, Jam, inquit, jam nec amicis quidem noſtris, vel omninò ullis hoſpitibus parcitis, qui tam magnis pretiis piſces frivolos indicatis, & florem Theſſaliæ regionis ad inſtar ſolitudinis & ſcopuli, edulium caritate deducitis. Sed non impunè. Jam enim faxo ſcias, quemadmodum ſub noſtro magiſterio mali debeant coërceri. Et, profusâ in medium ſportulâ, jubet [3] officialem ſuum inſu-

INTERPRETATIO.

giſtratum penitùs deceat. Sum Præfectus rei cibariæ, & Ædilitatem exerceo, &, ſi vis emere aliquid obſonii, efficiemus utique, ut habeas *commodiori* pretio. *Recuſabam nutu capitis, jam enim ſatis habebam piſcium comparatum in cœnam: Verùm Pytheas, conſpectâ fiſcellâ, agitatiſque piſcibus, quo* facilius *& apertiùs viderentur: Quo pretio emiſti, ait, has nugas? Vix, inquam impetravimus à piſcatore ut ſumeret* pro ipſis *viginti* tantùm *denarios. Quod cùm audiviſſet, confeſtim apprehensâ manu, meque iterùm reducens in forum cupedinarium, A quonam ex his, inquit, emiſti has quiſquilias* piſcium? *Oſtendo ipſi puſillum ſenem reſidentem in angulo, quem ſtatim objurgans tono vocis acerbiſſimo, pro auctoritate Ædilitiæ: Jam ergo, ait, nec amicorum noſtrorum rationem habetis, neque ullorum prorsùs advenarum? Siquidem tam carò venditis viles piſciculos; & redigitis* hanc urbem *florentiſſimam totius Provinciæ Theſſaliæ ad formam deſerti & rupis* inacceſſæ, *caritate obſoniorum? Sed non remanebit inultum. Jamjam enim curabo ſentias quo pacto improbi reprimendi ſint ſub meo Ædilatu. Et, effusâ in terram fiſcellâ, imperat miniſtro ſuo, ut aſ-*

NOTÆ.

1. *Ædilem gerimus.*] Sic lib. 9. *hic incinctus balteo militem gerebat. Ædiles* fuerunt Magiſtratus Annonæ, obſoniis, ponderibus, & menſuris, aquæductibus, cloacis, ædibus ſacris, ædificiis tum publicis, tum privatis, ac denique urbanis rebus pœnè omnibus præfecti. ἀγορανόμους Græci dicebant.

2. *Poſtliminio.*] Id eſt hoc in loco, *iterum.* Jus porrò *Poſtliminii* apud Juriſconſultos eſt, quo civis ab hoſtibus captus, ac poſteà liberatus, civitatem, bona, omniaque jura recipit. Item quo ſervus captus ab hoſtibus, ac deinde receptus redit ſub poteſtatem prioris heri. Eadem ratio de equo, mulo, nave, cæteriſque hujuſmodi quæ ab hoſtibus capi poſſunt, ab iiſque aut effugere, aut recipi: Quæ cùm in poteſtatem domini prioris redeunt, *poſtliminio*, vel *Jure Poſtliminii* dicuntur redire. Retro enim creditur in civitate fuiſſe, qui ab hoſtibus advenit, ut ait Ulpianus, Lege *Retro* 16. ff. *de Captivis, & de Poſtliminio,* & *redemptis ab hoſtibus. Poſtliminium* (inquit Imperator. Inſt. *Quibus modis jus patriæ poteſtatis, &c.* §. *Si ab hoſtibus*:) *dictum eſt à limine, & poſt,* &c. vide totum locum.

3. *Officialem ſuum.*] Gloſſarium Priſcæ laudatum ταξιώτης: *apparitor, officialis.*

per piſces inſcendere, ac pedibus ſuis totos obterere. Quâ contentus morum ſeveritudine meus Pytheas, ac mihi ut abirem ſuadens: Sufficit mihi, ô Luci, inquit, ſeniculi tanta hæc contumelia. His actis conſternatus ac prorſus obſtupidus, ad balneas me refero, prudentis condiſcipuli valido conſilio & nummis ſimul privatus & cœnâ: lautuſque ad hoſpitium Milonis, ac dehinc cubiculo, me reporto. Et ecce Fotis ancilla: Rogat te, (inquit,) hoſpes. At ego jam inde Milonis abſtinentiæ cognitor, excuſavi comiter: quód viæ vexationem non cibo ſed ſomno cenſerem diluendam. Iſto accepto, pergit ipſe, & injectâ dextrâ, clementer me trahere adoritur. Ac dum contor, dum modeſtè renitor: Non priùs, inquit, diſcedam quàm me ſequaris. Et dictum jurejurando ſecutus, jam obſtinationi ſuæ me ingratis obedientem perducit ad illum ſuum grabatulum: & reſidenti: Quàm ſalvè agit, inquit, Demeas noſter? Quid uxor, quid liberi, [1] quid vernaculi? Narro ſingula. Percontatur accuratiùs cauſas etiam peregrinationis meæ. Quas ubi probè protuli, jam & de patria noſtra, & ejus Primoribus, ac denique de ipſo Præſide ſcrupuloſiſſimè explorans, ubi me poſt itineris tam ſævi vexationem, ſentit fabularum quoque ſerie fatigatum, in verba media ſomnulentum deſinere, ac nequidquam defectum jam incertâ verborum ſalebrâ balbutire, tan-

Interpretatio.

cenderet ſuper piſces, eoſque conculcaret pedibus. Quâ ſeveritate diſciplinæ contentus meus Pytheas, mihique auctor ut abſcederem: Satis habeo, inquit, ô Luci, affeciſſe ſenecionem hunc tanto probro. Hoc facto, redeo ad thermas perturbatus animo, ac penitùs ſtupefactus, videns me *orbatum pecuniâ ſimul, & cœnâ, ſtrenuo conſilio mei ſapientis condiſcipuli. Et cùm laviſſem, revertor in domum Milonis, ac deinde in meum cubiculum. Et continuò Fotis famula: Invitat te, ait, hoſpes* tuus ad cœnam. *At ego qui jam anteà noveram parſimoniam Milonis, excuſavi me honeſtè; quod putarem fatigationem itineris non diſcutiendam eſſe eſu, ſed dormitione. Hoc ad Milonem renuntiato, venit ipſe* ad me, *& manu benignè immiſsâ conatur me perducere. Ac dum moror, dum reſiſto verecundè; non antè abibo hinc, inquit, quàm mecum venias: & ſubjungens ſacramentum verbis, pertrahit me jam invitè obtemperantem ſuæ pertinaciæ, ad illum ſuum lectulum. Cumque aſſediſſem: Quàm proſperè vivit noſter Demeas? (inquit) Quid* agit ejus *conjux? Quid filii? Quid domeſtici? Omnia refero ſigillatim. Inquirit diligentiùs quibus de cauſis ſuſcepiſſem hoc iter. Quas poſtquàm narravi ſedulò, jam interrogans accuratiſſimè de meâ patriâ, ejuſque primariis viris, poſtremòque de ipſo Præfecto, cùm vidit me poſt moleſtiam tam aſperæ viæ, defeſſum etiam longo ordine narrationum truncare media verba præ ſopore, & laſſatum jam fruſtrà dubiâ vocum aſperitate hæſitare,*

Notæ.

1. *Quid vernaculi.*] *Vernæ*, & *vernulæ* ſunt ſervi ex ancillis, domi nati, non empti, aut facti: hinc *vernaculum* quidquid domi natum & domeſticum.

dem patitur cubitum concedere. Evaſi aliquandò rancidi ſenis loquax & famelicum convivium, ſomno, non cibo gravatus; cœnatus ſolis fabulis. Et in cubiculum reverſus, exoptatæ me quieti reddidi.

INTERPRETATIO.

ſivit me demùm ire cubitum. Tandem elapſus ſum ex cœna verboſa, & famelica ſordidi ſenis, onuſtus ſopore non dapibus, paſtus tantùm fabulis. Et regreſſus in cubiculum tradidi me cupito ſomno.

LUCII APULEII
MADAURENSIS PLATONICI
METAMORPHOSIS.
LIBER SECVNDVS.

UT primùm nocte diſcuſſâ, Sol novus diem fecit; & ſomno ſimul emerſus & lectulo, anxius alioquin & nimis cupidus cognoſcendi quæ rara miraque ſunt: reputanſque me [1] media Theſſa-

INTERPRETATIO.

STATIM atque Sol oriens reddidit terris lucem, diſſipatis tenebris; ego exiliens è ſopore ſimul & è lectulo, cæterùm ſollicitus, & ſupra modum avidus videndi quæ ſingularia ſunt & admiranda, recogitanſque me verſari in

NOTÆ.

1 *Media Theſſaliæ loca tenere, quo artis Magicæ, &c.*] Hinc *Theſſala mulier*, pro veneſica ſæpè poſitum reperire eſt. Horat. Epod. 5.

Quæ ſidera excantata voce Theſſalâ,
Lunamque cœlo deripit.

Ad quem locum ejus Scholiaſtes. *Theſſalia regio eſt Græciæ vicina, ubi Magia viget plurimùm, & herbæ Magicæ abundant. Quare ab aliquibus illa* (Magia) *dicitur inventum Theſſalum.*

liæ loca tenere, quò artis Magicæ nativa cantamina totius orbis conſono ore celebrentur, fabulamque illam optimi comitis Ariſtomenis,[1] de ſitu civitatis hujus exortam, ſuſpenſus alioquin & voto ſimul & ſtudio, curiosè ſingula conſiderabam. Nec fuit in illa civitate, quod aſpiciens, id eſſe crederem, quod eſſet: ſed omnia prorſus ferali murmure in aliam effigiem tranſlata, ut &[2] lapides, quos offenderem, de homine duratos, & aves, quas audirem,[3] indidem plumatas, & arbores, quæ pomœrium ambirent, foliatas ſimiliter, & fontanos latices de corporibus humanis fluxos crederem. Jam ſtatuas & imagines inceſſuras, parietes locuturos, boves, & id genus[4] pecua dictura præſagium: de ipſo verò cœlo, & jubaris orbe ſubitò venturum oraculum. Sic attonitus, immò verò cruciabili deſiderio ſtupidus, nullo quidem initio vel omninò veſtigio cupidinis meæ reperto, cuncta circuibam. Tamen dum[5] inceſſu, temulento ſimilis oſtiatim ſingula pererro repentè me neſcius forum cupedinis intuli.

INTERPRETATIO.

media Theſſalia, in qua genuina incantamenta artis Magicæ feruntur habere originem unanimi conſenſu totius terræ; revolvenſque illam fabulam boni mei *comitis Ariſtomenis, quam inceperat* occaſione *poſituræ hujus urbis, contemplabar omnia curioſè, ſollicitus & deſiderio* aliquid mirum videndi, *& diligentia* in illo inveſtigando. *Nec* quidquam *fuit in illa urbe, quod cùm intuerer, putarem* reverà *id eſſe, quod erat: ſed* credebam *cuncta* eſſe *tranſmutata in aliam formam Magico ſuſurramine; adeo ut exiſtimarem ſaxa, quæ inveniebam, obriguiſſe ex hominibus, & volucres, quas audiebam, ex eadem* humana forma *plumas induiſſe, atque arbores, quæ cingebant pomœrium,* cadem amiſsâ naturâ, *fuiſſe amictas frondibus, & aquas fontium fluxiſſe ex corporibus hominum* liquefactis *Jam putabam ſigna, & ſimulachra ambulatura* eſſe, *parietes locuturos, boves & ſimilia pecora vaticinatura; oraculum verò allatum iri derepente ex ipſo cœlo, & diſco Solis. Hoc modo ſuſpenſus, aut potius ſtupefactus vehementiſſimâ cupiditate, percurrebam ſingula nullum inveniens rudimentum, ac ne indicium quidem eorum, quæ cupiebam. Dum tamen pervagor totum oppidum ab oſtio ad oſtium, greſſu ebrium referens, deveni ſubitò incogitans in forum cupedinarium.*

NOTÆ.

1. *De ſitu civitatis ejus exortam.*] Scilicet occaſione propinquitatis urbis Hypatæ narrare cœperat Ariſtomenes quæ ſibi mira in illa contigerant, ut videre eſt initio libri primi.

2. *Lapides de homine duratos*, &c.] Quid de iſtis Magicis portentis ſit credendum vide apud D. Auguſtinum, lib. 18. de Civitate Dei, cap. 18.

3. *Indidem plumatas.*] Fruſtrà Pricæus reponere cogitat *ibidem*. Probum eſt *indidem*. Significat *ex iiſdem*, nempè, *hominibus*, ex quibus exiſtimabat duratos lapides. Utitur & lib. 3. hoc vocabulo: *& impartire nobis unctulum indidem*, id eſt, *ex eadem pyxide*, unde Pamphilen ſumentem viderat.

4. *Pecua.*] Nonius: *Pecua, & pecuda, ita ut pecora veteres dixerunt.* Plaut. Mercatore.

Mi ſenex, non didici bajulare, nec pecua ruri paſcere, &c. Eſt à ſingulari *pecu*. Idem Plautus, Truculento; dixit *ſquammoſum pecu*, de piſcibus.

5. *Inceſſu, temulento ſimilis*, &c.] Lectionem hanc editionis Scriverianæ, & Manuſcripti Palatini, ut planioris ac minùs remoti ſenſûs libens præfero ei, quam oggerit Scaliger, & poſt illum Pricæus, *lixæ temulento*, &c.

Et ecce mulierem quampiam frequenti ſtipatam famulatione ibidem gradientem accelerato veſtigio comprehendo. [1] Aurum in genis, & in tunicis, [2] ibi inflexum, [3] hîc intextum [4] matronam profectò confitebatur. Hujus adhærebat lateri ſenex, [5] jam gravis in annis. qui, ut primùm me conſpexit: [6] Eſt, inquit, hercules hic Lucius: & offert oſculum. Et ſtatim incertum quidnam, in aurem mulieris obgannit. Quin, inquit, etiam, ipſe [7] parentem tuam accedis, & ſalutas? [8] Vereor, inquam, ignotæ mihi fœminæ. Et ſtatim in rubore ſuffuſus [9] rejecto capite, reſtiti. At illa obtutum in me converſa, En, inquit; ſanctiſſimæ [10] Salviæ matris generoſa proles. Sed & cætera corporis inexplicabiliter ad regulam congruentia, [11] inenormis proceritas, ſuc-

INTERPRETATIO.

Atque ibi grandito gradu aſſequor quandam fœminam cinctam magno ſervorum numero, illic ambulantem. Aurum quod habebat *in genis, & in veſtibus; in illis intortum, in his* verò *intextum, oſtendebat profectò fœminam eſſe primariam. Huic adſtabat ſenex jam grandævus, qui ſtatim atque me vidit: Hic eſt certè Lucius, ait, & me oſculatur. Et ſtatim inſuſurravit in aurem matronæ neſcio quid. Quidni, inquit, adis, atque ſalutas matrem tuam? Non audeo, inquam,* ſalutare *mulierem quam non novi. Et ſubitò erubeſcens remanſi* immotus, *capite reclinato* in alteram partem. *Verùm illa oculis in me defixis; Ecce, inquit, generoſa ſoboles caſtiſſimæ* ejus *parentis Salviæ; ſed & reliquum corpus reſpondet ipſi mirum in modum, & ad amuſſim, altitudo modum non excedens.*

NOTÆ.

1. *Aurum in genis.*] Sic malo, ut in vulgatis eſt, quàm quod emendant, *in gemmis. Aurum in genis* ſunt inaures aureæ, quæ ex auribus in genas dependent.

2. *Ibi inflexum.*] In genis nempe. Inaures enim ex auro in fila ducto, atque intorto fiunt.

3. *Hic intextum.*] In tunicis. Ovid. lib. Metamorphoſ. 3.

> —— *Et pictis intextum veſtibus aurum.*

4. *Matronam profectò confitebatur.*] Id eſt, *oſtendebat, profitebatur, demonſtrabat.* Juvenal. ſimiliter.

> —— —— *Mors ſola fatetur*
> *Quantula ſint hominum corpuſcula.*

5. *Jam gravis in annis.*] τὸ *in* hîc non ex communi uſu poſitum abundare videtur, at familiare eſt Apuleio: ſic infrà hoc libro dixit: *vini cadum in ætate pretioſi,* &, *in aſpectu micantes,* quod ſemel monuiſſe ſatis ſit.

6. *Eſt, inquit, hercules! hic Lucius?*] Ex hoc loco malè à Librariis & Exſcriptoribus intellecto, factum eſt, ut quidam Mſſ. Codices hunc titulum præferant, LUCII APULEII HERCULIS MADAURENSIS, &c. ubi Apuleio cognomen attribuitur *Herculis:* putârunt nimirùm vocem, *Hercules,* quæ hîc adſeverantis eſt & jurantis per *Herculem* unum eſſe ex Apuleii noſtri nominibus.

7. *Parentem tuam.*] *Parens* hic amoris & venerationis vox eſt, non cognationis.

8. *Vereor ignotæ mihi fœminæ.*] ἀρχαϊσμὸς pro *ignotam fœminam.*

9. *Rejecto capite.*] Dum oblatum oſculum vitat præ verecundia.

10. *Salviæ matris.*] Quam fuiſſe ex Plutarchi Chæronenſis genere dixit, l. 1.

11. *Inenormis proceritas.*] Tacit. l. 12. Annal. *decoram proceritatem* dixit. Contrà Sueton. de Vitellio: *erat enim in eo enormis proceritas.*

culenta gracilitas, rubor temperatus, flavum & inaffectatum capillitium; oculi cæſii quidem, ſed vigiles, & [1] in aſpectu micantes prorſus aquilino, quoquò verſum floridi: ſpecioſus & immeditatus inceſſus. Et adjecit: Ego te, ô Luci, meis iſtis manibus educavi: quidni? parentis tuæ non modò ſanguinis, verùm alimoniarum etiam ſocia fui. Nam ex familia Plutarchi ambæ prognatæ ſumus, & eandem nutricem ſimul bibimus, & in nexu germanitatis unà coaluimus; nec aliud nos quàm dignitas diſcernit: quòd clariſſimas illa, ego privatas nuptias, fecimus. [2] Ego ſum Byrrhæna illa, cujus fortè ſæpiculè nomen inter tuos frequentatum educatores retines. Accede itaque hoſpitium fiduciâ, immò vero jam tuum proprium larem. Ad hæc ego, jam ſermonis ipſius morâ rubore digeſto, Abſit, inquam, parens, ut Milonem hoſpitem ſine ulla querela deſeram. Sed planè, quod officiis integris poteſt effici, curabo ſedulò. Quotiens itineris hujus ratio naſcetur, nunquam erit ut non apud te devortar. Dum hunc & hujuſmodi [3] ſermonem altercamur, paucis admodum confectis paſſibus, ad domum Byrrhænæ pervenimus. [4] Atria longè pul-

Interpretatio.

corpus ita gracile, ut tamen ſit ſucci plenum, rubor moderatus, coma flava, & abſque affectatione; oculi cærulei quidem, ſed experrecti, & acie tam perſpicaci, quàm ſunt aquilarum, denique *omni ex parte ſpecioſi; greſſus decorus & inaffectatus. Et addidit: Ego te nutrivi, ô Luci, his meis manibus. Nec mirum* tibi videri debet, *ſiquidem particeps fui cum tua matre non tantùm ſanguinis ejuſdem, ſed etiam educationis.* Nos *enim ambæ ortæ ſumus ex ſtirpe Plutarchi, unà ſuximus* lac *ejuſdem nutricis, & ſimul adolevimus in vinculo conſanguinitatis. Et nihil diſtinguit nos præter gradum honoris: quia* ſcilicer *ipſa nupſit clariſſimo* viro, *ego verò privato. Ego ſum illa Byrrhæna, cujus nomen fortaſſe recordaris,* utpote quod *ſæpiùs celebratum fuit inter tuos nutritores. Diverte ergo confidenter in* noſtras *ædes, quæ tibi erunt inſtar propriæ domûs potiùs* quàm hoſpitii. *Ego diſſipatâ jam verecundiâ ſpatio temporis, quod inſumpſerat loquendo, ad ea ſic reſpondi: Abſit, ô mater, ut diſcedam ab hoſpitio Milonis abſque ulla querelæ* cauſâ. *Sed faciam diligenter quidquid poterit à me fieri, ſalvis officiis* hoſpitalibus. *Quotieſcumque orietur occaſio veniendi in hanc urbem, ſemper utar tuo hoſpitio. Dum hæc & ſimilia verba ultro citroque commutamus, poſt paucos paſſus peractos devenimus ad ædes Byrrhænæ. Atria erant*

Notæ.

1. *In aſpectu micantes prorſus aquilino.*] Sic rectè ſcribendum monet Pricæus. Sic lib. 10. *oculis in aſpectu minacibus*, ubi *in* abundare videtur, ut paulò ſuprà monui. Nota aquilæ perſpicacitas & vigor oculorum, ad Solem ipſum non conniventium.

2. *Ego ſum Byrrhæna.*] Ut à Θεὸς fit Θέαινα *Dea*, ſic à Πύῤῥος Πύῤῥαινα, & inde, tenui mutatâ in mediam, Βύῤῥαινα.

3. *Sermonem altercamur.*] Ultrò citróque ſerimus, hæc invitando, ego recuſando. Quod dicit Arnob. *ſermonem altercabilem conſerere.* Meliùs ergo *altercamur* legas, quàm *altercamus.*

4. *Atria longè pulcherrima.*] In Magnatum domibus poſt veſtibulum ſequebatur *atrium* introeuntibus obvium, ex Vitruvio; formâ oblongâ,

chertima, columnis quadrifariam per ſingulos angulos ſtantibus, attollebant ſtatuas [1] Palmaris Deæ. Facies quaquà [2] pinnis explicitis ſine greſſu [3] pilæ volubilis, inſtabile veſtigium plantis roſcidis decitantes, nec ut maneant, inhærent; & jam volare creduntur. Ecce [4] lapis Parius in Dianam factus tenet libratam totius loci medietatem. Signum perfectè luculentum, [5] veſte reflatum, procurſu vegetum, introeuntibus obvium, & majeſtate numinis venerabile. Canes utrimque-ſecùs Deæ latera muniunt, qui canes & ipſi lapis erant. His oculi minantur, aures rigent, nares hiant, ora ſæviunt; &, ſicunde latratus de proximo ingruerit, eum putabis de faucibus lapideis exire. Et, in quo ſummum ſpecimen operæ fabrilis egregius ille ſignifex prodidit, ſub-

INTERPRETATIO.

munificentiſſima, quæ ſuſtentabant ſigna Deæ Victoriæ columnis erectis quadripartitò in ſingulis angulis. Simulachra expanſis in utramque partem alis inſtabilem greſſum leviter figentia pedibus rorulentis abſque motu ſphæræ volubilis, cui inſiſtunt, *nòn inhærent quaſi manſura, ſed jam putantur volare. Marmor verò candidum exſculptum in Dianæ effigiem collocatum eſt in ipſo totius loci medio*, quæ *ſtatua omninò ſplendida eſt, laciniis* veluti ventorum arbitrio *volitantibus, ſic diſpoſita, ut videatur currere, occurrens intrantibus, veneranda ob majeſtatem divinitatis*, quam repræſentat. *Canes ſtipant latera Deæ ab utraque parte, qui canes erant quoque marmorei. Hi habent oculos truces, aures arrectas, nares apertas, rictum ferocem: &, ſi latratus auditus fuerit alicunde ex vicinia, credes eum prodire ex gutturibus lapideis* illorum canum. *Et, cùm canes* illi *erecti ſint, & elati in pectus, poſteriores* eorum *pedes hærent immoti, anteriores verò* videntur *currere; in quo præſtans ille*

NOTÆ.

columnis circumdatum alas conſtituentibus. In medio erat impluvium ſeu ſpatium quoddam, per quod aqua pluvia ex cæteris ædium tectis in ſubjectam areolam derivabatur, ope colliquiarum, & ſtillicidiorum. Illud impluvium lumen habebat in ſummo latum non minùs quartâ, nec magis tertiâ parte latitudinis atrii: quod lumen fiebat deficiente hinc inde tecto, ſicque *atrii* medium ſub dio erat, quâ parte lux in totum *atrium* diffundebatur. Plura vide apud eumdem Vitruvium, l. *6.* c. 3.

1. *Palmaris Deæ.*] Victoriæ, cujus inſigne palma, item & laurus. Porrò Deam Victoriam fecerunt antiqui, ut Concordiam, Pacem, Libertatem, & multas alias.

2. *Pinnis explicitis.*] Hic erat Victoriæ habitus. Claudian. de laudibus Stiliconis.

Ipſa duci ſacras Victoria panderet alas,
Et palmâ viridi gaudens, & amicta trophæis.

At νίκην ἄπτερον *alis carentem Victoriam* Athenienſes ſoletti commento formaverant, ne ſcilicet ex Athenis evolaret, quemadmodum refert Pauſanias in Atticis.

3. *Pilæ volubilis.*] Div. Chryſoſt. Oratione 1. de Dea iſta. οἱ μὲν ἐπὶ ξυροῦ ἔστησαν αὐτὴν, οἱ δ' ἐπὶ τῆς σφαίρας. Et pòſt: καὶ σφαῖρα (μηνύει) ὅτι εὐάγωγος ἡ μεταβολὴ αὐτῆς. *Hanc* (Victoriam) *alii in novacula ſtatuunt, alii in ſphæra: ſphæra autem oſtendit promptam eſſe, & facilem ejus mutationem.*

4. *Lapis Parius.*] Marmor candidum è *Paro* Inſula, unâ ex Cycladibus; ubi ingens ejus copia.

5. *Veſte reflatum.*] Sic lib. 4. *vibratis hinc inde laciniis, & reflato ſinu.*

latis canibus in pectus arduis, pedes imi reſiſtunt, currunt priores. Ponè tergum Deæ ſaxum inſurgit, in ſpeluncæ modum muſcis, & herbis, & foliis; & virgulis, & ſicubi pampinis, & arbuſculis alibi de lapide florentibus: ſplendet intus umbra ſigni de nitore lapidis. Sub extrema ſaxi margine poma & uvæ faberrimè politæ dependent, quas ars æmula naturæ veritati ſimiles explicuit. Putes ad cibum inde quædam, cùm [1] muſtulentus autumnus maturum colorem afflaverit, poſſe decerpi. Et, ſi fontes, qui Deæ veſtigio diſcurrentes in lenem vibrantur undam, pronus aſpexeris, credes illos, ut vite pendentes racemos, inter cætera veritatis, nec agitationis officio carere. Inter medias frondes lapidis [2] Actæon ſimulachrum, curioſo obtutu in dorſum projectus, jam in cervum ferinus, & in ſaxo ſimul & in fonte loturam Dianam operiens viſitur. Dum hæc identidem rimabundus eximiè delector: Tua ſunt, inquit Byrrhæna, cuncta quæ vides. Et cum dicto cæteros omnes [3] ſermone ſecreto decedere præcepit. Quibus diſpulſis omnibus, Per hanc, inquit, Deam, ô Luci cariſſime, ut anxiè tibi metuo, &, utpote pignori meo, longè proviſum cupio! Cave tibi, ſed cave fortiter à malis artibus, & facinoroſis illecebris Pamphiles illius, quæ cum Milone iſto, quem dicis hoſpitem,

INTERPRETATIO.

ſtatuarius edidit exemplum abſolutiſſimum artis ſculptoriæ. Poſt dorſum Deæ rupes eſt erecta, in modum cavernæ veſtita *muſco, & gramine, & frondibus, & ramuſculis, hic vitibus, illic fruticibus è marmore nitentibus. Umbra ſimulacri fulget intus propter ſplendorem marmoris. In extremo margine rupis pendent poma & racemi elegantiſſimè elaborati, quos ars imitatrix naturæ exhibuit conſimiles veris. Credas aliqua ex iis poſſe legi ad eſum. poſtquam autumnus vini largitor aſpiraverit* ipſis *colorem maturitatis. Et ſi* tu *reclinatus in pectus inſpexeris latices, qui labentes ſub pedibus Deæ impelluntur in tenues fluctus, putabis illas uvas quaſi pendulas ex palmitibus, inter reliqua* quæ habent conformia *veris* uvis, *eſſe etiam præditas dote mobilitatis. In mediis foliis lapideis ſtatua Actæonis conſpicitur, qui rejecto in tergum* capite *curioſè inſpiciens, jam in*dutus formâ *ferinâ cervi, conſpicitur & in marmore ſimul, & in fonte expectans Dianam lauturam. Dum hæc ſtudioſè contemplans ſubinde mirâ voluptate perfruor: Omnia, quæ cernis (inquit Byrrhæna) tua ſunt, & cùm hoc dixiſſet, juſſit demiſsâ voce reliquos omnes diſcedere. Quibus omnibus remotis: Per hanc Deam, inquit, ô Luci dilectiſſime, quàm vehementer tibi timeo! quamque opto tibi benè conſulere! quippe* qui *mihi* es *inſtar filii. Proſpice tibi, ſed ſtrenuè proſpice à ſceleſtis artibus, & blandimentis nefariis illius Pamphiles, quæ juncta eſt connubio cum iſto Milone, apud quem ais*

NOTÆ.

1. *Muſtulentus autumnus.*] Ovidio, *calcatis ſordidus uvis.*

2. *Actæon ſimulachrum.*] Appoſitio. Hoc eſt, *Actæon ſculptus.* Vide Ovid. l. 3. Metamorph. Hygin. Fab. 181. & Fulgent. Mythol. lib. 3. ubi exponit quid dederit locum *Actæonis* fabulæ.

3. *Sermone ſecreto.*] Quid, ſi legas, *ſermoni ſecreto*? hoc eſt, *ad ſermonem ſecretum*, ut poſſet mecum ſecretò loqui?

nupta

nupta eſt. Maga primi nominis, & omnis carminis ſepulchralis magiſtra creditur, quæ ſurculis & lapillis, & id genus frivolis inhalatis, omnem iſtam lucem mundi ſideralis imis Tartari & in vetuſtum chaos ſubmergere novit. Nam cùm quemquam conſpexerit ſpecioſæ formæ juvenem, [1] venuſtate ejus ſumitur, & illicò in eum & oculum & animum detorquet. Serit blanditias, invadit ſpiritum; amoris profundi pedicis æternis alligat. Tunc minus morigeros [2] & viles faſtidiens, in ſaxa & in pecua, & quodvis animal punĉto reformat: alios verò prorſùs extinguit. Hæc tibi trepido, & cavenda cenſeo. Nam & illa urit perpetuum, & tu per ætatem & pulchritudinem capax ejus es. Hæc mecum Byrrhæna ſatis anxia. At ego curioſus alioquin, ut primùm artis Magicæ ſemper optatum nomen audivi, tantum [3] à cautela Pamphiles abfui, ut etiam ultrò geſtirem, tali magiſterio me volens ampla cum mercede tradere, & prorſus in ipſum barathrum ſaltu concito præcipitare. Feſtinus denique & vecors animi, manu ejus velut cathenâ quadam memet expedio: &, SALVE properè addito, ad Milonis hoſpitium perniciter evolo. Ac dum amenti ſimilis accelero veſtigium; Age, inquam, ô Luci, evi-

INTERPRETATIO.

te *divertere. Perhibetur ſaga* inſignis *& primæ notæ, & peritiſſima omnis incantamenti Necromantici, quæ poteſt demergere in profundum Tartarum, atque in antiquum chaos hoc omne lumen aſtrorum ramuſculis lapilliſque, & vanis ejuſmodi rebus afflatis carmine magico. Nam ſtatim atque vidit adoleſcentem quempiam formoſum, capitur ejus pulchritudine, & è veſtigio intendit in eum aciem oculorum & mentis. Abblanditur, occupat animum, irretit laqueis ſempiternis alti amoris. Tunc contemnens eos, qui ſibi non ſatis obtemperant, & vulgares: mutat* illos *momento temporis in lapides, in pecudes, & in quaſlibet beſtias: alios autem penitus interficit. Metuo tibi ab his* malis *& ſuadeo, ut præcaveas* ab iis. *Nam & illa incendit æterno* amore, *& tu eâ es ætate & formâ, ut ei convenias. Hæc mihi* dixit *Byrrhæna valdè ſollicita. Verùm ego aliàs avidus ſciendi, ſimul ac audivi nomen ſcientiæ Magicæ* à me *ſemper expetitum; tantum abfuit ut mihi caverem à Pamphile, ut ſponte quoque impatienter cuperem me dare in talem diſciplinam, vel cum ingenti pretio, ac me penitus dare præcipitem accelerato ſaltu in ipſam voraginem* Magiæ. *Poſtremò properanter & turbatâ mente libero me ex ejus manu tanquam ex aliquo vinculo; atque* VALE *dicto feſtinanter, confero me celerrimè ad ædes Milonis. Et dum maturo gradum ad inſtar furioſi; Eia, inquam, ô Luci, expergiſcere, &* at-

NOTÆ.

1. *Venuſtate ejus ſumitur.*] Obſerva *ſumitur* ſatis inuſitatè hic poſitum pro *capitur, incenditur*, aut ſimili amatorio vocabulo. Gruterus reponebat *uritur.*

2. *Et viles faſtidiens, in ſaxa & in pecua, &c. reformat.*] Sic Circe apud Homerum, Ὀδυσ. Κ.

3. *A cautela Pamphiles.*] Paſſivè ſic Phædrus de cervo:

Ut venatorum fugeret inſtantem necem.

Sic Terent. Andria. *patris pudor.*

gila, & tecum eſto. Habes exoptatam occaſionem, & voto diutino poteris fabulis miris explere pectus. Aufer formidines pueriles; cominus cum re ipſa gnaviter congredere; & à nexu quidem Venereo hoſpitis tuæ tempera, & probi Milonis [1] genialem torum religioſus ſuſpice. Verum enimverò Fotis famula petatur enixè; nam & formâ ſcitula, & moribus ludicra, & prorſus argutula eſt. Veſperi quoque cùm ſomno concederes, & in cubiculum te deduxit comiter, & blandè lectulo collocavit, & ſatis amanter cooperuit: &, oſculato tuo capite, quam invita diſcederet, vultu prodidit: denique ſæpè retrorsùs reſpiciens ſubſtitit. [2] QUOD BONUM, FELIX ET FAUSTUM itaque, licet ſalutare non erit, Fotis illa tentetur. Hæc mecum ipſe diſputans fores Milonis accedo: &, quod aiunt, [3] pedibus in ſententiam meam vado. Nec tamen domi Milonem, vel uxorem ejus offendo, ſed tantùm caram meam Fotidem: quæ ſuis dominis parabat [4] viſcum fartim conciſum, & [5] pulpam fruſtatim conſectam, in aba-

INTERPRETATIO.

tentus *eſto ad teipſum. Occaſio* toties *cupiti offertur tibi, & poteris ſatiare animum fabulis admirandis ſecundum deſiderium, quo pridem teneris. Apage metus pueriles. Aggredere ſtrenuè rem ipſam propiùs, & abſtine quidem à ſtupro tuæ hoſpitis, & intuere cum reverentia lectum conjugalem boni Milonis. Verùm aggredere omni conatu ancillam Fotidem; eſt enim eleganti vultu, moribus facetis, &* pollet *mirâ dicacitate. Heri quoque veſpere, cùm tres dormitum deduxit te officiosè, in cubiculum, & ſuaviter compoſuit lecto, & contexit valdè amanter, & oſculata tuum caput oſtendit vultu ſuo quàm repugnanter à te abiret: poſtremò reſtitit ſæpè ſe convertens, & poſt ſe reſpectans. Igitur,* QUOD BONUM FELIX FORTUNATUMQUE ſit *(quanquam non futurum ſit ſalubre) petamus illam Fotidem. Hæc apud me differens devenio ad oſtium Milonis, & (ſicut dicitur vulgò) eo pedibus in meam ſententiam. Nec tamen invenio in ædibus Milonem, aut ejus conjugem, ſed ſolùm dilectam meam Fotidem, quæ præparabat ſuis heris pulmentarium ex viſcere congeſtim ſecto, & pulpam conciſam fruſtillatim in*

NOTÆ.

1. *Genialem torum.*] Maritalem. Gloſſ. *Genialis* γαμήλιος.

2. *Quod bonum, felix & fauſtum, &c.*] Solennis præfatio in rebus agendis adhiberi ſolita, mali ominis averruncandi, bonique procurandi gratiâ. *Valere enim cenſebant voces, quas vocant omina,* inquit M. Tullius, lib. 1. de Divinat.

3. *Pedibus in ſententiam meam vado.*] Facetè alludit ad morem Romanum. Cùm enim quis in Senatu quidpiam proponeret ſtatuendum, nec poſſet ob temporis anguſtias rogari uniuſcujuſque ſententia, hoc compendium inventum eſt. Qui propoſuerat quæ decerni cuperet, peractâ oratione ſic adſtantes alloquebatur. *Quibus hæc ſalutaria videntur agitedum, in dextram partem pedibus tranſite.* Qui tranſibant, dicebantur *pedibus ire in ejus ſententiam.*

4. *Viſcum fartim conciſum.*] Cariſius lib. 1. docet, *viſcus* ſecunda & tertia declinatione veteribus uſurpatum fuiſſe, *viſcus viſceris & viſci.* Porrò *viſcera* (inquit Iſidor. *Origin.* lib. 11.) *non tantùm inteſtina dicimus, ſed quidquid ſub corio eſt, à viſco, quod eſt inter cutem & carnem.*

5. *Et pulpam.*] Idem Iſid. lib. 20. Orig. *Pulpa eſt caro ſine pinguedine.*

cum [1] ad paſcua jurulenta : & quidem naribus jam mihi ariolabar [2] tucetum perquàm ſapidiſſimum. Ipſa lineâ [3] tunicâ mundulè amicta, & ruſſeâ faſciolâ prænitente altiuſculè ſub ipſas papillas ſuccinctula, illud cibarium vaſculum floridis palmulis rotabat in circulum; & in orbis flexibus crebra ſuccutiens, & ſimul membra ſua leniter illubricans, lumbis ſenſim vibrantibus, ſpinam mobilem quatiens placidè, decenter inundabat. Iſto aſpectu defixus obſtupui, & mirabundus ſteti. * * * * * Et tandem ad illam : * * * * * * * * * * * * * * * * Quàm mellitum [4] pulmentum apparas? Felix & certius beatus, cui

Interpretatio.

abaco ad faciendum *ferculum jurulentum. Et jam quidem divinabam olfactu illic eſſe minutal præſtantiſſimi ſaporis. Ipſa puriter induta veſte lineâ, & paulò altiùs ſuccincta ſub ipſas mammas parvâ faſciâ rubrâ valdè ſplendente, agitabat in orbem vas illud cibarium ſuis formoſis manibus; & ſæpè ſuccuſſans illud inter rotandum, ſimulque placidè movens artus ſuos lumbis paulatim fluctuantibus, concutiens leniter ſpinam* dorſi *flexilem venuſtè agebat in undas* illam carnem conciſam. *Huic ſpectaculo infixus attonitus fui, & reſtiti præ admiratione* * * * * * * * *Et tandem ad ipſam* aio *quàm dulce pulmentum præparas! Fortunatus* ille erit, *& procul dubio beatus,*

Notæ.

dicta, quòd palpitet; reſilit enim ſæpè. Hanc pleríque & viſcum vocant, proptereà quod glutinoſa ſit. Donatus ad Hecyræ Act. 3. Scen. 4. aliud etymon affert. *Pulpa*, inquit, *propriè ea* (caro) *quæ manducatur, eo quod pulſetur, ac conſcindatur.* Certè, quidquid ſit de etymo, *pulpa* eſt caro muſculoſa.

1. *Ad paſcua jurulenta.*] Hæc eſt Lipſii lectio, quam ſecutus ſum, meliorem non nactus. Tria genera ciborum, vel (ut cum Apuleio loquar) paſcuorum potiſſimùm fuerunt, ſcilicet aſſorum, elixorum, & jurulentorum, ſive ex jure, quibus addi poſſunt & fricta.

2. *Tucetum.*] Fulgentius, de priſco ſermone. *Tuceta dicuntur eſcæ regiæ. Callimachus Piſæis. Ambroſio redolent tuceta ſapore.* At Scholiaſtes Perſii ad hunc verſum Satyræ 2. *Sed grandes patinæ, tucetaque craſſa, &c. Tuceta*, inquit, *apud Gallos Ciſalpinos bubula dicitur condimentis quibuſdam craſſis oblita, ac macerata, & ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem jure condita ſervari, aut aſſaturarum jure. Hinc Plotius Virgilii amicus in eadem regione nominatus eſt Tucca.* Lubinus verò ad eumdem locum Perſii ait *tucetum* genus eſſe farciminis è carnibus ſuillis minutim conciſis.

3. *Tunica.*] Veſtis fuit brevior abſque manicis, viliorum hominum. Juven.

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

4. *Pulmentum.*] Varroni & Iſidoro à *pulte* dictum, ſive enim ſola *puls*, ſive quid aliud ejus permixtione ſumeretur, propriè *pulmentum* erat. Videtur tamen Horatius per *pulmenta* intelligere fruſta ſeu bucceas, aut certè minutal ex fruſtis conſtans. Sic enim habet lib. 2. Satyra 2.

—— Laudas, inſane, trilibrem
Mullum, in ſingula, quem minuas, pulmenta, neceſſe eſt.

permiſeris illuc digitum intingere. Tunc illa lepida alioquin & dicacula puella, Diſcede, inquit, miſelle, quàm procul à meo foculo, diſcede. Nam ſi te vel modicè meus igniculus afflaverit, ureris intimè, nec ullus extinguet ardorem tuum niſi ego; * * * * * * * * * * Hæc dicens, in me reſpexit, & riſit. Nec tamen ego priùs inde diſceſſi, quàm diligenter omnem ejus exploráſſem habitudinem. Sed quid ego de cæteris aio? cùm ſemper mihi unica cura fuerit caput capillumque ſedulò publicè & priùs intueri, & domi poſteà perfrui? Sicque judicii hujus apud me certa & ſtatuta ratio eſt, vel, quod præcipua pars iſta corporis in aperto & perſpicuo poſita, prima noſtris luminibus occurrit; & quod in cæteris membris floridæ veſtis hilaris color, hoc in capite nitor nativus operatur. Denique pleræque indolem, gratiaſque ſuas probaturæ, lacinias omnes exuunt, amicula dimovent: nudam pulchritudinem ſuam præbere ſe geſtiunt, magis de cutis roſeo rubore, quàm de veſtis aureo colore placituræ. At verò (quod nefas dicere, neque ſit hujus rei ullum tam dirum exemplum:) ſi cujuſlibet eximiæ pulcherrimæque fœminæ caput capillo ſpoliaveris, & faciem nativâ ſpecie nudaveris; licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata: licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni [1] Gratiarum Choro ſtipata, & toto Cupidinum popu-

INTERPRETATIO.

quem ſiveris immittere digitum in illud. Tum illa utpote faceta puella & cavillatrix, Apage te, inquit, miſer: abſcede longiſſimè à meo igniculo. Nam, ſi meus ignis te contigerit vel tantillùm, conflagrabis penitus, nec quiſquam poterit reſtinguere tuum incendium præter me; * * * * * * * * * * * * * * * * * * *Hæc loquens intuita eſt me, & riſit. Neque tamen inde abii antequam inſpexiſſem ſtudioſè totum habitum* corporis *ejus. At quare ego memorem reliqua? cum ſemper mihi fuerit ſingulari curæ, primùm conſiderare diligenter & palam caput, comamque, ac deinde domi potiri. Et ſic obfirmatus ſum in hac ſententia, vel* ob hoc unum *quòd iſta pars potiſſima corporis ſita in propatulo & conſpicuo, prima obvia eſt noſtris oculis, & naturalis ſplendor* capillorum *idem efficit in capite, quod vividus color pulchri veſtimenti in reliquis artubus. Denique maxima pars* mulierum *volentes demonſtrare nativam pulchritudinem, illecebraſque ſuas, deponunt pallas omnes, rejiciunt veſtimenta, avent oſtendere formam ſuam nudam,* ſcientes *ſe gratiores futuras ob rubedinem roſeam* ſuæ *pellis, quàm ob fulgorem aureum ſui indumenti. Verùm (quod ne dicere quidem licet, utinamque nullum ſit tam crudele ſpecimen hujus rei) ſi exueris ſua coma caput cujuſvis mulieris egregiæ & formoſiſſimæ, & ſpoliaveris vultum ejus naturali decore; quamvis illa fuerit demiſſa è cœlo, producta è pelago, nutrita in undis, quamvis, inquam, fuerit ipſa Venus, quamvis cincta univerſo*

NOTÆ.

1. *Gratiarum Choro.*] Tres fuerunt *Gratiæ*, ſeu, ut Græci vocant, *Charites*: Aglaïa, Euphroſyne, & Thalia, filiæ Jovis & Eurinomes, ut ait He-

Io comitata, & [1] baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, calva proceſſerit: placere non poterit nec [2] Vulcano ſuo. Quid, cum capillis color gratus, & nitor ſplendidus illucet, & contra Solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat aſpectum: & nunc ut aurum coruſcans [3] in lenem mellis deprimitur umbram; nunc corvinâ nigredine cærulos columbarum colli floſculos æmulatur; vel nunc [4] guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenui diſcriminatus; & ponè verſum coactus amatoris oculis occurrens, ad inſtar ſpeculi, reddit imaginem gratiorem? Quid? cum frequenti ſobole ſpiſſus cumulat verticem, vel

INTERPRETATIO.

cœtu Charitum, & ſtipata universâ gente Amorum, accincta ſuo ceſto, olens cinnama, diffluens balſamo, ſi prodierit calva: nec Vulcano quidem ſuo poterit probari. Quid, quando capillus emicat jucundo colore, & ſplendore coruſcanti, & refulget vividè adverſus radios ſolis, aut ſublucet leniùs, variatque aſpectum in diverſum decorem: & modò fulgurans inſtar auri, obſcuratur in tenuem umbram mellei coloris; modò nigrore corvino imitatur flores cæruleos colli columbarum; aut nunc delibutus myrrha, & diſtinctus exiguo dente pectinis acuti, & conſtrictus à tergo, obvius oculis amatoris, reflectit ſpeciem jucundiorem in modum ſpeculi? Quid? cùm denſus multâ propagine agglomeratur in ſumma parte capitis, aut exten-

NOTÆ.

ſiodus in Theogon. Orpheus tamen Charitum matrem vocat Eunomiam, non Eurinomen. Alii alia de Charitibus fabulantur, quæ omnia longum eſſet exequi. Vide Lil. Gyrald. Syntag. 13. & Natal. Comitem lib. 4. Mythol.

1. *Baltheo ſuo cincta.*] Homerus, Iliad lib. 4. facit Venerem accinctam *baltheo*, quem κεστὸν vocat, diſcolori & variegato, cui inſunt blanditiæ, ſuavitas, dulcia colloquia, benevolentia, ſuaſiones, fraudes, veneficiaque amatoria, quæ vel ſapientis mentem deliniant. De hoc Martial. Epigram. 207. lib. 14.

Sume Cytheriaco medicatum nectare Ceſton
Uſſit amatorem baltheus iſte Jovem.

2. *Vulcano ſuo.*] Qui Venerem ſuam, licet toties adulteram efflictim deperibat. Unde apud Statium Venus Martem dehortans, ne bellum adverſus Thebas concitet,

——— *At non eadem Vulcania nobis*
Obſequia; & læſi ſervit tamen ira mariti.
Illum ego perpetuis mihi deſudare caminis
Si jubeam, vigileſque operi transmittere noctes,
Gaudeat ornatuſque novos, ipſiquo labore
Arma tibi, ———

Itaque ſi calva Venus ipſi placere non potuiſſet, multò minùs cæteris.

3. *In lenem mellis deprimitur umbram.*] Cùm nimirùm flavus deſuper capillus eſt, & intùs ſubniger. Sic Anacreon ad Pictorem, de Batyllo ſuo:

Λιπαρὰς κόμας ποίησον,
Τὰ μὲν ἔνδοθεν, μελαίνας
Τὰ δ' ἐς ἄκρον ἡλιώσας. hoc eſt, ut vertit Henricus Stephanus:

Nitidas comas fac illi,
Intus quidem nigrantes,
At aureas ſupernè.

4. *Guttis Arabicis.*] Ovid. Heroid. Epiſtola 23.

Non Arabum noſter dona capillus olet.

Guttæ Arabicæ, ſunt myrrhæ lacryma ſtacte dicta, quam myrrha exudat antequàm incidatur. Laudatiſſima in Arabia progignitur,

prolixâ ſerie porrectus dorſa permanat ? Tanta denique eſt capillamenti dignitas, ut, quamvis auro, veſte, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit videri. Sed in mea Fotide non operoſus, ſed inordinatus ornatus addebat gratiam. Uberes enim crines, leniter emiſſos, & cervice dependulos, ac deinde per colla diſpoſitos, ſenſimque ſinuato [1] patagio reſidentes, pauliſper ad finem conglobatos in ſummum verticem nodus adſtrinxerat * * *deſunt hic obſcœna.*

Tum illa cervicem intorſit, & ad me converſa limis & morſicantibus oculis, Heus, tu [2] ſcholaſtice, ait, [3] dulcem & amarum guſtulum carpis. Cave ne nimiâ mellis dulcedine diutinam bilis amaritudinem contrahas. * * *deſunt hîc obſcœna.*

His & talibus [4] obgannitis ſermonibus inter nos, diſceſſum eſt. Commodùm meridies acceſſerat: & mittit mihi Byrrhæna [5] xeniola, porcum opimum, & quinque gallinulas, & [6] vini cadum in ætate pretioſi. * * *deſunt hîc obſcœna.*

INTERPRETATIO.

ſus in longum ordinem explicatur per dorſum ? Poſtremò tantus eſt honor capillitii, ut, quanquam mulier prodeat inſtructa auro, veſtimentis, lapillis pretioſis, reliquoque omni ornatu muliebri, nihilominus non poterit videri decenter *exculta, niſi diſcriminaverit comam. Verùm in mea Fotide non laborioſus, ſed neglectus cultus conciliabat venuſtatem. Nam* ejus *capilli ſpiſſi, paulatim promiſſi, & pendentes à poſteriori parte colli, dehincque diſtributi per collum, & paulatim recumbentes flexuoſo limbo* ſummæ tunicæ, *aliquantum conglomerati in extremitate, revincti erant nodo ad ſummum caput.* * * *

Tum illa inflexit collum, & in me reſpiciens obtutu obliquo & mordaci: Heus tu, novitie, inquit, deguſtas ſimul dulce & amarum. Vide ne ex nimia ſuavitate mellis compares tibi *diuturnam fellis amaritudinem.* * * * * *

His & ſimilibus colloquiis inter nos habitis diſceſſimus. Vix meridianum advenerat, cum Byrrhæna mittit ad me munera *hoſpitalia, pinguem ſuem, & quinque pullos, & cadum vini commendabilis ſua vetuſtate.* *

NOTÆ.

1. *Patagio.*] Feſtus: *Patagium eſt quod ad ſummam tunicam aſſui ſolet; quæ & patagiata dicitur, & patagiarii, qui ejuſmodi opera faciunt.*

2. *Scholaſticè.*] *Scholaſticus* hîc pro inepto juvene, & rerum adhuc imperito ſumitur, non pro illo, qui ſcholæ operam dat, ut perperam putat Beroaldus. Vide Caſaubonum, ad Lampridium, pag. 416.

3. *Dulcem & amarum guſtulum carpis.*] Plaut. Ciſtell. Act. 1. ſcen. 1.

Namque Ecaſtor amor & melle, & felle eſt fœcundiſſimus:
Guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque oggerit.

4. *Obgannitis.*] *Obgannire*, & *gannire* obmurmurare eſt. Et *gannitio* apud Feſtum *eſt querula canum murmuratio.*

5. *Xeniola.*] Munera hoſpitibus mittere mos fuit, quæ à ξένος, quod hoſpitem ſignificat: ξένια, & voce latinâ civitate donatâ, *Xenia*, & *Xeniola*, hoc eſt, *hoſpitalia*, dicta ſunt.

6. *Vini cadum in ætate pretioſi.*] *Cadus* vas fuit vinarium, duodecim congiorum capax, figurâ turbinis, ſeu nucis pineæ, quales ferè videmus ampho-

Diem cæterum lavacro, ac dein cœnæ dedimus. Nam Milonis boni concinnatitiam menſulam rogatus accubueram, quàm pote tutus ab uxoris ejus aſpectu, Byrrhænæ monitorum memor; & perinde in ejus faciem oculos meos ac ſi [1] in Avernum lacum formidans dejeceram. Sed aſſiduè reſpiciens præminiſtrantem Fotidem, inibi recreabar animi. Cùm eſſet jam veſpera [2] lucernam intuens Pamphile, Quàm largus, inquit, imber aderit craſtino. Et percontanti marito quî comperiſſet iſtud; reſpondit, ſibi lucernam prædicere. Quod dictum ipſius Milo riſu ſecutus, Grandem, inquit, iſtam lucernam [3] Sibyllam paſcimus, quæ cuncta cœli negotia, & Solem ipſum de ſpecula candelabri contuetur. Ad hæc ego ſubjiciens, Sunt, aio, prima hujuſcemodi divinationis experimenta: nec mirum, licet modicum iſtum igniculum, & manibus humanis laboratum, memorem tamen illius majoris & cœleſtis ignis, velut ſui parentis, quid eſſet editurus in ætheris vertice, divino præſagio & ipſum ſcire, & nobis enunciare.

INTERPRETATIO.

reliquam partem diei tradidimus balneo, ac deinde cœnæ: nam invitatus à bono Milone, aſſederam modicæ menſæ ejus, ſecurus, quantum fieri poterat, ab intuitu ejus conjugis, recordatus ſcilicet conſiliorum Byrrhenæ: & inſpexeram ipſam trepidans eodem modo quo aſpexiſſem *Infernum ipſum. Sed cùm perpetuò intuerer Fotidem, quæ nobis miniſtrabat, exhilarabar animo in ea* contemplanda. *Obortâ jam nocte Pamphile aſpiciens lampadem, Quàm copiosè pluet cras, inquit, interrogantique viro* ſuo *unde hoc noviſſet; reſpondit, hoc ſibi prænuntiari à lampade. Quæ ejus verba Milo excipiens riſu: Magnam, ait, vaticinatricem alimus hanc lampadem, quæ proſpicit è candelabro* tanquam *è ſpecula quæcumque geruntur in cœlo, ipſumque adeo ſolem. Ego excipiens hæc* verba: *Sunt* hæc, *inquam, prima ſpecimina hujuſmodi vaticinationis. Nec mirabile* videri debet, *quod hæc flammula, quamvis admodum parva, & producta humano artificio, recordata tamen ignis illius majoris & ætherii, tanquam ſui genitoris, præſagiat divinitùs, nobiſque ſignificet quid* ille *ſit producturus in faſtigio cœli.*

NOTÆ.

ras in cauponis ligneas ferreis circulis revinctas. Quanto autem in pretio fuerint apud antiquos vina vetera videre eſt paſſim apud Plautum, Horatium, & alios.

1. *In Avernum lacum.*] *Avernus lacus* fuit Campaniæ propè Baias, ſic dictus quaſi *ἄορνος*, hoc eſt, *avibus carens*, eo quòd tetris ſuis exhalationibus ſupervolantes aves enecaret. Hunc Plutoni dicatum, & limen eſſe Inferorum creditum eſt, & ſæpè ſumitur pro ipſo Inferno, quemadmodum hîc.

2. *Lucernam intuens Pamphile, quàm largus, inquit, imber aderit craſtino!*] Nempè, —— *Teſtâ ardente videbat*
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos,
quod imbris imminentis ſignum eſt apud Virgil. lib. 1. Georgic. & apud Avienum in Arati Prognoſtica. Cujus rei rationem affert Plin. quòd cùm aër humidus eſſe cœperit (quod fit imminente pluviâ) favilla, quæ cum fumo ſolet egredi, prohibita aëris craſſitate, in lucernis reſidet, & quaſdam velut fungorum imitatur imagines.

3. *Sibyllam.*] *Sibyllæ* dictæ fuerunt fatidicæ mulieres, quaſi *σιόβουλαι*, hoc eſt, *Dei conſiliorum participes.* Milo

Nam & Corinthi nunc apud nos paſſim [1] Chaldæus quidam hoſpes miris totam civitatem reſponſis turbulentat, & arcana fatorum ſtipibus emerendis edicit in vulgum; [2] qui dies copulas nuptiales affirmet; qui fundamenta mœnium perpetuet; qui negotiatori commodus; qui viatori celebris; qui navigiis opportunus. Mihi denique proventum hujus peregrinationis anquirenti multa reſpondit, & oppidò mira & ſatis varia. Nunc enim gloriam ſatis floridam, nunc hiſtoriam magnam, & incredendam fabulam, & libros me facturum. Ad hæc renidens Milo, Quâ, inquit, corporis habitudine præditus, quove nomine nuncupatus hic iſte Chaldæus eſt? Procerus, inquam, & ſuffuſculus, Diophanes nomine. Ipſe eſt, ait, nec ullus alius. Nam & hic apud nos multa multis effatus ſimiliter, non parvas ſtipes, immò verò mercedes opimas jam conſecutus, Fortunam ſcævam, an ſævam veriùs dixerim, miſer incidit. Nam die quadam, cùm frequentis populi circulo conſeptus coronæ circumſtantium

INTERPRETATIO.

Corinthi enim apud nos advena quidam Chaldæus perturbat nunc totam urbem admirandis prædictionibus, & exponit ſecreta fatorum apud plebem nummorum lucrandorum causâ: verbi gratiâ *quis dies corroboret vinculum jugale; quis reddat fundamenta murorum æterna; quis* dies *ſit opportunus mercatori; quis ſolemnis peregrinanti; quis idoneus navigationibus. Denique cùm ſciſcitarer ab eo quid mihi eſſet eventurum ex hoc itinere, plurima mihi reſpondit valdè admiranda & multùm diverſa.* Dixit *enim nunc* me comparaturum *laudem præclaram, nunc ſcripturum amplam hiſtoriam, & fabulam incredibilem, & libros. Milo ridens ad ea: Quam, inquit, corporis ſtaturam habet iſte Chaldæus, & quomodo vocatur? Grandis eſt, inquam, & ſubniger, vocaturque Diophanes. Ipſe eſt, inquit* Milo, *nec alius quiſquam. Hic enim cùm plurima prædixiſſet multis ad eumdem modum in hac urbe, comparaviſſetque nummos non paucos, quin immò mercedes ampliſſimas, infeliciter expertus eſt ſortem ſiniſtram, vel, (ut veriùs loquar) crudelem. Quodam enim die, cùm circumdatus magnâ plebis coronâ fata diſtribueret toti circulo ſe*

NOTÆ.

hîc *Sibyllam* jocosè vocat lucernam futuri præſagam. Decem fuerunt *Sibyllæ*, quarum nomina vide apud Iſidorum, Origin. lib. 8. De *Sibyllis* expecta eruditiſſimam clariſſimi Viri Petri Petiti Diſſertationem, in lucem propediem prodituram.

1. *Chaldæus quidam hoſpes miris totam civitatem reſponſis turbulentat.*] Horat.

Irritat, mulcet, falſis terroribus implet,
Ut Magus.

Aſſyriorum Magi *Chaldæi* dicebantur, ex gentis vocabulo: eſt enim *Chaldæa* regio Aſiæ, Arabiæ contermina, in qua Babylon magna civitas. Romæ Genethliaci, qui & Mathematici, futurorum prænuntiatores, ſomniorumque interpretes, *Chaldæi* vulgò dicti fuerunt. Sive quòd ſoli *Chaldæi* artes illas profiterentur: ſive, quòd eas profeſſi, ſe mentirentur *Chaldæos*, quo majorem ſibi compararent auctoritatem. Horum quoque Æruſcatorum ars Firmico *Ars Chaldaica* dicitur. Vide Gell. lib. 14. cap. 1. & Sextum Empyricum.

2. *Qui dies copulas nuptiales affirmet? qui, &c.*] Cicero pro Muræna: *Erant in magna potentia qui conſulebantur, à quibus dies tanquam à Chaldæis petebatur*, &c.

fata

[1] fata donaret, [2] Cerdo quidam (nomine) negotiator acceſſit eum, diem commodum peregrinationi cupiens. Quem cùm electum deſtinaſſet illi, jam depoſitâ crumenâ, jam profuſis nummulis, jam dinumeratis centum denariis, quos mercedem divinationis auferret: ecce quidam de nobilibus adoleſcentulus à tergo arrepens, eum laciniâ apprehendit, & converſum amplexus exoſculatur arctiſſimè. At ille ubi primùm conſaviatus eum, juxtim ſe ut aſſideret effecit, attonitus eſt repentinæ viſionis ſtupore; & [3] præſentis negotii, quod gerebat, oblitus, infit ad eum: Quam olim equidem exoptatus nobis advenis? Reſpondit ad hæc ille alius: Commodùm veſperâ oriente. Sed viciſſim tu quoque frater mihi memora, quemadmodum exinde ut [4] de Eubœa Inſula feſtinus enavigaſti, & maris & viæ confeceris iter. Ad hæc Diophanes ille Chaldæus egregius, mente viduus, necdum ſuus: [5] Hoſtes, inquit, & omnes inimici noſtri, tam duram, imò verò

INTERPRETATIO.

ambientium; Mercator quidam nuncupatus Cerdo venit ad eum, poſcens diem idoneum itineri ſuſcipiendo *Quem cùm ſelegiſſet, & deſignaviſſet ei, diſcincto jam marſupio, jam deprompta pecuniâ, jam numeratis centum denariis, quos* ipſe *tolleret in pretium vaticinationis: ecce quidam juvenis ex primariis penetrans ſe ponè ipſum per mediam turbam, arripit eum veſte, cumque ipſe ſe vertiſſet, amplexatur eum, & baſiat ſtrictiſſimè. Verùm ille viciſſim eum oſculatus, ſimul atque juſſit ſedere prope ſe, perturbatus eſt admiratione* qua ipſum affecerat *ſubitus conſpectus amici; nec recordatus rei, quam tunc temporis gerebat, dixit ipſi; Quam pridem huc deſideratus accedis* amice? *Ille alter ad ea reſpondit: Sub ipſum veſperæ ortum. Sed tu quoque frater narra mihi invicem, quomodo tam celeriter navigaveris ab Eubœa uſque Inſula in hanc urbem,* quâque ratione *emenſus fueris iter tum maritimum, tum terreſtre. Ad hæc* Diophanes *ille vates eximius, ratione deſtitutus, & nondum ad ſe reverſus: inimici noſtri, inquit, omneſque qui nobis infenſi ſunt, incurrant in peregrinationem tam*

NOTÆ.

1. *Fata donaret.*] Elmenhorſt. *eno daret.* At *donaret* meliùs longè exprimit plenariam illam, quam Magi ſibi arrogant, poteſtatem. & *fata* quidem *donare* meritò dici poterat Diophanes ille, cùm dies ſuſcipiendis negotiis proſperos deſignabat.

2. *Cerdo quidam.*] Hoc loco *Cerdo* nomen eſt proprium mercatoris. Alias appellativum eſt viliorum artificum, ſutorum putà, atque aliorum hujuſmodi lucro inhiantium, à Græca voce *κέρδος*, *lucrum. Cerdo* latinè verti poſſet *lucrio*.

3. *Præſentis negotii, &c. oblitus.*] Scilicet ſe vendere Cerdoni diem peregrinationi commodum.

4. *De Eubœa Inſula.*] Maxima hæc eſt ex maris Ægæi Inſulis, adjacens Bœotiæ, atque ab ea divulſa anguſto freto, quod *Euripum* dixere, vocitata olim Chalcodontis, & Macris, aut Macra, & Chalcis ob æs ibi repertum. Item Abantias, ejuſque incolæ Abantes apud Homerum, & Aſopis. Item Straboni Oche, & Ellopia. Hodie verò *Negroponte*. Eſt & *Eubœa* Siciliæ urbs Straboni, item alia urbs in ipſa Inſula *Eubœa*, ſed à mari abſorpta.

5. *Hoſtes, inquit, tam duram, &c.*] Solemne, mala quorum mentio incidiſſet, hoſtibus imprecari. Ovid.
Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris.
Virgil. —— *Erroremque hoſtibus illum.*
Euphemiſmi genus erat malum omen averruncantis.

[1] Ulyſſeam peregrinationem incidant. Nam & navis ipſa, in qua vehebamur, variis turbinibus procellarum quaſſata, [2] utroque regimine amiſſo, ægrè ad ulterioris ripæ marginem detruſa, præcipitio demerſa eſt: & nos, omnibus amiſſis, vix enatavimus. Quodcumque [3] vel ignotorum miſeratione, vel amicorum benevolentiâ extraximus, id omne latrocinalis invaſit manus: quorum audaciæ repugnans etiam, cui nomen eſt Ariſuatus, unicus frater meus, ſub iſtis oculis miſer jugulatus eſt. Hæc eo adhuc narrante mœſto; Cerdo ille negotiator correptis nummulis ſuis, quos divinationis mercedi deſtinaverat, protinus aufugit. Ac dehinc tunc demùm Diophanes expergitus ſenſit imprudentiæ ſuæ labem, cùm etiam nos omnes circumſecùs aſtantes, in clarum cachinnum videret effuſos. Sed tibi planè, Luci domine, ſoli omnium Chaldæus ille vera dixerit, ſiſque felix, & iter dexterum pergas. Hæc Milone diutinè ſermocinante tacitus ingemiſcebam: mihique non mediocriter ſuccenſebam, quod ultrò inductâ ſerie importunarum fabularum, partem bonam veſperæ, ejuſque gratiſſimum fructum amitterem. Et tandem denique devorato pudore, ad Milonem aio: Ferat ſuam Diophanes ille Fortunam,

INTERPRETATIO.

ſævam, immò verò prorſus *Ulyſſeam. Nam & navigium ipſum, quo ferebamur, fractum diverſis vorticibus tempeſtatum, deſtitutum ambobus gubernaculis, difficulter compulſum in adverſum littus, abſorptum eſt voragine, noſque, omnibus* bonis *noſtris perditis, ægrè emerſimus. Quidquid potuimus corradere aut miſericordiâ extraneorum, aut benignitate noſtrorum amicorum, illud totum rapuit turba prædonum, quorum etiam impetui reſiſtens unicus germanus meus Ariſuatus nomine, trucidatus eſt infelix ante hos meos oculos. Dum is adhuc referret iſta valdè triſtis; Cerdo ille mercator reſumptis properè ſuis denariis, quos decreverat dare in pretium prædictionis, ſtatim ſe conjecit in pedes. Quo facto Diophanes tum denique excitatus agnovit* quantum *damnum* ſibi creaviſſet *ſua ſtoliditate, cùm cerneret quoque nos omnes, qui eum circumſtabamus, ſolutos in riſum canorum. Verùm* opto, *Domine Luci,* ut *Chaldæus ille vera prædixerit tibi uni inter omnes, & ut ſis fortunatus, & perficias peregrinationem* tuam *proſperè. Milone narrante hæc prolixiùs gemebam apud me, & iraſcebar non leviter, quod, illato ſponte meâ contextu incommodarum fabularum, malè perderem optimam partem veſperæ jucundiſſimumque fructum ejus. Poſtremò inſuperhabitâ verecundiâ, reſpondeo Miloni: Diophanes ille habeat ſibi ſuam*

NOTÆ.

1. *Ulyſſeam peregrinationem.*] Noti ſunt decennales Ulyſſis errores, quorum ſpatio ea omnia, quæ Homerus in Odyſſea canit, mala perpeſſus eſt: ut meritò ab *Ulyſſea peregrinatione* Apuleius laborioſi perieuloſique itineris exemplum deſumpſerit.

2. *Utroque regimine amiſſo.*] *Malo* ſcilicet, & *gubernaculo* quibus navis regitur.

3. *Vel ignotorum miſeratione.*] Solebant naufragi victum rogantes tabulam, in qua depictum eſſet ſuum naufragium, circumferre, quò obvios quoſque ad miſericordiam faciliùs commoverent. Vide Interpretes Horatii, ad initium Artis Poëticæ: & Phædrum, lib. 4. fab. de Simonide.

& [1] ſpolia populorum rurſum conferat mari pariter ac terræ: mihi veró fatigationis heſternæ etiam nunc ſaucio da veniam maturiùs concedam cubitum. Et cum dicto faceſſo, & cubiculum meum contendo. Atque illic deprehendo epularum diſpoſitiones ſatis concinnas. Nam & pueris extra limen, credo ut arbitrio nocturni gannitûs ablegarentur, humi quàm procul diſtratum fuerat. Et grabatulum meum aſſiſtit menſula, cœnæ totius honeſtas reliquias tolerans, & calices bini, jam infuſo latice ſemipleni, ſolam temperiem ſuſtinentes: & lagena juxta orificio ceſſim dehiſcente pateſcens, facilis hauritu, * * * * * *

deſunt hìc obſcœna.

Fortè quâdam die mecum magnopere Byrrhæna contendit apud eam cœnulæ intereſſem: &, cùm impendio excuſarem, negavit veniam. Ergo igitur Fotis erat adeunda, deque nutu ejus conſilium, [2] velut auſpicium, petendum. Quæ, quanquam invita quod à ſe ungue latiùs digrederer, tamen comiter amatoriæ militiæ [3] brevem commeatum indulſit. Sed heus tu, inquit, cave regrediare cœnâ maturiùs; nam veſana factio nobiliſſimorum juvenum pacem publicam infecit: & paſſim trucidatos per medias plateas videbis jacere; nec Præſidis auxilia

INTERPRETATIO.

ſortem, exponatque iterùm tum mari, tum terrâ prædam populorum. At permitte mihi adhuc laboranti ex laſſitudine heſterna, ut citiùs eam cubitum. Et hoc dicto abeo, & peto meum cubiculum. Atque ibi offendo convivium ordinatum elegantiſſimè. Lectus enim erat ſtratus ſervulis humi extra oſtium longiſſimè, puto, ut removerentur ab auditu nocturnarum vocularum. Adſtabat meo lectulo parva menſa onuſta ſat lautis reliquiis totius cœnæ, & crateres duo jam ſemirepleti infuſâ aquâ, expectantes tantùm admixtionem vini: *& propè* erat *lagena, quæ dilatabatur ore paulatim pateſcente, & ex qua facilè hauriri* vinum *poterat.* * * * * * * * * *

* * * * * *Fortè die quodam Byrrhæna me rogavit enixè ut adeſſem parvæ cœnæ apud ſe; cumque valdè me excuſarem, dixit ſe non ignoturam* mihi niſi venirem. *Convenienda igitur erat Fotis, petendumque erat conſilium, tanquam auſpicium, ab ejus voluntate. Quæ, licet ægrè ferens quòd ab ipſa diſcederem latiùs ungue, benignè tamen mihi conceſſit exiguas inducias belli amatorii. Verùm heus tu, ait, vide ut citò redeas à cœna; nam furioſa cohors primariorum adoleſcentum perturbavit tranquillitatem publicam: & videbis hinc inde* homines *interfectos ſtratos in mediis viis, nec præſidia Præfecti Provinciæ,*

NOTÆ.

1. *Spolia populorum.*] Pecuniam, quam ſuarum præſtigiarum ope populis emunxerit.

2. *Velut auſpicium.*] Sicut nihil gerere alicujus momenti ſolebant veteres, quin priùs auſpicarentur. Sic non audet noſter Lucius cœnatum foras ire quin Fotidis ſuæ nutum priùs conſulat, qui omnium avium ipſi inſtar eſt. De *Auſpiciis* cæteriſque ad Augures ſpectantibus, vide Roſin. Antiquit. Roman. lib. 3.

3. *Brevem commeatum.*] Quo ſe ad Byrrhænæ cœnam conferret.

longinqua levare civitatem tantâ clade poſſunt. Tibi verò Fortunæ ſplendor inſidias, [1] contemptus etiam peregrinationis, poterit afferre. Fac ſine cura ſis, inquam, Fotis mea. Nam præter quod epulis alienis voluptates meas anteferrem, metum etiam iſtum tibi demam maturatâ regreſſione. Nec tamen incomitatus ibo. nam gladiolo ſolito cinctus altrinſecùs, ipſe ſalutis meæ præſidia geſtabo. Sic paratus cœnæ me committo. Frequens ibi numerus epulonum, &, utpote apud primatem fœminam, flos ipſe civitatis. Et opipares cibi, & ebore nitentes lecti, aureis veſtibus [2] intexti, ampli calices, [3] variæ quidem gratiæ, ſed pretioſitatis unius. Hîc vitrum fabrè ſigillatum, ibi cryſtallum [4] impunctum; argentum alibi clarum, & aurum fulgurans, & ſuccinum mirè cavatum in [5] capides, ut bi-

INTERPRETATIO.

utpote *longiùs diſtantia, queunt ſublevare urbem tantâ calamitate. Claritas autem tuæ fortunæ poterit tibi creare inſidias, & peregrinitas* tua poterit te reddere *deſpicabilem. Secura eſto, inquam, mea Fotis. Nam revertar maturè, non tantùm quia præpono mea gaudia conviviis aliorum, verùm etiam ut auferam tibi iſtum timorem. Nihilominus non* illuc *proficiſcar ſolus. Feram enim* mecum *tutamenta meæ vitæ; appenſo* nimirùm *conſueto enſe ad alterum latus. Sic inſtructus confero me ad cœnam. Multi aderant convivæ, iique Principes urbis, quales decebat eſſe apud primariam mulierem. Dapes erant copioſæ & lautæ, & lecti ebore ſplendentes, operti ſtragulis aureis, crateres valdè capaces, diverſæ quidem opulentiæ, ſed ejuſdem pulchritudinis. Hic* eſt *vitrum eleganter configuratum, ibi cryſtallus diſtincta variis punctulis; alibi argentum nitidum & aurum coruſcans; & electrum miro artificio excavatum in pocula ad potan-*

NOTÆ.

1. *Contemptus etiam peregrinationis.*] Pric. mutat & legit, *contemptum etiam peregrinatio*, quod expreſſi in interpretatione: At nihil mutatu eſt opus, niſi fortè pro *peregrinationis* reponas *pergrinitatis* (quod etiam video Elmenhorſtio placuiſſe) ut ſenſus ſit: *contemptus etiam, in quo vulgo ſunt peregrini, poterit inſidias tibi parare.* ſic etiam apud Lucianum non ancilla hoſpitis, ſed Abrœa matrona, Byrrhænæ Apuleianæ perſonam ſuſtinens, Lucio dicit καὶ ξένος πρᾶγμα εὐκαταφρόνητον, *peregrinus facilè contemnitur.*

2. *Intexti,*] An intexuntur lecti veſtibus? Lege, meo periculo, *intecti*, hoc eſt, Apuleiano loquendi modo, *tecti*, *operti*, neque enim particula, *in*, hîc negat. Vel, ſi mavis, *injecti*, quod idem prorſus ſonat Apuleio.

3. *Variæ quidem gratiæ, ſed pretioſitatis unius.*] At vitrum, cryſtallum, aurum, & argentum, quæ mox enumerat, quis unius ejuſdemque pretii eſſe dicat? Repone igitur cum Pricæo, juvante Oxon. Mſ. in quo non *pretioſitatis*, ſed *ſpecioſitatis*, legitur; Repone, inquam, *variæ quidem gazæ, ſed ſpecioſitatis unius.* Hoc nempè vult Apuleius multa ibi vaſa fuiſſe, quæ licet alia aliis pretioſiora eſſent ob materiam ex qua erant conflata, nihilominus ejuſdem erant pulchritudinis. *Variæ gazæ* dicit etiam, lib. de Deo Socratis: *ex argento, & auro & gemmis monilia variæ gazæ dependent.*

4. *Impunctum.*] vel *punctis diſtinctum*, ut vertimus, vel *purum*, & nullis aſperum, variegatumve punctis.

5. *Capides.*] Sic lege, ut eſt in Scriveriana Editione, & Gruteri Suſpicionibus, non *lapides. Capis*, apud Feſtum, *eſt poculi genus, à capiendo dictum.* Item Varroni lib. 1. de Vita Populi Romani,

bas. Et quidquid fieri non poteſt, ibi eſt. [1] Diribitores pluſculi ſplendidè amicti; fercula copioſa: puellæ ſcitulè miniſtrantes: pueri calamiſtrati pulchrè induſiati, gemmas formatas in pocula vini vetuſti frequenter offerentes. Jam illatis luminibus epularis ſermo percrebuit, jam riſus adfluens, joci liberales, & cavillus hinc inde. Tum infit ad me Byrrhæna: Quàm commodè verſaris in noſtrâ patriâ? Quod ſciam, templis, & lavacris, & cæteris operibus cunctas civitates antecellimus. [2] utenſilibus præterea pollemus affatim. Certè libertas otioſa, & [3] negotioſo quidem advenæ Romana frequentia; modeſto verò hoſpiti, quies villatica: [4] omni denique provinciæ voluptarii ſeceſſus ſumus. Ad hæc ego ſubjiciens: Vera memoras, nec uſquam gentium magis me liberum quàm hîc fuiſſe credidi. Sed oppidò formido cæcas & inevitabiles latebras Magicæ diſciplinæ. Nam ne mortuorum quidem ſepulcra tuta dicuntur: ſed & [5] buſtis & rogis reliquiæ quædam & cadaverum præſegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur. Et cantatrices aniculæ in ipſo momento

INTERPRETATIO.

dum. Denique quidquid creditur *fieri non poſſe, ibi reperitur. Multi eſcarum diſtributores magnificè veſtiti; dapes abundantes: virgines eleganter miniſtrantes: pueri cirrati decorè veſtiti crebrò propinantes vinum vetus in lapidibus pretioſis configuratis in calicum formam. Poſtquam lucernæ importatæ fuerunt* in triclinium*: jam colloquia convivalia celebrari* cœperunt*, jam riſus undique abundare, & honeſta dicteria cavillationeſque* jactari. *Tunc Byrrhæna ſic me affatur: Rectè-ne te habes in noſtra patria? ni fallor, multùm ſuperamus omnes* alias *urbes delubris, & balneis, atque aliis* publicis *operibus. abundamus inſuper cibariis. Hic eſt profectò libertas tranquilla, & hoſpes quidem negotiis gaudens* poteſt hîc reperire hominum *multitudinem* ſimilem *Romanæ; qui verò moderatus eſt* & ambitionis expers, *otium quale ruri. Denique tota Provincia huc venit ſe ſe oblectatum. Reſpondi ad hæc: Vera* ſunt quæ *dicis, nec putavi me fuiſſe liberiorem uſquàm terrarum quàm hic. Sed valdè metuo obſcuras inſidias artis Magicæ, quas nemo poteſt effugere. Nam ne monumenta quidem defunctorum feruntur eſſe ſecura, ſed reſidua quædam, & fruſta corporum mortuorum rapiuntur ex buſtis & pyris ardentibus ad perniciem vivorum. Et vetulæ incantatrices præveniunt veloci fe-*

NOTÆ.

1. *Diribitores.*] Miniſtri diſtributores eſcarum. *Diribitorium* fuit locus, in quo ſtipendia militibus numerantur, à *diribendo*, hoc eſt, *diſtribuendo.*

2. *Utenſilibus.*] *Utenſilia* propriè ſunt res cibariæ, *proviſions de bouche.* Tacit. Annal. lib. 2. *quaſque copias frumenti, & omnium utenſilium quæque natio penderet.* Et lib. 15. *ſubvectaque utenſilia ab Oſtia & propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum*, &c. *Utilia* etiam pro iiſdem *utenſilibus* uſurpatum invenias.

3. *Negotioſa quidem advena.*] Lege *negotioſo. Negotioſum* advenam opponit modeſto hoſpiti.

4. *Omni denique Provinciæ voluptarii ſeceſſus ſumus,*] Caſſiodorus digreſſionem appellat ejuſmodi ſeceſſum, lib. 12. cap. 22. de Campania loquens: *urbis regiæ cella penaria, voluptuoſa nimis, & delicata digreſſio.*

5. *Et buſtis & rogis.*] Servius pyras, *buſta*, & *rogos* ita diſcriminat: *Pyra*, inquit, *eſt lignorum congeries: rogus, cùm ardere cæperit: buſtum verò jam exuſtum vocatur.* Hæc tamen ſæpè videas nullo diſcrimine uſurpata.

[1] choragii funebris præpeti celeritate alienam ſepulturam antevortunt. His meis addidit alius: Immò vero iſtic nec viventibus quidem ullis parcitur. Et neſcio qui ſimile paſſus, ore [2] undique omnifariam deformato truncatus eſt. Inter hæc per convivium totum inlicentioſus cachinnus effunditur: omniumque ora & obtutus in unum quempiam angulo ſecubantem conferuntur. Qui cunctorum obſtinatione confuſus, indigna murmurabundus, cùm vellet exurgere: Immò, mi [3] Telephron, Byrrhæna inquit, & ſubſiſte pauliſper, & more tuæ urbanitatis fabulam tuam illam remetire, ut & filius meus iſte Lucius lepidi ſermonis tui perfruatur comitate. At ille: Tu quidem domina, ait, in officio manes ſanctæ tuæ bonitatis: ſed ferenda non eſt quorumdam inſolentia. Sic ille commotus. Sed inſtantia Byrrhænæ, quæ cum adjuratione ſuæ ſalutis ingratis cogebat effari, perfecit ut vellet. Ac ſic aggeratis in tumulum ſtragulis, & effultus in cubitum, ſuberectuſque in torum, porrigit dexteram, & ad inſtar oratorum conformat articulum: duobuſque infimis concluſis digitis, cæteros eminentes porrigit, & infeſto pollice [4] clementer ſubridens.

INTERPRETATIO.

ſtinatione humationem alienorum cadaverum in ipſo tempore feralis apparatus. Alius adjecit his verbis: Immò verò hìc ne à vivis quidem ullis temperatur; & quidam perpeſſus aliquid ejuſmodi, mutilatus eſt facie ex omni parte deturpatâ. Intereà riſus ſolutior pervagatur totum convivium. Et cuncti convertunt vultum & oculos in quendam hominem ſeorſim decumbentem in angulo, qui perturbatus omnium pervicaciâ, & murmurans cum indignatione, cùm pararet illinc ſurgere: Ne hoc facias, mi Telephron, inquit Byrrhæna, ſed mane tantiſper, ac pro ſolita tua comitate reſume ab initio tuam illam hiſtoriam, ut hic quoque filius meus Lucius potiatur jucunditate tuæ facetæ narrationis. At ille: Tu quidem, inquit, ô domina, remanes ſemper intra terminos tuæ inviolatæ probitatis: ſed intoleranda eſt quorumdam protervia. Sic ille indignabundus locutus eſt. Sed urgentes preces Byrrhænæ, quæ eum per vitam ſuam obteſtans cogebat eloqui etiam invitum, perpulerunt ut conſentiret. Telephron ſtragulis in cumulum congeſtis, innixuſque cubito, & aliquantum erectus in lectum, extendit manum dexteram, & componit juncturas digitorum ad exemplum declamatorum: duobuſque imis digitis conſtrictis, expandit reliquos prominentes, & protenſo pollice ſubridens:

NOTÆ.

1. *Choragii.*] *Choragium* Græcis χορήγιον inſtrumentum & apparatus pompæ cujuſvis. Item locus in quo erat ſcenicus apparatus Vitruvio. *Choragus* χορηγὸς, qui ſuppeditat expenſas, & inſtrumentum ſcenicum, & latiore ſignificatu, cujuſvis rei ſuppeditator.

2. *Undique omnifariam.*] Apuleio familiare eſt adverbia geminare idem ſignificantia. Quamplurima exempla apud eum reperias.

3. *Telephron.*] Nomen eſt admutilati illius.

4. *Clementer ſubrigens.*] Optimè Pricæus ex Manuſcripto Oxon. reponit *clementer ſubridens.* exprimitur comis illa vultûs compoſitio, quâ auditorum benevolentiam Oratores jamjam dicturi captare ſolent.

inſit Telephron : Pupillus ego [1] Mileto profectus, [2] ad ſpectaculum Olympicum, cùm hæc etiam loca [3] Provinciæ famigerabilis adire cuperem, peragratâ cunctâ Theſſaliâ, fuſcis avibus Lariſſam acceſſi. Ac dum ſingula pererrans, tenuato admodum viatico, paupertati meæ fomenta conquiro; conſpicor medio foro procerum quemdam ſenem. Inſiſtebat lapidem, claráque voce prædicabat : SI QUI MORTUUM SERVARE VELLET, DE PRETIO LICERETUR. Et ad quempiam prætereuntium : Quid hoc, inquam, comperior ? Hiccine mortui ſolent aufugere? Tace, reſpondit ille. nam oppidò puer, & [4] ſatis peregrinus es, [5] medioque ignoras Theſſaliæ te conſiſtere, ubi ſagæ mulieres ora mortuorum paſſim demorſicant, eaque ſunt illis artis Magicæ ſupplementa. Contrà ego : Et quæ tu, inquam, dic

INTERPRETATIO.

leniter, incipit : Cum ego adhuc *pupillus profectus eſſem Mileto, ad Ludos Olympicos ſpectandos, vellemque etiam venire in hæc loca provinciæ famoſæ, luſtratâ jam totâ Theſſaliâ, malis auſpiciis Lariſſam veni. Dumque pecuniâ,* quam in *viâ ſumptus* mecum aſportâram, *jam valdè imminutâ, omnia perluſtro, quærens lenimen meæ inopiæ, video quendam ſenem altæ ſtaturæ in medio foro. Stabat in ſaxo, & altâ voce clamabat :* SI QUIS VELLET CUSTODIRE CADAVER defuncti, PACISCERETUR DE MERCEDE: *Tum ego* converſus *ad aliquem ex tranſeuntibus : Quid eſt hoc, inquam, quod audio ? An hîc mortui conſueverunt aufugere ? Sile, inquit ille ; nam multùm juvenis es, & valdè* novus *hoſpes, & neſcis te verſari in media Theſſalia, ubi veneficæ fœminæ lacerant mordicùs vultus mortuorum, eaque ſunt ipſis præſidia artis Magicæ. Ego ad hæc : Dic oro,*

NOTÆ.

1. *Mileto.*] De hac urbe jam diximus, lib. I. initio.

2. *Ad ſpectaculum Olympicum.*] Quod edebatur quinto quoque anno in Jovis honorem, in Piſatide Peloponeſi regione Elidi contributa, ad urbem Piſam ſive Olympiam, unde nomen traxit. De Ludorum Olympicorum intervallis, & tempore quo inſtituti ſunt nihil certi habemus ante Iphitum Praxaonidæ filium Eleum, qui illos inſtauravit anno 777, ante Æram Chriſtianam, à mundi creatione 3208, ante Romam conditam 23, à quo prima Olympias initium habuit, & ipſi Ludi ſtati eſſe cœperunt, ut quinto quoque ineunte anno redirent : unde πεντᾶετηρικοὶ, id eſt, *quinquennales*, dicti ſunt. Quippe quatuor exactis annis in orbem recurrebant. Tempus horum peragendorum ferè æſtivum, ſub ipſum ſolſtitium. In illis Agonibus confluens ex tota Græcia juventus contendebat cæſtibus, curſu, ſaltu, diſco, & pugilatu. Quintus dies certamini finem imponebat. Et victor, *Olympionices* & *Olympionicus* dictus, oleaginâ coronâ donabatur, aliiſque honoribus, & præmiis, quæ videre eſt apud Auctores, qui de ea re fuſiùs ſcripſerunt.

3. *Provinciæ famigerabilis.*] Theſſaliæ.

4. *Satis peregrinus.*] *Satis* hîc & alias ſæpè in hoc opere *multùm* ſonat. Sic ſuprà : *Mihi denique proventum hujus peregrinationis inquirenti multa reſpondit, & oppidò mira, & ſatis varia. Nunc enim gloriam ſatis floridam*, &c. eandem vim habet Italis vox *aſſai*.

5. *Medioque ignoras Theſſaliæ te conſiſtere*] Sic Priceus emendat, pro *meritoque ignoras*, &c. optimè ſanè. Sic initio libri hujus : *reputanſque me media Theſſaliæ loca tenere.*

ſodes, cuſtodela iſta feralis? Jamprimùm, reſpondit ille, perpetem noctem eximiè vigilandum eſt, exertis & inconnivis oculis, ſemper in cadaver intentis, nec acies uſquam divertenda, immò nec obliquanda quidem. Quippe cum deterrimæ [1] verſipelles, in quodvis animal ore converſo, latenter adrepant; ut ipſos etiam [2] oculos Solis & Juſtitiæ facilè fruſtrentur. Nam & [3] aves, & rurſum canes & mures, immò verò etiam muſcas induunt. Tunc diris cantaminibus ſomno cuſtodes obruunt. Nec quiſquam ſatis definire poterit, quantas latebras nequiſſimæ mulieres pro libidine ſua comminiſcuntur. Nec tamen hujus tam exitiabilis operæ merces amplior quàm quaterni vel ſeni fermè offeruntur aurei. Ehem, & quod pœnè præterieram, ſi qui non integrum corpus manè reſtituerit, quidquid inde decerptum diminutumque fuerit, id omne de facie ſua deſectum ſarcire compellitur. His cognitis, animum meum commaſculo: & illicò accedens præconem: Clamare, inquam, jam deſine. Adeſt cuſtos paratus: cedo præmium. Mille, inquit, nummi deponentur tibi. Sed heus juvenis, cave diligenter ut primatis civitatis hu-

INTERPRETATIO.

inquam, qualis eſt illa cuſtodia funebris? Primum omnium, reponit ille, egregiè vigilandum eſt per ſolidam noctem luminibus apertis, neque ullo pacto conniventibus, & perpetuò infixis in corpus mortui, nec avertendus eſt *obtutus in ullam partem, ac ne leviter quidem deflectendus. Quoniam peſſimæ illæ ſagæ, mutatâ corporis formâ in quamlibet beſtiam, penetrant ſe clanculùm;* adeo *ut facilè fallant oculos Solis & Juſtitiæ. Convertunt enim ſe in volucres, & prætereà in canes & ſorices, quin immò & in muſcas. Tum opprimunt ſopore cuſtodes* ope *feralium carminum. Nec ullus poteſt enumerare quantas fraudes excogitent ſuæ libidinis gratiâ. Neque tamen promittitur majus pretium tam periculoſæ vigiliæ quàm quatuor aut ſex* nummi *aurei. Ehem & quod ferè prætermiſeram, ſi quis* poſtero die *manè non reddiderit cadaver illibatum, quidquid demorſum fuerit, & ablatum ex illo, cogitur reparare id totum abſciſſum ex ſuo vultu. Ego, his auditis, obfirmo viriliter meum animum, & adiens præconem è veſtibgio: Jam ceſſa vociferari, inquam, ecce tibi præſto cuſtos, dic* quæ *merces* erit. *Accipies mille nummos, inquit; verùm heus tu adoleſcens, cura ſedulò ut benè ſerves à nequiſſimis Harpyis*

NOTÆ.

1. *Verſipelles.*] Nonio *verſipelles* ſunt *quolibet genere ſe commutantes.* Plautus in Amphitr. *Verſipellem ſe facit quando lubet.* Vocabulum hoc à verrenda pelle formatum eſt. Habetur inter maledicta.

2. *Oculos Solis & Juſtitiæ.*] Lib. 1. *Solem* vocat noſter *videntem Deum.* A Græcis quoque παν θ' ὁρῶν *omnia videns* dicitur. *Juſtitiam* autem ex Chryſippo ſic deſcribit Gellius Noct. Attic. lib. 14. *Imaginem Juſtitiæ fieri ſolitam ait* (Chryſippus) *formâ atque filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus*, &c. ab hoc exemplari deſciſcunt noſtri Pictores & Plaſtæ, qui Themidi oculos faſciâ velant.

3. *Aves, & rurſum canes*, &c.] Sic Manuſcripti Codices à Pricæo laudati. Vulgò *aves, & urſum, canes*, &c. malè. Sub urſi enim formâ, animalis minimè domeſtici, non benè Solis & Juſtitiæ oculos effugiſſent.

jus

ſus filii cadaver à malis [1] Harpyiis probè cuſtodias. Ineptias, inquam, mihi narras, & nugas meras. Vides hominem ferreum, & inſomnem, certè perſpicaciorem ipſo [2] Lynceo, vel [3] Argo, & oculeum totum. Vix finieram, & illicò me perduxit ad domum quampiam, cujus ipſis foribus obſeptis, per quandam brevem poſticulam introvocat me, & conclave quoddam obſeratis luminibus umbroſum demonſtrat, matronamque flebilem, fuſcâ veſte contectam; quam propter adſiſtens: Hic, inquit, [4] auctoratus ad cuſtodiam mariti tui fidenter acceſſit. At illa, crinibus antependulis hinc inde dimotis, etiam in mœrore luculentam proferens faciem, meque reſpiciens, Vide, oro, inquit, quàm expergitè munus obeas. Sine cura ſis, inquam; modò [5] corollarium idoneum compara. Quo placito, ocyter ſurrexit, & ad

INTERPRETATIO.

corpus filii unius ex primariis hujus urbis. Abſurda, inquam, mihi garris, ac puras nænias. Vides in me *virum intrepidum, & profectò impervium ſopori, clariùs videntem ipſo Lynceo, vel Argo, & totum ex oculis* conflatum. *Vix deſieram* loqui, *cùm me ſtatim deduxit ad quaſdam ædes, quarum quia janua erat clauſa, introducit me per quoddam poſticum anguſtum, & oſtendit cubiculum quoddam obſcurum concluſis feneſtris, ac mulierem lamentantem amictam veſtimento nigro; propè quam ſtans* ille: *Hic, ait, audacter huc venit* mercede *ritè obligatus ad ſervandum tuum conjugem. At illa, rejectis in utrumque latus capillis, qui ante* ejus faciem *pendebant, vultum oſtendens in luctu quoque formoſum, & me intuens, Cura, inquit, quæſo, ut vigilanter perfungaris officio ſuſcepto. Secura eſto, inquam, & præpara mihi tantùm* aliquod *auctarium congruens* meo labori. *Quibus verbis aſſenſa, properè ſurrexit me-*

NOTÆ.

1. *Harpyiis.*] Incantatricibus mulieribus, quæ cadaverum fruſta rapiebant, veluti *Harpyæ* eſcas Phinei. De *Harpyiis*, vide Virgil. lib. 3. Æneid. &, ad illum, Servium, & Lyl. Gyrald. *Syntagm.* 6.

2. *Lynceo.*] Valerius Flaccus, lib. 1. Argonauticôn *Lynceum* inter Argonautas memorat perſpicaciſſimæ aciei virum, de hoc ille:

Fluctibus & mediis terras dabit ille magiſtro,
Et dabit aſtra rati, cumque æthera Juppiter umbra
Perdiderit, ſolus tranſibit nubila Lynceus.

Nomen videtur traxiſſe *Lynceus* à *Lyncibus*, de quibus Plin. lib. 28. cap. 8. *Peregrinæ ſunt & Lynces, quæ clariſſimè omnium quadrupedum cernunt.*

3. *Argo.*] Ovid. lib. 1. Metamorph.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inque ſuis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera ſervabant, atque in ſtatione manebant, &c.

4. *Auctoratus.*] Obligatus mercede ad aliquid periculoſum. Hoc nomen propriè Gladiatoribus militibuſque competit, qui in hæc concepta verba auctoris adigebantur: *uri, vinciri, ſecari.* Gloſſarium vetus Pricæo laudatum: *Auctoratus* ὁ πρὸς σίδηρον πραθεὶς, *ad ferrum venditus.* Contrà, *exauctoratus* dicitur miles, cui ſacramentum remiſſum eſt (*caſſé.*) *Auctoramentum* merces & pretium obligationis. Tertullian. Apologet. cap. 39. *Paraſiti ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi.*

5. *Corollarium.*] Varroni *corollarium* eſt, ſi quid additum præterquàm quod debitum erat. Vocabulum fictum à *corollis*, quòd hæ, cùm placuerant Actores, in Scena dari ſolitæ.

aliud me cubiculum inducit. Ibi corpus ſplendentibus linteis coopertum, [1] introductis quibuſdam ſeptem teſtibus, manu revelat: & diutinè viſu perfleto, obteſtata fidem præſentium, ſingula demonſtrat anxiè, membra contacta de induſtria quodam tabulis prænotante. Ecce, inquit, naſus integer, incolumes oculi, ſalvæ aures, illibata labia, mentum ſolidum. [2] VOS IN HANC REM BONI QUIRITES TESTIMONIUM PERHIBETOTE. Et cum dicto, conſignatis illis tabulis, faceſſit. At ego, Jube, inquam, domina, cuncta quæ ſunt uſui neceſſaria, nobis exhiberi. At quæ, inquit, iſta ſunt? Lucerna, aio, prægrandis, & oleum ad lucem luci ſufficiens, & calida cum œnophoris & calice, cœnarumque reliquiis diſcus ornatus. Tunc illa, capite quaſſato, [3] Abi, inquit, fatue, qui in domo funeſtâ cœnas, & [4] partes requiris, [5] in qua totjugis jam diebus ne fumus quidem viſus eſt ullus. An iſtic comeſſatum te veniſſe credis? Quin ſu-

INTERPRETATIO.

que intromittit in aliud cubiculum. Illic retegit manu cadaver velatum mundiſſimis linteaminibus, coram *ſeptem quibuſdam teſtibus, qui inducti fuerant* in cubiculum: *& diu lacrymata, & obſecratâ fide adſtantium, omnia ſtudiosè oſtendit, cùm* interim *quidam deſcriberet in tabulis partes corporis, quas contrectabat eo conſilio. Ecce, inquit, naſus illibatus, oculi ſani, nares intactæ, labia inviolata, mentum integrum.* VOS PROBI CIVES ESTOTE TESTES HUJUS REI. *Quo dicto, diſcedit obſigillatis illis tabulis. Ego verò, Præcipe, inquam, domina, ut nobis præbeantur omnia, quæ opus ſunt* ad hoc munus. *Sed quænam, ait, ſunt illa? Lampas, inquam, perampla, & olei ſatis ad lucendum uſque ad diluculum, &* aqua *calida cum vaſis vinariis ac poculo, nec-non & patina inſtructa reliquiis cœnarum. Tum illa concutiens caput: Apage te, ait, inepte, qui petis cœnas & fruſta in domo plenâ luctûs, in qua tot jam diebus ne ullus quidem fumus conſpectus eſt. Putaſ-ne te huc veniſſe epulatum? Quin*

NOTÆ.

1. *Introductis quibuſdam ſeptem teſtibus.*] Non pugnant τὸ *quibuſdam*, & τὸ *ſeptem*, ut nonnullis viſum, qui poſtremum hoc delendum cenſebant. Noſter infrà hoc eodem libro: *tres quidam vegetis corporibus.*

2. *Vos in hanc rem boni Quirites, &c.*] Solemnis formula rogandi teſtimonii in teſtamentis, aliiſque inſtrumentis condendis. Teſtator apud Iſidorum, lib. 4. cap. 24. *Hæc uti in his tabulis ceriſque ſcripta ſunt, ita videtur, ita lego, ita dico. Itaque vos Cives Romani teſtimonium perhibetote mihi.*

3. *Abi, inquit, fatue, &c.*] Abire jubentur, qui abſurdum quid aut dicunt, aut faciunt. Terent. Adelphis Act. 2. Scen. 2.

Nunquam rem facies, abi, neſcis ineſcare homines, Sannio.

4. *Partes requiris.*] Sic & Græcis *partes* μοῖραι ſunt relliquiæ. Sic Noſter, lib. 7. *ad puellam commeabat aſſiduè parteſque ſubreptas clanculò, & prægustatas à ſe potiones offercbat hilaris.* Et Petron. *Ego quidem pœnè projeci partem meam, nam videbatur mihi in pullum jam coiiſſe.*

5. *In qua totjugis jam diebus ne fumus quidem viſus eſt ullus.*] Qui mos lugentium. Scholiaſtes Juvenalis ad illum verſum Satyr. 3.

Tunc gemimus caſus urbis, tunc odimus ignem:

Nec focum, inquit, *in domo noſtra fieri patimur, quod & lugentes obſervare ſolent.*

mis potiùs loco congruentes luctus & lacrymas? Hæc ſimul dicens, reſpexit ancillam, &, Myrrhine, inquit, lucernam & oleum trade confeſtim. Et, incluſo cuſtode, cubiculo protinus faceſſit. Sic[1] deſolatus ad cadaveris ſolatium, perfrictis oculis, & obarmatis ad vigilias, animum meum permulcebam cantationibus. Cùm ecce[2] crepuſculum, & nox provecta, & nox altior, & deinde concubia altior, & jam nox intempeſta, mihique oppidò formido cumulatior quidem: cùm repentè introrepens[3] muſtela contra me conſtitit, obtutumque acerrimum in me deſtituit; ut tantillulum animalis præ nimiâ ſui fiduciâ mihi turbaverit animum. Denique ſic ad illam: Quin abis, inquam, impura beſtia, teque[4] ad tui ſimiles muſculos recondis, antequàm noſtri vim præſentariam experiaris? Quin abis? Terga

INTERPRETATIO.

induis potiùs mœrorem & fletus convenientes huic *loco? Hæc dicens ſimul ſe convertit ad famulam, &: Heus Myrrhine, ait, præbe* ipſi *adlutùm lampadem & oleum.* M*eque cuſtode concluſo intra cubiculum, ſtatim abit. Ego ſic derelictus ſolus ad conſolationem mortui, defrictis oculis, & inſtructis ad vigilandum, deliniebam animum meum cantilenis. Cùm ecce crepuſculum* advenit, *& prima fax, tum nox altior, ac mox concubium profundius; jamque intempeſta nox, mihique ſanè metus multò major: cùm ſubitò muſtela ſe penetrans in cubiculum ſtetit mihi ex adverſo, & defixit in me aciem* oculorum *acutiſſimam; adeo ut tantula beſtia conturbaverit mihi mentem nimiâ ſuâ audaciâ. Tandem ſic* affatus ſum *illam: Quin diſcedis, fœdum animal, & te occultas cum muribus tui ſimilibus, priuſquam ſentias validiſſimum noſtrum impetum. Cur non abſcedis*

NOTÆ.

1. *Deſolatus ad cadaveris ſolatium.*] Obſerva luſum non invenuſtum in vocibus *deſolatus*, & *ſolatium.*

2. *Crepuſculum, & nox provecta, & nox altior. &c.*] Noctis & diei tempora propriis diſcreta nominibus hoc ordine exponit Cenſorinus, *de die natali*, cap. 24. *Incipiam*, inquit, *à nocte media, quod tempus principium & poſtremum eſt diei Romani. Tempus, quod huic proximum eſt, vocatur* de media nocte: *ſequitur* gallicinium, *cùm galli canere incipiunt. Dein* conticinium. *cùm conticuerunt. Tum* ante *lucem, & ſic* diluculum, *cùm. Sole nondum orto, jam lucet. Secundum diluculum vocatur* mane *cùm lux videtur Solis. Poſt hoc* ad meridiem, *tunc* meridies, *quod eſt medii diei nomen. Inde* de meridie: *hinc* ſuprema, &c. *poſt ſupremam ſequitur* veſpera, *ante ortum ſcilicet ejus ſtellæ, quam Plautus*, veſperuginem; *Ennius*, veſperum, *Virgilius*, heſperum, *appellant. Inde porrò* crepuſculum, *ſic fortaſſe appellatum, quòd res incertæ* creperæ *dicuntur; idque tempus noctis ſit, an diei, incertum eſt. Poſt id ſequitur tempus, quod dicimus* luminibus accenſis, *antiqui* primâ face *dicebant. Deinde* concubium, *cùm itum eſt cubitum. Exinde* intempeſta, *id eſt, multa nox, qua nihil agi tempeſtivum eſt: tunc* ad mediam noctem, *dicitur: & ſic*, media nox. Alia fuit noctis diviſio apud caſtra, in vigilias nempè quatuor. De quibus aliàs.

3. *Muſtela.*] Maga ſub forma *muſtelæ.*

4. *Ad tui ſimiles muſculos.*] Per contemptum hoc dicit, quaſi gravi illam contumeliâ his verbis affecturus. Neque enim reipſa ex eodem genere ſunt muſtelæ & mures.

vertit, & cubiculo protinus exterminatur. Nec mora, cùm me ſomnus profundus in imum [1] barathrum repente demergit: ut [2] ne Deus quidem Delphicus ipſe facilè diſcerneret, duobus nobis jacentibus, quis eſſet magis mortuus. Sic inanimis, & indigens alio cuſtode, pœnè ibi non eram. Commodùm noctis inducias cantus perſtrepebat [3] criſtatæ cohortis. Tandem expergitus, & nimio pavore perterritus, cadaver accurro; &, admoto lumine, revelatâque ejus facie, rimabar ſingula, quæ cuncta convenerant. Ecce uxor miſella flens, cum heſternis teſtibus introrupit anxia; & ſtatim corpori ſuperruens, multumque ac diu deoſculata, ſub arbitrio luminis recognoſcit omnia. Et converſa, [4] Philodeſpotum requirit actorem: & ei præcipit bono cuſtodi redderet ſine mora præmium. Et oblato ſtatim, Summas, inquit, tibi juvenis, gratias agimus: & hercules ob ſedulum iſtud miniſterium, inter cæteros familiares dehinc numerabimus. Ad hæc ego, inſperato lucro diffuſus in gaudium, & in aureos refulgentes, quos identidem manu meâ ventilabam, attonitus, Immò, inquam, domina, de famulis tuis unum putato; & quoties operam noſtram deſi-

INTERPRETATIO.

hinc? *Fugit* illa, *& confeſtim faceſſit extra cubiculum. Extemplo altus ſopor obruit me momento in profundam* ſuam *voraginem. Ita ut dum ſic ambo jaceremus, vix ipſe quidem Apollo dignoſceret uter eſſet magis mortuus. Ad hunc ego modum exanimis, & opus habens alio cuſtode, non eram ferè ibi. Vix criſtata caterva* gallorum *annuntiabat finem noctis cantu ſtrepero, cùm ego demùm excitatus, & vehementi formidine percitus, curro ad mortuum, adhibitâque lucernâ, & diſcooperto ejus vultu, cuncta ſcrutabar, quæ omnia congruebant. Ecce infortunata conjux lacrymans ingreditur* valdè *ſollicita, cum teſtibus diei prioris, & ſtatim effuſa in cadaver multiſque & longis baſiis ei impreſſis, inveſtigat ſingula ad lucernæ teſtimonium. Et ſe convertens, advocat Philodeſpotum procuratorem* ſuæ domus, *& ipſi imperat ut perſolvat è veſtigio mercedem probo cuſtodi, Quâ mihi exhibitâ incontanter; Maximas, inquit, tibi grates reddimus, ô adoleſcens: & certè propter iſtam operam diligenter navatam accenſebimus te deinceps inter reliquos domeſticos* noſtros. *Ad illa* verba, *ego in lætitiam effuſus, ob quæſtum inexſpectatum, & ſtupens aſpectu micantium aureorum* nummorum, *quos ſubinde agitabam manu meâ, Immò, inquam, hera, habe me inſtar unius ex ſervis tuis, & quotieſcumque indigebis noſtro miniſterio,*

NOTÆ.

1. *Barathrum.*] Locus eſt præceps, unde emergi non poteſt, dictum ab eo, quod eſt βαθὺς βαρὺς, ut Feſtus putat. Apud Athenienſes *barathrum* locus erat, in quem noxii dabantur præcipites.

2. *Ne Deus quidem Delphicus.*] Apollo, qui apud Delphos colebatur Phocidis urbem, ubi clariſſimum habuit templum, & oraculum celeberrimum.

3. *Criſtatæ cohortis.*] Propriè dictum. *Cohortales aves* rei ruſticæ Scriptoribus eæ ſunt, quæ domi in cortibus aluntur.

4. *Philodeſpotum.*] Nomen proprium Procuratoris illius, ex duabus Græcis φίλος & δεσπότης conflatum, ſignificat, quod Horatius ait, —— *amicum*

Mancipium domino.

derabis, fidenter impera. Vix effatum me ſtatim familiares [1] omen nefarium execrati, raptis cujuſquemodi telis inſequuntur. Pugnis ille malas offendere, ſcapulas alius cubitis impingere, palmis infeſtis hic latera ſuffodere; calcibus inſultare, capillos diſtrahere, veſtem diſcindere. Sic in modum [2] ſuperbi juvenis Adonei, [3] vel Muſæi vatis pipulis laceratus, atque diſcerptus, domo proturbor. Ac dum in proximâ plateâ refovens animum [4] infauſti atque improvidi ſermonis mei ſerò reminiſcor, dignumque me pluribus etiam verberibus fuiſſe meritò conſentio, ecce jam ultimum [5] defletus atque conclamatus proceſſerat mortuus, rituque patrio, utpóte unus de optimatibus, pompâ funeris publici ductabatur per forum. Occurrit ad latus quidam [6] mœſtus in lacrymis, genialem canitiem revellens ſenex: &,

INTERPRETATIO.

impera audacter. Vix ea dixeram, cùm domeſtici abominati malum omen meorum verborum, *correptis armis omnis generis, perſequuntur me. Hic cœpit lædere maxillas pugnis, ille ferire humeros cubitis, alius pertundere latera infenſis manibus, inſultare pedibus, divellere comam, lacerare veſtem. Sic ego laceratus conviciis, atque divulſus inſtar ſuperbi adoleſcentis Adonidis, vel Poetæ filii Muſæ, quatior foras. Dumque reficiens animum in proxima via recordor, ſed tardè, mei ſermonis ſiniſtri atque imprudentis, & agnoſco me jure promeritum fuiſſe plures etiam plagas, ecce jam cadaver efferebatur deploratum noviſſimis lacrymis, & ultimo clamore; & ducebatur per forum cum magnifico apparatu funeris publici, more ſuorum majorum, erat enim unus ex primariis. Senex quidam lacrymans præ mœrore advenit à latere, vellens ſuos nativos canos: &, inji-*

NOTÆ.

1. *Omen nefarium.*] Sic rectè Gruterus, & Mercerus ex corruptâ ſcripturâ *omnes nefarium. Omen* illud *nefarium* pete ex his verbis Telephronis, *quoties operam noſtram deſiderabis, fidenter impera.* Hoc eſt, *quotieſcumque aut maritum alium, aut affinem mortuum noćte cuſtodiendum habebis.* Quæ verba mali eſſe ominis nemo non videt.

2. *Superbi juvenis Adonei.*] *Superbi* ob pulchritudinem, juxta illud Ovidii Faſtorum, lib. 1.

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.

Adonei.] Plauto quoque Adonis dicitur *Adoneus.* De hoc vide Ovid. Metamorphoſ. lib. 10.

3. *Vel muſteluatis peplis laceratus* &c.] Omiſſis variorum in hunc locum commentis, & emendationibus ex Lipſii & Schoppii conjecturis lego, *vel Muſæi vatis pipulis laceratus, &c.* Intelligóque Orpheum Muſæ Calliopes & Apollinis; vel, ut aliis placet, Oeagrii fluvii filium, qui à Threïciis mulieribus Bacchi Orgia celebrantibus diſcerptus eſt, ut narrat Ovidius. Hæc lectio ſenſum ſatis commodum efficit, contuſum ſcilicet pugnis Telephronem, & *pipulis*, hoc eſt, conviciis, & maledictis profcitſum fuiſſe à familiaribus illius matronæ, eodem modo quo Adonis ab apro, & Orpheus à Bacchantibus fuerat laceratus. Sic *pipulo* differre apud Plautum legitur.

4. *Infauſti mei ſermonis.*] Quo funeſtam ſuam operam fuerat pollicitus.

5. *Defletus & conclamatus.*] Sic lib. 1. *Domi tuæ defletus atque conclamatus es.* Ad quem locum vide quæ diximus.

6. *Mœſtus in lacrymis.*] Sic ſuprà, *ſenex gravis in annis.* Et Virgil. lib. 5. Æneid. *Horridus in jaculis.*

manibus ambabus invadens torum, voce contentâ quidem, ſed aſſiduis ſingultibus impeditâ, Per fidem veſtram, inquit, Quirites, per pietatem publicam, perempto civi ſubſiſtite, & extremum facinus in nefariam ſceleſtamque iſtam fœminam ſeveriter vindicate. Hæc enim, nec ullus alius, miſerum adoleſcentem ſororis meæ filium in adulteri gratiam, & ob prædam hæreditariam extinxit veneno. Sic ille ſenior lamentabiles queſtus ſingultim inſtrepebat.[1] Sævire vulgus interdum, & facti veriſimilitudine ad criminis credulitatem impelli.[2] Conclamant ignem; requirunt ſaxa; parvulos ad exitium mulieris hortantur. Emeditatis ad hæc illa fletibus, quàmque ſanctiſſimè poterat, adjurans cuncta numina, tantum ſcelus abnuebat. Ergo, inquit ſenex ille, veritatis arbitrium in divinam providentiam reponamus. [3] Zachlas adeſt [4] Ægyptius, propheta primarius, qui mecum jam-

INTERPRETATIO.

ciens utramque manum in feretrum, voce quidem exertâ, ſed interruptâ perpetuis ſingultibus: Per fidem veſtram, ô cives, inclamat, per charitatem publicam, ferte opem concivi veſtro *interfecto, & ulciſcamini graviter ſcelus atrociſſimum adverſus hanc deteſtabilem & facinoroſam mulierem. Hæc enim, nec alius quiſquam* præter ipſam, *toxico ſuſtulit hunc infelicem juvenem filium meæ ſororis, ut gratum faceret adultero* ſuo, *&* ſimul *ut invaderet* ejus *hæreditatem. Hoc modo ille ſenex edebat lamentationes querulas ſingultibus* interruptas. *Interim plebs* cœpit *commoveri ad iram, & induci ad fidem* habendam *ſceleri probabilitate rei ipſius. Flagitant ignem* magno *clamore, poſcunt lapides; incitant pueros ad perniciem mulieris. Ad hæc illa confictis ejulatibus, obteſtanſque Deos omnes per ſanctiſſima quæque, amoliebatur à ſe tam dirum facinus. Ille igitur ſenex: Permittamus, inquit, judicium veritatis conſilio Deorum. Ecce Zachlas Ægyptius, vates præſtantiſſimus, qui*

NOTÆ.

1. *Sævire vulgus interdum.*] *Interdum* hîc: ut & ſæpè aliàs apud hunc auctorem ſignificat *interim.*

2. *Conclamant ignem, requirunt ſaxa.*] Furentis plebis tela. Virgil.

> ——— *Sævitque animis ignobile vulgus,*
> *Jamque faces & ſaxa volant.* ———

3. *Zachlas adeſt.*] Nomen eſt proprium Prophetæ illius. Lipſii liber habebat *Cathlas.* Gruterus ſuſpicabatur *Calchas.*

4. *Ægyptius, propheta primarius.*] Ægyptii fuere ut ſuperſtitioſiſſimi mortalium, ita & peritiſſimi Aſtrologiæ, & Magiæ, & eorum ſacerdotes prophetæ habiti ſunt, divinorum omnium conſcii. Hos Plato, Pythagoras, &, ſi qui è Græcis Philoſophi doctrinæ famâ excelluerunt, conſuluiſſe dicuntur. De Platone certè Laërtius in ejus vita ſic narrat: ἀπῆλθε πρὸς Θεόδωρον μαθηματικὸν, &c. ἔνθεν τε εἰς Αἴγυπτον, παρὰ τοὺς προφήτας. Et Noſter in de Dogmate Platonis: *Aſtrologiam ad uſque Ægyptum petivit, ut inde Prophetarum etiam ritus addiſceret.* Quatuordecim apud illos annis verſatus fuiſſe fertur. Vide apud Philoſtratum in vita Apollonii Tyanei plura de Ægyptiis, & Apollonii ad eos profectione. Litterarum primos inventores Ægyptios facit Tacit. lib. 11. Annal. *Primi*, inquit, *Ægyptii per figuras animalium,* (quæ hieroglyphicæ dictæ ſunt) *ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur, & litterarum ſemet inventores perhibent.*

dudum grandi præmio pepigit, reducere pauliſper ab Inferis ſpiritum, corpuſque iſtud [1] poſtliminio mortis animare. Et cum dicto juvenem quempiam [2] linteis amiculis intectum, [3] pedeſque palmeis baxeis indutum, & [4] aduſque deraſo capite, producit in medium. Cujus diu manus deoſculatus, & ipſa genua contingens, Miſerere, ait, ſacerdos: miſerere, per cœleſtia ſidera, [5] per inferna Numina, per naturalia elementa, [6] per nocturna ſilentia, & [7] adſepta Coptica,

Interpretatio.

conſtituit mecum jampridem amplâ mercede, revocaturum ſeſe tantiſper ab Inferis animam hujus mortui, ipſumque rurſus animaturum poſt mortem. Quod cùm dixiſſet, protrahit in medium adſtantium *juvenem quendam amictum veſtibus lineis, cui pedes erant induti calceamentis ex palmis* contextis, *caput verò penitùs raſum. Cujus cùm diu baſiaſſet manus, & prehendens ipſa genua, Miſerere, inquit, ô ſacerdos, miſerere,* oro te, *per aſtra cœli, per Deos Inferorum, per elementa naturæ, per ſilentia noctis, & ſepimenta Copti,*

Notæ.

1. *Poſtliminio mortis.*] Sic lib. 10. *ſurgentem poſtliminio mortis deprehendit filium.* Vide quæ de hac voce *poſtliminio* diximus ſub finem libri primi.

2. *Linteis amiculis intectum.*] Lineæ veſtes Sacerdotum Iſidis, ut lib. 11. fuſius declaratur. Cauſa videtur eſſe, quòd, ut ait Martian. Capella de Nupt. Philol. lib. 2. *Iſis lini uſum, ſementemque monſtravit.* Sed mirè faciunt ad hunc locum hæc Noſtri verba in Apologia: *Quippe lana ſegniſſimi corporis excrementum, pecori detracta, jam inde Orphei, & Pythagoræ ſcitis, profanus veſtitus eſt. Sed enim mundiſſima lini ſeges inter optimas fruges terra exorta non modò indutui, & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum Sacerdotibus, ſed opertui quoque in rebus ſacris uſurpatur.*

4. *Aduſque deraſo capite.*] Quod peculiare Ægyptiis Sacerdotibus. Herodotus. οἱ ἱερέες τῶν Θεῶν τῇ μὲν ἄλλῃ κομέουσι, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξυρεῦνται. *Deorum Sacerdotes alibi quidem comati ſunt, in Ægypto verò detonſi.* De his Martialis.

Linigeri fugiunt calvi ſiſtrataque turba.

Aduſque deraſo, id eſt, *penitus deraſo.* Sic Plautus Bacchid. Act. 5. Scen. 2.

Attonſæ hæ quidem ambæ uſque ſunt.

3 *Pedeſque palmeis baxeis indutum.*] Lib. 11. Noſter Iſiacos Sacerdotes deſcribens: *Pedes ambroſiæ tegebant ſoleæ, palmæ victricis foliis intextæ.* ὑποδήματα βίβλου vocat Philoſtrat. *baxeæ* calceamenti genus. Plaut. Menæchmis, Act. 2. Scen. 3.

Quis eſt iſte peniculus? Qui extergentur baxeæ?

5. *Per inferna Numina.*] Plutonem, Proſerpinam, Manes, Parcas, Furias, & quidquid in Inferis colebatur, timebaturque.

6. *Per nocturna ſilentia.*] Quæ magicis incantamentis, & Ægyptiorum religionibus in primis apta.

7. *Adſepta Coptica.*] Colvius legit *aggeſta*, alii *adyta*. Barthius lib. 21. Adverſ. cap. 7. *adſepta*, meliùs; recedit enim minùs à vulgata librorum lectione. *Adſepta Coptica* ſunt ſepimenta illa adverſus Nili aquas ab hirundinibus facta, prope urbem Copton, de quibus ſic Plin. lib. 10. cap. 33. *In eadem Ægypto juxta oppidum Copton Inſula eſt ſacra Iſidi, quam ne laceret amnis idem* (Nilus) *muniunt* (hirundines) *opere, incipientibus vernis diebus, paleâ & ſtramento roſtrum ejus* (la pointe de l'Iſle) *firmantes, continuatis per triduum noctibus, tanto labore, ut multas in opere emori conſtet. Ex militia illis cum anno redit ſemper.* Quæ res religione non videbatur carere, ut meritò per illa *adſeptæ* adjuretur ſacerdos Ægyptius.

& per [1] incrementa Nilotica, & [2] arcana Memphitica, & [3] ſiſtra Phariaca. Da brevem Solis uſuram, & in æternum conditis oculis modicam lucem infunde. Non obnitimur, [4] nec terræ rem ſuam de-

INTERPRETATIO.

& per intumeſcentias Nili, & ſecreta Memphitica, & ſiſtra Ægyptiaca. Redde huic mortuo *exiguum uſum diei, & fac ut breve lumen affulgeat* ejus *oculis clauſis æternâ nocte. Non reſiſtimus* fatis, *neque negamus humo quod*

NOTÆ.

1. *Incrementa Nilotica.*] *In Ægypto,* (inquit Plin. lib. 18. cap. 18.) *Nilus fluvius coloni vice fungens, evagari incipit à ſolſtitio* (æſtivo ſcilicet) *aut novâ Lunâ* (Solſtitio proximâ) *ac primò leniè, deinde vehementiùs quandiu in Leone Sol eſt. Mox pigreſcit in Virginem tranſgreſſo* (Sole), *atque in Libra reſidet. Si duodecim cubita non exceſſit, fames certa eſt. Nec minùs ſi ſexdecim exuperavit. Tantò enim tardiùs decedit, quanto abundantiùs crevit, & ſementem arcet.* De Nilo plura habet idem Plin. lib. 5. cap. 9. ubi ait, cùm creſcit, Reges aut Præfectos navigare eo nefas, judicatum fuiſſe, & incrementa ejus per puteos menſuræ notis deprehendi, ſeu potiùs per columnas quaſdam. Has columnas *Nilometra* vocant.

2. *Arcana Memphitica.*] Id eſt, *Ægyptiaca*, parte totum denominante, more poëtico. *Memphis* enim civitas eſt Ægypti magna & frequens, pyramidibus, Regum ſepulturis, nobilis, quondam arx Ægypti Regum, condita ab Epapho Jovis filio, ut quidam volunt; vel, ut plures, ab Ogdoo Rege, de cujus filiæ nomine appellata eſt. Hodie *le Caire* dicitur, ferturque frequentiſſima, non Ægypti modò, verùm etiam totius orbis. Hujus Sacerdotes, ut & reliquæ Ægypti, arcana cærimoniarum, myſteriorumque nemini aperiebant, erantque ἀκοινώνητοι, id eſt, *incommunicabiles.* Unde *invida Memphis* dicitur Statio in ſylvis.

3. *Siſtra Phariaca.*] *Ægyptiaca.* Hîc quoque pars totum denominat. *Pharos* Inſula, Ægypti fuit, Julii Cæſaris colonia, olim Alexandriæ juncta ponte, ubi fuit etiam turris nominata quoque *Pharos*, à Ptolemæo Rege exſtructa, quæ nocturnis ignibus curſum navium regeret. Eſt autem *ſiſtrum* inſtrumentum æneum ſtridulum, Iſiacorum peculiare geſtamen, & inſigne Deæ Iſidis, manubrium habens, & laminam in modum balthei recurvatam, ac per eam trajectas aliquot ferreas, aut æneas virgulas, quæ agitato manibus *ſiſtro* ſonum edebant. Curvamini *ſiſtri* in vertice infixa erat feles humanâ facie, Lunam, ut vult Plutarchus, repræſentans, tum propter animalis illius varietatem, ac vim noctu agendi, & fœcunditatem, tum quòd oculorum ejus pupillæ pro Lunæ modo creſcant ac decreſcant; humanâ autem felis facie innuebatur Lunæ mutationes mente ac ratione gubernari. In ima parte infra virgulas facies erant hinc Iſidis, illinc Nephtyos, quibus ortus, & interitus rerum, & elementorum mutationes adumbrabantur. Sed operæ pretium eſt Figuram ipſam *ſiſtri* hîc videre, qualem nobis conſervârunt Marmora.



4. *Nec terræ rem ſuam denegamus.*] Cadaver nempè terræ debitum.

negamus;

negamus; ſed ad ultionis ſolatium, exiguum vitæ ſpatium deprecamur. Propheta ſic propitiatus, herbulam quampiam ter ob os corporis, & aliam pectori ejus imponit. Tunc [1] orientem obverſus, & [2] incrementa Solis auguſti tacitus imprecatus, venerabilis ſcenæ facie ſtudia præſentium ad miraculum tantum certatim adrexit. [3] Immitto me turbæ ſocium, & ponè ipſum lectulum editiorem quendam lapidem inſiſtens, cuncta curioſis oculis arbitrabar. Jam tumore pectus extolli; jam [4] ſalubris vena pulſari; jam ſpiritu corpus impleri: & adſurgit cadaver, & profatur adoleſcens: Quid, oro, me poſt Lethæa pocula, jam Stygiis paludibus innatantem, ad momentariæ vitæ reducitis officia? Deſine jam, precor, deſine, [5] ac me in meam quietem permitte. Hæc audita vox de corpore. Sed aliquantò Propheta commotior, Quin refers, ait, populo ſingula, tuæque mortis illuminas arcana? An non putas, devotionibus meis poſſe [6] Diras

INTERPRETATIO.

ipſius eſt; ſed tantùm *poſcimus breve tempus vitæ, ad ſolamen vindictæ. Vates ſic exoratus applicat ter herbulam quandam ori cadaveris, & aliam* ejus *pectori. Tunc converſus ad orientalem* mundi plagam, *& apud ſe precatus aſcenſiones venerandi Solis, attentos fecit certatim animos adſtantium ad rem adeo ſtupendam ſpecie venerandi apparatus. Immiſceo me multitudini, conſcenſoque quodam ſaxo altiore, quod erat ponè feretrum ipſum, obſervabam inde ſingula curioſo intuitu. Jam pectus* cœpit *intumeſcere reſpiratione; jam arteria index valetudinis agitari pulſu; jam totum cadaver animari: & erigitur corpus, & juvenis* ſic *loquitur: Quare, quæſo, revocatis ad breviſſimæ vitæ munia me* jam *potum aquâ fluvii Lethes, & jam trajicientem Styga? Ceſſa, oro, jam ceſſa, meque ſine quieſcere. Hæc verba prodierunt ex* illo *cadavere. Sed Vates paulò magis concitatus: Quidni narras omnia turbæ* huic, *inquit, & revelas ſecreta tuæ necis? An non credis Furias poſſe acciri meis*

NOTÆ.

1. *Orientem obverſus.*] Pacatus in Panegyr. *Divinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora convertimus, à qua lucis exordium eſt.* Virgil. lib. 12. Æneid.

Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem
Dant fruges manibus ſalſas, &c.

2. *Incrementa Solis auguſti.*] Intelligo aſcenſionem *Solis* ſupra Horizontem noſtrum. Sicut enim rei uniuſcujuſque ortum ſequitur ejuſdem *incrementum*: ita ortum *Solis* ejus ſupra noſtrum Hemiſphærium aſcenſio. Cæterùm matutinum tempus tunc erat, ut patet ex præcedentibus, quo tempore Sol aſcendit. Scio *incrementum* multas alias habere ſignificationes. Sed præter hanc nulla mihi videtur huic loco apta.

3. *Immitto me turbæ ſocium.*] Pricæus optimè: *turbæ medium.*

4. *Salubris vena.*] *Arteria*, quòd ejus pulſu totius corporis *ſalubris*, vel *inſalubris* diſpoſitio exploretur.

5. *Ac me in meam quietem permitte.*] Sic ſpectrum Samuëlis ad Saülum queritur interturbatam ſuam quietem: *Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer?*

6. *Diras invocari.*] Virgil. Æneid. lib. 12.

Dicuntur geminæ peſtes cognomine Diræ,
Quas, & Tartaream Nox intempeſta Megæram
Uno eodemque tulit partu, &c. Ad quem locum Servius *Diras* interpretatur *Furias*. Porrò tantam eſſe vim Ma-

invocati? poſſe tibi laſſa membra torqueri? Suſcipit ille de lectulo; & imo cum gemitu populum [1] ſic adorat: Malis novæ nuptæ peremptus artibus, & addictus noxio poculo, [2] torum tepentem adultero mancipavi. Tunc uxor egregia capit præſentem audaciam, & mente ſacrilegâ coarguenti marito reſiſtens altercat. Populus æſtuat, diverſa tendentes. Hi peſſimam fœminam viventem ſtatim cum corpore mariti ſepeliendam; alii, mendacio cadaveris fidem non habendam. Sed hanc contationem ſequens adoleſcentis ſermo diſtinxit. Nam rurſus altiùs ingemiſcens: Dabo, inquit, dabo vobis intemeratæ veritatis documenta perlucida, & quod prorſus alius nemo cognoverit, indicabo. Tunc digito me demonſtrans: Nam cùm corporis mei cuſtos hic ſagaciſſimus, exertam mihi teneret vigiliam, cantatrices anus, exuviis meis imminentes, atque ob id reformatæ fruſtra ſæpiùs, cùm induſtriam ejus ſedulam fallere nequîſſent: poſtremùm injectâ ſomni nebulâ, eoque in profundam quietem ſepulto, me nomine ciere non priùs deſierunt, quàm dum hebetes artus & membra frigida pigris conatibus ad artis Magicæ nituntur obſequia. Hic, utpote vivus quidem, ſed tantùm ſopore mortuus, quód

INTERPRETATIO.

imprecationibus? Feſſos artus poſſe tibi cruciari? Ille reſpondet ex feretro, & ſic affatur plebem cum profundo ſuſpirio: Ego *ſublatus nefariis fraudibus novæ uxoris, coactus ſumere potionem venenatam, tradidi adultero lectum* meum *adhuc calentem. Tum præclara illa conjux è re natâ confidentiâ ſe obarmat, & litigat ſcelerato animo repugnans marito convincenti. Plebs incenditur diſſidens in contrarias* partes. *Hi contendunt deterrimam mulierem humandam* eſſe *vivam è veſtigio cum corpore ſui conjugis. Illi verò non eſſe credendum mendacio cadaveris. Verùm ſubſequens oratio mortui ſolvit hanc dubitationem.* Ipſe *enim trahens iterum ſuſpirium profundius: Exhibebo, inquit, exhibebo vobis argumenta manifeſta ſinceræ veritatis, & oſtendam, quod nulli alii omninò notum eſt. Tum indicans me digito: Cùm enim, inquit, hic perſpicaciſſimus cuſtos mei corporis mihi invigilaret ſedulò; vetulæ incantatrices inhiantes ſpoliis meis, proptereáque ſæpè incaſſùm mutatæ in alias formas, cùm non potuiſſent decipere diligentem ejus ſolertiam: immiſſâ tandem caligine ſoporis, ipſoque demerſo in altum ſomnum, non ceſſaverunt me vocare nomine meo, donec, cùm mea membra infirma, & artus gelidi* jam *conarentur lento niſu morem gerere magicæ potentiæ, hic, quippe vivus quidem, ſed duntaxat mortuus ſomno, quia*

NOTÆ.

gicæ artis putaverunt, ut Necromanticis carminibus, & devotionibus ſepulchralibus acciri poſſe illas *Diras*, & in cujuſlibet pectus immitti, laſſos mortuorum artus cruciari, denique totum Infernum ſubverti poſſe arbitrarentur, ipſoſque adeo mortuos metu cruciatuum parere Necromanticis ſe evocantibus.

1. *Sic adorat.*] Affatur. *Orare* enim *dicere* eſt: unde *adorare* alloqui. Sæpè hoc ſignificatu reperitur apud hunc Auctorem.

2. *Torum tepentem.*] Adhuc tepidum calore mei corporis.

eodem mecum vocabulo nuncupetur, ad ſuum nomen ignarus exurgit: & in exanimis umbræ modum ultroneus gradiens, quanquam foribus cubiculi diligenter occluſis, per quoddam foramen proſectis naſo priùs, ac mox auribus, vicariam pro me lanienam ſuſceptavit: utque fallaciæ reliqua convenirent, ceram in modum proſectarum formatam aurium ei applicant ex amuſſim, naſoque ipſius ſimilem comparant. Et nunc adſiſtit miſer hic præmium, non induſtriæ, ſed debilitationis, conſecutus. His dictis perterritus, [1] tentare fortunam aggredior. Injectâ manu naſum prehendo, ſequitur: aures pertracto, deruunt. Ac dum directis digitis, & detortis nutibus præſentium denotor, dum riſus ebullit; inter pedes circumſtantium frigido ſudore defluens evado. Nec poſteà debilis, ac ſic ridiculus, Lari me patrio reddere potui: ſed capillis hinc inde laterum dejectis, aurium vulnera celavi; [2] naſi verò dedecus linteolo iſto preſſim adglutinato decenter obtexi. Cùm primùm Telephron [3] hanc fabulam poſuit, compotores vino madidi rurſum cachinnum integrant. Dumque [4] bibere ſalutaria poſtulant, ſic ad me Byrrhæna: Solemnis, inquit, dies

Interpretatio.

erat mihi cognominis, conſurgit audito ſuo nomine, neſciens quid rerum gereretur. *Et ſponte ſuâ ambulans inſtar umbræ vitâ carentis, tametſi janua cubiculi eſſet ſedulò obſerata, paſſus eſt pro me mutilationem, amputatis per quandam rimam naſo primùm, ac deinde auriculis: &, ut cætera congruerent fraudi, adaptant ei accuratè ceram configuratam ad formam abſciſſarum aurium, concinnant quoque* naſum cereum *ſimilem ipſius naſo. Et nunc adſtat hic infelix adeptus mercedem, non vigilantiæ* ſuæ *ſed mutilationis. Ego perterrefactus his verbis adorior pulpare vultum* meum. *Admotâ manu capio naſum*, ille *ſequitur* manum: *contrecto auriculas, decidunt. Ac dum demonſtror directis digitis, obliquatiſque nutibus eorum, qui aderant; dum ferveſcunt cachinni, proripio me inter pedes adſtantium, totus madens ſudore gelido. Nec poſteà auſus ſum redire in paternam domum ſic truncatus, & obnoxius deriſui* omnium: *ſed demiſſis capillis in utrumque latus, velavi plagas* mearum *aurium, operui verò decenter turpitudinem* mei *naſi hoc linteolo arctè applicato. Statim atque Telephron impoſuit finem huic narrationi, convivæ omnes temulenti ſolvuntur denuò in riſum. Et dum flagitant potare ſaluti* amicorum *Byrrhæna ſic me alloquitur: Craſtinus dies adventat celebrari ſo-*

Notæ.

1. *Tentare fortunam.*] Lege cum Grutero *formam*, quod in interpretatione expreſſi.

2. *Naſi verò dedecus.*] Propriè & appoſitè *dedecus* de naſo truncato. Virg. l. 6 —— *& truncas inhoneſto vulnere nares.*

3. *Hanc fabulam poſuit.*] Id eſt, *finivit.* Sic apud Virgilium, *ut venti poſuere*, hoc eſt, *[illegible]re*. Et alibi, *poſito certamine*, ubi Servius *finito*.

4. *Bibere ſalutaria.*] Sic Elmenhorſt. Pricæus, & Schoppius *ſalutaria bibere* eſt, *ſaluti amicorum potare.* Alii alia multa vocabulorum monſtra oggerunt: *ſoutarium; ſolitualium, ſalutarias, &c.* Lipſius volebat *ſolita riſui*, hoc ductus argumento, quòd mox Dei Riſus injiciatur mentio, cui fortaſſe propinare mos fuerit apud Hypatenſes, qui eum ſoli mortalium ut Deum colebant. Sed magis placet prima lectio: aptè enim congruit, & recedit minùs à Manuſcriptis, quorum plerique *ſalutarias*, aut quid ſimile habent.

à primis cunabulis hujus urbis conditæ craſtinus advenit, quo die [1] ſoli mortalium ſanctiſſimum Deum Riſum hilaro, atque gaudiali ritu propitiamus. Hunc tua præſentia nobis efficiet gratiorem. Atque utinam aliquid de proprio lepore lætificum honorando Deo comminiſcaris, quo magis pleniuſque tanto numini litemus. Bene, inquam, & fiet ut jubes. Et vellem hercules materiam reperire aliquam, [2] quam Deus tantus affluenter indueret. Poſt hæc, monitu famuli mei, qui noctis admonebat, jam & ipſe crapulâ diſtentus, protinùs exurgo: & appellatâ properè Byrrhæna, titubante veſtigio domuitionem capeſſo. Sed cùm [3] primam plateam vadimus, vento repentino lumen, quo nitebamur, extinguitur; ut vix improvidæ noctis caligine liberati digitis pedum detunſis ob lapides, hoſpitium defeſſi rediremus. Dumque jam in vicum proximamus, ecce tres quidam vegetis & vaſtulis corporibus fores noſtras ex ſummis viribus irruentes, ac ne præſentiâ quidem noſtrâ tantillùm conterriti, ſed magis magiſque cumulatione virium crebriùs inſultantes, ut nobis, ac mihi potiſſimùm, non immeritò latrones eſſe, & quidem ſæviſſimi viderentur. Statim denique gladium, quem veſte meâ contectum ad hos uſus extuleram, ſinu liberatum arripio. Nec cuncta-

Interpretatio.

*litus ab illo uſque tempore, quo pri*mùm *fundamenta hujus urbis jacta ſunt. Quo die* nos *ſoli ex* omnibus *hominibus litamus ſanctiſſimo Deo Riſui more feſtivo atque hilari. Tua præſentia reddet eum nobis jucundiorem, utinamque in honorem hujus Dei excogites aliquid nativâ tuâ urbanitate, quod exhilaret* nos, *ut meliùs & perfectiùs* nobis *propitiemus tantum Deum. Rectè, inquam, & faciam quomodo præcipis, & certè cuperem invenire aliquid, quod poſſet abundanter condecorari præſentia tanti Numinis. His dictis, ego turgens quoque multo vino conſurgo hortatu mei pueri, qui me certiorem faciebat* jam adveniſſe *noctem: & vale dicto feſtinanter Byrrhænæ, incipio domum petere greſſu vacillanti. Sed dum incedimus per viam proximam, fax, quâ freti eramus extinguitur ſubitaneo flatu venti, ita ut ægrè exſoluti tenebris inopinatæ noctis, perveniremus ad noſtram domum, digitis pedum crebrò impactis ad ſaxa. Cumque jam accederemus propiùs ad vicum noſtrum, ecce tres quidam validis & valdè amplis corporibus irrumpentes maximo conatu in januam noſtram, ac ne minimùm quidem terrefacti noſtrâ præſentiâ, ſed ſæpiùs irruentes certatim cum majori impetu, adeo ut jure putarem eos eſſe prædones, & crudeliſſimos quidem. Statim denique depromo è ſinu* meo, *& capio manu enſem, quem mecum tuleram occultatum meis veſtibus in hos uſus, &*

Notæ.

1. *Soli mortalium ſanctiſſimum Deum Riſum hilaro, atque gaudiali ritu propitiamus.*] Tangit hanc ſolemnitatem Pauſanias, ubi de Hypatenſibus. Plutarchus in Cleomene meminit Templi eidem *Deo Riſui* dicati. Refert quoque ſtatuam ipſi à Lycurgo fuiſſe erectam.

2. *Quam Deus tantus affluenter indueret.*] Hoc eſt, *valdè feſtivam*, quæ maximum riſum excitaret.

3. *Primam plateam.*] *Plateæ* Vitruvio ſunt *viæ latiores.* πλατεῖαι Græcis à πλάτος, *latitudo.*

tus, medios latrones invado, ac ſingulis, ut quemque colluctantem offenderam, altiſſimè demergo, quoad tandem ante ipſa veſtigia mea, vaſtis & crebris perforati vulneribus, ſpiritum efflaverint. Sic prœliatus, jam tumultu eo Fotide ſuſcitatâ, patefactis ædibus anhelans, & ſudore perlutus, irrepo: meque ſtatim, utpote pugnacium latronum in vicem [1] Geryoneæ cædis fatigatum, lecto ſimul & ſomno tradidi.

INTERPRETATIO.

ſine mora injicio me in medios prædones, & profundiſſimè condo eum in corpus unicuique eorum, prout mihi occurrerant concertantes, donec tandem exhalaverint animam ante meos pedes confoſſi permultis plagis, iiſque altis. Cumque depugnaviſſem ad hunc modum, Fotide jam expergefactâ illo ſtrepitu, & aperto oſtio, penetro me in ædes anhelus & ſudore diffluens. Statimque me permiſi grabato meo ſimul & ſopori, perinde laſſatum trucidatione *prædonum pertinacium in pugnando, ac ſi occidiſſem Geryonem.*

NOTÆ.

1. *Geryoneæ cædis.*] Inter Herculis labores recenſetur *cædes Geryonis* Balearium ambarum & Ebuſi Inſularum Regis, quem ideo tria corpora habuiſſe finxerunt: vel, ut quibuſdam placet, eò quòd tres fuerint eodem nomine fratres bellatores tantâ inter ſe animi concordiâ, ut animâ unâ tria corpora regi putarentur. Facetè trium latronum cædem à ſe factam cædi tricorporis Geryonis comparat.

LUCII APULEII

MADAURENSIS PLATONICI

METAMORPHOSIS.

LIBER TERTIUS.

COMMODUM punicantibus phaleris [1] Aurora roſeum quatiens lacertum, cœlum inequitabat: & me ſecuræ quieti revulſum, nox diei reddidit. Æſtus invadit animum (vel) veſpertini recordatione facinoris. Complicitis denique pedibus, ac palmulis [2] in alternas digitorum viciſſitudines ſuper genua connexis, ſic grabatum [3] coſſim inſidens, ubertim flebam: jam forum & judicia, jam ſententiam, ipſum denique carnificem imaginabundus. An mihi quiſquam tam mitis, tamque benivolus judex obtinget, qui me ternæ cædis perlitum cruore & tot civium ſanguine delibutum, innocentem pronuntiare

INTERPRETATIO.

IAM Aurora concutiens brachium rubicundum, equitabat per æthera rubentibus phaleris dependentibus : *cùm nox me reſtituit luci ereptum ſopori. Fluctuatio occupat mentem* meam *vel ob ipſam memoriam cædis, quam veſperá* patraveram. *Collectis demùm ſub me pedibus, conjunctis manibus ſuper genua, digitis inter ſe pectinatim implicitis, ſic*que *ſedens in meo lecto in coxas, plorabam abundanter, jam mihi repræſentans forum, judicia, condemnationem, & poſtremò ipſum tortorem. An nanciſcar ullum judicem* (inquiebam *apud me*) *mihi adeo amicum, adeo faventem ut poſſit abſolvere me perfuſum ſanguine triplicis homicidii, & madentem cruore tot civium? Hoc*

NOTÆ.

1. *AUrora roſeum quatiens lacertum.*] Hoc eſt, *cædens equos ſuos flagello, quod tenebat manu roſeá.* Qui color Auroræ : unde Homero ῥοδοδάκτυλος dicitur, *roſeis digitis.*

2. *In alternas digitorum viciſſitudines.*] Qui geſtus eſt mœſtorum. D. Baſil. Homil. in famem & ſiccitatem. καὶ τὰς χεῖρας κατὰ τῶν γονάτων συμπλέξαντες (τοῦτο δὲ τῶν πενθούντων σχῆμα) &c. *Et manibus ſuper genua complicitis (Hic autem eſt lugentium geſtus)* Habitum fuit & inter veneficia. Plin. lib. 28. cap. 6. *Adſidere gravidis, vel cùm remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter ſe implexis, veneficium eſt : idque comperium tradunt Alcmena Herculem pariente. Pejus ſi circa unum ambo-ve genua.*

3. *Coſſim inſidens.*] *In coxas*, quaſi *coxim*, teſte Nonio.

poterit? Hanc illam mihi glorioſam pergrinationem fore [1] Chaldæus Diophanes obſtinatè prædicabat. Hæc identidem mecum replicans, fortunas meas ejulabam. Quati fores interdum, & frequenti clamore januæ noſtræ perſtrepi. Nec mora, cùm magnâ irruptione patefactis ædibus, Magiſtratibus, eorumque miniſtris, & [2] turbæ miſcellaneæ cuncta completa. Statimque lictores dùo de juſſu Magiſtratuum immiſſâ manu trahere me ſanè non renitentem occipiunt. Ac dum primum angiportum inſiſtimus, ſtatim [3] civitas omnis in populum effuſa mirâ denſitate nos inſequitur. Et quanquam capite in terram, immò ad ipſos Inferos jam dejecto, mœſtus incederem, obliquato tamen aſpectu rem admirationis maximæ conſpicio. Nam inter tot millia [4] populi circumſedentis, nemo prorſus, qui non riſu dirumperetur, aderat. Tandem pererratis plateis omnibus, & in modum eorum, qui [5] luſtralibus piamentis minas portentorum hoſtiis

Interpretatio.

eſt illud iter, quod Chaldæus Diophanes pertinaciter affirmabat mihi futurum gloriæ. Hæc ſubinde recogitans apud me lamentabar ſortem meam. Interea janua noſtra cœpit *validè pulſari, & magnus tumultus fieri ante noſtrum oſtium. Et ſtatim magno impetu apertâ domo, omnia impleta ſunt Magiſtratibus, eorumque lictoribus, & turbâ* hominum *omnis generis. Et continuò duo Apparitores manu in me injectâ, ex mandato Magiſtratuum, trahunt me nequaquam reluctantem; & ubi devenimus in proximum vicum, continuò plebs erumpens ex tota urbe proſequitur nos admirandâ frequentiâ. Et quamvis ambularem triſtis capite demiſſo in terram, vel potiùs jam ad ipſos Inferos; deflexis tamen obliquè oculis video rem prorſus mirandam. Nam ex tot millibus plebis me ambientis, nullus erat penitùs, qui non emoreretur riſu. Tandem emenſus omnes plateas, & circumductus per omnes angulos, inſtar eorum, qui in ſacris amburbialibus procurant minas prodi-*

Notæ.

1. *Chaldæus Diophanes.*] Ille qui coronæ circumſtantium fata donabat, & noſtro Lucio proventum ſuæ peregrinationis inquirenti gloriam ſatis floridam, &c. promiſerat. lib. 2.

2. *Turbæ miſcellaneæ.*] Intellige populi *turbam*, quæ unà cum Magiſtratibus intraverat, mixtaque erat ex omni genere hominum.

3. *Civitas omnis in populum effuſa.*] Legebat Gruterus *in publicum effuſa.* Fortè *in propatulum.* At nihil mutandum. *In populum effuſa* eſt *effuſa in magnam populi turbam.*

4. *Populi circumſedentis.*] Fortè meliùs legas *circumſequentis*, quod Schoppio placet. Aut *circumfluentis*, ut vult Pricæus.

5. *Luſtralibus piamentis.*] In quibus hoſtia per totam urbem circumducitur, morte ſuâ cladem imminentem, aut luem mox expiatura, quæ quidem hoſtia apud quoſdam humana fuit. De Maſſilienſibus teſtatur Servius ad hæc Virgil. Æneid. 3. *Auri ſacra fames*: *Id eſt, execrabilis*, inquit, *ut*: *Sacræ panduntur portæ. Tractus eſt autem ſermo ex more Gallorum: nam Maſſilienſes quoties peſtilentiâ laborabant, unus ſe ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis & purioribus cibis: hic poſteà ornatus verbenis & veſtibus ſacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipſum reciderent mala totius civitatis: & ſic projiciebatur*, in mare nem-

circumforaneis expiant, circumductus angulatim, forum, ejuſque [1] tribunal aſtituor. Jamque ſublimi ſuggeſtu Magiſtratibus reſidentibus, jam præcone publico [2] ſilentium clamante, repentè cuncti conſonâ voce flagitant, propter cœtûs multitudinem, quæ preſſuræ nimiâ denſitate periclitaretur, judicium tantùm [3] theatro redderetur. Nec mora, cùm paſſim populus procurrens [4] caveæ conſeptum mirâ celeritate complevit: [5] aditus etiam & tectum omne fartim ſtipaverant. [6] Plerique columnis implexi, alii ſtatuis dependuli, nonnulli per feneſtras & lacunaria ſemiconſpicui, miro tamen omnes ſtudio viſendi,

INTERPRETATIO.

giorum ductis circa urbem *victimis, ſiſtor in foro, & in ejus tribunali. Jamque judices ſedebant in alto pulpito, jam publicus præco indicebat ſilentium; cùm omnes ſubitò petunt clamore unanimi, ut judicium tanti momenti pronuntiaretur in theatro, ob frequentiam populi, qui in periculo eſſet ex nimiâ multitudine & compreſſione. Statimque plebs undique provolans replevit conſeſſum theatri mirabili feſtinatione. Impleverant quoque confertim* ipſos *introitus, & univerſum tectum. Magna pars amplexi columnas, alii pendentes ex ſtatuis, alii prominentes mediâ parte ſui ex feneſtris & laquearibus, omnes tamen nihili faciebant diſcrimina vitæ ſuæ ex mirabili*

NOTÆ.

pè. Hujuſmodi humanam hoſtiam κάθαρμα & Φαρμακὸν appellatam teſtatur Tzetzes Chiliad. 5. hiſt. 23. quæ incipit:

Ὁ φαρμακὸς τὸ κάθαρμα τοιοῦτον ἦν τὸ πάλαι
Ἂν συμφορὰ κατέλαβε πόλιν θεομηνία
Εἴτ' οὖν λιμὸς, εἴτε λοιμὸς, &c.

Ubi non quemvis ex pauperibus, ſed deformiſſimum totius civitatis deligi ad hoc munus ait, ipſique caſeum, & offam; & ficus tradi in manum; tum quibuſdam agreſtibus virgultis cæſum cremari vivum, uſtique cineres in mare ſpargi ſolitos. Circuitio hæc ſolemnis urbiſque purgatio *amburbium* dictum Romanis: & *amburbiales hoſtiæ* apud Feſtum, *quæ circum terminos urbis Romæ ducebantur.*

1. *Tribunal adſtituor.*] *Tribunal* Vitruvio locus eſt in baſilica, hemicycli figura, ubi jus dicitur. Fiebat & in caſtris *tribunal cæſpititium* Imperatoris ſedes. Vide Tacit. Annal. lib. 2.

2. *Silentium clamante.*] Solemnis præconis formula: *Silete, & tacete, atque animadvertite.*

3. *Theatro.*] *Theatrum* ludis ſcenicis deſtinatum præcipuè erat. Hujus deſcriptionem pete ex Vitruvio lib. 5. capp. 6, 7, & 8. Adi & Roſinum, ſi lubet, Antiquit. Rom. lib. 5. *Theatri* partes erant Scena, Proſcenium, Pulpitum, Orcheſtra, & Cavea ſpectatorum, quas ibidem fuſiùs deſcriptas reperies.

4. *Caveæ conſeptum.*] *Cavea* in Theatro eſt ubi ſedet populus. Plaut. Amphitryone. *Eant per totam caveam ſpectatoribus. Conſeptum caveæ* iterùm habet Noſter, lib. 10. *ad conſeptum caveæ pompatico favore deducor.*

5. *Aditus etiam*] Per quos videlicet populus in theatrum ingrediebatur, egrediebaturque, quæ quidem *vomitoria* appellata reperio, eo quòd populum exeuntem viderentur vomere.

6. *Plerique columnis implexi, alii ſtatuis dependuli.*] Columnis & ſtatuis Scenæ, tum etiam porticûs illius, quæ in ſumma Theatri gradatione erat, tectumque habebat & laquearia. De quibus hîc mentio.

pericula

pericula ſalutis negligebant. Tunc me [1] per proſcenium medium velut quandam victimam publica miniſteria perducunt, & [2] orcheſtræ mediæ ſiſtunt. Sic rurſum [3] præconis amplo boatu citatus accuſator quidam ſenior exſurgit; & ad dicendi ſpatium [4] vaſculo quodam in vicem coli graciliter fiſtulato, ac per hoc guttatim defluo infusâ aquâ, populum ſic adorat: Neque parva res, ſed præcipuè pacem civitatis cunctæ reſpiciens, & exemplo ſeriò profutura tractatur, [5] Quirites ſanctiſſimi. quare magis congruit ſedulò ſingulos atque univerſos vos pro dignitate publica providere, ne nefarius homicida tot civium lanienam, quam cruenter exercuit, impunè commiſerit. Nec me putetis privatis ſimultatibus inſtinctum odio proprio ſævire.

INTERPRETATIO.

deſiderio videndi. Tum miniſtri publici deducunt me per medium proſcenium tanquam hoſtiam aliquam, & ſtatuunt in medio orcheſtræ. Itaque quidam delator ætate provectus iterum vocatus vaſto clamore præconis aſſurgit; & infusâ aquâ in quoddam vas tenuiter perforatum inſtar coli, per quod perfluebat ſtillatim ad definiendum *tempus dicendi: affatur populum hoc modo: Res agitur non levis momenti, Cives æquiſſimi, ſed pertinens in primis ad tranquillitatem totius hujus urbis, & utilis futura* cæteris hoc *gravi exemplo. quapropter convenientiſſimum eſt vos omnes, & unumquemque veſtrûm pro honore hujus civitatis dare operam, ne hic ſceleratus impunè patraverit homicidium tot civium, quod commiſit adeo crudeliter. Neque exiſtimetis me impulſum offenſionibus privatis inſectari eum acerbiùs inimicitiâ propriâ.*

NOTÆ.

1. *Per proſcenium.*] Quod erat anterior Scenæ pars, in cujus medio Pulpitum, in quo hiſtriones fabulas agebant.

2. *Orcheſtræ mediæ.*] *Orcheſtra* fuit ſpatium totius Theatri medium & infimum ante pulpitum, figuræ ferè ſemicircularis. In ea Senatores & Legati honoratiorum gentium apud Romanos ſedebant ſpectaturi. Apud Græcos autem latior erat *Orcheſtra*, & in ipſa ſaltationes peragebantur: unde nomen ſortita eſt, ὀρχεῖσθαι enim Græcis *ſaltare* eſt, & *geſticulari*.

3. *Præconis amplo boatu citatus accuſator, &c.*] Aſconius in Verrinam 3. *Apud veteres, & Judices, & Rei, & Accuſatores, & Defenſores voce præconis citabantur.*

4. *Vaſculo quodam in vicem coli graciliter fiſtulato, &c.*] Clepſydram graphicè depingit, quæ erat, ut ex hoc loco patet, vas infundibuli inſtar acuminatum habens in ipſo acumine minutum foramen, per quod aqua contenta ſtillatim effluebat, donec penitùs exinanitum vas eſſet. quod cùm certo temporis ſpatio fieret, ad temporis menſuram adhibita ſunt ejuſmodi vaſa. Et in cauſis præcipuè capitalibus, ſolebat certus clepſydarum numerus Accuſatori, major Reo concedi, eò quòd difficilior ſoleat eſſe defenſio, quàm accuſatio. Exhauſtis clepſydris finem orandi facere orator cogebatur. Tertiam circiter unius horæ partem duraſſe ſingulas clepſydras colligi poteſt ex hoc loco C. Plinii Junioris lib. 2. Epiſt. 11. *Dixi horis pœnè quinque; nam decem clepſydiris, quas ſpatioſiſſimas acceperam, ſunt additæ quatuor.* A clepſydiris tracta eſt parœmia ἀναλίσκεις ὕδωρ *fruſtrà conſumis aquam*: in eos, qui frivola inter orandum afferunt, nihilque ad rem facientia.

5. *Quirites.*] More Romano Hypatæos cives alloquentem inducit accuſatorem illum, qui more Græco dixiſſet: ὦ ἄνδρες Ὑπαταῖοι.

Apul. K

Sum namque [1] nocturnæ cuſtodiæ præfectus : nec in hodiernum credo quenquam pervigilem diligentiam meam culpare poſſe. Rem denique ipſam, & quæ nocte geſta ſunt, cum fide proferam. Nam cùm ferè jam [2] tertia vigilia ſcrupuloſâ diligentiâ cuncta civitatis oſtiatim ſingula conſiderans circumirem; conſpicio iſtum crudeliſſimum juvenem mucrone diſtricto paſſim [3] cædibus operantem : jamque tres numero ſævitiâ ejus interemptos, ante pedes ipſius ſpirantes adhuc corporibus in multo ſanguine palpitantibus. Et ipſe quidem conſcientiâ tanti facinoris meritò permotus, ſtatim profugit : & in domum quandam præſidio tenebrarum elapſus, perpetem noctem delituit. Sed providentiâ Deûm, quæ nihil impunitum nocentibus permittit, priuſquàm iſte clandeſtinis itineribus elaberetur, manè præſtolatus, ad graviſſimum judicii veſtri [4] ſacramentum eum curavi producere.

INTERPRETATIO.

Sum enim præfectus excubiis noctis: neque arbitror ſedulam meam vigilantiam hactenus poſſe reprehendi ab ullo homine. Cæterùm narrabo fideliter rem ipſam, & quæ perpetrata ſunt hac nocte. Cùm enim circa mediam noctem luſtrarem totam urbem accuratiore diligentiâ ab oſtio ad oſtium obſervans cuncta; video hunc ſæviſſimum adoleſcentem hinc inde perpetrantem homicidia nudato gladio; treſque jam interfectos ejus crudelitate ante ipſius pedes adhuc anhelantes corporibus tremulè ſubſultantibus in plurimo cruore. Et ipſe quidem jure exagitatus conſcientiâ tam diri ſceleris, aufugit illicò, & cùm evaſiſſet in quaſdam ædes beneficio noctis, latuit ibi totâ nocte. Sed prudenti Deorum conſilio, quo nihil dimittitur inultum ſontibus, ego matutino tempore expectato, antequam hic effugeret ſecretis viis, dedi operam ut adduceretur ad ſacroſanctum veſtrum judicium.

NOTÆ.

1. *Nocturnæ cuſtodiæ præfectus.*] *Præfectus vigilum*, quorum munus erat totam urbem noctu perambulare, & obſervare diligenter quid quoque in vico gereretur, prædoneſque, & homicidas, ſi quos habuiſſent obvios, comprehendere, incendiis prætereà nocturnis opem ferre. Hi videntur à diſciplina caſtrenſi originem duxiſſe. Eligebantur enim in caſtris ex militibus, qui vigilias nocturnas circumirent, renuntiarentque, ſi quid alicubi eſſet malè geſtum. Hi *circuitores* primò dicti ſunt; at poſteà, teſte Vegetio, militiæ factus eſt gradus, dictique ſunt *Circitores.*

2. *Tertia vigilia.*] Nox apud milites in quatuor *vigilias* dividebatur, (ut jam monui ad librum ſecundum) quæ ſingulæ trium horarum erant, ſeu quartæ partis totius noctis. Finitâ unaquâque *vigiliâ*, vigiles alii in priorum locum ſufficiebantur, ſicque quater in nocte *vigiliæ* mutabantur. *Tertia vigilia*, de quâ hîc, amplectitur id tempus, quod eſt à mediâ nocte ad galli cantum circiter.

3. *Cædibus operantem.*] Sic apud Tertullianum, de Coronâ Militis, *prælio operari* : & in Apologetico, *Balneis, cauponis, lupanaribuſque operari.*
Et apud Ovid.

——— ſtudiis operata Minervæ.

4. *Sacramentum.*] Quo vos obſtrinxiſtis jus ex æquo ſingulis reddere, & ſontes pro modo admiſſi punire. Phædro *Jurisjurandi fides* dicitur Fabul. lib. 3.

A Divo Auguſto tunc petiere Judices,
Ut adjuvaret jurisjurandi fidem,
Quod ipſos error implicuiſſet criminis.

Habetis itaque reum tot cædibus impiatum, reum [1] coram deprehenſum, reum peregrinum. Conſtanter itaque in hominem alienum ferte ſententias de eo crimine, quod etiam in veſtrum civem ſeveriter vindicaretis. Sic profatus accuſator acerrimus immanem vocem repreſſit. At me ſtatim præco, ſi quid ad ea reſpondere vellem, jubebat incipere. At ego nihil tunc temporis ampliùs quàm flere poteram; non tam mehercules truculentam accuſationem intuens, quàm meam miſeram conſcientiam. Sed tamen obortâ divinitùs audaciâ, ſic ad illa: Nec ipſe ignoro, quàm ſit arduum, trinis civium corporibus expoſitis, eum, qui cædis arguatur, quamvis vera dicat, & de facto confiteatur ultrò, tamen multitudini tantæ quòd ſit innocens, perſuadere. Sed, ſi pauliſper audientiam publicam mihi tribuerit humanitas, facilè vos edocebo me diſcrimen capitis non meo merito, ſed rationabilis indignationis eventu fortuito tantam criminis invidiam fruſtra ſuſtinere. Nam, cùm à cœnâ me ſeriùs aliquantò reciperem, potulentus alioquin, (quod planè verum crimen meum non diffitebor,) ante ipſas fores hoſpitii, (ad bonum autem Milonem civem veſtrum devorto,) video quoſdam ſæviſſimos latrones aditum tentantes, & domus januas cardinibus obtortis evellere geſtientes; clauſtriſque omnibus, quæ adfixa fuerant, violenter evulſis, ſecum jam de inhabitantium exitio deliberantes. Unus denique & manu promptior, & corpore vaſtior, his affatibus cæteros incitabat:

INTERPRETATIO.

Adest ergo vobis reus inquinatus tot homicidiis, reus manifeſtarius, reus extraneus. Pronuntiate igitur fortiter ſententias adverſus hominem alienigenam, de eo ſcelere, cujus graviſſimas pœnas ſumeretis etiam à veſtro populari. Vehementiſſimus delator hæc locutus, cohibuit vaſtam vocem. Et extemplo præco præcipiebat ut initium facerem dicendi *ſi haberem aliquid reſpondendum ad ea. Verùm ego intereà nihil aliud poteram quàm lacrymari, minùs profectò reſpiciens atrocem criminationem, quàm meam malam conſcientiam. Verumtamen, enatâ mihi confidentiâ Deorum nutu, ſic reſpondi ad illa: Satis ſcio quantum ſit difficile tribus cadaveribus civium objectis, illum, qui accuſetur trucidationis eorum, probare tanto cœtui ſe eſſe inſontem, tametſi vera loquatur, & ſponte fateatur factum. Verùm, ſi pro* veſtra *benignitate præbueritis mihi tantiſper audientiam publicam, facilè vobis oſtendam me ſubire periculum vitæ, non propter ullum meum malefactum, ſed immeritò flagrare invidiâ tanti ſceleris ob exitum improviſum juſtæ iracundiæ. Cùm enim redirem à cœnâ paulò tardiùs, vinolentus cæteroquin (quod ſanè meum peccatum non inficiabor verum* eſſe *) conſpicio ante januam mei hoſpitii, (divertor autem apud probum Milonem veſtrum concivem) quoſdam crudeliſſimos prædones molientes ingreſſum, & cupientes extrahere fores ædium contortis cardinibus, & extractis magnâ vi repagulis omnibus, quæ obdita fuerant diligentiſſimè jam conſultantes inter ſe de nece incolentium. Poſtremò unus.* qui *erat* *expeditiori dextrâ, & ſtaturâ ampliori, hortabatur reliquos his verbis:*

NOTÆ.

1 *Coram deprenſum.*] Ἐπ' αὐτοφώρῳ, ut Græci dicunt, *in flagranti crimine.* Noſter lib. 9. ſimiliter dixit: *coram noxæ deprehenſum.*

Heus pueri, inquit, quin maribus animis, & viribus alacribus dormientes aggrediamur. Omnis contatio, ignavia omnis faceſſat è pectore: ſtricto mucrone per totam domum [1] cædes ambulet. Qui ſopitus jacebit, trucidetur; qui repugnare tentaverit, feriatur. Sic ſalvi recedemus, ſi ſalvum in domo neminem reliquerimus. Fateor, Quirites, extremos latrones, boni civis officium arbitratus, ſimul eximiè metuens, & hoſpitibus meis & mihi, gladiolo, qui me propter hujuſmodi pericula comitabatur, armatus, fugare atque proterrere aggreſſus ſum. At illi barbari prorſus & immanes homines, neque fugam capeſſunt; & cùm me viderent in ferro, tamen audaciter reſiſtunt. Dirigitur præliaris acies. Ipſe denique dux & ſignifer cæterorum, validis me viribus aggreſſus, illicò manibus ambabus capillo abreptum, ac retrò reflexum, effligere lapide geſtit. quem dum ſibi porrigi flagitat, [2] certâ manu percuſſum feliciter proſterno. Ac mox alium, pedibus meis mordicùs inhærentem, per ſcapulas ictu temperato, tertiumque improvidè occurrentem, pectore offenſo, perimo. Sic pace vindicatâ, domoque hoſpitis ac ſalute communi protectâ, non jam impunem me, verùm etiam laudabilem publicè credebam fore: qui nec tantillo quidem unquam crimine poſtulatus, ſed

INTERPRETATIO.

Heus, commilitones, ait, quidni ſopitos adorimur animo planè virili, & prompto robore. Omnis dubitatio, omnis ſegnities abſcedat ex animis noſtris. *Strages graſſetur enſe nudato per univerſas ædes. qui recumbit dormiens, occidatur. qui conatus fuerit reluctari, percutiatur. ita abibimus hinc incolumes, ſi nullum dimiſerimus incolumem in ædibus. Non inficior, ô Cives, ego ratus eſſe officium probi civis, atque unà mirum in modum mihi timens meiſque hoſpitibus, armatus enſiculo, quem mecum geſtabam ob talia diſcrimina, tentavi dare in fugam & perterrere prædones nequiſſimos. Verùm illi feri omninò & atroces viri nequaquam ſe mandant fugæ; & tametſi me cernerent in armis, nihilominus repugnant audacter. Certamen inſtruitur. ipſe demùm imperator atque anteſignanus reliquorum adortus me magnâ vi conatur ſtatim ſaxo percellere crinibus apprehenſum utrâque manu, & reclinatum retrorſum. Quod* ſaxum *dum petit dari ſibi in manum, ego, bono meo fato ferio eum dextra nequaquam aberrante, & affligo humi. Ac deinde interficio alium morſu affixum meis tibiis, ictu librato per* medias *ſcapulas, & confodio per adverſum pectus tertium obverſantem incautiùs. Ita aſſertâ tranquillitate & defensâ domo* mei *hoſpitis, noſtrâque omnium vitâ, exiſtimabam me fore non modò à ſupplicio immunem, ſed etiam dignum laude publicâ: qui ne minimi quidem criminis unquam accuſatus, ſed*

NOTÆ.

1. *Cædes ambulet.*] Sic lib. 9. de canibus loquens: *Et per omnem noſtrum commeatum morſibus ambulare*, id eſt, *graſſari*.

2. *Certâ manu percuſſum.*] *Manu*, quæ minimè aberravit, ſed ictum intulit, quò mente deſtinaveram. Contrà apud Virgilium, lib. 2. Æneidos: —— *incertam excuſſit cervice ſecurim.* Hoc eſt, inquit Servius, *dubiè illiſam, quæ non habet mortis effectum.*

probè ſpectatus apud meos, ſemper innocentiam commodis cunctis antetuleram. Nec poſſum reperire, cur juſtæ ultionis, quâ contra latrones deterrimos commotus ſum, nunc iſtum reatum ſuſtineam? Cùm nemo poſſit monſtrare, vel privatas inter nos inimicitias præceſſiſſe, ac ne omninò mihi notos illos latrones uſquam fuiſſe. Vel certè ulla præda monſtretur, cujus cupidine tantum flagitium credatur admiſſum. Hæc profatus, rurſum lacrymis obortis, porrectiſque in preces manibus: per publicam miſericordiam, per pignorum caritatem, mœſtus tunc hos, tunc illos deprecabar. Cumque jam humanitate commotos, miſericordiâ fletuum affectos omnes ſatis crederem: [1] Solis & Juſtitiæ teſtatus oculum, caſumque præſentem meum commendans Deûm providentiæ, paulò altiùs aſpectu relato, conſpicio prorſus totum populum riſu cachinnabili diffluentem, nec ſecùs illum bonum hoſpitem parentemque meum Milonem riſu maximo diſſolutum. Ac tunc ſic tacitus mecum: En fides! inquam, en conſcientia! ego quidem pro hoſpitis ſalute & homicida ſum, & reus capitis inducor. at ille non contentus quòd mihi nec adſiſtendi ſolatium præbuit, inſuper exitium meum cachinnat. Inter hæc quædam mulier per medium theatrum lacrymoſa & flebilis, atra veſte contecta, parvulum quendam ſinu tolerans decurrit: ac ponè eam anus alia [2] pannis horridis obſita, paribuſque mœſta fletibus, ramos olea-

INTERPRETATIO.

probitatis perſpectæ inter meos prætuleram ſemper integritatem vitæ omnibus bonis. Nec ſatis capio quâ de causâ ſubiam hanc accuſationem juſtæ vindictæ, quâ incitatus ſum adverſus peſſimos prædones, cùm nemo queat probare aut privata odia mihi antehac interceſſiſſe cum illis, aut etiam illos latrones mihi fuiſſe cognitos ullo prorſus modo. Vel ſaltem oſtendantur aliqua ſpolia, quorum aviditate exiſtimetur tantum ſcelus fuiſſe perpetratum. His dictis, lacrymis iterùm manantibus, & manibus ſuppliciter protenſis: triſtis obſecrabam modò hos, modò illos, per commiſerationem publicam, & *per amorem liberorum. Cumque jam arbitrarer affectos clementiâ,* & *multùm commotos miſeratione mearum lacrymarum: obteſtans aciem Solis & Juſtitiæ, & committens curæ Deorum meam ſortem præſentem, cùm ſuſtuliſſem oculos aliquantò altiùs, video omnem prorſus plebem effuſam in riſum ſolutiorem. ipſumque* adeo *egregium hoſpitem & patrem meum Milonem diffluentem riſu ſolutiſſimo, non ſecùs* ac cæteros. *Ego verò tum ſic apud me tacitus: Hæccine fides eſt, inquam, hæccine religio? Ego equidem patravi cædem, & ſuſtineo accuſationem capitalem pro incolumitate* mei *hoſpitis: ille autem, non ſatis habens, ne patrocinio quidem ſuo me juviſſe, ridet præterea meam mortem. Intereà fœmina quædam accurrit per medium theatrum, plorans, & ejulans, induta nigro veſtimento, geſtans in ſinu quendam infantem, & poſt ipſam alia vetula operta centonibus laceris atque immundis, & teſtans* ſuum *mœrorem ſimilibus ejulatibus; ambæ agi-*

NOTÆ.

1. *Solis & Juſtitiæ teſtatus oculum.*] Lib. 2. ut ipſos etiam *oculos Solis & Juſtitiæ facilè fruſtrentur.* Ad quem locum vide quæ adnotavimus.

2. *Pannis horridis obſi[illegible].* Terent. Eunucho, Act. 2. Scen. 2. [illegible] *[illegible]entum,*

gineos utræque quatientes. quæ circumfuſæ lectulum, quo peremptorum cadavera contecta fuerant, plangore ſublato lugubriter ejulantes: Per publicam miſericordiam, per commune jus humanitatis, aiunt, miſeremini indignè cæſorum juvenum, noſtræque viduitati ac ſolitudini de vindicta ſolatium date. Certè parvuli hujus in primis annis deſtituti fortunis ſuccurrite, & de latronis hujus ſanguine legibus veſtris & diſciplinæ publicæ [1] litate. Poſt hæc Magiſtratus, qui natu major, adſurgit, & ad populum talia: De ſcelere quidem, quod ſeriò vindicandum eſt, nec ipſe, qui commiſit, poteſt diffiteri; ſed una tantùm [2] ſubciſiva ſollicitudo nobis relicta eſt, ut cæteros ſocios tanti facinoris requiramus. Nec enim veriſimile eſt, hominem ſolitarium tres tam validos [3] evitaſſe juvenes. Prohinc tormentis veritas eruenda. [4] Nam & qui comitabatur eum puer clanculò profugit, & res ad hoc deducta eſt, ut per quæſtionem ſceleris ſui participes indicet: ut tam diræ factionis formido funditùs perimatur.

INTERPRETATIO.

tantes manibus *ramos oleæ, quæ effuſæ circa feretrum*, in *quo corpora interfectorum fuerant cooperta, elato planctu flebiliter lamentantes: Per pietatem publicam, inquiunt, per communem legem humanitatis miſereat vos adoleſcentium atrociter interfectorum, & concedite noſtræ orbitati, ac deſertioni ſolamen ex ultione. Saltem ferte opem miſeræ ſorti hujus infantis orbati* patre *in primis* ſuis *annis. Et ſacrificate ſtatutis veſtris ac diſciplinæ publicæ cruore hujus graſſatoris. Poſteà maximè grandævus Judicum exurgit, & ad plebem hæc ait: Certè de crimine* hoc, *quod puniendum eſt graviter, ne ipſe quidem, qui* illud *patravit, poteſt ire inficias. Verùm una duntaxat cura ſecundaria nobis* adhuc *ſupereſt, ut inveſtigemus reliquos participes tanti ſceleris. Nam probabile non eſt hominem unicum enecaſſe tres adoleſcentes tam robuſtos. Ideo veritas extorquenda eſt* ab ipſo *cruciatibus. ſervus enim, qui erat ipſi comes, aufugit clam. Et res eò devenit, ut declaret participes tanti ſceleris vi tormentorum, quò metus tam crudelis catervæ omninò tollatur.*

NOTÆ.

ſquallidum, ægrum, pannis, anniſque obſitum.

1. *Litate.*] *Litare* propriè, eſt ſacrificio numen propitiare. Hîc eſt *ſatisfacere.*

2. *Subciſiva ſollicitudo.*] *Subciſiva tempora* appellantur ſubducta negotiis, *heures dérobées*. Cicero, lib. de legibus: *ſubciſiva quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior.* Hîc *ſubciſiva ſollicitudo*, eſt *relicta*, & ut loquitur Gell. lib. 20 cap. 11. *ſubſecundaria.*

3. *Evitaſſe.*] *Vitâ privaſſe.* Hoc ſenſu Accius Poëta apud Ciceronem, Tuſculanarum Quæſtionum, libro 3.

Hæc omnia vidi inflammari
Priamo vi vitam evitari,
Jovis aram ſanguine turpari.

4. *Nam & qui comitabatur eum puer clanculò aufugit.*] Quod ſi adfuiſſet; quæſtio de ipſo, non de hero fuiſſet habita. Mos enim fuit apud antiquos, ut poſtulanti accuſatori ſervos ſuos reus traderet in tormentis habendos, ut herilis criminis veritas ab eis extorqueretur.

Nec mora, [1] cùm ritu Græcienſi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur. Augetur oppidò, immò duplicatur mihi mœſtitia, quòd integro ſaltem mihi mori non licuerit. Sed anus illa, quæ ſuis fletibus cuncta turbaverat, Priùs, inquit, optimi Cives, quàm latronem iſtum miſerorum pignorum meorum peremptorem cruci adfigatis, [2] permittite corpora necatorum revelari; ut & formæ ſimul & ætatis contemplatione magis magiſque ad juſtam indignationem arrecti, pro modo facinoris ſæviatis. His dictis applauditur: & illicò me Magiſtratus ipſum jubet corpora, quæ lectulo fuerant poſita, meâ manu detegere. Luctantem me, ac diu renitentem præcedens facinus inſtaurare novâ oſtenſione, lictores juſſu Magiſtratuum quàm inſtantiſſimè compellunt, [3] manum denique ipſam, è regione lateris tendentes, in exitium ſuum ſuper ipſa cadavera porrigunt. Evictus tandem neceſſitate ſuccumbo: &, ingratis licet, arrepto pallio retexi corpora. Dii boni! quæ facies rei! quod monſtrum!

INTERPRETATIO.

Et continuò proferuntur ignis & rota more Græco, ac deinde omnes ſpecies verberum. Triſtitia mihi valdè gliſcit, imò geminatur, eò quòd non permitteretur mihi interire inviolatum. Verùm illa vetula, quæ perturbaverat omnia ſuis plangoribus: Antequàm appendatis, inquit, ad patibulum prædonem hunc interfectorem meorum infelicium natorum, Cives æquiſſimi, ſinite diſcooperiri cadavera occiſorum, ut magis ac magis incitati ad juſtam iram inſpectione vultûs ſimul & ætatis, ſeveri ſitis in eum *juxta magnitudinem ſceleris. Plauſus ſequitur hæc verba, & ſtatim ille Judex mihi imperat, ut ipſe meâ manu diſcooperiam cadavera, quæ fuerant impoſita grabato. Apparitores ex mandato Judicum maximâ inſtantiâ adigunt me reſiſtentem, & diu nolentem renovare meum primum ſcelus novâ illâ monſtratione: denique porrigentes ex adverſo lateris ipſam meam dextram, in propriam perniciem extendunt ſuper ipſa corpora. Cedo tandem vi coactus: & quamvis invitus apprehenſo ſtragulo revelavi cadavera. Papæ! qui vultus rerum! quale prodigium!*

NOTÆ.

1. *Cum ritu Græcienſi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur.*] Apud Achillem Tatium, Clitophon in ſimili re Ἄρτι δέ μου δεθέντος, καὶ τῆς ἐσθῆτος τοῦ σώματος γεγυμνωμένου μετεώρου τε ἐκ τῶν βραχιόνων κρεμαμένου, καὶ τῶν μὲν μάστιγας κομιζόντων τῶν δὲ πῦρ, καὶ τροχὸν, &c. *Jamque me vincto, & corpore veſte nudato, & funibus in ſublime elato; aliis flagra, aliis ignem & rotam afferentibus*, &c.

Ignis & rota.] His reſpondebant apud Romanos laminæ candentes, & equuleus. Sicut enim *rotâ Græcienſi*, ita & equleo membra fidiculis religata ac diſtentâ torquebantur; laminis adurebantur latera.

2. *Permittite corpora necatorum revelari.*] Ad majorem ind gnationem in omnium animis excitandam. Ad hoc enim res ipſæ plus valent quàm verba, juxta illud Horatii in Atte Poëticâ:

> *Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,*
> *Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.* ———

3. *Manum denique ipſam è regione lateris tundentes.*] Quid hoc ſibi vult, *tundere manum è regione lateris?* Hærenti mihi opportunè ſubvenit Scriveriana Editio, in qua legitur *tendentes*: quod interpretor *protendentes*, & *porrigentes*.

quæ Fortunarum mearum repentina mutatio! Quanquam enim jam [1] in peculio Proſerpinæ, [2] & Orci familiâ numeratus, ſubitò in contrariam faciem obſtupefactus hæſi. Nec poſſum novæ illius imaginis rationem idoneis verbis expedire. Nam cadavera illa jugulatorum hominum erant tres utres inflati, variiſque ſecti foraminibus, &, ut veſpertinum prœlium meum recordabar, his locis hiantes, quibus latrones illos vulneraveram. Tunc ille quorumdam aſtu pauliſper cohibitus riſus, liberè jam exarſit in plebem. Hi [3] gaudii nimietate, gratulari; illi [4] dolorem ventris manuum compreſſione ſedare. Et certè lætitiâ delibuti, meque reſpectantes, cuncti theatro faceſſunt. At ego, ut primùm illam laciniam prehenderam, fixus in lapidem ſteti gelidus, nihil ſecius quàm una de cæteris theatri ſtatuis, vel columnis. Nec priùs ab [5] inferis emerſi, quàm Milo meus hoſpes ac-

Interpretatio.

quæ ſubita converſio meæ ſortis! quamvis enim jam eſſem *in poſſeſſione Proſerpinæ, & accenſitus inter domeſticos Plutonis, repentè reſtiti mirabundus ſcenam* adeò *diſſimilem* priori. *Nec poſſum explicare ſermone ſatis apto faciem novi illius ſpectaculi. Illa enim corpora hominum occiſorum erant tres utres inflati, & inciſi diverſis foraminibus, &, quantum memineram mei certaminis nocturni iiſdem locis patentes, quibus percuſſiſſe* mihi viſus eram *illos prædones. Ibi tum cachinnus ille,* qui fuerat *tantiſper coërcitus ſolertiâ nonnullorum, jam liberè erupit per populum. Hi geſtiebant nimiâ lætitiâ; illi compreſſione manuum reprimebant dolorem ventris. Et omnes profectò diſcedunt ex theatro diffuſi hilaritate, meque identidem reſpicientes. Ego verò ſtatim atque ceperam illam veſtem* ſtragulam, *ſteteram immotus & frigidus quaſi lapis, nec aliter ac unam ex reliquis ſtatuis, aut columnis theatri. Neque antè eductus ſum ex Averno, quàm meus hoſpes Milo ad me venit,*

Notæ.

1. *In Peculio Proſerpinæ.*] *Peculium* pecunia erat, quam ſibi privatim habebant ſervi & filii-familias dominorum & patrum permiſſu à dominicis paterniſque rationibus ſeparatam. *Proſerpinæ peculium.* Hîc ſunt mortui, qui relictis luminis auris, in ejus, Plutoniſque conjugis Imperium demearunt. Quod hîc *Proſerpinæ peculium* Apuleius dixit, *Orcinus theſaurus* appellatur in veteri Epitaphio Nævii poëtæ, quod refertur in Catalectis veterum Poëtarum.

Mortales, immortales flere ſi foret fas,
Flerent divæ Camanæ Nævium Poëtam.
Itaque poſtquam eſt Orcino *traditus* THESAURO
Oblitei ſunt Romæ loquier linguâ Lateinâ.

2. *Et Orci familia.*] *Orcus, Dis, Pluto* idem eſt Averni regnator. Hujus familia ſunt umbræ mortuorum.

3. *Gaudii nimietate gratulari.*] Nonio *gratulari* eſt *gratias agere.* Vulgò *congaudere* ſignificat. Agrætius, *Lætamur de noſtris, gratulamur de alienis.* Hîc *gratulari* eſt *vehementer gaudere.* Sic lib. 2. Florid. *Vir, cui omnes provinciæ quadrijuges & ſejuges currus ponere gratulantur.*

4. *Dolorem ventris.*] Ortum ſcilicet ex vehementi diaphragmatis agitatione. Quod in nimio riſu contingere ſolet.

5. *Ab inferis.*] A ſtupore illo, quo fiebat ut viderer in lapidem gelidus, & mortuus atque in inferos demerſus.

ceſſit,

ceſſit, &, injectâ manu, me renitentem, lacrymiſque rurſum promicantibus crebrò ſingultientem clementi violentiâ ſecum attraxit; &, obſervatis viæ ſolitudinibus, per quoſdam anfractus ad domum ſuam perduxit: mœſtumque me atque etiam tunc trepidum variis ſolabatur affatibus. Nec tamen indignationem injuriæ, quæ inhæſerat altiùs meo pectori, ullo modo permulcere quivit. Ecce illicò etiam Magiſtratus ipſi [1] cum ſuis inſignibus domum noſtram ingreſſi, talibus me monitis delinire geſtiunt: Neque tuæ dignitatis, nec etiam proſapiæ tuorum ignari ſumus, Luci domine. nam & [2] provinciam totam inclytæ veſtræ familiæ nobilitas complectitur. Ac ne iſtud, quod vehementer ingemiſcis, contumeliæ causâ perpeſſus es. Omnem igitur de tuo pectore præſentem triſtitudinem mitte, & angorem animi depelle. Nam luſus iſte, quem publicè gratiſſimo Deo Riſui per annua reverticula ſolemniter celebramus, ſemper commenti novitate floreſcit. Iſte Deus auctorem ſuum propitius ubique comitabitur amanter, nec unquam patietur ut ex animo doleas, ſed frontem tuam ſerenâ venuſtate [4] lætabit aſſiduè. At tibi civitas omnis pro iſtâ gratiâ honores egregios offeret. Nam & [5] patronum ſcripſit, &,

INTERPRETATIO.

neque amplexus, manſuetâ vi pertraxit ſecum reluctantem, & frequenter ſuſpirantem lacrymis iterum manantibus; & deduxit in ſuas ædes per quoſdam flexus viarum *delectis viis maximè ſolitariis, & conſolabatur me triſtem atque adhuc trepidantem diverſis alloquiis. Neque tamen potuit ullo pacto delinire dolorem illius contumeliæ, qui infixus erat profundiùs in meo animo. Ecce etiam ſtatim Magiſtratus ipſi intrantes in noſtras ædes cum ſuis inſignibus, tentant me demulcere ejuſmodi verbis: Neque ignoramus tuam nobilitatem, neque genus tuorum* parentum, *Domine Luci; claritas enim veſtræ ſtirpis extenditur per univerſam* hanc *provinciam. Neque hoc, quod tantoperè doles, factum eſt injuriæ* tibi inferendæ *gratiâ. Aufer ergo omnem iſtum mœrorem ex tuo animo, & ejice* iſtam *ægritudinem mentis. Hic enim ludus, quem exhibemus quotannis magnâ celebritate in honorem jucundiſſimi Dei Riſus, viget ſemper aliquo invento novo. Hic Deus aderit ſuo auctori favens atque amicus in omnibus locis, neque unquam ſinet te premi ullâ ægritudine animi, ſed perpetuò exhilarabit vultum tuum tranquillo lepore. Tota verò hæc urbs exhibebit tibi honores eximios ob tuum iſtud benemeritum* in eam. *Nominavit enim te* ſuum *patronum* de-

NOTÆ.

1. *Cum ſuis inſignibus.*] Lictoribus, ſcilicet, cum faſcibus virgarum, & ſecuribus.

2. *Provinciam totam.*] Theſſaliam, in qua urbs Hypata: ex Theſſalia enim Apuleii mater originem ducebat à Plutarcho, & Sexto Philoſopho ejus nepote, ut habet Noſter, libri primi initio.

3. *Auctorem ſuum.*] qui eum produxerit in ore civium Hypatenſium.

4. *Lætabit aſſiduè.*] Lætum reddet. Sic lib. 5. *O nos beatas, quas infantis aurei nutrimenta lætabunt.*

5. *Patronum ſcripſit.*] Romæ, ubi Hypatenſium rem tueretur. Mos fuit ut civitates, & populi patronos haberent in Urbe Domina. Sic Lacedæmonii in clientela erant Claudiorum, Bononienſes in Antoniorum, &c.

[1] ut in ære ſtet imago tua, decrevit. Ad hæc dicta ſermonis vicem refero. Tibi quidem, inquam, [2] ſplendidiſſima & unica Theſſaliæ civitas, honorum talium parem gratiam memini. Verùm ſtatuas & imagines dignioribus, meiſque majoribus reſervare ſuadeo. Sic pudenter allocutus, & pauliſper hilaro vultu renidens, quantúmque poteram lætiorem me refingens, comiter abeuntes Magiſtratus appello. Et ecce quidam intrò currens famulus, Rogat te, ait, tua parens Byrrhæna, [3] & convivii, cui te ſerò deſponderas jam appropinquantis admonet. Ad hæc ego formidans, & procul perhorreſcens etiam ipſam domum ejus, Quàm vellem, inquam, parens, juſſis tuis obſequium commodare, ſi per fidem liceret id facere. Hoſpes enim meus Milo [4] per hodierni diei præſentiſſimum numen adjurans effecit, [5] ut ei hodiernæ cœnæ pignorarer: nec ipſe diſcedit, nec me digredi

INTERPRETATIO.

creto publico, *& conſtituit, ut ſtatua ærea tibi erigatur. Ad hæc verba reſpondeo. Equidem, inquam, ô magnificentiſſima & præſtantiſſima urbs Theſſaliæ, habeo tibi grates condignas pro talibus honoribus. Sed auctor ſum ut reſerves ſigna & ſimulacra me dignioribus, & præſtantioribus. Sic verecundè affatus, & tantiſper ſubridens lætiori fronte, & quàm maximè poteram ſimulans me hilariorem, valedico civiliter Magiſtratibus diſcedentibus. Et ſtatim quidam ſervus accurrens in* ædes. *Tua mater Byrrhæna orat te, inquit, & te certiorem facit inſtare* horam *convivii, cui promiſeras* heri *veſperi te affuturum. Ego ad hæc* verba *pavens & pertimeſcens etiam eminùs ejus ædes: Quàm cuperem, inquam, ô mater, morem gerere tuo imperio, ſi poſſem id facere ſalvâ fide. Milo enim meus hoſpes obteſtans me per potentiſſimum Deum* præſidem *hujus diei, evicit ut promitterem ipſi ad cœnam in hodiernum diem: neque ipſe abſcedit* à me, *neque ſinit me diſcedere à ſe. Proinde*

NOTÆ.

1. *Ut in ære ſtet imago tua.*] Inter maxima honoris monumenta fuit ſtatuarum erectio. *Amore Principum*, (inquit Caſſiodorus, lib. 8. epiſt. 2.) *conſtat inventum ut ſimulachris æneis fides ſervaretur imaginis, quatenus ventura progenies auctorem videret, qui ſibi Rempublicam multis beneficiis obligâſſet.* Bellica virtus prima & præcipua cauſa fuit dedicandi ſtatuas, ſed &, inſequentibus ſæculis, viris doctrinâ, aut dicendi arte præſtantibus idem honos decretus eſt.

2. *Splendidiſſima & unica Theſſaliæ civitas.*] Solinus tamen præcipuas *Theſſaliæ* urbes commemorans, Hypatæ ne meminit quidem. Apuleius igitur magis ex honore Magiſtratuum Hypatenſium, quàm ex veritate loqui videtur.

3. *Et convivii, cui te ſerò deſponderas jam appropinquantis admonet.*] Mos erat invitatos jam convivas iterùm admonere inſtante cœnæ tempore. Chremes apud Terent. Heautontimorum. Act. 1. Scen. 1.

——— Sed, ut dici tempus eſt,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad cœnam ut veniat. Ibo, ut viſam ſi domi eſt.
Nihil opus fuit monitore; jam dudum domi
Præſtò apud me eſſe aiunt. Egomet convivas moror.

4. *Per hodierni diei præſentiſſimum numen.*] Riſum, cui feſtus erat dies.

5. *Ut ei hodiernæ cœnæ pignorarer,*] Quaſi depoſito pignore obligarer.

patitur. Proin [1] epulare vadimonium differamus. Hæc adhuc me loquente, manu firmiter injectâ Milo, juſſis [2] balnearibus adſequi, producit ad lavacrum proximum. At ego vitans oculos omnium, & [3] quem ipſe fabricaveram riſum obviorum declinans, lateri ejus adambulabam obtectus. nec quî laverim, quî terſerim, quî domum rurſum reverterim, præ rubore memini. Sic omnium oculis, nutibus, ac denique manibus denotatus, impos animi ſtupebam. Raptim denique paupertinâ Milonis cœnulâ perfunctus, cauſatuſque capitis acrem dolorem, quem mihi lacrymarum aſſiduitas incuſſerat, cubitum veniâ facilè tributâ concedo. Et abjectus in lectulo meo, quæ geſta fuerant ſingula mœſtus recordabar. quoad tandem Fotis mea, dominæ ſuæ cubitu procurato, ſui longè diſſimilis advenit, non ex lætâ facie, nec ſermone dicaculo, ſed [4] vultuoſam frontem rugis inſurgentibus [5] aſſeverabat. Contanter ac timidè denique ſermone prolato: Ego, inquit, ipſa confiteor ultrò, ego tibi cauſa hujus moleſtiæ

INTERPRETATIO.

que proferamus in alium diem *cœnam condictam. Cùm hoc adhuc dicerem, Milo prehendens me manu validè, deducit ad proximas balneas, præcipiens* priùs *ut* inſtrumenta *balnearia afferrentur poſt* nos. *Ego verò effugiens intuitum omnium, & evitans cachinnos occurrentium, quorum ipſe fueram artifex, incedebam ad ejus latus opertus. Nec recordor quomodo laverim, quo pacto abſterſerim me, aut quâ ratione redierim iterum in ædes ob verecundiam*, quâ eram perfuſus, *uſque adeo eram attonitus, & alienatæ mentis*, videns me *demonſtrari oculis, capitum geſtibus, poſtremò etiam digitis omnium. Denique ſumptâ feſtinanter exiguâ cœnâ Milonis, petitâque excuſatione à vehementi dolore capitis, quem fletus continuus mihi attulerat, conceſſâ facilè licentiâ eo dormitum. Et proſtratus in lectulo meo triſtis recogitabam omnia, quæ mihi evenerant: donec tandem mea Fotis compoſitâ ſuâ herâ in lecto, venit ad me valdè mutata à ſeipſa. Non* afferebat *hilarem vultum, neque jocoſa verba, ſed caperabat triſtem frontem rugis prominentibus. Denique locuta dubitanter, ac pavidè: Ego, inquit, ipſa ſponte fateor, ego creavi tibi hanc ſollicitudi-*

NOTÆ.

1. *Epulare vadimonium.*] *Vadimonium* ſponſio eſt ad certum diem ſe ſiſtendi in judicio. *Epulare vadimonium* per metaphoram dicitur condictio & ſponſio ad epulas veniendi. Simili metaphorâ in aliâ re utitur lib. 4. *Cohortem noſtram gladiis armatam ante ipſas fores Democharis, velut expilationis vadimonium, ſiſtimus.*

2. *Balnearibus*] *Balnearum* inſtrumentis, ſtrigilibus nempè, ampullis, oleo, linteis abſterſoriis, &c.

3. *Quem ipſe fabricaveram riſum.*] Utricidii reatum ſuſtinendo.

4. *Vultuoſam frontem.*] Nonius *vultuoſum* exponit *triſte*, & affert locum ex Cicerone, de oratore: *in quo cum effeceris, ne quid ineptum ſit aut vultuoſum.*

5. *Aſſeverabat.*] Non, *affirmabat*, ſed *ſeveriorem reddebat*, & *caperabat.* Quin & idcircò (ut mihi quidem videtur) id, quod affirmatur, dicitur *aſſeverari*, quia gravem affirmationem ſæpiùs comitatur frontis adſeveratio, utpote quæ pondus addat verbis, juxta illud Terentii in Andria:

Triſtis ſeveritas ineſt in voltu, atque
in verbis fides.

fui. Et cum dicto [1] lorum quempiam ſinu ſuo depromit, mihique porrigens, Cape, inquit, oro te, de perfidâ muliere vindictam, immò verò licet majus quodvis ſupplicium ſume. Nec tamen me putes, oro, ſponte angorem iſtum tibi concinnâſſe. [2] Dii mihi meliùs, quàm ut mei causâ vel tantillum ſcrupulum patiare. Ac ſi quid adverſi tuum caput reſpicit, id omne protinùs meo luatur ſanguine. Sed quod alterius rei causâ facere juſſa ſum, malâ quâdam meâ ſorte in tuam recidit injuriam. Tunc ego familiaris curioſitatis admonitus, factique cauſam deliteſcentem nudari geſtiens, ſuſcipio: Omnium quidem nequiſſimus audaciſſimuſque lorus iſte, quem tibi verberandæ deſtinaſti, priùs à me conciſus atque laceratus interibit ipſe, quam tuam plumeam lacteamque contingat cutem. Sed mihi cum fide memora, oro, quod tuum factum [3] ſcævitas conſecuta in meum convertit exitium. Adjuro enim tuum mihi cariſſimum caput, nulli me prorſus, ac ne tibi quidem ipſi adſeveranti poſſe credere, quod tu quidquam in meam cogitaris perniciem. Porrò meditatus innoxios caſus incertus, vel etiam adverſus culpæ non poteſt addicere. * * * * * * * * * * *

Interpretatio.

uem. Et hoc effata profert è ſinu ſuo quandam ſcuticam, & mihi offerens: Sume, quæſo, ait, ultionem de infida muliere: quin immò affice me quolibet cruciatu, per me licet. Attamen ne credas, obſecro, me tibi ultrò confeciſſe iſtam ægritudinem. Abſit ut feras propter me vel minimam anxietatem. Ac ſi aliquid ſiniſtri impendeat tuo capiti, illud totum jam nunc expietur meo cruore. Verùm quod mihi imperatum eſt ut facerem alterius rei gratiâ, illud converſum eſt in tuam contumeliam ſiniſtro quodam meo fato. Tunc ego commonefactus meæ ſolitæ curioſitatis, & magnoperè cupiens mihi aperiri latentem cauſam hujus facti, ſic reſpondeo: Scutica iſta omnium quidem peſſima, maximéque temeraria, quam paraſti ad te flagellandam, peribit ipſa diſſecta à me ac dilaniata, priuſquàm attingat tuam molliſſimam candidiſſimamque pellem. Sed narra mihi, quæſo, fideliter quid feciſti, quod malignitas fati poſteà ſecuta deflexit in meam perniciem. Juro enim per tuum dilectiſſimum caput me nemini penitùs poſſe credere, te meditatam eſſe aliquid in meum exitium, ac ne tibi quidem ipſi, tametſi id affirmes. Cæterùm eventus dubius, aut etiam contrarius non poteſt efficere ut innocuæ cogitationes fiant affines culpæ. * * * * * * * * * * * * * * * *

Notæ.

1. *Lorum quempiam.*] Multa ſunt vocabula neutrius generis, quæ apud priſcos maſculino genere dicebantur, ut *guttur, corius, collus*, & hoc loco *lorus*. Similiter & diverſo genere dixerunt *hæc ludus, hæc metus, hæc amnis, hic frons*, &c.

2. *Dii mihi meliùs*, &c.] Supple *dent* vel *faciant*. Sic Virgil.

Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum.

3. *Scævitas.*] Fortunæ malignitas, & infelicitas; quæ enim *ſcæva*, ſeu *ſiniſtra*, eadem noxia, & infauſta ut plurimùm habita ſunt. Sic lib. 1. *ſiniſtro pede profectum*, hoc eſt, *malis avibus*,

Sic illa lætitiâ recreata, Patere, inquit, oro, priùs fores cubiculi diligenter occludam; ne ſermonis elapſi profanâ petulantiâ committam grande flagitium. Et cum dicto peſſulis injectis, & uncino firmiter immiſſo, ſic ad me reverſa, colloque meo manibus ambabus implexa, voce tenui, & admodum diminutâ: Paveo, inquit, & formido ſolidè domus hujus operta detegere, & [1] arcana dominæ meæ revelare ſecreta. Sed meliùs de te doctrinâque tuâ præſumo; qui præter generoſam natalium dignitatem, præter ſublime ingenium, [2] ſacris pluribus initiatus, profectò noſti ſanctam ſilentii fidem. Quæcumque igitur commiſero hujus religioſi pectoris tui penetralibus, ſemper hæc intra conſeptum clauſa cuſtodias oro, & ſimplicitatem relationis meæ tenacitate taciturnitatis tuæ remunerare. Nam me, quæ ſola mortalium novi, vis amoris, quo tibi teneor, indicare compellit. Jam ſcies omnem domus noſtræ ſtatum: jam ſcies heræ meæ miranda ſecreta, quibus [3] obaudiunt Manes, turbantur ſidera, coguntur numina, ſerviunt elementa. Nec unquam magis artis hujus violentia nititur, quàm cùm ſcitulæ formulæ juvenem quempiam libenter aſ-

INTERPRETATIO.

Sic illa refecta gaudio, Sine me, obſecro, inquit, priùs claudere ſedulò januam cubiculi, ne perpetrem magnum ſcelus impiâ procacitate verborum, quæ mihi exciderint. Et hoc dicto immittit peſſulos, atque inſerit validè uncum, & ſic regreſſa ad me, & complexa utrâque manu meas cervices, dicit mihi *voce demiſsâ, ac valdè imminutâ: Metuo trepidóque penitùs revelare abſcondita hujus domus, & prodere occulta ſecreta meæ heræ. Sed meliùs ſentio de te & de tua eruditione; qui præterquàm quod ortus es generoſis nobiliſſimiſque parentibus, & polles excellenti ingenio, inauguratus es præterea permultis religionibus;* ideoque *procul dubio cognoſcis ſacram fidem ſilentii. Omnia ergo, quæ credidero adytis tui iſtius ſancti pectoris, obſecro,* ut *ea ſemper ſerves concluſa intra clauſtra* ipſius, *& penſes ſinceritatem meæ narrationis conſtantiâ tui ſilentii. Amor enim vehemens, quo me habes devinctam, cogit me, cui ſoli hominum illa nota ſunt, ea tibi revelare. Jam noſces omnem ſtatum noſtræ domûs: jam noſces ſtupenda arcana meæ heræ, quibus umbræ obſequuntur & aſtra perturbantur,* quibus *Dii obſtringuntur,* quibus denique *elementa famulantur. Neque unquam magis adhibet vim hujus artis quàm cùm intuita eſt libidinosè aliquem juvenem decori vultûs, quod*

NOTÆ.

1. *Arcana.*] Feſtus. *Arcani ſermonis ſignificatio trahitur ſive ab arce, quæ tutiſſima pars urbis eſt, ſive à genere ſacrificii, quod in arce fit ab Auguribus adeo remotum à notitia vulgari, ut ne litteris quidem mandetur, ſed per memoriam ſucceſſorum celebretur: ſive ab arca, in qua quæ clauſa ſunt tuta manent: cujus ipſius origo ab arcendo pendet.*

2. *Sacris pluribus initiatus.*] Sacerdotem fuiſſe in provincia Africa Apuleium D. Auguſtinus ait, cumque tunc & munera edidiſſe, & venatores veſtiviſſe. Porrò nihil majore curâ ab Ethnicorum ſacerdotibus cautum eſt, quàm ut ne ſacrarum cærimoniarum arcana profanis auribus proderentur. Itaque, qui ſacris initiabantur, graviſſimo adigebantur ſacramento ad ea, quæ vidiſſent, aut audiviſſent, ſilentio premenda.

3. *Obaudiunt.*] Morem gerunt ὑπακούουσι.

pexit. quod quidem ei ſolet crebriter evenire. Nunc etiam adoleſcentem quendam Bœotium ſummè decorum efflictim deperit, totiúſque artis manus, & machinas omnes ardenter exercet. Audivi veſperi, meis his, inquam, auribus audivi, quod, ni celeriùs Sol cœlo ruiſſet, noctique ad exercendas illecebras magiæ maturiùs ceſſiſſet, [1] ipſi Soli nubilam caliginem & perpetuas tenebras comminantem. Hunc juvenem, cùm è balneis rediret ipſa, tonſtrinæ reſidentem heſternâ die fortè conſpexit: [2] ac me capillos ejus, qui jam [3] cæde cultrorum deſecti humi jacebant, clanculò præcepit auferre. Quos me ſedulò furtimque colligentem tonſor invenit; &, quod alioqui publicitùs maleficæ diſciplinæ perinfames ſumus, arreptam inclementer increpat: Tu-ne ultima non ceſſas ſubinde lectorum juvenum capillamenta ſurripere? Quod ſcelus niſi tandem deſines, [4] Magiſtratibus te incontanter objiciam. Et verbum facto ſecutus, immiſsâ manu ſcrutatus è mediis papillis meis jam capillos abſconditos iratus arripuit. Quo geſto graviter affecta, mecúmque reputans dominæ meæ mores,

INTERPRETATIO.

ſolet quidem ſæpè ipſi contingere. Nunc etiam perditè amat quendam juvenem Bœotium præſtantiſſimæ formæ, & adhibet omnem potentiam ſuæ artis cunctaque artificia. Audivi heri *veſperè, audivi, inquam, his meis auribus ipſam interminantem Soli nebuloſam obſcuritatem, tenebraſque ſempiternas, niſi velociùs præcipitaſſet cœlo, dediſſetque citiùs locum nocti ad tractanda illectamenta magica. Heri cùm ipſa reverteretur à lavacro, vidit fortè fortuna hunc adoleſcentem ſedentem in officinâ tonſoris: mihique imperavit, ut auferrem ejus crines, qui jam jacebant humi reciſi ſectione forficum. Quos cùm colligerem diligenter, & clanculùm, tonſor deprehendit me; & quia nos aliunde publicè laboramus infamiâ veneficæ artis, apprehendit me, & objurgat ſeveriter: Tu-ne contemptiſſima* mulierum *non deſinis ſuffurari crebrò crines formoſorum adoleſcentum? A quo crimine niſi abſtines tandem, ſiſtam te ſine morâ coram judicibus; & addens facta verbis, manu injectâ inveſtigans extraxit iratus ex mediis meis mammis crines, quos jam recondideram. Quo facto ego mœſta, & recogitans apud me indolem meæ heræ, quod ſo-*

NOTÆ.

1. *Ipſi ſoli nubilam caliginem, & perpetuas tenebras comminantem.*] Apud Lucanum venefica ſolem alloquens:

——— ——— *Tibi peſſime mundi*
Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis,
Et medio feriere die.

2. *Ac me capillos ejus, &c. præcepit auferre.*] Capillorum ad amatoria incantamina præcipuus uſus. Virgil. in Pharmacentria.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit
Pignora chara ſui, quæ nunc ego limine in ipſo
Terra, tibi mando. Debent hæc pignora Daphnin.

Per *exuvias*, capillos præſertim intellige. Vide Lucianum in Dialogis Meretriciis.

3. *Cæde cultrorum.*] Id eſt, *ſectione.* Hìc *cædes* activè ſumitur. At *ligni & frondium cædem* paſſivè dixit A. Gellius lib. 19. cap. 12.

4. *Magiſtratibus te*, &c. Erat quippe ars magica legibus prohibita, animadvertebaturque graviter in veneficas.

quòd hujus rei repulsâ ſatis acriter commoveri, meque verberare ſæviſſimè conſuevit; jam de fuga conſilium tenebam: ſed iſtud quidem tui contemplatione abjeci ſtatim. Verùm cùm triſtis inde diſcederem, ne prorſus vacuis manibus redirem; conſpicio quendam forficulis attondentem caprinos utres. Quos cùm probè conſtrictos inflatoſque, & [1] jam pendentes cernerem; capillos eorum humi jacentes, flavos, ac per hoc illi Bœotio juveni conſimiles, pluſculos aufero: eoſque dominæ meæ diſſimulatâ veritate trado. Sic noctis initio, priuſquàm cœnâ te reciperes, Pamphile mea jam vecors animi, [2] tectum ſcandulare conſcendit, quod altrinſecùs ædium patore perflatili nudatum, [3] ad orientales cæteroſque omnes aſpectus pervium, maximè his artibus ſuis commodum ſecretò colit. Priuſque apparatu ſolito inſtruit feralem officinam, omne genus [4] aromatis, & [5] ignora-

INTERPRETATIO.

let graviſſimè iraſci, & me cædere crudeliſſimè, cùm paſſa eſt repulſam in hac re: jam deliberabam de fugiendo, verùm illicò repudiavi illud conſilium, tui conſideratione. Sed cùm abirem illinc mœſta, ne reverterer manibus omninò inanibus; conſpicor quendam tondentem forficibus pelles hircinas. Quas cùm viderem pulcrè colligatas, tumefactaſque, & jam ſeipſis *ſtantes; tollo ſat multos villos earum ſparſos per humum, coloris flavi, ideoque ſimiles capillis illius adoleſcentis Bœotii, eoſque do meæ heræ diſſimulans quod erat. Sic principio noctis, anteqùam diſcederes à cœna, Pamphile mea* hera *jam impos animi aſcendit in* pergulam *coopertam ſcandulis, quam clam frequentat in altiori parte domûs poſitam, patentem apertura expoſitâ ventis, & habentem proſpectum in orientales & reliquas omnes plagas* mundi, *inprimis aptam his ſuis artibus. Et primùm adornat exitiabilem officinam ſupellectile conſueta;* ſcilicet *aromatibus omnis generis, laminis in-*

NOTÆ.

1. *Jam pendentes.*] Id eſt, *jam ſponte ſuâ ſtantes*, ob aërem ingeſtum, quo tumebant, & ſuſtentabantur. *Pendere* enim etiam *ſtare* ſignificat. Phædrus, lib. 5.

Curſu volucri pendens in novacula, &c.

Arnobius, lib. 3. in ſimili re: *Et viduatos interioribus cunctis, tanquam utres ſufflatos, turgidorum corporum inanitate pendere.*

2. *Tectum ſcandulare.*] Ex *ſcandulis* factum. Sunt autem *ſcandulæ* Vitruvio tabulæ ligneæ anguſtæ & oblongæ, quibus tegularum loco multis in locis domus conteguntur. Vocamus *du bardeau.* Iſidorus non *ſcandulas*, ſed *ſcindulas* vocat, aitque à *ſcindendo* dictas. At, præter Vitruvium jam laudatum, in lege *Quibuſdam 6.* ff. *de Jure immunitatis. ſcandularii* dicuntur, non *ſcindularii*, qui ejuſmodi tabulis ligneis hyberna contegunt.

3. *Ad orientales*, &c. *aſpectus.*] Vide ſuprà, lib. 2. de Zachla Ægyptio.

4. *Aromatis.*] Cinnamo puta, pipere, zinzibere, &c. quæ vulgò *ſpecies*, Græcis τὰ εἴδη appellantur.

5. *Ignorabiliter laminis literatis defletorum, ſepultorum etiam cadaverum expoſitis multis admodum membris.*] *Laminæ ignorabiliter litteratæ* ſunt *ignotis characteribus inſculptæ*. Membrorum cadaverum, & laminarum litterararum in apparatu magico meminit Tac. l. 2. Annal. ubi de veneficiis Piſonis & Plancinæ in Germanicum. *Sævam vim morbi augebat perſuaſio veneni à Piſone accepti-*

biliter laminis litteratis, & [1] infelicium navium durantibus clavis; defletorum, ſepultorum etiam cadaverum expoſitis multis admodum membris. hîc nares & digiti; [2] illic carnoſi clavi pendentium; alibi trucidatorum ſervatus cruor, & extorta dentibus ferarum trunca calvaria. Tunc decantatis [3] ſpirantibus fibris, litat vario latice. nunc

INTERPRETATIO.

ſculptis ignotis characteribus, & clavis, qui ſupererant ex navigiis infortunatis, & plurimis expoſitis artubus corporum conclamatorum, atque etiam tumulatorum. Hic naſi erant, & digiti, illic clavi cruci affixorum, quibus carnis particulæ adhærebant; alibi ſanguis occiſorum conſervatus, & crania ſemiroſa erepta dentibus beſtiarum. Tum inhalatis magico carmine extis adhuc palpitantibus, libat diverſos liquores, modò

NOTÆ.

& reperiebantur ſolo ac parietibus eruta humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres, ac tabe obliti, aliáque maleficia, quîs creditur animas Numinibus infernis ſacrari.

1. *Infelicium navium durantibus clavis, &c.*] Ex hac ſcriptura, quæ Scriverianæ editionis eſt, licet non benè ſanâ, ſenſum qualemcunque elicui, qui fortaſſe non diſplicebit. Pricæi & Elmenhorſtii editiones habent, auctore Paſſeratio, ad Propertium, pag. 336. *Infelicium avium durantibus damnis defletorum.* Elmenhorſtius τῷ *damnis* interpretatur *pennis detractis.* Sed non placet tam longè petita explicatio. Lipſius ad lib. 2. Annal. Taciti hunc Apuleii locum ſic legit, *infelicium Manium durantibus calvis.* Quod intelligendum eſſet de craniis, ſeu calvariis mortuorum. Sed quia mox calvariam Apuleius annumerat huic magicæ ſupellectili, minus mihi veriſimile fit eum hoc loco de calvariis locutum fuiſſe, & idem bis dixiſſe. *Infelices naves* hîc intelligo *naufragio diſcerptas.*

2. *Illic carnoſi clavi pendentium.*] Neſcio quid Beroaldus hîc ſomniat de clavis pedum ulceribus. Intellige clavos ferreos ſeu chalybeos, quibus ſontes cruci adfigebantur, qui ideò *carnoſi* dicuntur, quòd ipſis adhuc adhærerent carnis particulæ. Adhiberi quartanis ejuſmodi clavos ait Plinius, lib. 28. cap. 4. *Item in quartanis fragmentum clavi à cruce, involutum lanâ collo ſubnectunt.* En tibi luculentam ſimilis apparatûs deſcriptionem ex Lucano, lib. 6. *Tunc omnes avidè deſævit*

(Eriſychtone) *in artus,*
Immerſitque manus oculis; gaudetque gelatos
Effodiſſe orbes: & ſiccæ pallida rodit
Excrementa manûs: laqueum nodoſque recentes
Ore ſuo rupit: pendentia corpora carpſit,
Abraſitque cruces: percuſſaque viſcera nimbis
Vulſit, & incoctas admiſſo Sole medullas.
INSERTUM MANIBUS CHALYBEM, *nigramque per artus*
Stillantis tabi ſaniem; viruſque coactum
Suſtulit, & nervo morſus retinente pependit.
Et quacumque jacet nudum tellure cadaver,
Ante feras volucreſque ſedet, nec carpere membra
Vult ferro manibuſque ſuis, MORSUSQUE LUPORUM
EXPECTAT, SICCIS RAPTURA E FAUCIBUS ARTUS.

Quam Appoſitè hæc poſtrema verba ad hunc locum Noſtri *& extorta dentibus ferarum trunca calvaria!*

3. *Spirantibus fibris.*] *Fibræ* in haruſpicina ſunt extremæ viſcerum partes, quarum in extiſpicio præcipua conſideratio eſt.

rore

liquore fontano, nunc lacte vaccino, nunc melle montano. libat & [1] mulsâ. Sic illos capillos in mutuos nexus obditos, atque nodatos, cum multis odoribus dat vivis carbonibus adolendos. Tunc protinus inexpugnabili Magicæ diſciplinæ poteſtate, & cœcâ numinum coactorum violentiâ, illa corpora quorum fumabant ſtridentes capilli, ſpiritum mutuantur humanum, & ſentiunt, & audiunt, & ambulant: &, qua nidor ſuarum ducebat exuviarum veniunt; &, pro illo juvene Bœotio aditum [2] geſtientes, fores inſiliunt. Cùm ecce crapulâ madens, & improvidæ noctis deceptus caligine audacter mucrone diſtricto, [3] in inſani modum Ajacis armatus, non, ut ille, vivis pecoribus infeſtus, tota laniavit armenta: ſed longè fortiùs, qui tres inflatos caprinos utres exanimaſti: ut ego te proſtratis hoſtibus ſine maculâ ſanguinis, non homicidam nunc, ſed utricidam amplecterer. Ac ſic lepido ſermone Fotidis invicem cavillatus, Ergo igitur jam & ipſe poſſum, inquam, mihi primam iſtam virtutis [4] adoream ad exemplum [5] duodeni

INTERPRETATIO.

aquam fontanam, modò lac bubulum, modò mel montanum. effundit etiam aquam *medicatam melle. Hiſque peractis, tradit prunis ardentibus illos caprinos villos implexos, & colligatos mutuis connexionibus, concremandos cum multis aromatis. Tunc ineluctabili potentiâ magicæ artis, & occultâ vi Deorum coactorum* incantaminibus, *corpora illa, quorum villi fumabant cum ſtridore, ſortiuntur* ſtatim *animam humanam, ſentiunt, & audiunt, & incedunt: & veniunt, quà fumus ſuorum ſpoliorum* ea *attrahebat, & loco illius adoleſcentis Bœotii cupientia ingredi, inſultant januæ. Cùm ecce perlitus vino, & inductus in errorem obſcuritate tenebroſæ noctis, enſe fortiter nudato, armatus inſtar Ajacis furioſi, non, quemadmodum ille, infenſus armentis viventibus, laceravit totos greges, ſed* geſſiſti *te multò virilius, qui ſpiritu privaſti tres pelles hircinas vento turgidas; ut adverſariis tuis interfectis abſque ullâ notâ cruoris, ego nunc complecterer te interfectorem non hominum, ſed utrium. Et ſic rependens jocum facetæ narrationi Fotidis, Ergo, inquam, & ipſe quoque jam poſſum numerare mihi hanc primam laudem fortitudinis ad inſtar unius ex duo-*

NOTÆ.

1. *Mulſa.*] Eſt aqua melle condita, & *mulſum* vinum melle medicatum. Aliquando adjungitur ſubſtantivum, quod hîc ſubintelligendum eſt, diciturque *aqua mulſa*, &, *vinum mulſum.*

2. *Geſtientes.*] Quia de illis corporibus tanquam de hominibus animatis loquitur, dicit *geſtientes*, cùm Syntaxeôs ratio poſcat *geſtientia.*

3. *In inſani modum Ajacis.*] Telamonii nimirùm, qui furens ob negata ſibi Achillis arma, pecora laniabat, exiſtimans ſe Græcos cædere. Duos verò eximios tauros, ſeu, ut alii tradunt, arietes alligatos flagellabat, ratus alterum eſſe Ulyſſem, alterum verò Agamemnonem.

4. *Adoream.*] Feſtus: *Adoream laudem ſive gloriam dicebant, quia glorioſum eum putabant eſſe, qui farris copiâ abundaret. Ador enim farris eſt genus.*

5. *Duodeni laboris Herculei.*] Duodecim labores exantlavit Hercules, juſſu Euryſthei Mycenarum Regis, cui parere coactus fuerat novercæ Junonis odiis. Hos labores Philippus Byzantius, ſex verſibus expreſſit, qui his pari numero Latinis redditi ſunt.

Dextra feram Nemeæ petiit mea: perdidit hydram,
Et taurum: malas inde cecidit apri.
Balteus eſt captus: ſunt aurea mala relata:

laboris Herculei numerare, vel trigemino corpori Geryonis, vel triplici formæ Cerberi totidem peremptos utres coæquando. Sed ut ex animo tibi volens omne delictum, quo me tantis angoribus implicâſti, remittam, præſta, quod ſummis votis expoſtulo: & dominam tuam, cùm aliquid hujus divinæ diſciplinæ molitur, oſtende: cùm Deos invocat, certè eam reformatam videam. Sum namque coram Magiæ noſcendæ ardentiſſimus cupitor. quanquam mihi nec ipſa tu videare talium rerum rudis & expers. Scio iſtud, & planè ſentio; cùm ſemper alioqui ſpretorem matronalium amplexuum, ſic tuis iſtis micantibus oculis, & rubentibus bucculis, & renitentibus crinibus, & hiantibus oſculis, & fragrantibus papillis, in ſervilem modum addictum, atque mancipatum teneas volentem. Jam denique nec Larem requiro, nec domuitionem paro, & nocti iſti nihil antepono. Quàm vellem, inquit illa, præſtare tibi, ô Luci, quod cupis: ſed propter invidos mores in ſolitudinem ſemper abſtruſa, omnium præſentiâ viduata ſolet ſecum hujuſmodi ſecreta perficere. Sed tuum poſtulatum præponam periculo meo, idque obſervatis opportunis temporibus ſedulò perficiam: modò, ut initio præfata ſum, rei tantæ fidem ſilentiumque tribue. * * * * *

* * * * * * *

* * * * * * * *

Interpretatio.

decim laboribus Herculis, æquiparando vel triplici corpori Geryonis, vel tricipiti figuræ Cerberi totidem utres interfectos. Verùm ut tibi condonem ſincerè, & libenter iſtud peccatum, quo me impediviſti tantis ægritudinibus animi, effice, quod cupio maximo ſtudio: & monſtra mihi *tuam heram cùm aggreditur aliquid* pertinens *ad hanc divinam artem; cùm voce ciet numina; ſaltem videam ipſam mutatam* in aliam formam. *Sum enim cupidiſſimus cognoſcendæ propiùs,* & clarius *Magiæ. Quanquam nec tu ipſa mihi videris ignara & imperita ejuſmodi rerum. Hoc ſcio, atque penitùs experior* in me; *cùm me (qui tamen ſemper aſpernatus ſum complexus nobilium fœminarum) detineas inſtar ſervi tibi ultrò adſtrictum, & ſubditum, tuis iſtis ocellis fulgurantibus, & labellis rubicundis, & capillis ſplendentibus, & baſiis hiulcis, & uberibus ſuaveolentibus. Denique jam nec teneor deſiderio domûs meæ, nec meditor* ad illam *redire, & nihil potius habeo hac nocte. Quàm cuperem, inquit illa, efficere, quod poſtulas, ô Luci: verùm* mea hera *propter* hominum *malevolentiam conſuevit ſemper facere talia arcana, ſola, abſcondita in ſecretum locum, & ſemota ab omnium conſpectu. Sed præferam tuam petitionem meo diſcrimini, & id præſtabo ſtudioſè exploratis momentis idoneis. Tu tantùm præſta fidem & taciturnitatem rei tanti momenti, ut jam præmonui.* * * * *

* * * *

* * * *

* * * *

* * * *

* * * * *

Notæ.

Geryoniſque boves, & Diomedis equi.
Augias me non fugit, non cerva volucris.
Cerberus eductus: nunc ſed Olympus habet.

Jamque luminibus noſtris vigiliâ marcidis infuſus ſopor, etiam in altum diem nos attinuit. Ad hunc modum tranſactis voluptariè paucis noctibus, quadam die percita Fotis, ac ſatis trepida [1] me accurrit: indicatque dominam ſuam, quòd nihil etiam tunc in ſuos amores cæteris artibus promoveret, nocte proximâ in avem ſeſe plumaturam, atque ad ſuum cupitum ſic devolaturam: proin memet ad tantæ rei ſpeculam cautè præpararem. Jamque circa primam noctis vigiliam, ad illud ſuperius cubiculum, [2] ſuſpenſo & inſono veſtigio me perducit, ipſaque per rimam oſtiorum quampiam [3] jubet arbitrari, quæ ſic geſta ſunt. Jam primùm omnibus laciniis ſe deveſtit Pamphile, &, arculâ quâdam reclusâ, pyxides pluſculas inde deprômit, de quîs unius operculo remoto, atque indidem egeſtâ unguedine, diuque palmulis ſuis adfricatâ, ab imis unguibus ſeſe totam aduſque ſummos capillos perlinit: multúmque cum lucernâ ſecretò collocuta, membra tremulo ſucuſſu quatit. Quîs leviter fluctuantibus, promicant molles plumulæ, creſcunt & fortes pinnulæ, duratur naſus incurvus, coguntur ungues adunci; fit bubo Pamphile. Sic, edito ſtridore querulo, jam ſui periclitabunda paulatim terrâ reſultat; mox in altum ſublimata, forinſecùs totis alis evolat. Et illa quidem magicis ſuis artibus volens reformatur. At ego nullo decantatus carmine, præſentis

INTERPRETATIO.

Jamque ſomnus illapſus noſtris oculis fatigatis vigilando, detinuit nos in lecto *uſque in multam lucem. Sic peractis genialiter aliquot noctibus, quodam die Fotis advolat ad me commota, & valde trepidans: monetque me, heram ſuam, quia nihil proficeret hactenus reliquis machinationibus in ſuis amoribus, ſeſe mutaturam ſequenti nocte in volucrem plumis* indutis, *& provolaturam eo ornatu ad ſuum dilectum: proinde*que *accingerem me diligenter ad contemplationem rei tam miræ. Et jam incipiente nocte deducit me gradu ſuſpenſo, ac tacito ad illud ſummum tabulatum, & ipſa jubet* me *aſpicere per quandam fiſſuram januæ*, ea *quæ peracta ſunt hoc modo. Primùm quidem Pamphile exuit omnes veſtes, &, apertâ quâdam parvâ arcâ, profert ex illâ ſat multas pyxides, quarum unius ſublato operculo, & educto ex ipſâ unguento, & illito diu ſuis manibus, ungit ſe totam ab infimis unguiculis* pedum *ad ſummos uſque crines: cúmque plurimùm immurmuraſſet lampadi voce demiſſa, ſuccutit* ſuos *artus agitatione trepidanti. Quibus placidè trementibus, plumæ molliores prodeunt, & pennæ duriores prorumpunt, naſus indureſcit*, & *incurvatur, ungues coarctantur*, & fiunt *adunci; Pamphile vertitur in bubonem. Sub hac forma ſtridens quiddam lugubre, jam capiens experimentum de ſemetipſâ exilit paululùm è terrâ; mox elata in ſublime, toto alarum* impetu *evolat foras. Et illa quidem deditâ operâ mutatur arte ſuâ Magicâ. At ego nullis verbis Magicis incantatus*, ſed *tantùm*

NOTÆ.

1. *Me accurrit.*] *Currit ad me*, more ſuo præpoſitionis regimen dat verbo, cui præfixa eſt.

2. *Suſpenſo & inſono veſtigio.*] l. 5. *Suſpenſis per formidinem greſſibus.*

3. *Jubet arbitrari, &c.*] Hoc eſt, *Spectare, obſervare.* Hoc ſenſu *arbitrari* ſæpe reperias apud Plautum.

tantùm facti ſtupore defixus, quidvis aliud magis videbar eſſe, quàm Lucius. Sic [1] externatus animi, atque in amentia attonitus, vigilans ſomniabam; defrictis adeò diu pupillis, an vigilarem ſcire quærebam. Tandem denique reverſus ad ſenſum præſentium, arreptâ manu Fotidis, & admotâ meis luminibus; Patere, oro te, inquam, dum dictat occaſio, magno & ſingulari me affectionis tuæ fructu perfrui, & impartire nobis unctulum indidem, [2] per iſtas tuas pupillas, mea mellitula: tuumque mancipium irremunerabili beneficio ſic tibi perpetuò pignera; ac jam perfice, ut meæ Veneri Cupido pinnatus aſſiſtam tibi. An, inquit, [3] vulpinaris amaſio, [4] meque ſponte aſciam cruribus meis illidere compellis? [5] Siccine meum ipſa Lucium puellis conſervo Theſſalis? Hunc alitem factum ubi quæram? Quando videbo? A me ſcelus iſtud depellant Cœlites, inquam: ut ego quam-

INTERPRETATIO.

attonitus admiratione rei, *quæ tum gerebatur, videbar eſſe potius quidlibet aliud, quàm Lucius. Sic abalienatus mente, & obſtupefactus uſque ad inſaniam, ſomniabam* licèt *vigilans. Cæterum perfrictis diu oculis explorabam an vigilarem. Noviſſimè tandem regreſſus ad animadverſionem eorum, quæ tum gererentur, apprehenſâ dextrâ Fotidis, applicatâque meis oculis; Sine me, inquam, te rogo, percipere ingentem, & egregium fructum tui amoris, dum occaſio ſuadet. Et da mihi paululùm unguenti ex eadem* pyxide. Oro te *per hos tibi* addictos *oculos mea dulcicula: & hoc facto tibi æternùm obſtringe me tuum ſervum benefacto, cui nunquam potero referre parem gratiam. Et nunc effice, ut adſtem tibi meæ Veneri Cupido alatus. Moliriſ-ne fraudem, inquit,* mi *amaſie? mihique auctor es ut* ego *ipſa impingam ultrò dolabram in meas tibias? itane ego conſervo meum Lucium virginibus Theſſalis? ubi inveſtigabo ipſum cùm verſus fuerit in avem? quando-nam videbo eum? Dii, inquam, avertant à me illud crimen: ut ego poſt*quam ad-

NOTÆ.

1. *Externatus animi.*] Quidam *exterminatus.* Nihil mutes. Sic in Apologia: *ad oblivionem præſentium externari. Externatus animi* dicitur, ut *dubius animi, impos animi*, &c.

2. *Per iſtas tuas papillas.*] Sic vulgati libri. Lipſ. lib. 10. Elect. cap. 18. emendat *pupillas*, optimè. Dixit enim paulò ſuprà: *arreptâ manu Fotidis, & admotâ meis luminibus*: oculos ſuos Fotidi blandiens, ipſius Fotidis *pupillas* appellat, quòd ipſi penitùs devoti, & addicti eſſent.

3. *Vulpinaris.*] *Vulpinari*, inquit Nonius, *dictum eſt fraudibus ac mendaciis vera pervertere, vel effingere. Dictum ab inrecto, ſeu intorto vulpium curſu, Var. Myſteriis*:

Vulpinare modò, concurſâ quâlibet erras.

Vulpionem quoque veteres dixêre doloſum & palpatorem.

4. *Meque ſponte aſciam*, &c.] Proverbium eſt ductum à materiariis fabris, in eos, in quorum perniciem cedit, ſi quid moliuntur.

5. *Siccine meum ipſa Lucium puellis, &c.*] Sic Aldina editio, niſi quòd loco τῷ *pullis*, quod habet, ego repoſui *puellis.* Senſus eſt: *An ſic ſervo meum Lucium virginibus Theſſalis, ad quas ales factus, ſtatim ſe conferet, ac me deſeret?* Id manifeſtè probant, quæ Lucius mox ſubjungit. Omiſſis itaque cæterorum lectionibus & commentis, huic lectioni inhæreo.

vis ipſius aquilæ ſublimis volatibus toto cœlo pervius, & [1] ſupremi Jovis certus nuntius, vel lætus armiger, tamen non ad meum nidulum poſt illam pinnarum dignitatem ſubinde devolem. Adjuro per dulcem iſtum capilli tui nodulum, quo meum vinxiſti ſpiritum, me nullam aliam meæ Fotidi præmalle. Tunc etiam iſtud meis cogitationibus occurrit, cùm ſemel avem talem perunctus induero, domus omneis procul me vitare debere. Quàm pulcro enim, quámque feſtivo matronæ perfruentur amatore bubone! Quid? quòd & [2] iſtas nocturnas aves, cum penetraverint Larem quempiam, ſollicitè prehenſas foribus videmus adfigi; ut, [3] quod infauſtis volatibus familiæ minantur exitium, ſuis luant cruciatibus. Sed, quod ſciſcitari pœnè præterivi, quo dicto, facto-ve rurſum exutis pinnulis illis, ad meum redibo Lucium? Bono animo es, quod ad hujus rei curam pertinet, ait. nam mihi domina ſingula monſtravit, quæ poſſunt rurſùs in facies hominum tales figuras reformare. Nec iſtud factum putes ullâ

INTERPRETATIO.

eptus eſſem *hoc decus alarum, non tamen advolarem frequenter ad meum nidulum, tametſi liberè permearem per totum cœlum elatus volatu ipſius aquilæ,* & eſſem *fidus nuntius Jovis, aut alacer geſtator fulminis. Juro* tibi *per iſtum ſuavem nodulum tuæ comæ, quo obſtrinxiſti meum animum, me nullam aliam præferre meæ Fotidi. Tum etiam hoc mihi venit in mentem, quando ego ſemel perlitus iſto unguento mutatus fuero in volucrem ejuſmodi, mihi longè fugiendas eſſe omnes domos. Quam formoſum enim, & quam lepidum amaſium bubonem matronæ habituræ ſunt! Quid? quòd videmus has volucres noctivagas, cùm intraverint in domum aliquam, capi ſummâ curâ, & effigi ad januas, ut expient ſuis ſuppliciis calamitatem, quam portendunt familiæ ſuis ſiniſtris volatibus. Verùm, quod fere oblitus ſum quærere, quid erit mihi dicendum, aut faciendum ut revertar ad hanc meam formam Lucii depoſitis illis plumis? Ne ſis ſollicitus quantum ſpectat ad hanc rem, inquit, hera enim oſtendit mihi omnia, quæ poſſunt iterùm mutare ejuſmodi formas in vultus humanos. Neque* tamen *credas* illam *hoc*

NOTÆ.

1. *Supremi Jovis certus nuncius, &c.*] Aquilam ideo *Jovis nuntiam*, & fulminis miniſtram habitam fuiſſe Plin. libb. 2. & 10. tradit, quòd nunquam fulmine exanimetur.

2. *Iſtas nocturnas aves, &c. foribus videmus adfigi.*] Columella, lib. 10. de Re Ruſticâ.

Hinc Amithaonius docuit quæ plurima Chiron
Nocturnas crucibus volucres ſuſpendit, & altis
Culminibus vetuit feralia carmina flere.

3. *Ut, quod infauſtis volatibus familiæ minantur exitium, ſuis luant cruciatibus.*] Solebant enim veteres, ſi quid mali à monſtris funeſtis-ve animalibus portenderetur, id totum in ipſa regerere quantùm poterant, *ipſoque litare prodigio*, ut verbis Claudiani utar. Credebant enim eorum morte mala, quæ prænuntiarentur, depelli & averruncari. Unde Aruns ille Tuſcus Vates apud Lucanum, lib. 3.

Monſtra jubet primum, quæ miſto ſemine diſcors
Pretulerat natura, rapi, ſterilique nefandos
Ex utero fœtus infauſtis urere flammis.

benevolentiâ, ſed ut ei redeunti medelam ſalubrem poſſem [1] ſubſiſtere. Specta denique quàm parvis quàmque futilibus tanta res procuretur herbulis. Anethi modicum cum lauri foliis immixtum rore fontano datur lavacrum & poculum. Hæc identidem adſeverans, ſummâ cum trepidatione irrepit cubiculum, & pyxidem depromit arculâ. Quam ego amplexus, ac deoſculatus priùs, utque mihi proſperis faveret volatibus deprecatus, abjectis properè laciniis totis, avidè manus immerſi; &, haurito pluſculo uncto, corporis mei membra perfricui. Jamque alternis conatibus libratis brachiis, in avem ſimilem geſtiebam. Nec ullæ plumulæ, nec uſquam pinnulæ, ſed planè pili mei craſſantur in ſetas, & cutis tenella duratur in corium; & in extimis palmulis perdito numero, toti digiti coguntur in ſingulas ungulas; & de ſpinæ meæ termino grandis cauda procedit. Jam facies enormis, & os prolixum, & nares hiantes, & [3] labiæ pendulæ. Sic & aures immodicis [4] horripilant auctibus. Nec ullam miſeræ, reformationis video ſolatium, * * * *
* * * * * * * *
* * * * * * * *

Interpretatio.

feciſſe aliquâ in me propenſione animi, verùm ut poſſem ei opitulari aliquo ſalutari medicamine, cùm revertitur. Conſidera demùm, quàm exiguis, quàmque frivolis herbis res tam mira peragatur. Paululum anethi injectum in aquam fontanam cum frondibus lauri datur in lotionem, & in potum. Affirmans hæc ſubinde, penetrat ſe in conclave cum maximo tremore, & profert pyxidem ex arcula. Quam ego priùs complexus, & ſuaviatus, & precatus ut mihi largiretur fauſtos volatus, depoſitis feſtinanter veſtibus omnibus, cupidè immiſi manus, &, educto ſat multo unguento, perunxi artus mei corporis. Et jam jactans brachia niſibus reciprocatis, cupiebam mutari *in volucrem conſimilem. Neque* tamen *ullæ plumæ, aut ullæ pennæ* mihi naſcuntur, *ſed omnes mei pili vertuntur in villos craſſiores, & mea tenera pellis dureſcit in corium; & in extremis manibus omnes mei digiti amiſſo ſuo numero coaleſcunt in ſingulas ungulas, atque longa cauda prodit ex extremitate meæ ſpinæ. Jam vultus* mihi eſt *immodicus, & os longum, & nares patulæ, & labia pendentia. ſimiliter, & aures mihi creſcunt enormiter, & veſtiuntur pilis horridis. Neque cerno ullum ſolamen* meæ *infelicis metamorphoſeos,* * * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * * *

Notæ.

1. *Subſiſtere.*] *Opitulari.* frequenter occurrit hoc ſignificatu apud hunc Auctorem.

2. *Anethi modicum.*] Plin. lib. 20. cap. 18. *Anethum herba eſt jucundi odoris. Ructus movet, tormina ſedat, cohibetque ſingultus.* Sed de vi illa ejus magica nihil.

3. *Labiæ pendulæ.*] Benè *labiæ*, utpote enormes. Soſipater Chariſius: *labra modica: labia immodica.* Dicitur autem *labia*, & *labiæ*, ut *balnea*, & *balneæ*.

4. *Horripilant.*] Horridiore pilo fruticant. Vocabulum Apuleianum.

Ac dum ſalutis inopiâ cuncta corporis mei conſiderans, non avem me, ſed aſinum video; querens de facto Fotidis, ſed jam humano geſtu ſimul & voce privatus, quod ſolum poteram, poſtremâ dejectâ labiâ, humidis tamen oculis obliquum reſpiciens, ad illam tacitus expoſtulabam. Quæ ubi me primùm talem aſpexit, percuſſit faciem ſuam manibus infeſtis: &, Occiſa ſum, miſera, clamavit. Me trepidatio ſimul & feſtinatio fefellit, & pyxidum ſimilitudo decepit. Sed benè, facilior quòd reformationis hujus medela ſuppeditat. Nam roſis tantùm demorſicatis exibis aſinum, ſtatimque in meum Lucium [1] poſtliminio redibis. Atque utinam veſperi de more nobis parâſſem corollas aliquas, nec moram talem patereris vel noctis unius. Sed primo diluculo remedium feſtinabitur tibi. Sic illa mœrebat. Ego vero quanquam perfectus aſinus, & pro Lucio jumentum, ſenſum tamen retinebam humanum. Diu denique ac multùm mecum ipſe deliberavi, an nequiſſimam facinoroſiſſimamque feminam illam ſpiſſis calcibus feriens, & mordicitus adpetens necare deberem. Sed ab incepto temerario melior me ſententia revocavit: ne morte mulctatâ Fotide, ſalutares mihi ſuppetias rurſus extinguerem. Dejecto itaque & quaſſanti capite, ac [2] demuſſatâ temporali contumeliâ, duriſſimo caſui meo ſerviens, ad equum illum vectorem meum

Interpretatio.

dumque deſtitutus omni ſpe ſalutis contemplans totum meum corpus, aſpicio me non eſſe *alitem, ſed aſinum; conquerens de facto Fotidis, verùm jam amiſſo geſtu humano & loquelâ, querebar de ipſa apud me (quod unum licebat) demiſſo labio inferiore, contuens* illam *torvè oculis tamen madentibus* fletu. At *illa ſtatim atque vidit me ſic* mutatum, *feriit vultum ſuum manibus infenſis; exclamavitque, Perii infelix. Timor, ſimulque properatio me decepit, & ſimilitudo pyxidum me fefellit. Sed bono* tuo fato *fit, quod facilè remedium hujus transformationis præſto eſt. Ubi enim manderis modo roſas, depones* formam *aſini, ſtatimque fies iterum meus Lucius. Atque utinam præparaviſſem hac veſperâ juxta conſuetudinem meam aliquas coronas* roſeas. *non ſuſtineres ejuſmodi retardationem vel unius noctis; At ſummo mane medela parabitur tibi properè. Sic illa lamentabatur. Verum ego, quamvis* eſſem *aſinus abſolutus* ex omni parte, & factus *jumentum ex Lucio, ſervabam nihilominus mentem humanam. Denique penſitavi diu & multùm apud me, utrum deberem interficere mulierem illam peſſimam ſceleſtiſſimamque, percutiendo* eam *crebris calcibus, & ſcindendo morſibus. Sed prudentior cogitatio deterruit me ab imprudenti propoſito: ne, ſi punirem morte Fotidem præciderem mihi iterum auxilium ſalutare. Demittens igitur, & concutiens caput, gemenſque tacitè illam injuriam* duraturam *tantùm per aliquod tempus*, & *obtemperans meæ crudeliſſimæ fortunæ, recipio me in equile propè optimum illum equum meum*

Notæ.

1. *Poſtliminiò redibis.*] Vide notata ad finem libri primi.

2. *Demuſſatâ temporali contumeliâ.*] Terent. Adelphis, *Accipienda & muſſitanda injuria adoleſcentium eſt.* Ubi Donatus exponit *patienda, & cum ſilentio perferenda.*

[1] probiſſimum in ſtabulum concedo: ubi alium etiam Milonis [2] quondam hoſpitis mei aſinum ſtabulantem inveni. Atque ego rebar, ſi quod ineſſet mutis animalibus tacitum ac naturale ſacramentum agnitione ac miſeratione quâdam inductum equum illum meum, hoſpitium, [3] loca, ac lautia mihi præbiturum. Sed, [4] proh Jupiter Hoſpitalis, & [5] Fidei ſecreta Numina! præclarus ille vector meus cum aſino capita conferunt, in meamque perniciem illicò conſentiunt: &, verentes ſcilicet cibariis ſuis, ut me præſepio vidêre proximantem, dejectis auribus jam furentes, infeſtis calcibus inſequuntur. & abigor quàm procul ab hordeo, quod appoſueram veſperi meis manibus illi gratiſſimo famulo. Sic affectus, atque in ſolitudinem relegatus, angulo conceſſeram ſtabuli. Dúmque de inſolentiâ collegarum meorum mecum cogito, atque in alterum diem auxilio roſario Lucius denuò futurus, equi perfidi vindictam meditor; reſpicio [6] pilæ mediæ, quæ ſtabuli trabes ſuſtinebat, in ipſo ferè meditullio

INTERPRETATIO.

geſtatorem, ubi offendi etiam alium aſinum Milonis mei olim hoſpitis ibidem verſantem. Et arbitrabar illum meum equum impulſum quâdam cognitione & miſericordiâ mei mihi daturum hoſpitium, locum, & munera hoſpitalia; ſi muta animalia haberent aliquam ſecretam & ingenitam fidem. Verùm Proh! Jupiter Hoſpitalis, & arcanum Numen Fidei! egregius ille meus equus & aſinus admovent invicem capita, & ſtatim conſpirant unanimiter in meum exitium: &, ubi me conſpexerunt accedentem ad præſepe, demiſſis auribus, jam irâ perciti inſectantur me ſævis calcibus, timentes nempe ſuis cibis; & arceor longiſſimè ab illo hordeo, quod veſpere poſueram meis manibus ante meum illum famulum adeo memorem meorum *beneficiorum. Ita male mulctatus, & abactus in ſolitarium locum, receperam me in angulum equilis. Et dum penſito apud me proterviam meorum ſodalium, & animo paro ultionem mei perfidi equi,* ſciens me *denuo evaſurum Lucium poſtero die ope roſarum; conſpicor ſignum Deæ Eponæ poſitum in loculamento in ipſo ferè medio columnæ, quæ poſita in medio equili fulciebat ejus trabes, quod* ſimulacrum *fuerat*

NOTÆ.

1. *Probiſſimum.*] Amara ironia.

2. *Quondam hoſpitis mei.*] Immò paulò antè, nempè priùs, quam ex Lucio factus eſſet aſinus.

3. *Loca, ac lautia.*] Alludit ad morem Romanorum, qui, ut ait Plutarchus, in Problem. Legatis honoratiorum gentium per Quæſtores munera mittebant, *lautia dicta. Locum* prætereà deſignabant, ubi habitarent. Livius. *Locus inde lautiaque legatis præberi juſſa.* Dixerunt & *lautias*: utrumque à nomine *lautus*, erant enim lauta ac magnifica illa munera.

4. *Proh Jupiter hoſpitalis!*] Ζεὺς ξένιος. Ovid.

Juppiter, hoſpitibus nam te dare jura loquuntur, &c.

5. *Fidei ſecreta numina.*] *Fides* quoque antiquis Dea, ut & Concordia, & aliæ multæ. Euclio apud Plautum, in Aulularia, aulam onuſtam auro in Templo *Fidei* condit, ejuſque commendat fidei.

6. *Pilæ mediæ.*] *Pilæ* Vitruvio ſunt propriè columnæ quadratæ. At latiori ſignificatione *pila* eſt quodvis columen

Eponæ

[1] Eponæ Deæ ſimulacrum [2] reſidens ædiculæ, quod accuratè corollis roſeis equidem recentibus fuerat ornatum. Denique agnito ſalutari præſidio, pronus ſpei, quantùm extenſis primoribus pedibus adniti poteram, inſurgo validè: & cervice prolixâ nimiúmque porrectis labiis, quantò maximè niſu poteram corollas appetebam. Quòd me peſſimâ ſcilicet ſorte conantem, ſervulus meus, cui ſemper equi cura fuerat mandata, repentè conſpiciens, indignatus exurgit, &, Quouſque tandem, inquit, [3] cantherium patiemur iſtum, paulò antè cibariis jumentorum, nunc etiam ſimulacris Deorum infeſtum? Quin jam ego iſtum ſacrilegum, debilem claudúmque reddam. Et ſtatim telum aliquod quæritans, temerè faſcem lignorum poſitum offendit, rimatúſque frondoſum fuſtem cunctis vaſtiorem, non priùs miſerum me tundere deſiit, quàm ſonitu vehementi, & largo ſtrepitu percuſſis

INTERPRETATIO.

magnâ curâ decoratum roſeis coronis, & recentibus quidem. Cognito demùm ſubſidio meæ ſalutis proclivis in ſpem fortiter aſſurgo, quàm maximè poteram conari porrectis anterioribus pedibus: & producens collum, ac promovens admodum labra, captabam corollas, quàm maximo poteram conamine. Quod cùm molirer infelicisſimè nempe, puer meus, cui curatio mei equi ſemper commiſſa fuerat, conſpicatus me ſubitò, ſurgit iratus, & ait, Quandiu tolerabimus hunc vilem aſinum invadentem modò in cibos jumentorum, nunc in ipſas etiam ſtatuas Deorum? Sed jam hunc ſacrilegum efficiam infirmum, & claudicantem. Et illicò inveſtigans aliquid quo me ferret, reperit faſciculum lignorum ibi fortè jacentem, expeditoque inde *baculo folioſo craſſiore omnibus reliquis, non antè ceſſavit percutere me infortunatum, quam pulſatis foribus ingenti murmure & magno tumultu, ex-*

NOTÆ.

1. *Eponæ Deæ.*] Beroaldus & Pricæus habent *Hipponæ.* Quibus favet Fulgentius, *de priſco ſermone*, ad vocem *Semones*: nomenque videtur deductum à Græco ἵππος *equus*: erat enim equorum & ſtabuli Dea. Colvius, Scriverii editio, & Elmenhorſt. retinent *Eponæ*, ſuadente Turnebo, qui Adverſar. lib. 24. cap. 4. lectionem hanc librorum antiquitate confirmat, verſumque profert Juvenal. Satir. 8.

— — — — *jurat*
Solam Eponam, & facies olida ad præſepia pictas.

Ad quem vetus Scholiaſtes: *Epona Dea Mulionum eſt.* Nec cujuſquam momenti eſſe putat Turnebus Græculam hujus vocis originem, cùm Latini ita quæ Græcula ſunt interdum efferant, ut ortum ſuum ejurent. Turnebi ſententiam confirmant Minuc. Felix, in Octavio: *Niſi quod vos & totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Eponæ conſecratis.* Prudentius contra Unionitas,

Nemo Cloacinæ, aut Eponæ ſuper aſtra Deabus
Dat ſolium, quamvis olidam perſolvat acerram.

2. *Reſidens ædiculæ.*] *Ædicula* hæc excavata erat in ipſa pila. Hujuſmodi appellamus Gallicè, *niches.*

3. *Cantherium.*] Vile jumentum. Plaut. Aulul. *Ego faxim muli pretio, qui ſuperant equos, ſient viliores Gallicis cantheriis.* Idem, Captivis: *Qui advehuntur quadrupedanti crucianti cantherio.* Eſt & *cantherius* in ædificiis *un chevron.* Item Columellæ, & Plinio, *genus vineæ, quæ ſimplici jugo conſtat ordine porrecta.*

januis, trepido etiam rumore viciniæ conclamantis latrones, fugit territus. Nec mora, cùm vi patefactis ædibus, globus latronum invadit omnia, & ſingula domûs membra cingit armata factio: & auxiliis hinc inde convolantibus, obſiſtit diſcurſus hoſtilis. Cuncti gladiis ac facibus inſtructi noctem illuminant: coruſcat in modum ortivi Solis ignis & mucro. Tunc horreum quoddam ſatis validis clauſtris obſeptum obſeratumque, quod mediis ædibus conſtitutum, gazis Milonis fuerat refertum, ſecuribus validis aggreſſi diffindunt. Quo paſſim recluſo totas opes vehunt: raptímque conſtrictis ſarcinis ſinguli partiuntur. Sed geſtaminum modus numerum [1] gerulonum excedit. Tunc opulentiæ nimiæ nimio [2] ad extremas incitas deducti, nos duos aſinos, & equum meum, productos è ſtabulo, quantùm poſſunt gravioribus ſarcinis, onerant, & domo jam vacuâ [3] minantes baculis exigunt: unoque de ſociis ad ſpeculandum, qui de facinoris inquiſitione nunciaret, relicto, nos crebrò tundentes per avia montium ducunt concitos. Jamque rerum tantarum pondere, & montis ardui vertice, & prolixo ſatis itinere, nihil à mortuo differebam. Sed mihi ſeró quidem, ſerió tamen ſubvenit ad [4] auxilium civile decurrere, &, interpoſito ve-

INTERPRETATIO.

territus, & tremulis vocibus vicinorum conclamantium prædones, aufugit. Et ſtatim manus prædonum, apertâ domo per vim, occupat ſingula, & caterva armatorum circumdat omnes partes ædium: & latrones diſcurrentes ſeſe opponunt ſubſidiis accurrentibus undique. Omnes armati enſibus & tædis colluſtrant tenebras. Faces & gladii ſplendent inſtar ſolis orientis. Tum adorti quandam apothecam clauſam atque opeſſulatam repagulis valdè firmis, quæ poſita in medio domûs, repleta fuerat opibus Milonis, effringunt eam *robuſtis bipennibus. Quâ patefactâ undequáque egerunt omnes divitias, & dividunt inter ſe colligatis feſtinanter faſciculis. Verùm multitudo ſarcinarum ſuperavit numerum geſtatorum. Tunc redacti ad ultimam inopiam nimiâ copiâ opum, educunt nos duos aſinos, & meum equum ex equili, nobiſque imponunt onera quàm graviſſima poſſunt, & expellunt* nos *ictibus fuſtium ex ædibus jam vacuis agentes* ante ſe. *Et relicto uno ex ſociis ſuis ad explorandum, qui referret ad ipſos, quo pacto fuiſſet quæſitum de latrocinio* ſuo, *agunt nos citato gradu per montes invios, pulſantes* nos *frequenter. Jamque* ego defatigatus *onere rerum tam gravium, &* aſcenſu *cacuminis prærupti montis, & viâ admodum longâ, nullatenus diſcrepabam à mortuo. Verùm mihi tardè quidem, ſed reipſa tamen venit in mentem confugere ad præſidium civile, & eximere me tot miſeriis inve-*

NOTÆ.

1. *Gerulonum.*] Sic Elmenhorſt. cum Grutero, & Colvio ex Membr. Flor. In vulgatis eſt *gerulorum.* Utrumque à *gero.*

2. *Ad extremas incitas.*] Ad ultimam egeſtatem. Nonius: *incita dicitur egeſtas.*

3. *Minantes.*] Non à *minari*, ſed à *minare*, quod eſt *agere*, & *ante ſe pellere*, greges putà, aut jumenta. Feſtus: *Agaſones equos agentes, id eſt, minantes.* Et paulò pòſt: *Agere modò ſignificat ante ſe pellere, id eſt, minare,* &c. Auſon. de Myronis vacca:

Necdum caduco Sole jam ſub veſpere,
Ageret juvencas cùm domum paſtor ſuas,
Suam relinquens, me minabat ut ſuam.

Noſter, lib. 7. *pecua comminantes.* Hinc Gallicum *mener.*

4. *Auxilium civile.*] Implorando

nerabili Principis nomine, tot ærumnis me liberare. Cùm denique jam luce clariſſimâ, vicum quempiam frequentem & [1] nundinis celebrem præteriremus, inter ipſas [2] turbulas Græcorum genuino ſermone nomen auguſtum Cæſaris invocare tentavi: [3] &, O quidem tantum diſertum ac validum clamitavi; reliquum autem Cæſaris nomen ennuntiare non potui. Aſpernati latrones clamorem abſonum, meum cædentes hinc inde miſerum corium [4] nec cribris jam idoneum relinqunt. Sed tandem mihi inopinatam ſalutem [5] Jupiter ille tribuit. Nam dum multas villulas & caſas amplas præterimus, hortulum quendam proſpexi ſatis amœnum, in quo præter gratas herbulas, [6] roſæ virgines matutino rore fluebant. His inhians, & ſpe ſalutis alacer ac lætus, propiùs acceſſi. Dumque jam [7] labiis undantibus affecto, conſilium me ſubit longè ſalubrius: ne, ſi rurſùm aſino re-

INTERPRETATIO.

cato reverendo nomine Imperatoris. Denique die jam provecto cùm transiremus per quendam pagum populo abundantem, in quo erat magna hominum *frequentia propter nundinas, conatus ſum inclamare nativá voce venerandum nomen Cæſaris in mediis tumultibus Græcorum: & expreſſi quidem tantum, O clarum & forte, at nequivi proferre reliquum nomen Cæſaris. Prædones contempto* meo *clamore abſurdo, ferientes undequaque meam miſeram pellem, relinquunt* eam *jam nec aptam* quidem *cribris* faciendis. *Sed tandem ille Juppiter obtulit mihi ſubſidium inexpectatum. Dum enim prætergredimur multa prædiola & magnas domos, vidi eminùs quendam hortulum valdè gratum, in quo præter reliquas amœnas plantas, roſæ intactæ madebant rore matutino. Appetens has, & erectus ſpe ſalutis atque hilaris acceſſi propiùs. Et dùm geſtio eas carpere labris prurientibus, cogitatio multò magis ſalutaris mihi venit in mentem, ne, ſi iterum reciperem formam Lucii ex...*

NOTÆ.

ſcilicet opem Cæſaris, ad quem vexati confugiebant. Formulæ ejuſmodi implorationis erant: *Provoco ad Cæſarem; Appello Cæſarem: O Cæſar, te appello:* ὦ Καῖσαρ, ἐν τῇ σῇ εἰρήνῃ οἷα πάσχω! *O Cæſar, in tuâ pace qualia patior!* ut habet Arrianus in Epictetum, lib. 3. cap. 22. Vel ſimpliciter, O *Cæſar!* Tantus verò habebatur honor Imperatoris nomini, ut ipſo invocato ſuperſederetur judiciis ſuppliciiſque, & res, ejus, vel delegatorum ab ipſo Judicum cognitioni reſervaretur.

1. *Nundinis celebrem.*] *Nundinas*, inquit Feſtus, *feriarum diem eſſe voluerunt antiqui, ut ruſtici convenirent mercandi vendendique causâ; eumque nefaſtum, ne, ſi liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.*

2. *Turbulas.*] Sic lege ex Aldina Editione, non, *turbelas*. Sic lib. 4. *populi circumfluentis turbulis immiſceor. Turbelæ* ſunt *perturbationes*. Plaut. Pſeudolo: *Quantas ſoleam turbelas dare.*

3. *Et, O quidem*, &c.] Nempè clamare volebat, O *Cæſar!*

4. *Nec cribris jam idoneum.*] Quia nimis lacerum & perforatum.

5. *Jupiter ille*] Emphaticum eſt *ille*. Quaſi dicas: *Ille Jupiter, qui cuncta curat, ille qui omnia roſpicit*, &c.

6. *Roſæ virgines.*] Intactæ, & caliculis nondum omninò patentibus.

7. *Undantibus labiis.*] Id eſt, *undarum inſtar ſinuantibus*, ut ſolent, ex appetentiâ.

moto prodirem in Lucium , evidens exitium inter manus latronum offenderem , vel artis Magicæ ſuſpicione , vel indicii futuri criminatione. Tunc igitur à roſis quidem neceſſariò temperavi ; & caſum præſentem tolerans , in aſini faciem fræna [1] rodebam.

INTERPRETATIO.

aſinina , reperirem certam mortem inter manus prædonum , qui , vel ſuſpicarentur me Magiæ , vel timerent *ne proderem ipſos meâ delatione. Igitur , tùm abſtinui à roſis , & neceſſariò quidem ; & ferens præſentem fortunam , mandebam frænos* meos *ſub formâ aſini.*

NOTÆ.

1. *Fræna rodebam.*] Sic lege, non *fœna*. erat enim adhuc in itinere, necdum ad diverſorium pervenerat, ubi fœnum ei apponeretur. Metaphoricè etiam *frænum rodere* dicitur , qui , quod animo ingratum eſt , patienter ferre & muſſitare cogitur. Quod faciebat tunc noſter Lucius.

LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI METAMORPHOSIS.

LIBER QUARTUS.

[1] DIEM fermè circa medium, cùm jam flagrantiâ Solis caleret, in pago quodam apud notos ac familiares latronibus ſenes divertimus: ſic enim primus aditus & ſermo prolixus, & oſcula mutua, quamvis aſino, ſentire præſtabant. Nam & rebus eos quibuſdam dorſo meo depromptis munerabantur; & ſecretis gannitibus, quòd eſſent latrocinio partæ, videbantur indicare. Jamque nos omni ſarcinâ levigatos, in pratum proximum paſſim libero paſtui tradidêre. Nec me cum aſino vel equo meo [2] compaſcuus cœtus attinere potuit, adhuc inſolitum alioquin prandere fœnum. Sed planè ponè ſtabulum proſpectum hortulum jam fame perditus fidenter invado: & quamvis crudis oleribus, affatim tamen ventrem ſagino. Deoſque compte-

INTERPRETATIO.

FErè circà meridiem, cùm jam cuncta *flagrarent ardore ſolis, deflectimus in quendam vicum ad ſenes amicos & neceſſarios prædonum: primus enim congreſſus, longum colloquium, & ſuavia reciproca, dabant ut hoc perſentiſcerem, tametſi eſ*ſem *aſinus. Nam dabant eis muneri quædam deſumpta ex meo tergo; & inſuſurratis verbis in aurem videbantur declarare ea eſſe acquiſita prædatione. Et dimiſerunt nos jam levatos omni onere in proximum pratum, ut ibi paſceremur ſoluti. Neque ſocietas paſcendi potuit me detinere cum aſino, vel cum equo meo, quippe qui nondum aſſueveram veſci fœno. Sed, cùm jam emorerer fame, audacter irrumpo in hortulum quem videram poſt equile: & copioſè impleo alvum meam oleribus tametſi incoctis. Et invocatis omnibus Diis,*

NOTÆ.

1. *DIem fermè, &c.*] Totus ferè hic liber ex Luciano deſcriptus eſt, exceptis iis, quæ de Pſyche habentur ſub finem.

2. *Compaſcuus cœtus.*] Alii legunt, *hortus*: alii reponunt *locus*: alii, *cibus*, & intelligunt commune paſcuum, in quo cuivis licet pecora paſcere; quod non abnuo. Sed nihil mutare neceſſe eſt. *Compaſcuus cœtus* hîc eſt *cœtus compaſcens*: nempè ille alter aſinus, & & equus Apuleii, atque alia fortaſsè jumenta, quæ in illo communi paſcuo ſimul paſcebantur; quorum ſocietate, (cujus tamen magna ſæpè illecebra eſt) non potuit novus noſter Aſinus ad paſcendum retineri.

catus omnes, cuncta proſpectabam loca, ſicubi fortè conterminis in hortulis [1] candens reperirem roſarium. Nam ipſa ſolitudo jam mihi bonam fiduciam tribuebat, ſi devius & frutetis abſconditus, ſumpto remedio, de jumenti quadrupedis incurvo gradu rurſum erectus in hominem inſpectante nullo reſurgerem. [2] Ergo igitur [3] cum in iſto cogitationis ſalo fluctuarem, aliquantò longiùs video frondoſi nemoris [4] convallem umbroſam; cujus inter varias herbulas & lætiſſima vireta, fulgentium roſarum [5] mineus color renitebat. Jámque apud mea non uſquequaque ferina præcordia, [6] Veneris & Gratiarum lucum illum arbitrabar: cujus inter opaca ſecreta [7] floris genialis regius nitor relucebat. Tunc invocato [8] hilaro, atque proſpero Eventu, curſu me concito proripio, ut herculè ipſe ſentirem non aſinum

INTERPRETATIO.

inſpiciebam loca ſingula, nuncubi fortè offenderem aliquod roſetum micans in hortis vicinis. Ipſa enim ſolitudo jam mihi dabat ſpem non levem, ſi ſemotus à viâ & abditus arbuſtis, aſſumpto medicamine erigerer in pedes nemine vidente denuò reformatus in rectum hominem ex greſſu preno aſini quadrupedis. Cùm igitur jactarer æſtu hujus cogitationis; conſpicor paulò longiùs vallem obumbratam folioſâ ſylvulâ; inter cujus varias plantas, & amœniſſima viridaria color rubicundus nitentium roſarum refulgebat. Jámque apud meum pectus, non omni ex parte brutum, putabam nemus illud eſſe ſacrum *Veneri & Gratiis: inter cujus umbroſos receſſus regalis ſplendor floris jucundi refulgeret. Tunc, invocato læto ac ſecundo Eventu, conjicio me in pedes velociſſimo curſu, adeò ut ipſe putarem me non* eſſe

NOTÆ.

1. *Candens reperirem roſarium.*] *Candens* non *albicans* tantùm ſignificat, ſed etiam *igneo calore micans.* Sic ferrum *candens* dicitur, quod eſt *ignitum.*

2. *Ergo igitur.*] Abundat alterum, quod ſæpè apud hunc Auctorem reperias.

3. *Cùm in iſto cogitationis ſalo fluctuarem.*] Simili metaphorâ *in de Deo Socratis* dixit: *Motu cordis, & ſalo mentis ad omnes cogitationum æſtus fluctuare.*

4. *Convallem umbroſam.*] Feſtus: *Convallis eſt planities ex omni parte comprehenſa montibus, collibuſve. Vallis duobus lateribus incluſa planities.* Verti tamen *vallem*, magis reſpiciens ad vulgatum uſum, quo hæ duæ voces promiſcuè uſurpantur, quàm ad ſtrictam earum ſignificationem.

5. *Mineus color.*] Reponunt quidam *niveus*: Nihil mutandum: *Mineus color*, eſt *color minii*, dicitur & *minius*, utrumque, à *minio*, quod eſt pretioſiſſima rubrica, Græcis μίλτος. Eruitur ex fodinis. Hujus præparationem vide apud Plin. lib. 33. cap. 7. & Vitruvium lib. 7. capp. 8. & 9.

6. *Veneris & Gratiarum lucum.*] Roſa enim *Veneri* ſacra eſt.

7. *Floris genialis.*] Roſæ, quæ *flos* eſt Venerius & amatorius.

8. *Hilaro atque proſpero Eventu.*] Bonum *Eventum* fecêre Deum antiqui, quem invocabant, ut ea ſibi proſperè evenirent, quæ ſuſcepiſſent. Hujus, ſicut & Bonæ Fortunæ ſimulacrum in Capitolio fuiſſe Praxitelis manu refert Plinius, lib. 35. cap. 6. Hic unus eſt ex duodecim Diis Conſentibus, à quorum invocatione M. Varro libros ſuos de Agriculturâ auſpicatur.

me, verùm etiam [1] equum curulem nimiâ velocitate refectum. Sed agilis atque præclarus ille conatus Fortunæ meæ ſcævitatem anteire non potuit. Jam enim loco proximus, non illas roſas teneras & amœnas, madidas divini roris & nectaris, quas rubi felices, & beatæ ſpinæ generant, ac ne convallem quidem uſquam, niſi tantum ripæ fluvialis marginem denſis arboribus ſeptam video. Hæ arbores in lauri faciem prolixè foliatæ, pariunt [2] (in modum) floris inodori porrectos caliculos modicè punicantes: quos equidem fragrantis, minimè rureſtri vocabulo vulgus indoctum [3] roſas laureas appellant, [4] quarúmque cuncto pecori cibus lethalis eſt. Talibus fatis implicitus, etiam ipſam Salutem recuſans, ſpontè illud venenum roſarium ſumere geſtiebam. Sed dum cunctanter accedo decerpere, juvenis quidam, ut mihi videbatur, hortulanus, cujus omnia

Interpretatio.

aſinum, ſed etiam mutatum eſſe nimiâ feſtinatione in equum perniciſſimum. Sed ille alacer atque egregius niſus nequivit prævenire malignitatem mei fati. Cùm enim acceſſiſſem ad illum locum, non video roſas illas recentes & gratas, ſtillantes rore divino & ambroſiâ, quas fortunati dumi, & ſpinæ felices procreant, ac ne vallem quidem uſquam conſpicor, niſi ſolùm oram flumineæ ripæ munitam crebris arboribus. Hæ arbores habent folia oblonga inſtar lauri, & procreant caliculos in morem floris odore carentis pretenſos & ſubrubros: quos tamen olentes plebs imperita vocat roſas laureas, nomine nequaquam ruſticano, & quarum eſus eſt mortifer pecoribus omnibus. Ego impeditus hujuſmodi anguſtiis *fortunæ, reſpuens etiam vitam ipſam, cupiebam ultrò comedere illas roſas venenatas. Sed interim dum lentè accedo carpturus* ex ipſis; *quidam adoleſcens, olitor, ut mihi videbatur,*

Notæ.

1. *Equum curulem.*] *Pernicem*, quales, qui in certamine *curuli* in Circo currus trahebant.

2. *In modum floris inodori, &c.*] Non omninò ſanus videtur hic locus. Tollendum τὸ *in modum* quidam exiſtimant: at repugnat quod mox ſubjungitur: *quos equidem fragrantes.* Iis libenter accederem, ſi quid in his poſtremis verbis liceret immutare, &, loco *equidem*, ſubſtituere *nequidquam.* Fieret enim: *pariunt floris inodori porrectos caliculos modicè punicantes, quos nequidquam fragrantes, &c* plano & idoneo ſenſu. Hæ enim roſæ laureæ aut nihil, aut certè perparum habent odoris, idque minimè gratum. Sed nihil auſus meo Marte hîc immutare, ſatis habui ſcriptam lectionem in interpretatione, ut potui, exprimere, & meam hîc indicare conjecturam.

3. *Roſas laureas appellant.*] Arborem hanc ἀγρίαν δάφνην appellat hîc Lucianus. *Rhododendron* & *Rhododaphnen* & *Nerium* Plinius.

4. *Quarumque cuncto pecori cibus lethalis eſt.*] Idem habet Lucianus: κακὸν ἄριστον ὄνῳ τοῦτο παντὶ καὶ ἵππῳ. *peſſimus hic eſt cibus aſino omni & equo.* Idem Plin. lib. 24. cap. 11. *Rhododendros ne nomen quidem apud nos invenit Latinum: Rhododaphnen vocant, aut Nerium. Mirum folia ejus quadrupedum venenum eſſe, homini verò contra ſerpentes præſidium, rutâ additâ è vino potâ. Pecus etiam, & capræ, ſi aquam biberint, in qua folia ea maduerint, mori dicuntur.*

prorſus olera veſtaveram, tanto damno cognito, cum grandi bacu-lo furens decurrit; arreptúmque me totum plagis obtundit adusque vitæ ipſius periculum: niſi tandem ſapienter alioquin ipſe mihi tuliſſem auxilium. Nam lumbis elevatis in altum, pedum poſterioribus calcibus jactatis in eum crebriter, jam mulcato graviter atque jacente contra proclive montis attigui, fugâ me liberavi. Sed illicò mulier quæpiam, uxor ejus ſcilicet, ſimul cum proſtratum & ſemianimem ex edito deſpexit, ululabili cum plangore ad eum ſtatim proſilit, ut ſui videlicet miſeratione mihi præſens crearet exitium. Cuncti enim pagani fletibus ejus exciti, ſtatim conclamant canes, utque ad me laniandum rabie perciti ferrent impetum, paſſim cohortantur. Tunc igitur proculdubio jam morti proximus, cum viderem canes & modo magnos, & numero multos, & urſis ac leonibus ad pugnandum idoneos, in me convocatos exaſperari; è re nata capto conſilio fugam deſino, ac me retrorſus celeri gradu rurſus in ſtabulum, quo diverteramus recipio. At illi canibus jam ægrè cohibitis, arreptum me, loro quam valido ad anſulam quandam deſtinatum rurſum cædendo confeciſſent profectò: niſi dolore plagarum alvus artata, crudiſque illis oleribus abundans, & lubrico fluxu ſaucia, fimo fiſtulatim excuſſo, quoſdam extremi liquoris aſpergine, alios putore [1] nidoris fœtidi à meis jam quaſſis ſcapulis abegiſſet. Nec mora, cum jam in

INTERPRETATIO.

cujus omnia olera planè diripueram, animadverſa tam gravi jacturâ, accurit furibundus cum craſſo fuſte; meque apprehenſum totum contundit ictibus, adeo ut eſſem *in diſcrimine ipſius vitæ: niſi egomet aliunde mihi prudenter ſubveniſſem. Lumbis enim elatis in ſublime, impactis ſæpius in eum calcibus poſteriorum pedum ipſoque peſſimè affecto, & proſtrato contra clivum proximi montis, proripui me fugiendo. Sed ſtatim quædam mulier, conjux nempe illius, ubi è tumulo conſpicata eſt eum jacentem & ſemimortuum, provolat repente ad ipſum cum planctu & ululatu, ut nempè miſericordiâ ſui accerſeret mihi perniciem inevitabilem. Omnes enim ruſtici evocati ejulatibus illius, illicò clamoribus cient canes* ſuos*; & undique incitant, ut acti furore irruerent ad me diſcerpendum.*

Ego igitur jam tunc planè proximus letho, cùm cernerem canes ſtaturâ prægrandes, & numero plurimos, & pares committendæ pugnæ cum urſis ac leonibus, congregatos irritari adverſus me; ſumpto ex tempore conſilio, faci finem fugiendi, iterúmque retrò redeo veloci greſſu ad illud idem diverſorium, in quod nos receperamus. Verùm illi jam difficulter repreſſis canibus ſuis apprehendunt me, & alligatum firmiſſima corrigiâ ad quendam annulum rursùs verberantes interfeciſſent procul dubio; niſi venter meus compreſſus dolore ictuum, & refertus illis crudis oleribus, & æger lubrico profluvio, ſtercore ejecto tanquam per tubum, removiſſet aliquos aſperſione liquoris teterrimi à meis humeris jam fractis, alios verò *fœtore putidi odoris. Et ſole jam*

NOTÆ.

1. *Nidoris fœtidi.*] Quamvis *nidor* ſtricto ſignificatu ſit odor ciborum coctorum, aut uſtrinæ fœtor, latiùs tamen ſumitur pro quovis odore: ut hîc, ſtercoris.

meridiem

meridiem prono jubare; rurſum nos, & præcipuè me longè graviùs onuſtum producunt illi latrones ſtabulo. Jámque confectâ bonâ parte itineris, & viæ ſpatio defectus, & ſarcinæ pondere depreſſus, ictibúſque fuſtium fatigatus, atque etiam ungulis extritis jam claudus & titubans, rivulum quendam ſerpentis leniter aquæ propter inſiſtens, ſubtilem occaſionem feliciter nactus, cogitabam totum memet flexis ſcitè cruribus pronum abjicere; certus atque obſtinatus, nullis verberibus ad ingrediendum exurgere: immò etiam paratus non fuſti tantùm, ſed [1] machærâ perfoſſus occumbere. Rebar enim jam me prorſus exanimatum ac debilem [2] mereri cauſariam miſſionem: certè latrones partim impatientia moræ, partim ſtudio deſtinatæ fugæ, dorſi mei ſarcinam duobus cæteris jumentis diſtributuros, meque in altioris vindictæ vicem, lupis & vulturiis prædam relicturos. Sed tam bellum conſilium meum prævertit ſors deterrima. Namque ille alius aſinus, divinato & antecapto meo cogitatu, ſtatim ementitâ laſſitudine, cum rebus totis offunditur: jacenſque in

INTERPRETATIO.

inclinato à meridie, continuò illi prædones iterum educunt nos ex illo diverſorio graviter *oneratos, meque præſertim multò graviùs. Jámque peractâ bonâ parte viæ* ego *& exhauſtus longitudine itineris, & oppreſſus gravitate onerum, & laſſatus percuſſionibus baculorum, atque etiam attritis ungulis jam claudicans & vacillans, cùm incederem juxta quendam rivulum aquæ fluentis placide & ſinuoſe, repertâ opportunè egregiâ occaſione meditabar me totum proſternere in ventrem flexis ſolerter cruribus; pertinaciter ſtatuens animo, non conſurgere ob quaſvis plagas ad exeundum inde; quinimmò paratus etiam non baculo modò, ſed etiam gladio cædi, & mortem oppetere. Exiſtimabam enim me jam penitùs anhelantem, & fractum* laſſitudine *dignum eſſe, qui dimitterer nomine* labefactatæ valetudinis: *aut ſaltem prædones partituros inter duo reliqua jumenta onus quod portabam tergo, tùm quòd non poſſent ferre retardationem, tùm quòd cuperent fugere celeriùs; meque pro maximâ ultione relicturos pabulum lupis & vulturibus. Verùm fortuna peſſima prævenit cogitationem adeo præclaram. Ille enim alter aſinus hariolatus meum conſilium, &* illud *præoccupans ſimulatâ repentè laſſitudine procumbit cum omnibus*, quæ geſtabat,

NOTÆ.

1. *Machæra.*] Nomen Græcum eſt *μάχαιρα* ſive etiam *μάχαιρος ensis*, quo tamen Latini Scriptores, & idonei quidem, paſſim utuntur.

2. *Mereri cauſariam miſſionem.*] Facetè alludit Aſinus noſter ad militiæ morem, in qua triplex erat *miſſio*, ut patet ex Juriſconſultis ff. *de re militari*, & *de his, qui notantur infamiâ.* Nempè *honeſta, cauſaria & ignominioſa*: *honeſta*, quæ militiæ tempore impleto datur: *cauſaria*, cùm quis vitio animi vel corporis renuntiatur minùs idoneus militiæ: *ignominioſa*, cùm quis propter delictum ſacramento ſolvitur. Quartum addit Lipſ. lib. 5. de Milit. Roman. Dialog. 19. nempè *gratioſam* quæ per gratiam, aut ambitum ab Imperatoribus impetrabatur, quam tamen cognitâ causâ, Cenſores ſæpè reſcindebant. Hinc quorum valetudo infirma eſſet *cauſarii* dicti videntur, eò quòd cauſam haberent, ob quam à publicis muneribus eſſent immunes.

mortuum, non fuſtibus, non ſtimulis,[1] ac ne caudâ quidem & auribus cruribúſque undiqueverſum elevatis tentavit exurgere; quoad tandem[2] poſthumæ ſpei fatigati, ſecúmque collocuti, ne tamdiu mortuo, immò verò lapideo aſino ſervientes, fugam morarentur, ſarcinis ejus mihi equoque diſtributis, diſtricto gladio poplites ejus totos amputant. Ac paululùm à viâ retractum, per altiſſimum præceps in vallem proximam etiamnum ſpirantem præcipitant. Tunc ego miſeri commilitonis mei Fortunam cogitans, ſtatui, jam dolis abjectis & fraudibus, aſinum me bonæ frugi dominis exhibere. Nam & ſecum eos animadverteram colloquentes, quod in proximo nobis eſſet habenda manſio, & totius viæ finis quieta; quòd eorum eſſet ſedes illa & habitatio. Clementi denique tranſmiſſo clivulo, pervenimus ad locum deſtinatum. Ubi rebus totis diſſolutis, atque intùs conditis, jam pondere liberatus, laſſitudinem, vice lavacri, pulveris volutatibus digerebam. Res ac tempus ipſum locorum & ſpeluncæ illius, quam latrones inhabitabant, deſcriptionem exponere flagitat. Nam & meum ſimul periclitabor ingenium: & faxo vos quoque an mente etiam ſenſuque fuerim aſinus ſedulò ſentiatis. Mons horridus, ſylveſtribuſque frondibus umbroſus, & inprimis altus fuit. Hujus per obliqua devexa, quà ſaxis aſperrimis, & ob id inacceſſis cingitur, convalles

INTERPRETATIO.

ſtratúſque inſtar mortui, neque ictibus baculorum, neque punctionibus, ac ne caudâ quidem & auribus cruribúſque ſublatis in omnes partes conatus eſt ſe erigere; donec tandem defeſſi ſpei tardioris, & collocuti inter ſe, ne tardarent ſuam fugam tamdiù reſtantes propter illum aſinum mortuum, immò verò ſaxeum, partiti ejus ſarcinas inter me & equum, poplites illius nudato enſe abſcindunt penitus, ipſúmque paululùm ſemotum à viâ deturbant adhuc viventem, per præcipitium maximè arduum in proximam vallem. Ego tùm reputans ſortem mei infelicis comitis, decrevi jam præſtare me aſinum probum meis dominis, depoſitis verſutiis, & fallaciis. Audieram enim illos inter ſe dicentes nobis fore remanendum, haud procul & totum iter finiendum: quia ibi erat eorum manſio & domicilium. Leni demùm clivulo ſuperato, aſſecuti ſumus locum deſtinatum. Ubi ſolutis omnibus ſarcinis, & delatis intro, ego *jam ſolutus onere diſcutiebam laſſitudinem volutando* me *in pulvere loco balnei. Res atque ipſa occaſio poſtulant ut hic exhibeam deſcriptionem locorum, & cavernæ illius, in quâ prædones manebant. Eâdem enim operâ & experiar* vires *mei ingenii, & faciam ut perſpicuè dignoſcatis utrum fuerim aſinus etiam animo & ſenſu. Mons fuit horrendus inumbratus foliis nemorum & valdè excelſus. Per incurvos ejus clivos, quâ* parte *circumdatur ſcopulis confragoſiſſimis, ideoque inviis, valles plenæ lacunis profun-*

NOTÆ.

1. *Ac ne cauda quidem, &c.*] Quo modo ſublevari delapſa jumenta ſolent. Lib. 7. *Cùm deberet egregius agaſo manum porrigere, capiſtro ſuſpendere, caudâ ſublevare, &c.*

2. *Poſthumæ ſpei, &c.*] *Poſthumus*, ut jam monui lib. 1. eſt mortuo atque humato patre natus. Hinc *poſthuma ſpes* facetè dicitur *ſpes tardior*, cujus effectus nonniſi poſt mortem ſit conſequendus. Obſerva *ſpei defatigati*, ut *laſſus animi*, & ſimilia.

lacunoſæ cavæque nimiùm, ſpinetis aggeratæ, & quaquaverſus repoſitæ, naturalem tutelam præbentes ambiebant. De ſummo vertice fons affluens bullis ingentibus ſcaturibat, perque prona delapſus evomebat undas argenteas: jamque rivulis pluribus diſperſus, ac valles illas [1] agminibus ſtagnantibus irrigans, in modum [2] ſtipati maris [3] vel ignavi fluminis cuncta cohibebat. Inſurgit ſpeluncæ, quà margines montanæ deſinunt, [4] turris ardua, caulâ firma [5] ſolidis cratibus, ovili ſtabulatione commodâ, porrectis undique lateribus. Ante fores exigui [6] ramices, vice ſtructi parietis, attenduntur. ea tu, [7] bono, certè meo periculo, latronum dixeris atria. Nec juxtà quidquam, quàm

INTERPRETATIO.

daque nimis, conſita ſenticetis, & undique circum*jacentes cingebant* ipſum, *præſtantes nativum munimentum. Fons allabens ex ſupremo cacumine ſaliebat* cum *bullis prægrandibus, & devolutus per declivia effundebat aquas argento æmulas* in colorem: *jamque diviſus in multos rivulos, & humectans illas valles torpenti multitudine* aquarum, *coërcebat omnia inſtar placidi maris, aut fluvii ſtagnantis.* Eâ parte, *quâ crepidines montis deficiunt, caverna inædificata eſt excelſa turris munita caulâ ex firmis clatris, idoneâ habitationi ovium, lateribus protenſis in omnes partes. Ante januam parvæ ſepes ex ramis expanduntur, loco ædificati parietis. ea tu poſſis nominare audacter, ſaltem me auctore, atria prædonum. Et nihil eſt propè præter hu-*

NOTÆ.

1. *Agminibus.*] Sic Fulv. & Schopp. Pricæus mavult *amnibus*: fruſtrà. *Agmen* eſt copioſus aquarum fluxus. Stat. Thebaïd. lib. 1.

———— *ruit agmine facto*
Inachus. ———

Et Virgil.

Immenſum ruit agmen aquarum.

2. *Stipati maris.*] Septi & coërciti nempè montibus & collibus, qui convallem undique ambiebant. Sed cur ſubjungit, *vel ignavi fluminis*? Non abſurdè Elmenhorſt. & Pricæus reponunt *ſopiti*, hoc eſt, *tranquilli* & *placidi*, quod ſecutus ſum in interpretatione.

3. *Vel ignavi fluminis.*] Barthius Adverſar. lib. 33. cap. 5. reponit *vallo ignavi fluminis*, ſecutus veſtigia veterum membranarum, in quibus legitur, *val. ignavi fluminis*, quod non malè quadrat huic loco.

4. *Turris arduo caule firma*, &c.] Malo cum Beroaldo legere *turris ardua, caula firma.* Hanc lectionem firmant quæ ſequuntur: *ſolidis cratibus ovili ſtabulatione commodâ.* Hæc enim manifeſta *caulæ* deſcriptio eſt.

5. *Solidis cratibus.*] Id eſt, *non tenuibus illis viminetis, ſed compactis ex lignis craſſioribus,*

6. *Ramices.*] Alii *tramites*: malè. *Ramices* hîc ſunt *parvi rami, ramalia.* Columella lib. 9. cap. 1. de vivariis ſepiendis agens: *Et, ſi veteris arboris truncus, ſive ut craſſitudo poſtulat, erit fiſſilis ſtipes, compluribus locis per latus efforatur, &, in circuitu vivarii certis intervenientibus ſpatiis defixus erigitur, deinde per tranſverſa laterum cava tranſmittuntur ramices, qui exitus ferarum obſerent.* En tibi *ramices* eidem, quo huic uſui adhibitos. Aliàs *ramex* eſt *hernia.*

7. *Bono, certè meo periculo*, &c.] Sic exprimas licet: *Nihil eſt periculi quominus ea tu latronum atria eſſe dicas, aut, ſi quid ſit, illud in me ſuſcipio.*

parva caſula cannulis [1] temerè contecta: quò ſpeculatores è numero latronum, ut poſteà comperi, ſorte ducti noctibus excubabant. Ibi cùm ſinguli direpſiſſent, [2] ſtipatis artubus, nobis ante ipſas fores loro valido deſtinatis, anum quandam curvatam gravi ſenio, cui ſoli ſalus atque tutela tot numero juvenum commiſſa videbatur, ſic infeſti compellant: Etiam-ne tu [3] buſti cadaver extremum, & [4] vitæ dedecus primum, & [5] Orci faſtidium ſolum, ſic nobis otioſa domi reſidens luſitabis? Nec noſtris tam magnis, tamque periculoſis laboribus ſolatium [6] de tam ſerâ refectione tribues? quæ diebus ac noctibus nil quidquam rei, quàm merum ſævienti ventri tuo [7] ſoles aviditer ingurgitare. Tremens ad hæc & ſtridenti voculâ pavida ſic anus: At vobis, fortiſſimi fideliſſimique mei ſoſpitatores juvenes, affatim cuncta ſuavi ſapore percocta pulmenta præſto ſunt; panis numeroſus, vinum probè calicibus effricatis affluenter immiſſum, &, ex more, calida tumultuario lavacro veſtro præparata. In fine ſermonis hujus, ſtatim ſeſe deveſtiunt: nudatique, & flammæ largiſſimæ vapore recreati,

INTERPRETATIO.

mile tuguriolum coopertum arundinibus nullo ordine diſpoſitis *: in quo exploratores electi ſorte ex turba prædonum agebant excubias per noctes* ſingulas, *quemadmodum cognovi poſteà. Cum ægrè ſe penetrâſſent illuc alii poſt alios compreſſis membris, nobis alligatis firmo loro ante oſtium ipſum, irati his verbis alloquuntur quandam vetulam incurvam onerosâ ſenectute, cui uni vita & conſervatio tot juvenum videbatur credita: Ita-ne* tandem, *tu*, quæ es *ultimæ reliquiæ rogi, & maximum probrum lucis hujus, quam unam Infernus reſpuit, ſic feriata nobis ludes domi ſedens? Neque dabis levamen laboribus noſtris tantis, tamque ancipitibus, ſaltem tam tardo cibo? tu, quæ nihil aliud conſuevisti facere dies noctesque, quàm ingerere vinum in tuum ſtomachum latrantem. Ad iſta vetula trepidans formidanſque* ſic reſpondit *voce tenui & raucâ: Atqui, ô juvenes, mei validiſſimi fidiſſimique conſervatores, ecce vobis omnia fercula abundanter cocta jucundo ſapore; magnus panum numerus, vinum largè infuſum in crateras benè purgatas, &* aqua *calida, ſecundùm conſuetudinem parata veſtro ſubitario balneo. His dictis, exuunt ſe repentè: deſpoliatique, & refoti calore ignis luculentiſſimi, re-*

NOTÆ.

1. *Temerè contecta.*] Schopp. *contexta.* elige.

2. *Stipatis artubus.*] Ob anguſtiam aditus.

3. *Buſti cadaver.* [Convicium. Lib. 8. *At te, cadaver ſurdum ac mutum,* &c.

4. *Vitæ dedecus.*] Plaut. *capuli*, hoc eſt, *ſepulcri decus.*

5. *Orci faſtidium.*] Quam Orcus tametſi avidiſſimus omnium vorator, faſtidit tamen & reſpuit. Plaut. Pſeudolo, de coquo novendiali.

Eam ob rem Orcus recipere hunc ad ſe noluit,
Ut eſſet heic, qui mortuis cœnam coquat.

6. *De tam ſerâ refectione*, &c.] Similiter lib. 3. *Noſtræque viduitati ac ſolitudini de vindictâ ſolatium date: Sera refectio* vulgò eſt *veſperna*, ſeu *merenda*. Hîc *tam ſera refectio* cœna eſt, ut patet ex ſequentibus, ſed paulò maturior quàm ſolebat.

7. *Soles aviditer ingurgitare.*] Notatæ paſſim temulentiæ anus. Vide Plaut. in Curcul. & aliis multis locis.

calidâque perfuſi, & oleo peruncti, menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt. Commodùm cubuerant: & ecce quidam longè plures numero juvenes adveniunt alii, quos incontanter adæquè latrones arbitrarere. Nam & ipſi prædas aureorum argenteorumque nummorum, ac vaſculorum, veſtiſque ſericæ &[1] intextæ filis aureis invehebant. Hi ſimili lavacro refoti,[2] inter toros ſociorum ſeſe reponunt: nunc ſorte ducti, miniſterium faciunt. Eſtur, ac potatur incondite, pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingeſtis. Clamore ludunt, ſtrepitu cantillant, conviciis jocantur: ac jam cætera[3] Lapithis Thebanis, Centauriſque ſemiferis ſimilia. Tunc inter eos unus, qui robore cæteros antiſtabat, Nos quidem, inquit, Milonis Hypatini domum fortiter expugnavimus. Præter tantam fortunæ copiam, quam noſtrâ vi virtute nacti ſumus, & incolumi numero caſtra noſtra petivimus; &, ſi quid ad rem facit,[4] octo pedibus au-

INTERPRETATIO,

ſperſique aquâ *calidâ*, *& perliti oleo*, *accubant ad menſas oneratas magnâ copiâ ciborum. Vix diſcubuerant: cùm alii quidam juvenes adveniunt multò majore numero, quos* tu *ſtatim crederes eſſe ſimiliter prædones. Ipſi enim adportabant quoque ſpolia, nummos* ſcilicet *aureos, argenteoſque, ac vaſa, veſtemque ſericam, & intextam liciis aureis. Hi refecti conſimili balneo locant ſe inter lectos ſuorum ſociorum: mox* aliqui *ſorte lecti miniſtrant* cæteris. *Editur, biburque incompoſitè, importatis* in menſas *acervis ferculorum, aggeribus panum, & agminibus craterum. Ludunt cum vociferatione, cantitant cum ſtrepitu, cavillantur contumelioſis verbis: & jam* quoad *reliqua* omnia *referebant Lapithas Thebanos, & Centauros ſemibeſtias. Tunc unus ex illis, qui ſuperabat reliquos viribus: Nos quidem, ait, ſtrenuè perrupimus ædes Milonis* civis *Hypatenſis. Præter tantam abundantiam opum, quam nobis ſtrenuè peperimus noſtrâ fortitudine, recepimus nos etiam in noſtra caſtra ſalvâ* omni *turbâ* noſtrâ, *& reverſi ſumus ditati octo pedibus*, *ſi* hoc etiam *aliquâ in*

NOTÆ,

1. *Et intexta fibris aureis.*] Aurum intexere veſtibus invenit Attalus Rex: unde Attalicæ dictæ.

2. *Inter toros ſociorum.*] Quidam legunt *foros*, quod ſi quis retinere malit, intelligenda erunt ſedilia, vel viles & ligнei lecti latronum, ſcamnis nautarum, & navium tabulatis, quæ *fori* appellantur, haud abſimiles. Magis placet *toros*.

3. *Semiferis Lapithis Thebanis, Centauriſque.*] Nota eſt *Lapitharum* & *Centaurorum* in nuptiis Pirithoi, & Hippodames rixa ſuper mero debellata. *Lapithæ* populi erant Theſſaliæ, montes Pindum, & Othryn incolentes. Itaque, ſi ſincera ſit hujus loci ſcriptio, *Thebani* hîc dicuntur à *Thebis* Theſſaliæ oppido, cujus meminit Plin. l. 4. c. 8, non autem ab inclytis illis Thebis Bœotiis, quas Cadmus condidit. *Semiferos Lapithas* mirum quare Noſter vocet. Malim ego, tranſlatâ unâ voce, legere: *ac jam cætera Lapithis Thebanis, Centauriſque ſemiferis ſimilia.* De Chirone Centauro Ovid. Metamorphoſ. lib. 2.

Semifer intereà divinæ ſtirpis alumno
Lætus erat.

4. *Octo pedibus auctiores.*] Propter duo jumenta quadrupeda, quæ ſecum adduxerant, Apuleium & ejus equum. alter enim aſinus, ſuccifis poplitibus, fuerat ex itinere deturbatus in præceps.

ctiores remeavimus. At vos, qui Bœotias urbes appetiſtis, ipſo duce veſtro fortiſſimo [1] Lamacho diminuti, debilem numerum reduxiſtis: cujus ſalutem meritò ſarcinis iſtis, quas advexiſtis omnibus certè antetulerim. Sed illum quidem utcunque nimia virtus ſua peremit. Inter inclytos Reges ac Duces prœliorum tanti viri memoria celebrabitur. [2] Enim vos bonæ frugi latrones inter furta parva atque ſervilia, timidulè [3] per balneas & aniles cellulas reptantes, ſcrutariam facitis. Suſcipit unus ex illo poſteriore numero: Tu-ne ſolus ignoras, longè faciliores ad expugnandum domus eſſe majores? quippe, quòd licèt numeroſa familia latis diverſetur ædibus, tamen quiſque magis ſuæ ſaluti, quàm domini conſulat opibus. Frugi autem & ſolitarii homines fortunam parvam, vel certè ſatis amplam diſſimulanter obtectam, protegunt acriùs, & ſanguinis ſui periculo muniunt. Res ipſa denique fidem ſermoni meo dabit. Vix enim [4] Thebas He-

INTERPRETATIO.

parte lucri putandum ſit. *Vos verò, qui aggreſſi eſtis urbes Bœoticas, reduxiſtis imminutum numerum* veſtrorum, *amiſſo ipſo Lamacho veſtro ſtrenuiſſimo duce, cujus vitam profectò jure prætulerim omni iſti prædæ, quam adportaſtis. Verùm nimia quidem ejus fortitudo aliquatenùs ſuſtulit ipſum è vivis. Memoria tam præſtantis viri prædicabitur inter claros Reges & Imperatores pugnarum. Vos autem prædones frugales exercetis ſcrutariam* artem *inter furta tenuia & ſervilia, perrepentes pavidè balneas, & domunculas anuum. Unus ex illâ turbâ poſteriore reſpondet: An tu unus neſcis ampliores ædes eſſe multò faciliores expugnatu? quia nempè, tametſi magnus numerus ſervorum habitet in amplis domibus, unuſquiſque tamen potiùs proviſum vult ſuæ vitæ, quàm bonis heri* ſui. *Homines autem parci & privati pertinaciùs defendunt, atque cuſtodiunt* etiam cum *diſcrimine ſuæ vitæ opes tenues, aut etiam ingentes cautè celatas. Poſtremò, quod vobis dico, comprobabitur ipſâ re. Nam vix pervenimus*

NOTÆ.

1. *Lamacho.*] Nomen fortiſſimo latroni conveniens, *invictum* enim ſignificat. Heſychius Pricæo laudatus λαμαχος, ἄμαχος, ἀκαταγώνιστος.

2. *Enim vos.*] *Enim* hìc poſitum loco *autem*, vel *ſed*, vel *atenim*, ut apud Plaut. Aulul. Act. 3. Scen. 5.

3. *Per balneas &c. ſcrutariam facitis.*] Furando rubiginoſas ſtrigiles, ampullas rubidas, ſoleas veteres, & pannoſas veſtes, aliaſque id genus veteramentorum quiſquilias, quæ ſcruta dicuntur.

Horat. lib. 1. Epiſt.

——— *Vulteium mane Philippus*
Vilia vendentem tunicato ſcruta popello
Occupat.

Et ejuſmodi *ſcruta* vendentes *ſcrutarii* dicti ſunt, & eorum ars *ſcrutaria.* Lucilius.

——— ——— *ſcrutariu' laudat*
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbu' dimidiatam.

Hìnc verbum *ſcrutari*, quod eſt *vel minima quæque diligenter inveſtigare.*

4. *Thebas Heptapylos.*] Bœoticas illas à Cadmo conditas ἑπταπύλους dictas à ſeptem portis; ad diſtinctionem Thebarum Ægyptiarum à Libero patre, ut ferunt, conditarum, quæ à centum portis dictæ ſunt ἑκατόμπυλοι.

ptapylos acceſſimus, [1] ſed dum (quod eſt huic diſciplinæ primarium ſtudium) ſeduló fortunas inquirebamus popularium, nec nos denique latuit [2] Chryſeros quidam numularius, copioſæ pecuniæ dominus; qui [3] metu officiorum ac munerum publicorum, magnis artibus magnam diſſimulabat opulentiam. denique ſolus ac ſolitarius parvâ, ſed ſatis munitâ domunculâ contentus, pannoſus alioquin, ac ſordidus, [4] aureos folles incubabat. Ergo placuit ad hunc primùm ferremus aditum; ut contemptâ pugnâ manûs unicæ, nullo negotio cunctis opibus otiosè potiremur. Nec mora, cùm noctis initio foribus ejus præſtolamur: quas nec ſublevare, neque dimovere, ac nec perfringere quidem nobis videbatur; ne valvarum ſonus cunctam viciniam noſtro ſuſcitaret exitio. Tunc itaque ſublimis ille vexillarius noſter Lamachus, ſpectatâ virtutis ſuæ fiduciâ, [5] quâ clavi immittendæ fo-

INTERPRETATIO.

Thebas urbem *ſeptem portarum: at dum percontabamur diligenter opes uniuſcujuſque civium, (quæ eſt prima cura hujus noſtræ artis:) tandem nobis innotuit quidam Chryſeros fœnerator poſſeſſor numeroſæ pecuniæ; qui timens officia, & munera publica, celabat amplas opes magno aſtu. poſtremò, ſolus & ſemotus à* cæteris, *contentus tenui caſâ, ſed benè munitâ, cæterùm pannis obſitus, ac ſordidè victitans* cuſtodiebat *bulgas auri plenas incumbens eis. Igitur viſum eſt nobis hunc aggredi primùm: ut ſpretâ reſiſtentiâ unius* tantùm *manûs* illius, *otiosè occuparemus abſque difficultate omnes* ejus *divitias. neque cunctati, præſtò adſumus nocte ineunte ad oſtium ipſius: quod nobis non videbatur* conſultum *ſuſtollere, neque divellere* loco, *ac ne effringere quidem; ne ſtridor forium excitaret omnes vicinos in noſtram perniciem. Tunc igitur ille magnificus anteſignanus noſter Lamachus, confidentiâ ſuæ fortitudinis* toties *probatâ conabatur extrahere repa-*

NOTÆ.

1. *Sed dum (quod eſt huic diſciplinæ primarium ſtudium) ſedulò fortunam, &c.*] Rectum hunc loci hujus ordinem debemus Pricæo.

2. *Chryſeros quidam.*] Nomen avaro nummulario apprimè conveniens, *auri* enim *amatorem* ſignificat.

3. *Metu officiorum & munerum publicorum.*] *Munus publicum* ex l. 14. ff. *de Muner. & Honor.* eſt quod in adminiſtrandâ Republicâ cum ſumptu ſubitur ſine titulo dignitatis, ideóque ejuſmodi munera à pauperibus rejici in divites ſolebant. Eâ de causâ avarus Chryſeros refugiebat dives videri, quò faciliùs ea detrectaret, ſi offerrentur.

4. *Aureos folles incubabat.*] Non longiùs ab iis diſcedebat, quàm gallina ab ovis, quibus incubat. Similiter Seneca, lib. 1. *de Ira*, cap. ultimo: *Acervis auri argentique incubabat. Folles* hìc ſunt crumenæ, ſive ſacci ex alutâ.

5. *Quâ clavi immittendæ foramen, &c.*] Amplum illud quidem, ut ex hoc loco videre eſt, utpote tranſmittendæ manui patens. Claves quippe illæ oſtiorum domûs ingentes erant, earumque cuſtodia penes ſervos, hinc jocus ille Martialis in Euclidem, qui ſibi ipſe dominus erat & familia, lib. 5. Epigram. 35.

Equiti ſuperbo, nobili, locupleti,

Cecidit repentè magna de ſinu clavis.

Clavium figuras varias vide apud Pignor. *de Servis.*

ramen patebat, ſenſim immiſsâ manu, clauſtrum evellere geſtiebat. Sed dudum ſcilicet omnium [1] bipedum nequiſſimus Chryſeros, vigilans, & ſingula rerum ſentiens, lenem gradum & obnixum ſilentium tolerans, paulatim adrepit; grandique clavo manum ducis noſtri repentè niſu fortiſſimo ad oſtii tabulam offigit: & exitiabili nexu [2] patibulatum relinquens, gurguſtioli ſui tectum adſcendit; atque inde contentiſſimâ voce clamitans, roganſque vicinos, & unumquemque proprio nomine ciens, & ſalutis communis admonens, diffamat incendio repentino domum ſuam poſſideri. Sic unuſquiſque proximi periculi confinio territus ſuppetiatum decurrunt anxii. Tunc nos in ancipiti periculo conſtituti, vel [3] opprimendi noſtri, vel deſerendi ſocii, [4] medium è re nata validum eo volente comminiſcimus. Anteſignani noſtri partem, [5] quâ manus humerum ſubit, ictu per articu-

INTERPRETATIO.

pagulum, intromiſsâ paulatim manu, quâ parte oſtium *erat perforatum ad inferendam clavem. Verùm Chryſeros ſceleſtiſſimus omnium* animalium *bipedum, expergefactus ſcilicet jampridem, & cognoſcens quidquid* gerebatur, *accedit placidè incedens ſuſpenſo greſſu, & ſervans obſtinatum ſilentium; & ſubitò affigit validiſſimo conatu manum anteſignani noſtri ad tabulam januæ ingenti clavo: & linquens eum affixum connexione lethali, conſcendit tectum ſui tugurii; & illinc clamans altiſſimâ voce, & obſecrans vicinos, ac vocans ſingulos ſuo nomine, monenſque* ut conſulerent *communi conſervationi, deblaterat ædes ſuas correptas eſſe ſubitis flammis. Sic cuncti paventes propinquitate periculi imminentis provolant ſolliciti, laturi auxilium. Tunc nos poſiti in ambiguo diſcrimine, aut incidendi in manus* accurrentium, *aut relinquendi* noſtri *commilitonis, excogitamus ex tempore remedium ſtrenuum ipſo jubente. Reſecamus omninò membrum noſtri ducis quâ manus humero jungitur, ictu libra-*

NOTÆ.

1. *Bipedum nequiſſimus.*] Alexander Severus, de Caracalla apud Spartianum: *Ille omnium non ſolùm bipedum, ſed etiam quadrupedum nequiſſimus. Bipedes* hîc homines intellige, cùm cætera terrena animalia ſint quadrupeda.

2. *Patibulatum.*] Sic affixum oſtio, ut nocens patibulo affigitur. Hoc *patibulatum* à Scaligero eſt. Habent multa exemplaria *patibulum*: quod in eundem ſenſum tuetur Lipſius, Elect. lib. 1. cap. 18. quaſi ſit à nominativo *patibulus* maſc. gen. quod idem ſit ac *patibulatus*. Ipſum vide. *Patibulatus* apud Plautum, Moſtel. Act. 1. Scen. 1. *cruci affixus, eamque geſtans per vias.*

O carnificum cribrum, quod credo fore;
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reveniat ſenex.

3. *Opprimendi noſtri.*] *Opprimendi* hîc paſſivè ſumitur (*d'eſtre ſurpris*) *noſtri* autem, & *veſtri*, prò *noſtrum*, & *veſtrum*, quâ ratione dicatur, vide apud Gell. Noct. Attic. lib. 20. cap. 6.

4. *Medium è re natâ validum.*] Legit Pricæus *remedium calidum*, hoc eſt, *citum, repentinum.* Sed nihil neceſſe eſt immutare, niſi fortè pro *medium* reponendum *remedium.*

5. *Quâ manus humerum ſubit.*] In flexura cubiti. *Manum* hîc intellige quidquid à cubiti flexu ad extremos ungues pertinet. Reliquum brachium, ut hîc, ſic apud Anatomicos *humerus* dicitur.

ſum

lum medium temperato, prorſus abſcindimus; atque ibi brachio relicto, multis laciniis [1] offulto vulnere, ne ſtillæ ſanguinis veſtigium proderent, cæterum Lamachum raptim reportamus. Ac dum [2] trepidi regionis urgemur gravi tumultu, & inſtantis periculi metu terremur ad fugam; nec vel ſequi properè, vel remanere tutò poteſt: vir ſublimis animi virtutiſque præcipuus, multis nos affatibus, multiſque precibus [3] quæſens adhortatur [4] per dextram Martis, [5] per fidem ſacramenti, bonum commilitonem [6] cruciatu ſimul & captivitate liberaremus. Cur enim manui, quæ rapere & jugulare ſola poſſet, fortem latronem ſupervivere? ſat ſe beatum, qui manu ſociâ volens occumberet. Cumque nulli noſtrûm ſpontale [7] parricidium ſuadens perſuadere poſſet: manu reliquâ ſumptum gladium ſuum, diuque deoſculatus, per medium pectus ictu fortiſſimo tranſadigit. Tunc

INTERPRETATIO.

to per mediam juncturam; & relicto illic brachio, obvolutâ plagâ multâ veſte, ne guttæ ſanguinis indicarent quâ fugiſſemus, aſportamus citiſſimè quod ſupererat de Lamacho. Dumque magnus ſtrepitus inſtat nobis trepidantibus ob ignorantiam *locorum, & exterriti timore diſcriminis imminentis* compellimur *ad fugam; neque* ipſe *poteſt aut* nos *ſequi feſtinanter, aut* ibi *remanere ſecurè: vir magnanimus, ſingulariſque fortitudinis orans nos multis alloquiis multiſque precibus obteſtatur per dexteram Gradivi patris, perque jurisjurandi fidem,* uti ſe *probum* noſtrum *ſocium eriperemus dolori ſimul & captivitati. Quamobrem enim ſtrenuus prædo ſuperſtes eſſet dexteræ* ſuæ, *quæ ſola poſſet prædari, & interficere? ſe* porrò *ſatis felicem fore, qui ſponte interiret manu commilitonum. Cùmque neminem noſtrûm poſſet impellere ad ultroneum parricidium, ad quod* nos *invitabat; ſtrinxit enſem ſuum manu, quæ ipſi ſupererat, & diù oſculatus* illum *immerſit in medium pectus ictu validiſſimo. Tunc nos*

NOTÆ.

1. *Offulto vulnere.*] Lib. 1. *quod vulnus quàm maximè patebat offulciens Panthia.*

2. *Trepidi regionis.*] Ignari hominumque locorumque. Virgil. Æneid. lib. 12. *trepidæ rerum*: ad quæ verba Servius, *neſcientes quid agant ignaræ auxilii.* Poſſet etiam legi *trepidæ regionis urgemur gravi tumultu*, id eſt, *tumultu hominum illius regionis trepidè concurſantium*, ad reſtinguendum incendium, quo Chryſeros diffamaverat correptam eſſe ſuam domum.

3. *Quæſens.*] Ab antiquo *quæſere*, cujus primæ tantùm perſonæ *quæſo* & *quæſumus* in uſu remanſerunt. Lipſii eſt hæc lectio. Priùs legebatur *quærens.*

4. *Per dexteram Martis.*] Quem latrones, ſicut & Gladiatores, & milites Deum ſibi præſidem habebant. Latrones dico. Fures enim Mercurium, & Lavernam colebant, non Martem.

5. *Per fidem ſacramenti.*] Quo ſe ad leges omnes prædatorias obſervandas obſtrinxerant, maximèque ad ſocios nullâ vi tormentorum revelandos, & omnia pro eorum incolumitate patienda: ad militum exemplum, qui jurabant ſe omnia ſtrenuè laturos, quæ præcepiſſet Imperator, nunquam deſerturos militiam, neque mortem detrectaturos pro Republicâ. Egregium ſervatæ latrocinalis fidei exemplum extat infrà de Thraſyleone: *neque clamore, neque ululatu quidem fidem ſacramenti prodidit.*

6. *Cruciatu ſimul & captivitate liberaremus.*] Mortem ipſi inferendo, quæ eſt malorum omnium finis.

7. *Parricidium.*] καταχρηστικῶς.

nos magnanimi ducis vigore venerato, corpus reliquum veſte lineâ diligenter convolutum mari celandum commiſimus. Et nunc jacet noſter Lamachus [1] elemento toto ſepultus. Et ille quidem dignum virtutibus ſuis vitæ terminum poſuit. Enimverò [2] Alcimus ſolertibus cœptis, tamen ſcævum Fortunæ nutum non potuit abducere. Qui cum dormientis anûs perfracto tuguriolo conſcendiſſet cubiculum ſuperius, jamque protinus obliſis faucibus interſtinguere eam debuiſſet: prius maluit rerum ſingula per altiorem feneſtram forinſecùs nobis ſcilicet rapienda diſpergere. Cumque jam cuncta rerum gnaviter emolitus, nec toro quidem aniculæ quieſcentis parcere vellet, eâque lectulo ſuo devolutâ, veſtem ſtragulam ſubductam ſcilicet jactare ſimiliter deſtinaret; genibus ejus profuſa ſic nequiſſima illa deprecatur: Quid oro, ſili, paupertinas pannoſaſque [3] reſculas miſerrimæ anûs donas vicinis divitibus, quorum hæc feneſtra domum proſpicit? Quo ſermone callido deceptus aſtu, & vera, quæ dicta ſunt credens Alcimus; verens ſcilicet ne & ea quæ prius miſerat, quæque poſtea miſſurus foret, non ſociis ſuis, ſed in alienos lares [4] incertus erroris abjiceret, ſuſpendit ſe feneſtrâ, ſagaciter proſpecturus omnia;

INTERPRETATIO.

honoratâ virtute fortiſſimi anteſignani noſtri, *involvimus ſtudioſè* ejus *cadaver mutilum ſindone lineâ*, & *mari credidimus abſcondendum. Et nunc Lamachus noſter jacet contumulatus toto* illo *elemento. Atque ille quidem oppetiit mortem dignam ſuis factis egregiis. At enim Alcimus non potuit amoliri ſiniſtrum arbitrium fortunæ à ſuis inceptis* quamvis *callidis. Hic enim perfoſſâ domunculâ* cujuſdam *vetulæ dormientis, cum aſcendiſſet in cubiculum ſuperius, & jam debuiſſet ipſam ſtatim enecare præfocato gutture: maluit priùs projicere foras ad nos omnia ex feneſtrâ celſiore, ut nempè* ea *raperemus. Cumque omnibus jam ſtrenuè egeſtis, ne lectum quidem vetulæ dormientis vellet relinquere, eâque deturbatâ è ſuo grabatulo, pararet ſimiliter projicere ſtragulam veſtem, quam nempe* ipſi *ſubtraxerat; illa ſceleſtiſſima procumbens ad genua ejus, ſic eum obſecrat: Quam ob cauſam, quæſo, fili, das pauperculam & laceram ſupellectilem anûs infeliciſſimæ vicinis opulentis, ad quorum ædes hæc feneſtra pertinet? Quibus verbis Alcimus circumventus ſolerti aſtutiâ, & vera putans, quæ* ſibi *dicta erant; timens nempe ne ignorans ſe errare mitteret & illa quæ ante projecerat, & quæ poſteà eſſet projecturus, non commilitonibus ſuis, ſed in ædes alienas, promovit ſe per feneſtram callidè contem-*

NOTÆ.

1. *Elemento toto ſepultus.*] Propert. lib. 3. Eleg. 7.

Nunc tibi pro tumulo Carpathium
omne mare eſt.

Subit dubium quomodo Lamachum, & deinde Alcimum in mare projecerint latrones, cùm Thebæ, ubi erant, diſtent multis milliariis ab Euripo, quod proximum eſt mare. Aut hallucinatus eſt Apuleius, aut intellige projecta fuiſſe illa cadavera in Iſmenum amnem, qui ea deinde in Euripum detulit, ideoque dici projecta in mare.

2. *Alcimus.*] Eſt & hoc nomen à fortitudine. Heſychius: Ἄλκιμος: μάχιμος, ἀνδρεῖος, ἰσχυρὸς θρασύς.

3. *Reſculas.*] Alii *reculas*. Diminutivum eſt à *re*.

4. *Incertus erroris.*] Sic Schopp. & Caſaub. Alii *jam certus*.

præſertim domûs attiguæ, quam dixerat illa, fortunas arbitraturus. Quod eum ſtrenuè quidem, ſed ſatis improvidè conantem, [1] ſenile illud facinus, quanquam invalido, repentino tamen & inopinato pulſu nutantem ac pendulum, & in proſpectu alioquin attonitum, [2] præceps inegit. Qui, præter altitudinem nimiam, ſuper quemdam etiam vaſtiſſimum lapidem propter jacentem decidens, perfractâ diffiſsâque [3] crate coſtarum, rivos ſanguinis vomens, primitùs narratis nobis quæ geſta ſunt, non diu cruciatus, vitam evaſit. Quem, prioris exemplo ſepulturæ traditum, [4] bonum ſecutorem Lamacho dedimus. Tunc orbitatis duplici plagâ petiti, jamque Thebanis conatibus abnuentes, [5] Plateas proximam [6] conſcendimus civitatem. Ibi famâ celebrem quemdam nomine [7] Democharem munus editurum gladiatorium deprehendimus. Nam vir & genere primarius & opibus

INTERPRETATIO.

platurus ſingula, præcipuéque exploraturus opes domûs vicinæ, de quâ anus loquuta fuerat. Quod quidem cùm moliretur gnaviter, & ſatis incautè, anus illa ſceleratiſſima vacillantem eum, ac pendentem, & aliàs penitùs intentum explorationi dedit præcipitem impulſu debili quidem, ſed ſubitario, & improviſo. Qui, præter ſummam altitudinem feneſtræ *ruens inſuper in quoddam ſaxum latiſſimum, quod adjacebat* domui, *diſtractâ perruptâque compage coſtarum eructans fluctus cruoris, non paſſus diutinos dolores exceſſit è vivis, memoratis priùs nobis* iis, *quæ* ſibi *evenerant. Quem tumulatum ad exemplum prioris dedimus bonum comitem Lamacho. Tum perculſi vulnere duplicis jacturæ, & jam repudiantes incepta Thebana, petimus Plateas proximam urbem. Illic comperimus quendam* virum *inclytum famâ, nomine Democharem exhibiturum gladiatorum ſpectaculum.* Ipſe *enim vir nobiliſſimus ditiſ-*

NOTÆ.

1. *Senile illud facinus.*] Aſperiùs & ſignificantiùs, quàm ſi dixiſſet *anus illa facinoroſa.* Sic Martialis:

Non vitioſus homo es Zoile, ſed vitium.

Sic ſæpiſſimè *ſcelus* apud Comicos pro *ſcelerato*, metonymiâ adjuncti.

2. *Præceps inegit.*] Additâ verbo præpoſitione, quæ nomini ſic erat addenda: *in præceps egit.* Sed hoc familiare huic Scriptori.

3. *Crate coſtarum.*] Virgil. Æn. 12.

——. *& cratem pectoris enſe Tranſadigit,* —— Anatomicis dicitur *thorax*,

4. *Bonum ſecutorem Lamacho dedimus.*] Id eſt, *in mare miſimus, ut ſequeretur Lamachum jam eodem projectum.* Vetus formula valedicendi mortuis apud Servium, ad lib. 6. Æn. Vale: *nos te ordine, quem naturâ permiſerit, ſequemur.* Scaliger & Lipſius hîc ad gladiatores alluſum volunt, ex quibus nonnulli *ſecutores* dicti, qui cum *Retiariis* conferri ſolebant. De quibus plura apud illos vide.

5. *Plateas.*] Urbs eſt Bœotiæ ſub Citherone monte ſic dicta, ut videtur Straboni, lib. 9. à latitudine remorum, quam Plateenſes primi invenerunt: quod etiam tradit Plin. Quin & illos victum olim remigatione quæſiviſſe auctor eſt idem Strabo. πλάτη eſt *remi palmula*: πλάτος *latitudo.*

6. *Conſcendimus.*] Quia Plateæ editiore loco poſitæ, vel fortaſſè legendum *contendimus.*

7. *Democharem.*] Nomen appoſitè ad rem confictum, Latinè *populo gratum* diceres.

pluribus, & liberalitate præcipuus, digno fortunæ ſuæ ſplendore publicas voluptates inſtruebat. Quis tantus ingenii, quis facundiæ, qui ſingulas ſpecies apparatûs multijugi verbis idoneis poſſit explicare? [1] Gladiatores iſtic famoſæ manus, venatores illic probatæ pernicitatis; alibi [2] noxii, perditâ ſecuritate, ſuis epulis beſtiarum ſaginas inſtruentes. [3] Confixilis machinæ ſublicæ, turres tabularum nexibus, ad inſtar circumforaneæ domûs, floridæ picturæ, decora [4] futuræ venationis receptacula. Qui præterea numerus, quæ facies ferarum? nam [5] præcipuo ſtudio forenſi etiam advexerat [6] generoſa illa damnatorum capitum funera. Sed præter cæteram ſpecioſi muneris ſupelle-

INTERPRETATIO.

ſimuſque, & liberaliſſimus, præparabat populo oblectamenta, magnificentiâ dignâ opibus ſuis. Quis tanto ingenio valet, quis eſt *adeo eloquens, ut poſſit exponere oratione convenienti omnia genera apparatûs multiplicis? Hîc* erant *Gladiatores dextræ illuſtris, illic venatores ſpectatæ celeritatis: alibi ſontes præparantes ſuis conviviis pinguem cibum belluis* cum *veſanâ tranquillitate. Pegmata* erant compacta *ex tignis, turres coagmentatæ plancis in modum domus ambulatoriæ*, & in eis *picturæ elegantes*, quæ futuræ erant *pulchra diverſoria futuræ venationis. Præterea quantus numerus, & quales formæ beſtiarum? nam maximâ diligentiâ etiam peregrè* curaverat *adportari nobiles illas mortes hominum condemnatorum. Sed præter reliquum apparatum* tam *pulchri*

NOTÆ.

1. *Gladiatores iſti famoſæ manus.*] *Famoſæ* cædibus. *Gladiatores, qui multarum palmarum prœliis ſpectati*, ut loquitur Noſter, lib. 10. *magna dextrarum ſuarum trophæa numeraverant. Famoſæ* optimè de *Gladiatoribus.* Eodem lib. 10. *nobiliſſimas feras, & famoſos inde Gladiatores comparaturus.* Eſt perpetuum Gladiatorum epitheton.

2. *Noxii perditâ ſecuritate ſuis epulis beſtiarum ſaginam inſtruentes.*] Damnati ad beſtias, quibus lautæ apponebantur epulæ, antequam belluis exponerentur, ut illud quantulumcunque vitæ, quod ſupererat, ſuaviter ducerent. Cave *perditâ ſecuritate* intelligas *amiſsâ*, ſed *veſanâ*, qualis perditorum & deſperatorum hominum eſſe poteſt. Si enim ſecuritatem amiſiſſent, deque impendenti fato ſeriò, ut par erat, cogitâſſent; profectò faſtidiſſent epulas. Hic eſt, ut exiſtimo, ſenſus hujus loci, quem Pricæus negat ſe intelligere.

3. *Confixilis machinæ ſublicæ*, &c.] *Sublicas confixilis machinæ* intellige *ipſam machinam confixilem compactam ex ſublicis*, quæ ſunt tigni ſeu pali lignei, *ſibi invicem infixis*, unde machinæ nomen. *Confixilis machina* pegma eſt, quod veteres Gloſſæ *confixum* interpretantur. Erat hæc machina ambulatoria, turres altiſſimas ſuſtentans, quæ per vias & Amphitheatrum agebantur ſpectante ac mirante populo. Martial. *de Spectaculis*, Epigram. 2.

Et creſcunt mediâ pegmata celſa viâ.

4. *Futuræ venationis.*] In Circo exhibendæ. Vide Dempſterum in Paralipomenis, ad cap. 5. Antiq. Rom. Roſini. & Bulenger. *de Venat. Circi & Amphith.*

5. *Præcipuo ſtudio, forenſi etiam*, &c.] Sic interpungit Pricæus, & exponit *forenſi* exotico. Ego ſic verti, quaſi legeretur *forinſecùs.* At ſi rectè expendatur mea interpretatio, recidit in Pricæi ſenſum.

6. *Generoſa illa damnatorum capitum funera.*] Beſtias, quarum dentes mortem erant illaturi, alvus verò ſepulchri vice futura, miſeris illis hominibus.

ctilem, totis utcunque patrimonii viribus [1] immanis urſæ comparabat numerum copioſum. Nam præter domeſticis venationibus captas, præter largis emptionibus partas, amicorum etiam donationibus variis certatim oblatas tutelâ ſumptuoſâ ſollicitè nutriebat. Nec ille tam clarus, tamque ſplendidus publicæ voluptatis apparatus [2] Invidiæ noxios effugit oculos. Nam diutinâ captivitate fatigatæ, ſimul & æſtivâ flagrantiâ maceratæ, pigrâ etiam ſeſſione languidæ, repentinâ correptæ peſtilentiâ, pœnè ad nullum rediere numerum. Paſſim per plateas plurima cerneres jacere [3] ſemivivorum corporum ferina naufragia. Tunc vulgus ignobile, quos inculta pauperies ſine delectu ciborum, tenuato ventri cogit ſordentia ſupplementa, & dapes gratuitas conquirere, [4] paſſim jacentes epulas accurrere. Tunc è re natâ ſubtile conſilium ego & [5] iſte Babulus tale commniſcimur. Urſam, quæ cæteris ſaginâ corporis prævalebat, quaſi cibo parandam portamus ad noſtrum receptaculum; ejuſque probè nudatum carnibus corium, ſervatis ſolerter totis unguibus, ipſo etiam beſtiæ capite aduſque confinium cervicis ſolido relicto, tergum omne raſurâ

INTERPRETATIO.

ſpectaculi, quoquo modo emebat totis opibus patrimonii ſui *magnum numerum ingentium urſarum. Nam præter illas, quas ceperat domi venando, præter eas, quas emerat magnis pretiis, alebat etiam magnis impenſis* alias *cuſtoditas ſummâ curâ, quas amici certatim undique miſerant* ei *muneri. Ac illa adeo illuſtris, adeoque magnifica inſtructio oblectamenti publici non potuit evitare malignum aſpectum Invidiæ.* Ipſæ *enim defeſſæ longâ captivitate, ſimul & debilitatæ calore æſtatis, morbidæ quoque ex perpetuâ deſidiâ, affectæ ſubitâ lue, redactæ fuerunt ad nullum ferè numerum. Videres per vicos maximam ſtragem ferarum ſemianimis corporibus ubique jacentibus. Tunc vilis plebecula, quam immunda egeſtas cogit perquirere vilia ſubſidia abdomini emaciato, & cibos inemptos abſque* ullâ *electione dapum, cœpit accurrere ad eſcas ubique ſtratas. Tunc ego, & hic Babulus ex occaſione excogitamus hoc callidum conſilium. Auferimus in noſtrum diverſorium urſam, quæ ſuperabat reliquas pinguedine corporis, quaſi coquendam in* noſtrum *cibum; ejuſque pelle egregiè purgatâ carnibus, conſervatis unguibus magnâ induſtriâ, vel cto etiam ipſo capite beſtiæ integro uſque ad ejus juncturam cum collo; attenuamus totum corium radendo, &*

NOTÆ.

1. *Immanis urſæ numerum copioſum.*] Obſerva *immanis urſæ* ſingulari numero dictum, cùm naturalis ſenſus in plurali poſtulet *immanium urſarum.*

2. *Invidiæ.*] Cujus deſcriptionem vide apud Ovidium, lib. 2. Metamorph.

3. *Semivivorum corporum ferina naufragia.*] Corpora urſarum ſemimortuarum, quæ morbo fracta jacebant, ut navium tempeſtate quaſſarum tabulæ trabeſque in littore jacentes conſpiciuntur. Metaphora eſt paulò durior à re nauticâ ducta.

4. *Paſſim jacentes epulas adcurrere.*] Tertullianus à Pricæo laudatus, in Apologet. *Ipſorum urſorum alvi appetuntur, cruditantes adhuc de viſceribus humanis; ructatur proinde ab homine caro paſta de homine.*

5. *Et iſte Babulus.*] Δεικτικῶ. Latronem hoc dicens demonſtrat, cujus hoc nomen erat.

ſtudioſâ tenuamus: & minuto cinere perſperſum, Soli ſiccandum tradimus. Ac, dum cœleſtis vaporis flammis [1] examurcatur; nos interdum [2] pulpis ejus valenter ſaginantes, ſic inſtanti militiæ imponimus ſacramentum: ut unus è numero noſtro, non qui corporis adeò, ſed animi robore cæteris antiſtaret, atque is inprimis voluntarius, pelle illâ contectus, urſæ ſubiret effigiem, domumque Democharis illatus per opportuna noctis ſilentia nobis januæ faciles præſtaret aditus. Nec paucos fortiſſimi collegii ſolers ſpecies ad munus obeundum arrexerat. Quorum præ cæteris Thraſyleon factionis optione delectus, [4] ancipitis machinæ ſubiit aleam. Jamque habili corio, & mollitie tractabili, vultu ſereno ſeſe recondit. Tunc tenui ſarcimine ſummas oras ejus adæquamus; & juncturæ rimam, licet gracilem ſetæ circumfluentis denſitate ſepimus: ad ipſum confinium gulæ, quâ cervix beſtiæ fuerat exſecta, Thraſileonis caput [5] ſubire cogimus; parviſque reſpiratui circa nares & oculos datis foraminibus, fortiſſimum ſocium noſtrum prorſus beſtiam factum immittimus caveæ modico præſtinatæ pretio: quam conſtanti vigore feſtinus irrepſit ipſe. Ad hunc modum prioribus inchoatis, ſic ad reliqua fallaciæ pergimus.

INTERPRETATIO.

conſperſum tenui cinere exponimus Soli arefaciendum. Dumque expurgatur calore ignis illius *ætherei; nos interim validè ſaturantes ejus carnibus, diſponimus has leges imminenti militiæ: ut unus ex noſtrâ turbâ qui reliquis præſtaret, non corporis quidem fortitudine, ſed animi, quique præſertim ſuſciperet* hoc *libenter, indueret formam urſæ opertus illo corio, & invectus in ædes Democharis redderet nobis facilem ingreſſum oſtii idoneo tempore noctis cùm* omnia *ſilerent. Et* illa *ſubtilis transformatio addiderat animos multis ex noſtro fortiſſimo cœtu ad ſuſcipiendam* illam *provinciam. Ex quibus Thraſyleon, ſuffragiis collegii electus præ cæteris, ſubiit diſcrimen illius machinæ periculoſæ. Et tranquillo vultu contegit ſe pelle illâ jam præparatâ ac tractabili propter ſuam mollitiem. Tunc conſuimus extremas ejus partes ſuturâ ſubtili, & obtegimus rimam ſuturæ, quamvis anguſtam, multitudine villorum ambientium. Inſerimus caput Thraſyleonis prope ipſam gulam, quâ parte collum feræ fuerat abſciſſum. Et relictis anguſtis foraminibus circa nares & oculos, ad reſpirandum, concludimus generoſiſſimum noſtrum commilitonem jam planè transformatum in belluam, caveâ, quam emeramus exiguo pretio, in quam celeriter ſe penetravit alacri impetu. Sic inceptis primordiis fraudis, continuamus reliqua hoc modo.*

NOTÆ.

1. *Examurcatur.*] *Amurca* fæx eſt olei: unde *examurcare corium* hîc eſt illud pinguedine & carne adhærente expurgare, ut *examurcatur* oleum, cùm *amurcâ purgatur.*

2. *Pulpis ejus.*] Carnibus muſculoſis. Lib. 8. *Oſſa pulpis viduata.*

3 *Thraſyleon.*] Nomen latroni aptum. Θρασὺς enim audacem & temerarium ſignificat.

4. *Ancipitis machinæ.*] Urſinæ pellis, quam non poterat niſi cum ingenti diſcrimine ſubire.

5. *Subire cogimus.*] *Subire facimus, immittimus*, non autem *adigimus vi.* Suprà enim: *ut unus è numero noſtro*, &c. *atque is inprimis voluntarius*, &c.

Sciſcitati nomen cujuſdam [1] Nicanoris, qui genere Thracio proditus, jus amicitiæ ſummum cum illo Demochare colebat, litteras affingimus, ut venationis ſuæ primitias bonus amicus videretur ornando muneri dedicâſſe. Jamque provectâ veſperâ abuſi præſidio tenebrarum, Thraſyleonis caveam Demochari cum literis illis adulterinis offerimus: qui demiratus beſtiæ magnitudinem, ſuique contubernalis opportunâ liberalitate lætatus, jubet nobis protinus gaudii ſui gerulis decem aureos, ut ipſe habebat, è ſuis loculis adnumerari. Tunc, ut novitas conſuevit ad repentinas viſiones animos hominum pellere, multi numero mirabundi ad beſtiam confluebant. quorum ſatis callenter curioſos aſpectus Thraſileon noſter impetu minaci frequenter inhibebat. Conſonâque civium voce ſatis felix ac beatus Demochares ille ſæpè celebratus, quòd poſt tantam cladem ferarum, novo proventu quoquomodo Fortunæ reſiſteret. Jubet [2] novalibus ſuis confeſtim beſtiam ire: jubet ſummâ cum diligentiâ reportari. Sed ſuſcipiens ego, Caveas, inquam, domine, flagrantiâ Solis & itineris ſpatio fatigatam, cœtui multarum, & , ut audio, non rectè valentium

Interpretatio.

Percontati nomen Nicanoris cujuſdam, qui ortus ſtirpe Threiciâ fovebat maximam amicitiam cum illo Demochare, ſic *comminiſcimur epiſtolam, ut egregius ille amicus videretur conſecraviſſe primitias ſuæ venationis decorando muneri* Democharis. *Et die jam valdè inclinato in noctem, freti auxilio obſcuritatis, offerimus Demochari caveam,* quâ incluſus erat *Thraſyleon cum illâ epiſtolâ confictâ; qui admiratus molem belluæ, gaviſuſque de opportunâ beneficentiâ ſui familiaris, imperat, ut protinus decem aurei nummi ex ſuo marſupio, quod ſecum habebat, numerarentur nobis, qui attuleramus ipſi* tantum *gaudium. Tunc, ut mentes hominum ſolent allici novitate ad ſubita ſpectacula, plurimi concurrebant ad belluam admirantes ipſam, quorum inſpectionem curioſiorem noſter Thraſyleon impediebat ſatis aſtutè, ſæpè inſultans minaciter. Civeſque unanimi ore ſæpè prædicaverunt Democharem illum valdè felicem & fortunatum, quoniam poſt tantam ſtragem belluarum reſiſteret utcunque* malignæ *ſorti novo ſupplemento. Imperat ſtatim ut bellua ducatur in ſua novalia, imperat ut* illinc *diligentiſſimè reducatur. Verùm ego ſubjiciens: Cave, inquam, domine, ne* ipſam *laſſatam Solis ardore & longitudine viæ commiſceas turbæ multarum beſtiarum, quæ,*

Notæ.

1. *Nicanoris.*] A victoriâ deductum nomen. Græcis enim νίκη *victoria*, eſt, & νικᾶν *vincere*.

2. *Novalibus ſuis.*] *Novalis* & *novale* eſt *arvum, quod alternis annis ſeritur*: ex Plin. lib. 18. cap. 19. Virgil. Georgic. lib. 1.

Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.

Ejuſmodi ager vocatur etiam *requietus*. Contrà, *reſtibilis* ille eſt, qui quotannis aratur, & ſeritur. Hîc *novalia*, ſi germana lectio eſt, intellige *prædia ruſtica*. Schopp. ait ſe quibuſdam in libris legiſſe: *jubet vivariis ſuis*, &c. quod facilè prætulerim. De vivariis ferarum Columella videndus libri noni initio.

committere ferarum. Quin potiùs domûs tuæ patulum ac [1] perflatilem locum, immò & [2] lacu aliquo conterminum refrigerantemque proſpicis? An ignoras hoc genus beſtiæ lucos conſitos, & ſpecus roridos, & colles amœnos, & fontes frigidos ſemper incubare? Talibus monitis Demochares perterritus, numerumque [3] perditorum ſecum recenſens, non difficulter adſenſus, ut ex arbitrio noſtro caveam locaremus facilè permiſit. Sed & nos, inquam, parati ſumus hîc ibidem pro caveâ iſtâ excubare noctes; ut æſtus & vexationis incommodo beſtiæ fatigatæ & cibum tempeſtivum & potum ſolitum accuratiùs offeramus. Nihil indigemus labore iſto veſtro, reſpondit ille. Jam pœnè tota familia per diutinam conſuetudinem nutriendis urſis exercitata eſt. Pòſt hæc VALE facto, diſceſſimus: & portam civitatis egreſſi, monumentum quoddam conſpicamur procul à viâ, remoto & abdito loco poſitum. Ibi capulos carie & vetuſtate ſemitectos, queis inhabitabant pulverei & jam cineroſi mortui, paſſim adfuturæ prædæ receptacula reſeramus: &, ex diſciplinâ ſectæ, ſervato noctis illuni tempore, quo ſomnus obvius impetu primo corda mortalium validus invadit ac premit, cohortem noſtram gladiis armatam ante ipſas fores Democharis, [4] velut expilationis vadimonium ſiſtimus.

INTERPRETATIO.

ut accepi, non benè habent. Quidni potiùs provides aliquem locum tuarum ædium apertum & patentem ventis, immò & vicinum alicui lacui, & refrigerantem? An neſcis hujuſmodi animalia ſemper verſari in nemoribus opacis, & ſpeluncis humidis, & lætis collibus, & propè fontes gelidos? Demochares territus his monitis, & reputans apud ſe *quot jam amiſiſſet, non ægrè aſſentiens* meis verbis, *libenter permiſit ut collocaremus caveam quemadmodum nobis libuiſſet. Quin & nos* quoque, *inquam, præſtò adſumus* tibi *acturi excubias noctibus hoc ipſo in loco ante hanc caveam, ut miniſtremus majori curâ, & eſcam ſtatis horis, & potum conſuetum belluæ debilitatæ moleſtiâ caloris, & jactationis. Nihil opus eſt nobis operâ iſtâ veſtrâ, repoſuit ille. jam ferè omnes mei ſervi longo uſu periti ſunt alendarum urſarum. Poſt hæc* VALE *dicto abiimus: & egreſſi extra portam urbis conſpicimus quoddam monumentum extructum longè à viâ,* in *loco ſemoto, & occulto. Ibi aperimus hinc inde quaſdam ſandapilas* tantùm *ſemiopertas* ex *putredine & vetuſtate, in quibus erant cadavera jam converſa in pulverem & cineres, ad ea recipienda, quæ rapturi eramus: & obſervato ſecundùm præſcriptum* noſtræ *artis tempore noctis, quo luna non luceret, quo* tempore *ſomnus irrepens primo conamine fortiùs occupat & urget hominum animos, adſtituimus noſtram catervam inſtructam enſibus ante ipſam januam Democharis, veluti* ſatisfacturi *ſponſioni* factæ *de direptione* domûs ejus.

NOTÆ.

1. *Perflatilem locum.*] Ammian. Marcell lib. 22. de Alexandriâ urbe loquens: *auris, & ſalutari temperamento perflatilis.*

2. *Lacu aliquo conterminum.*] Sextus caſus pro tertio, dicitur enim *alicui conterminus.* Ablativum hunc regere videtur præpoſitio *cum*, quæ ingreditur compoſitionem nominis *conterminus.*

3. *Perditorum.*] Supple *animalium.*

4. *Velut expilationis vadimonium.*]

Nec

Nec ſeciùs Thraſyleon [1] examuſſim capto noctis latrocinali momento, prorepit caveâ: ſtatimque cuſtodes, [2] qui propè ſopiti quieſcebant omnes ad unum, mox etiam janitorem ipſum gladio conficit, clavique ſubtractâ fores januæ repandit; nobiſque promptè convolantibus, & domûs alveo receptis, demonſtrat [3] horreum, ubi veſperâ ſagaciter argentum copioſum recondi viderat. Quo protinus perfracto confertæ manûs violentiâ, jubeo ſingulos commilitonum aſportare quantum quiſque poterat auri vel argenti, & in illis ædibus fideliſſimorum mortuorum occultare properè, rurſum concito gradu recurrentes ſarcinas iterare: ([4] quod enim ex uſu foret omnium) me ſolum reſiſtentem pro domûs limine cuncta rerum exploraturum ſollicitè, dum redirent. Nam & facies urſæ mediis ædibus diſcurrentis, ad proterrendos, ſi qui de familiâ fortè vigilâſſent, videbatur opportuna. Quis enim, quamvis fortis & intrepidus, immani formâ tantæ beſtiæ, noctu præſertim, viſitatâ, non ſe ad fugam ſtatim concitaret? non, obdito cellæ peſſulò, pavens & trepidus cellâ ſe cohiberet?

INTERPRETATIO.

Nec minùs Thraſyleon occupatò puncto noctis apto latrociniis, placidè egreditur caveâ: ſtatimque mucrone interfecit omnes ad unum cuſtodes, quotquot erant ſtrati propè ipſum *dormientes, continuò*que *ipſum quoque oſtiarium, ereptâque ipſi clave aperit valvas oſtii; nobiſque accurrentibus celeriter, atque introductis in interiora ædium, oſtendit cellam, in quam callidè obſervârat veſpere plurima* vaſa *argentea recondi. Quâ confeſtim perruptâ impetu* noſtræ *denſæ cohortis, jubeo unumquemque ſociorum auferre quantum poſſet auri & argenti, & celeriter abdere in illis habitationibus fideliſſimorum mortuorum, iterumque remeantes celeri paſſu aſportare nova onera. Nam (quod cederet in communem utilitatem) me ſolum remanentem ante fores ædium obſervaturum attentè ſingula, donec reverterentur. Nam & forma urſæ vagantis per mediam domum mihi videbatur idonea ad exterrendos, ſi qui fortè ex famulis eſſent expergefacti. Nam quis, quantumvis magnanimus & expers metûs, conſpectâ ſtupendâ facie tantæ belluæ, ac præcipuè noctu, non ſe daret confeſtim in fugam? non ſe contineret cellâ oppeſſulatâ pavidus & tremens?*

NOTÆ.

Quaſi, polliciti nos expilaturos Democharis domum, fidem liberare vellemus; horâ condictâ ſiſtimus nos ante ejus fores; ſicut in judicio præſentes ſiſti ſolent ad vadimonium. Locutio eſt è medio foro ſumpta. Horat. Satyr. 1. lib. 1.

Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem eſt.

1. ***Examuſſim,***] *Amuſſis* (inquit Nonius) *regula fabrorum eſt, quam Architecti, cùm opus probant, rubricâ illinunt: vel tabula quædam, quâ utuntur fabri ad ſaxa coæquanda.* Hinc *examuſſim & ad amuſſim: accuratè.*

2. *Qui propè ſopiti,* &c.] Reponit Pricæus *probè* ſatis Apuleianè. Suprà: *probè nudatum carnibus corium.*

3. *Horreum ubi, &c. argentum copioſum recondi viderat.*] *Horreum* hìc Gazophylacium eſt. Sic etiam lib. 5. *altrinſecùs ædium horrea ſublimi fabricâ perfecta, magniſque congeſta gazis conſpicit.*

4. *Quod enim ex uſu foret omnium.*] Præfatio boni ominis cauſa, harum ſimilis, *quod omnibus benè verteret: quod felix fauſtumque eſſet,* &c.

His omnibus ſalubri conſilio rectè diſpoſitis, occurrit [1] ſcævus Eventus. Namque, dum reduces ſocios noſtros ſuſpenſus opperior, quidam ſervulus, [2] ſtrepitu ſcilicet divinitùs inquietus, proſerpit leniter; viſâque beſtiâ, quæ liberè diſcurrens totis ædibus commeabat, premens obnixum ſilentium, veſtigium ſuum replicat: & utcunque cunctis in domo viſa pronuntiat. Nec mora, cùm numeroſæ familiæ frequentiâ domus tota completur. Tædis, lucernis, cereis, ſebaceis, & cæteris nocturni luminis inſtrumentis clareſcunt tenebræ. Nec inermis quiſquam de tantâ copiâ proceſſit, ſed ſinguli fuſtibus, lanceis, diſtrictis denique gladiis armati, muniunt aditus. Nec ſecùs canes etiam venaticos, & horricomes, ad comprimendam beſtiam cohortantur. Tunc ego ſenſim, [3] gliſcente adhuc illo tumultu, [4] retrogradi fugâ domo faceſſo: ſed planè Thraſyleonem mirè canibus repugnantem, latens ponè januam ipſe proſpicio. Quanquam enim vitæ metas ultimas obiret, non tamen ſui, noſtrique, vel priſtinæ virtutis oblitus, jam faucibus ipſis hiantis Cerberi reluctabat. [5] Scenam denique, quam ſponte ſumpſerat, cum animâ retinens, nunc fugiens, nunc reſiſtens, variis corporis ſui [6] ſchemis ac motibus tan-

INTERPRETATIO.

His omnibus benè præparatis ſalutari conſilio, obſtitit ſiniſter Eventus. Dum enim expecto anxius noſtros commilitones revertentes, quidam puer expergefactus ſtrepitu, Diis nempè jubentibus, prorepit placidè; conſpectâque urſâ, quæ ſoluta vagabatur per totam domum, obſervans ſilentium toto niſu, redit unde venerat: & narrat omnibus, ut poteſt, quæ viderat in ædibus. Continuoque tota domus impletur numeroſâ turbâ ſervorum. Obſcuritas noctis illuminatur facibus, lampadibus, candelis cereis, ſebaceis, & aliis inſtrumentis lucis nocturnæ. Neque ullus ex tantâ multitudine venit abſque armis, ſed omnes inſtructi baculis, haſtis, denique enſibus nudatis, occupant aditus. Prætereà excitant etiam canes illos venaticos prolixis auribus, & horrentibus villis ad reprimendam feram. Tunc ego, creſcente adhuc illâ turbâ, retrorſum fugiens proripio me paulatim ex ædibus. Sed tamen abditus poſt oſtium video Thraſyleonem mirificè reluctantem adverſus canes. Quamvis enim perveniſſet ad extremum terminum vitæ; memor tamen ſui, noſtrique, & antiquæ fortitudinis, repugnabat ipſi gutturi Cerberi jam inhiantis. Denique retinens cum ſpiritu perſonam, quam ultrò induerat, modò vertens terga, modò reluctans, diverſis figuris ac motibus ſui

NOTÆ.

1. *Scævus Eventus.*] Siniſter *Eventus*, contrarius proſpero *Eventui*; quem fuiſſe Deum ſuprà obſervavimus. p. 102.

2. *Strepitu ſcilicet divinitùs*, &c.] Vvovver. ſuſpicatur reponendum *diutino* pro *divinitùs*, rectè, ut arbitror.

3. *Gliſcente illo tumultu.*] Plaut. Aſinaria: *pulcrè hoc gliſcit prælium.* Id eſt, *creſcit.*

4. *Retrogradi fugâ.*] Ab adjectivo *retrogradis*, pro quo uſitatiùs *retrogradus.*

5. *Scenam.*] Perſonam ſcenicam urſæ, quam induerat. *Scena* tamen propriè eſt Theatri frontiſpicium. Vide Vitruv. lib. 5. *de Architect.*

6. *Schemis.*] Figuris & geſtibus (*poſtures*) Dicitur *ſchema ſchemæ*, & *ſchema ſchematis.* Græcum eſt σχῆμα *habitus.*

dem domo prolapſus eſt. Nec tamen, quamvis publicâ potitus libertate, ſalutem fugâ quærere potuit. Quippe cuncti canes de proximo angiportu ſatis feri ſatiſque copioſi, venaticis illis, qui commodùm domo ſimiliter inſequentes proceſſerant, ſeſe commiſcent agminatim. Miſerum funeſtumque ſpectamen aſpexi, Thraſyleonem noſtrum catervis canum ſævientium cinctum, atque obſeſſum, multiſque numero morſibus laniatum. Denique tanti doloris impatiens populi circumfluentis turbulis immiſceor; &, in quo ſolo poteram celatum auxilium bono ferre commilitoni, ſic indaginis principes dehortabar: O grande, inquam; & extremum flagitium! magnam & verè pretioſam perdimus beſtiam. Nec tamen noſtri ſermonis artes infeliciſſimo profuere juveni. Quippe quidam procurrens è domo procerus & validus; incontanter lanceam mediis injecit urſæ præcordiis: nec ſecùs alius. Et ecce plurimi, jam timore diſcuſſo, certatim gladios etiam de proximo congerunt. Enimverò Thraſyleon, egregium decus noſtræ factionis, tandem immortalitate digno illo [1] ſpiritu expugnato magis, quàm patientiâ, neque clamore, ac nec ululatu quidem fidem ſacramenti prodidit: ſed jam morſibus laceratus, ferroque laniatus, obnixo mugitu & ferino fremitu præſentem caſum generoſo vigore tolerans, gloriam ſibi reſervavit, vitam fato reddidit. Tanto tamen terrore, tantâque formidine cœtum illum turbaverat, ut uſque diluculum, immò & in multum diem, nemo quiſquam fuerit

INTERPRETATIO.

corporis evaſit demum ex ædibus. Neque tamen potuit conſervare vitam ſuam fugiendo, quamvis redditus eſſet *publicæ libertati. Omnes enim canes ex proximo vico valdè truces & multi admodum adjungunt ſe turmatim venaticis illis, qui eodem tempore prodierant ex ædibus perſequentes ipſum ſimiliter. Vidi ſpectaculum triſte ac miſerandum, Thraſyleonem noſtrum circundatum, atque obſeſſum agminibus canum crudeliter irruentium, &* jam *laceratum plurimis morſibus. Poſtremo non ſuſtinens tantum dolorem, admiſceo me turbis populi illuc convenientis undique, & (in quo uno poteram ferre occultam opem optimo ſocio) ſic diſſuadebam inſtigatores canum: O facinus, inquam, immane & probroſum! jacturam facimus magnæ belluæ & verè pretioſæ. Neque tamen ſolertia meorum verborum* quidquam *profuit infortunatiſſimo juveni. Quidam enim magnus & robuſtus proveniens ex ædibus abſque morâ adegit haſtam in media viſcera urſæ: aliuſque ſimiliter. Ecce permulti, depoſito jam metu, ingerunt certatim enſes, & comminùs quidem. Thraſyleon autem eximia gloria noſtræ catervæ, oppreſſâ tandem illâ animâ dignâ immortalitate potiuſquàm* devictâ *conſtantiâ, nullâ vociferatione violavit fidem jurisjurandi, ac ne ejulatu quidem. Verùm jam dilaniatus morſibus, & diſcerptus ferro, ſimulans totis viribus mugitum & clamorem belluinum, ſuſtinens egregiâ virtute præſentem ſortem, reſervavit ſibi laudem, efflavit animam. Perculerat nihilominus turbam illam tanto metu, & tanto timore; ut ad auroram uſque, immò & ad multam lucem nemo prorſus auſus*

NOTÆ.

1. *Spiritu expugnato magis, &c.*] Amiſſâ priùs vitâ, quàm patientiâ.

auſus, quamvis jacentem, beſtiam vel digito contingere: niſi tandem pigrè ac timidè quidam lanius paulò fidentior, utero beſtiæ reſecto, [1] urſæ magnificum deſpoliavit latronem. Sic etiam [2] Thraſyleon nobis perimitur; ſed à gloriâ non perivit. Confeſtim itaque conſtrictis ſarcinis illis, quas nobis ſervaverant fideles illi mortui, [3] Plateæ terminos concito gradu deſerentes, iſtud apud noſtros animos identidem reputabamus, meritò nullam fidem in vitâ reperiri; quod ad Manes jam & mortuos odio perfidiæ noſtræ demigravit. Sic onere vecturæ, ſimul & aſperitate viæ toti fatigati, tribus comitum deſideratis, iſtas, quas videtis prædas adveximus. Poſt iſtum ſermonis terminum, poculis aureis memoriæ defunctorum commilitonum vino mero libant; dehinc canticis quibuſdam Marti Deo blanditi, paululùm conquieſcunt. Etenim nobis anus illa recens hordeum affatim, & ſine ullâ menſurâ largita eſt: ut equus quidem meus tantâ copiâ, & quidem ſolus potitus, [4] Saliares ſe cœnaſſe cœnas crederet.

INTERPRETATIO.

fuerit tangere vel extremo *digito belluam, quamvis ſtratam humi: ſed lanius quidam paulò audacior* cæteris, *diſciſſo tandem lentè ac trepidè ventre belluæ, nudavit inclytum prædonem* latentem *in urſa. Sic Thraſyleon quoque interficitur nobis; ſed non interiit quantum ad gloriam.* Nos *ergo collectis protinus ſarcinis illis, quas illi fidi mortui nobis aſſervârant, relictis veloci paſſu finibus Platearum, hoc recogitabamus identidem nobiſcum, jure nullam fidem inveniri in vitâ; quoniam illa exoſa noſtram perfidiam deſcendit ad Inferos defunctoſque. Sic* cùm eſſemus *omnes defeſſi pondere ſarcinarum; & aſperitate itineris, amiſſis tribus ex* noſtris *ſociis, adportavimus hæc ſpolia, quæ cernitis. Finitâ oratione his verbis, effundunt vinum crateribus aureis in memoriam ſociorum mortuorum; deinde cùm demulſiſſent Deum Martem, quibuſdam hymnis, tantiſper dormiunt. Vetula autem illa diſtribuit nobis hordeum recens abundè, & ſine modo; adeo* ut *meus quidem equus putaret ſe fuiſſe exceptum epulis Pontificalibus, cùm fructus eſſet tantâ abundantiâ* hordei, *& ſolus quidem.*

NOTÆ.

1. *Urſæ magnificum deſpoliavit latronem.*] Hanc lectionem ſi retineas, *urſæ latronem* intellige *latronem*, qui putabatur *urſa*, *latronem ſub urſa jacentem*, ut expoſui. Si verò magis placuerit Pricæi lectio, qui reponit *urſa*, pro *urſæ*, refer ad *deſpoliavit*, & expone: *nudavit pelle urſæ.*

2. *Thraſyleon perimitur: ſed à gloriâ non perivit.*] In hanc ſententiam Tacitus in Vitâ Julii Agricolæ: *quanquam medio in ſpatio integræ ætatis abreptus, quantum ad gloriam longiſſimum ævum peregit.* Præpoſitio *à* hoc loco valet *quoad, quantum ad.* Sic libro 1. *tranſtulit in aliam civitatem ſummo jugo montis exaſperati ſitam, & ob id ab aquis ſterilem.* Et in Apologiâ: *Umbra ignobilitatis tibi à probatore obſtitit.* Plaut. Truculento: *ab ingenio improbus.*

3. *Plateæ terminos.*] Singulari numero hîc effert *Plateam* urbem, quam ſuprà *Plateas* dixit numero multitudinis.

4. *Saliares cœnas.*] Lib. 4. *proximum caſtellum petam, inde vobis Saliares epulas comparaturus.* Vetuſtiſſimum Sacerdotum genus fuit apud Romanos *Salii* ſic dicti à *ſaliendo*, quòd

[1] Ego verò quanquam aliàs hordeum tunſum minutatim, & diutinâ reſectione, jurulentum ſemper ederim; rimatus angulum, quo panis reliquiæ totius multitudinis congeſtæ fuerant, fauces diutinâ fame ſaucias, & [2] araneantes valenter exerceo. Et ecce nocte promotâ latrones expergiti caſtra commovent: inſtructique variè, partim gladiis armati, partim [3] in Lemures reformati, concito ſe gradu proripiunt. Nec me tamen inſtanter ac fortiter manducantem, vel ſomnus immi-

INTERPRETATIO.

Ego verò quamvis anteà ſemper comediſſem hordeum contuſum minutatim, & diu ſectum, conditum jure; ſcrutatus angulum, in quo reſidua panis totius illius turbæ coacervata fuerant, exerceo ſtrenuè guttur meum læſum longâ eſurie, & jam contrahens araneas.

Et ecce nocte provectâ prædones excitati movent caſtra, & ornati diverſis modis, partim armati enſibus, partim transformati in larvas, celeriter exeunt domo. Neque tamen vel urgens ſopor potuit me cohibere comedentem avidè

NOTÆ.

delapſa cœlo ancylia ſaltantes ferrent. *Saliares cœnæ* & *Pontificales cœnæ* ſunt lautæ & opiparæ, quales erant Pontificum, non ſine vino generoſo. Horat. lib. 1. Od. 37.

——— *Nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus ſodales.

Et lib. 2. Od. 14.

——————— *Et mero*
Tinget pavimentum ſuperbum
Pontificum potiore cœnis.

1. *Ego verò quanquam aliàs hordeum tunſum minutatim, & diutinâ reſectione, jurulentum ſemper ederim, &c.*] Hæc eſt ſcriptura Pricæanæ, & Scriverianæ editionis, niſi quòd virgulam interpoſui inter voces *reſectione*, &. *jurulentum*. Senſus eſt: *Ego verò tametſi aliàs, etiam dum homo eſſem, ſolerem edere hordeum minutatim, & diutinâ reſectione tunſum* (orge mondé) *jurulentum*, id eſt, *in jure coctum*, (cujuſmodi etiamnum editur addito ſaccharo, prodeſtque macilentis & tuſſiculoſis) *ſicque ab hordei non conditi eſu, aſinus factus non tantopere abhorrere deberem, tamen, quia panis reliquias in angulo reperi, malui iis me ſatiare.* Aliæ quædam editiones habent: *& diutinâ reſectione virulentum.* Quod mihi non improbatum primitùs. Intelligebam enim: *quamvis anteà ſemper ediſſem hordeum tunſum minutatim, & vetuſtate inſuave, & quaſi venenatum, eò quòd jam pridem reſectum, hoc eſt, demeſſum fuiſſet; atque anus illa tunc temporis recens apponeret longè ſuavius futurum, malui tamen panem in angulo repertum edere.* Verùm non ſcrupulum mihi ſed lanceam injecit, quod vixdum ab uno die Lucius noſter factus erat aſinus, & hic ſecundus tantùm cibus erat, quem ſub aſinali formâ caperet, & primò quidem non hordeum vetus, ſed cruda olera voràrat olitoris illius, cujus hortum diripuerat. Itaque miſsâ hac poſteriori lectione, priori inhærendum cenſui.

2. *Araneantes.*] In quas cibus jam dudum non intraverat, atque ob id incipientes obduci aranearum telis; quemadmodum loca ſcopis pridem non purgata.

3. *In Lemures reformati.*] Nonius: *Lemures: larvæ nocturnæ & terrificationes imaginum & beſtiarum*, quales latronum quidam induebant, quo tutiùs noctu graſſarentur, & majorem obviis terrorem incuterent. *Lemures* dici putant quaſi *Remures* à *Remo*, cujus interfecti Manes frater Romulus cùm placare vellet, parentalia ipſi inſtituit *Lemuria* dicta.

nens impedire potuit. Et quanquam prius, cùm eſſem Lucius, unico vel ſecundo pane contentus mensâ decederem, tunc ventri tam profundo ſerviens, jám fermè tertium qualum [1] rumigabam. Huic me operi attentum clara lux oppreſſit. [2] Tandem denique aſinali verecundiâ ductus, ægerrimè tamen digrediens, rivulo proximo ſitim lenio. Nec mora, cùm latrones ultrò anxii atque ſolliciti remeant, nullam quidem prorſus ſarcinam, vel omninò licet vilem laciniam ferentes, ſed tantùm gladiis totis manibus, immò factionis ſuæ cunctis viribus, unicam virginem [3] filo liberali, & , ut [4] matronatus ejus indicabat, ſummatem ejus regionis, puellam mehercules & aſino tali concupiſcendam, mœrentem, & crines cum veſte ſuâ lacerantem, advehebant: eam ſimul intra ſpeluncam, verbis, quæ dolebat, minora facientes, ſic alloquuntur: Tu quidem ſalutis & pudicitiæ ſecura, brevem patientiam noſtro compendio tribue, quos ad iſtam ſectam paupertatis neceſſitas adegit. Parentes autem tui de tanto ſuarum divitiarum cumulo, quanquam ſatis cupidi, tamen ſine morâ parabunt ſcilicet idoneam [5] ſui ſanguinis redemptionem. His & ſimilibus blatteratis, nequidquam dolor ſedatur puellæ. Quidni?

INTERPRETATIO.

& ſtrenuè. Et, quamvis antea, donec eram Lucius, exirem à mensâ ſatiatus uno aut altero pane; tunc indulgens meæ alvo adeo capaci, jam manducabam ferè tertium caniſtrum panum. *Manſi intentus huic operi uſque ad multam lucem. Poſtremò impulſus pudore aſinino, repugnans er tamen* inde *diſcedens, levo ſitim in vicino rivulo. Nec multò poſt prædones redeunt animo valdè inquieto ac turbato, nullum quidem penitùs faſciculum* prædæ *advehentes, ac ne veſtem quidem ullam vel viliſſimi pretii, ſed* armati *duntaxat enſibus adducebant totis manipulis, immò omnibus copiis ſuæ catervæ, puellam unam formâ honeſtâ, &, (ut ejus veſtitus magnificus oſtendebat) primariam ejus regionis, virginem profectò exoptabilem etiam aſino, qualis eram, lugentem, & diſcerpentem comam unà cum veſtimento ſuo. Statim atque* intraverunt *in cavernam, ſic affantur illam, elevantes verbis cauſas luctûs ejus. Tu quidem, cùm nihil timendum habeas pro vitâ & pudicitiâ tuâ, concede* nobis *patientiam paucorum dierum, lucri noſtri cauſâ,* nobis, *quos neceſſitas inopiæ compulit ad hoc genus vitæ. Tui verò parentes, quamvis valdè avari, deproment tamen proculdubio incontanter de tanto acervo ſuarum opum dignum pretium redimendæ ſuæ filiæ. His aliiſque hujuſmodi clamosè jactatis, luctus virginis nullatenus compeſcitur. Quippe*

NOTÆ.

1. *Rumigabam.*] Verbum huic Auctori & loco peculiare; eſtque *ruminabam*, ſeu *remandebam.*

2. *Tandem denique aſinali verecundiâ ductus, ægerrimè tamen digrediens,* &c.] Virgil. Eclog. 7.

Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci.

3. *Filo liberali.*] Nonius: *Filum oris liniamentum.* Plaut. Mercatore, Act. 4. Scen. 4. *ſatis ſcitum filum mulieris.* Gellius, lib. 14. cap. 4. *formâ atque filo virginali.*

4. *Matronatus ejus.*] Matronalis habitus.

5. *Sanguinis ſui redemptionem.*] *Filiæ ſuæ* μετωνυμικῶς Sic Virgil.

Dirige tela manu ſanguis meus.

quæ,[1] inter genua ſua depoſito capite, ſine modo flebat. At illi introvocatæ anui præcipiunt, aſſidens eam blando, quantum poſſet, ſolaretur alloquio: ſeque ad ſectæ ſueta conferunt. Nec tamen puella quivit ullis aniculæ ſermonibus, ab inceptis fletibus avocari: ſed, altiùs ejulans ſeſe, & aſſiduis ſingultibus ilia quatiens, mihi etiam lacrymas excuſſit. Ac ſic: An ego, inquit, miſera, tali domo, tantâ familiâ, [2] tam caris vernulis, tam ſanctis parentibus deſolata, & infelicis rapinæ præda, & mancipium effecta, [3] inque iſto ſaxeo carcere ſerviliter clauſa, & omnibus deliciis, queis innata atque innutrita ſim privata, [4] ſub incerto ſalutis & carnificinæ laniena, inter tot ac tales latrones, & horrendum gladiatorum populum, vel fletum deſinere, vel omninò vivere potero? Lamentata ſic, & animi dolore, & faucium tendore, & corporis laſſitudine jam fatigata, marcentes oculos dimiſit ad ſoporem. Jam commodùm conniverat: nec diu, cùm repentè [5] lymphatico ritu ſomno recuſſa, longèque vehe-

INTERPRETATIO.

quæ immoderatè plorabat demiſſo capite inter ſua genua. Illi verò acceſſunt intrò anum, & imperant ei, ut aſſideret ipſi, & conſolaretur eam quantum poſſet, comibus ſermonibus: abeuntque ad ſolita exercitia *ſuæ artis. Et nihilominus virgo non potuit deterreri ab inchoato luctu ullis verbis vetulæ: ſed delamentans altiùs* ſortem *ſuam, & concutiens* ſibi *latera perpetuis ſingultibus, mihi quoque expreſſit fletum. Atque erumpens in hæc verba: Ego-ne, inquit, infelix, potero finem facere plorandi, aut planè vivere privata tali domo, tot famulis, tam dilectis ſervulis, tam venerandis parentibus, facta præda infauſti raptûs, & ſerva atque incluſa ſervilem in modum in hoc ergaſtulo lapideo, & privata delicìis omnibus, in quibus nata & educata ſum poſita in dubio vitæ, &* metuens *tormenta carnificum,* conſtituta *inter tot tamque immanes prædones, & abominandam turbam gladiatorum? Sic queſta, & debilitata mœrore animi, & tenſione gutturis, & fatigatione corporis, permiſit ſomno languentes oculos. Vix tantillum obdormierat, & momento pòſt ſubitò excitata ſopore in morem furentis, cœpit ſe*

NOTÆ.

1. *Inter genua ſua depoſito capite.*] Talis Mœſtitiæ ſtatus in tabula Cebetis ἡ δ' τὴν κεφαλὴν ἐν τοῖς γόνασιν ἔχουσα Λύπη. *Hæc autem, quæ caput habet in genibus, Mœſtitia eſt.*

2. *Tam charis vernulis,*] *Vernæ, vernulæ & vernaculi* ſervi erant, non empti, aut facti, ſed domi nati ex ancillis, cum quibus magna ferè herilibus filiis familiaritas, quippe qui unà creſcerent á parvulis, unà luderent, unà viverent.

3. *Inque iſto ſaxeo carcere.*] Speluncâ lapideâ, in quâ velut in carcere cuſtodiebatur.

4. *Sub incerto ſalutis.*] *Incertum* hìc ſubſtantivè poſitum eſt. Sic infrà: *vicariæ venerationis incertum ſuſtinebat.* Sic apud Quintilian. in Declamationibus: *incertum accuſationis, incertum orbitatis:* atque etiam, ut hìc, *incertum ſalutis.*

5. *Lymphatico ritu.*] Iſidorus, lib. 10. Origin. vult *lymphaticum* eum dici, quem Græci ὑδροφόβον vocant, eò quòd *lympha* ſit *aqua.* Sed aliter Feſtus in voce *lymphæ. Lymphæ dictæ ſunt à Nymphis. Vulgò autem memoriæ proditum eſt, quicumque ſpeciem quandam è fonte, id eſt, effigiem Nymphæ viderint, furendi non feciſſe finem quos Græci* νυμφολήπτους *vocant, Latini lymphatos appellant.*

mentiùs afflictare ſeſe, & pectus etiam palmis infeſtis tundere, & faciem illam luculentam verberare incepit: &, aniculæ, quanquam inſtantiſſimè cauſas novi & inſtaurati mœroris requirenti, ſic adſuſpirans altiùs infit: Hem nunc certè, nunc maximè funditùs perii; nunc ſpei ſalutiferæ renuntiavi. [1] Laqueus, aut gladiùs, aut certè præcipitium proculdubio capeſſendum eſt. Ad hæc anus ſubiratior, dicere eam ſæviore jam vultu jubebat, [2] quid malum fleret? vel quid repentè [3] poſtliminio preſſæ quietis lamentationes licentioſas refricaret? Nimirum, inquit, tanto compendio tuæ redemptionis defraudare juvenes meos deſtinas? Quod ſi pergis ulteriùs; jam faxo lacrymis iſtis, quas parvipendere latrones conſuevêre, inſuperhabitis, viva exurare. Tali puella ſermone deterrita, manuque ejus exoſculatâ, Parce, inquit, [4] mi parens; & duriſſimo caſui meo, pietatis humanæ memor, ſubſiſte paululùm. Nec enim, ut reor, ævo longiore maturæ tibi, in iſtâ ſanctâ canitie miſeratio prorſus exaruit. Specta denique ſcenam meæ calamitatis. Specioſus adoleſcens inter ſuos principalis, quem filium publicum omnis ſibi civitas cooptavit, meus alio-

INTERPRETATIO.

torquere multò graviùs, pectuſque etiam plangere ſævientibus manibus, & ferire formoſum illum vultum ſuum. *Et trahens profundiſſimum ſuſpirium, ſic reſpondet anui licet percontanti obnixè cauſas luctûs novi & recrudeſcentis: Nunc eſt profectò, nunc maximè eſt cùm penitùs interii: nunc abjeci ſpem ſalutis. Reſtis, aut enſis, aut ſanè præcipitium mihi eſt amplectendum incontanter. His vetula paulò magis accenſa, truciore jam facie imperabat ei, ùt exponeret, quam, malum, ob cauſam ejularet? Aut quare poſt profundum ſomnum renovaret ſubitò quæſtus immoderatos? Scilicet, inquit, vis privare meos juvenes tanto lucro,* quod percipient *ex tuâ redemptione? Quod ſi ampliùs inſiſtas lamentari, jamjam curabo, ut viva cremeris, contemptis iſtis fletibus, quos prædones ſolent parvi facere. Virgo exterrita hac oratione, baſiatâ manu ejus: Ignoſce, inquit, mater, & nondum oblita omnis humani ſensûs, fer tantulam opem meæ acerbiſſimæ ſorti. Neque enim, ut puto, miſericordia penitùs extincta eſt in te jam grandiori natu, ſub iſtis venerandis canis. Poſtremò reſpice vivam imaginem meæ miſeriæ. Juvenis formoſus, inter cives principatum tenens, quem tota urbs ſibi elegit publicè in filium, in-*

NOTÆ.

1. *Laqueus, aut gladius, aut certè præcipitium, &c.*] Tria vulgatiſſima genera ultroneæ mortis. Sic Phædra apud Senecam, in Hippolyto Act. 1. Scen. 2.

Decreta mors eſt; quæritur fati genus,
Laqueo-ne vitam finiam; an ferro incubem;
An miſſa præceps arce Palladiâ cadam.

2. *Quid, malùm, fleret.*] *Malum* hic interjectio eſt: ut apud Terentium, & Plautum, multis in locis.

3. *Poſtliminio preſſæ quietis.*] Vide notata ad finem libri 1. pag. 33.

4. *Mi parens.*] Pro vocativo fœmin. *mea* poſuit *mi*. Sic infrà, & lib. 9. *mi herilis.* lib. 8. *mi conjux*, pro *mea uxor*. Et apud Salvianum legitur, *mi domina.*

quin

quin [1] conſobrinus, tantulo triennio [2] major in ætate, qui mecum primis ab annis nutritus, & adultus, individuo contubernio domunculæ, immò verò cubiculi torique, ſanctæ caritatis affectione mutuâ mihi pignoratus, votiſque nuptialibus pacto jugali pridem deſtinatus, conſenſu parentum tabulis etiam maritus nuncupatus, ad nuptias [3] officio frequenti cognatorum & affinium ſtipatus, templis & ædibus publicis victimas immolabat. [4] Domus tota lauris obſita, tædis lucida, [5] conſtrepebat Hymenæum. [6] Tunc me gremio ſuo mater infelix tolerans, mundo nuptiali decenter ornabat: mellitiſque ſaviis crebriter ingeſtis, [7] jam ſpem futuram liberorum votis anxiis propagabat: Cùm irruptionis ſubitæ gladiatorum impetus ad belli faciem ſæviens, nudis & exertis mucronibus coruſcans, non cædi, non rapinæ manus affe-

INTERPRETATIO.

ſuper meus cognatus, tribus tantùm annis me *grandior, qui altus, & educatus mecum ab infantiâ, indiviſâ cohabitatione* ejuſdem *domunculæ, quin etiam & cubiculi lectique, deſponſus mihi mutuo nexu caſtiſſimi amoris, & deſignatus jamdudum meo conjugio promiſſis nuptiarum, mihi etiam ſcriptus maritus in tabulis annuentibus* noſtris *parentibus, cædebat hoſtias in templis ac delubris publicis nuptiarum* noſtrarum *causâ, comitatus magno cœtu conſanguineorum & affinium. Tota domus obducta lauris, illuſtrata facibus, reſonabat carmine nuptiali. Tunc* mea *mater infortunata ſuſtentans* me *gremio ſuo, condecorabat* me *pulcrè ornamentis nuptialibus, & ſæpè figens dulcia oſcula, jam extendebat ſpem venturorum filiorum deſideriis ſollicitis. Cùm ſubitò ſicarii* magno *impetu irruentes, furentes tanquam in bello, micantes gladiis diſtrictis & minantibus, non aggrediuntur cædem, neque prædam, ſed*

NOTÆ.

1. *Conſobrinus.*] *Conſobrini* ex duabus ſororibus editi, aut etiam ex fratre & ſorore. *Patrueles* ex duobus fratribus.

2. *Major in ætate.*] Lib. 2. *ſenex gravis in annis.*

3. *Officio frequenti.*] *Officium* generali vocabulo appellatur omnis honeſta actio ad unumquemque conveniens pro conditione perſonæ. Sed peculiariter *officium* dicitur, quod impenditur nuptiali feſtivitati.

Juvenal. Satyr. 2.

——— ——— ——— *officium cras*
Primo Sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ cauſa officii? Quid quæris? Nubit amicus,
Nec multos adhibet.

4. *Domus tota lauris obſita.*] Juvenalis, Satyra 6.

Ornentur poſtes, & grandi janua lauro.

Ad quem locum vetus Scholiaſtes: *ad honorem nuptiarum. Sic enim ſolent in nuptiis præparare.* Chriſtiani hunc morem improbârunt, Tertullian. in *de Coronâ Militis*, cap. 13. *Chriſtianus nec laureis januam ſuam infamabit, &c.*

5. *Conſtrepebat Hymenæum.*] Carmine nuptiali reſonabat, quo *Hymenæus* nuptiarum præſes Deus celebrabatur. Vide Catulli Epithalamium Juliæ & Manlii.

6. *Tunc me gremio ſuo mater, &c.*] Feſtus: *rapi ſimulatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proximâ neceſſitudine, cùm ad virum trahitur: quòd videlicet ea res feliciter Romulo ceſſit.* Nempè cùm Sabinas virgines rapuit.

7. *Jam ſpe futurâ liberorum votis anxiis propagabat.*] Reſcribe auctore Priczo *ſpem futuram. Spem liberorum propagare* dicit, quemadmodum lib. 5. *familiam propagare.*

Apul. R

runt, [1] ſed denſo conglobatoque cuneo cubiculum noſtrum invadunt protinus. Nec ullo de familiaribus noſtris repugnante, ac ne tantillùm quidem reſiſtente, miſeram, exanimem ſævo pavore, trepidæ de medio matris gremio rapuere. [2] Sic inſtar Athracidis, & Pirithoi [3] diſpectæ diſturbatæque nuptiæ. Sed ecce ſcæviſſimo ſomnio nunc etiam redintegratur, immò verò cumulatur infortunium meum. Nam viſa ſum mihi de domo, de thalamo, de cubiculo, de toro denique ipſo violenter extracta per ſolitudines avias infortunatiſſimi mariti nomen invocare: eumque ut primùm meis amplexibus viduatus eſt, adhuc unguentis madidum, coronis floridum, conſequi veſtigio me [4] pedibus fugientem alienis. Utque clamore percito formoſæ raptum uxoris conquerens, populi teſtatur auxilium; quidam de latronibus importunæ perſecutionis indignatione permotus, ſaxo grandi pro pedibus arrepto, miſellum juvenem maritum meum percuſſum interemit. Talis aſpectûs atrocitate perterrita, ſomno funeſto pavens excuſſa ſum.

INTERPRETATIO.

irrumpunt confeſtim in noſtrum cubiculum ſpiſſo confertoque agmine. Nulloque ex noſtris domeſticis reluctante, ac ne paululùm quidem renitente, abſtulerunt me infelicem, exanimatam diro metu, è medio ſinu conterritæ matris. Sic noſtræ *nuptiæ diſruptæ, & diſſipatæ* ſunt *quemadmodum Pirithoi, & filiæ Athracis. At ecce mea calamitas nunc etiam renovatur, immò verò & augetur ſomnio infauſtiſſimo. Nam mihi viſa ſum avulſa per vim ex domo, ex thalamo, ex cubiculo, denique ex lecto ipſo per inacceſſa deſerta nomine ciere meum infeliciſſimum conjugem: ipſe verò ſtatim atque privatus fuit meo complexu, etiam tunc delibutus unguentis, ornatus corollis floreis* mihi viſus eſt *ſequi me per* mea *veſtigia, dum fugerem pedibus alienis. Dumque implorat populi opem magnis vociferationibus, lamentans rapinam* ſuæ *pulcræ conjugis; quidam ex prædonibus percitus irâ, ob moleſtam illam inſecutionem, interfecit infelicem adoleſcentem maritum meum ictum ingenti lapide, quem arripuerat* jacentem *ante pedes. Ego exterrita immanitate hujus ſpectaculi, excitata ſum tremens ex funeſto ſomno.*

NOTÆ.

1. *Sed denſo conglobatoque cuneo.*] *Cuneus* in re militari dicitur multitudo peditum, quæ primâ parte anguſtior, deinde latior procedit inſtar *cunei*, quo ligna finduntur. Latiùs, *cuneus* ſumitur pro confertâ quàvis irrumpentium multitudine, ut hîc.

2. *Sic inſtar Athracidis & Pirithoi diſpectæ*, &c.] Sic Aldus, Beroald, & Vvovver. *Pirithoi* & Hippodames, ſeu Hippodamiæ *Athracis* filiæ nuptias, & in iis Centaurorum cum Lapithis rixam, raptumque Hippodamiæ habes apud Ovid. lib. 12. Metamorphoſ. Quædam editiones loco *Pirithoi* habent *Proteſilai*, quædam loco *Athracidis* habent *Attidis*. Quædam habent *Pirithoi* & *Proteſilai*. Malè. Celebratur quidem inſignis in Proteſilaum Laodamiæ uxoris amor, ſed nuſquam diſturbatas fuiſſe ejus nuptias comperies.

3. *Diſpectæ.*] Alii quidam *deſpectæ*. Malè. *Diſpectæ*, à *diſpeciſci* opponitur τῷ *pactæ*.

4. *Pedibus fugientem alienis.*] Nimirùm pedibus latronum, qui eam ſublimem raptam geſtabant.

Tunc fletibus ejus adſuſpirans anus, ſic incipit: Bono animo eſto, [1] mi herilis, nec vanis ſomniorum figmentis terreare. Nam præter quòd diurnæ quietis imagines falſæ perhibentur, tum etiam nocturnæ viſiones contrarios eventus nonnunquam pronuntiant. Denique, [2] flere, & vapulare, & nonnunquam jugulari, lucroſum proſperumque proventum nuntiant: contrà, ridere, mellitis dulciolis ventrem ſaginare, vel in voluptatem Veneream convenire, triſtitie animi, languore corporis, damniſque cæteris anxiatum iri prædicant. Sed ego te narrationibus lepidis, anilibuſque fabulis protinùs [3] avocabo. Et incipit; [4] Erant in quâdam civitate Rex & Regina. Hi tres numero filias, formâ conſpicuas habuere. Sed majores quidem natu, quamvis gratiſſimâ ſpecie, idoneè tamen celebrari poſſe laudibus humanis credebantur; at verò puellæ junioris tam præclara pulcritudo, nec exprimi, ac ne ſufficienter quidem laudari ſermonis humani penuriâ poterat. Multi denique civium, & advenæ copioſi, quos eximii ſpectaculi rumor ſtudioſâ celebritate congregabat, [5] inacceſſæ

INTERPRETATIO.

Tunc anus ſuſpirio excipiens ejus lamentationes, ſic incipit: Reſume animum, domina mea, neque inanes fictiones ſomniorum incutiant tibi metum. Nam præterquàm quod phantaſmata ſomni diurni dicuntur eſſe falſa, nocturna etiam ſomnia aliquando ſignificant exitus ſibi contrarios. Denique plorare, & verberari, aliquando etiam occidi, ſignificant eventum quæſtuoſum & felicem: contrà verò ridere, & infarcire ventrem placentis mellitis, aut coire in Venerem, prænuntiant cruciatum iri triſtitiâ mentis, morbo corporis, aliiſque malis. At jam ego te recreabo feſtivis hiſtoriis, & fabulis anilibus. Et ſic incipit. Erant in quadam urbe Rex & Regina. Hi habuerunt tres filias inſignes pulcritudine. Verùm grandiores quidem ætate, quamvis eſſent *venuſtiſſimâ formâ, putabantur tamen poſſe dignè prædicari encomiis hominum; tanta verò, tamque excellens* erat *pulcritudo virginis ætate minimæ, ut non poſſet efferri* verbis, *neque ſatis quidem celebrari inopiâ humanæ orationis. Denique plurimi ex civibus, & permulti extranei, quos famâ egregii ſpectaminis convocabat curioſa frequentia;*

NOTÆ.

1. *Mi herilis.*] De voce *mi* pro *mea* jam ſuprà monui. Heros juvenes, hoc eſt, herorum filios ſervi *heriles ſuos* vocitabant, ſubintelligentes *filios.* Itaque hîc *mi herilis* eſt *mea herilis filia,* quod anus puellæ dicit blandiens, non ex rei veritate.

2. *Nam flere & vapulare, &c.*] Aſtrampſych. Oneirocrit.

Γελῶν καθ' ὕπνους δυσφόρους ἕξεις τρόπους,
Κλαίων καθ' ὕπνους παγχαρὴς πάντως ἔσῃ.

Ridens in ſomnis moleſtos habebis eventus,
Lugens in ſomnis lætus omni ex parte eris.

3. *Avocabo.*] *Ab iſto mœrore.*

4. *Erant in quadam civitate, &c.*] Incipit Pſyches fabula, quam Apuleio omninò debemus. Neque enim ullum extat de ipsâ verbum in Luciani Aſino, unde Noſter ſuum deſumpſit. Hanc allegorico ſenſu commentatus eſt Fulgentius, Mytholog. lib. 3. quem vide.

5. *Inacceſſæ formoſitatis.*] Virgil. l. 7. Æneid.

Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos, &c. Ubi *inacceſſos* Servius exponit *inacceſſibiles, inaccedendos.*

formoſitatis admiratione ſtupidi, & [1] admoventes oribus ſuis dexteram, primore digito in erectum pollicem reſidente, ut ipſam prorſus Deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur. Jamque proximas civitates & attiguas regiones fama pervaſerat, [2] Deam, quam cærulum profundum pelagi peperit, & ros ſpumantium fluctuum educavit, jam numinis ſui paſſim tributâ veniâ, in mediis converſari populi cœtibus: vel certè rurſum novo cœleſtium ſtellarum germine, non maria, ſed terras Venerem aliam virginali flore præditam pullulaſſe. Sic immenſum procedit in dies opinio: ſic Inſulas jam proximas, & terræ pluſculum, provinciaſque plurimas fama porrecta pervagatur. Jam multi mortalium longis itineribus, atque altiſſimis maris meatibus, ad ſæculi ſpecimen glorioſum confluebant. [3] Paphum nemo, Cnidum nemo, ac ne ipſa quidem Cythera ad conſpectum Deæ Veneris navigabant. Sacra Deæ deferuntur; templa deformantur; [4] pulvinaria proteruntur: cærimoniæ negliguntur; in-

INTERPRETATIO.

ſtupentes admiratione pulcritudinis inaccessibilis, & ori ſuo applicantes manum, digito indice innixo ſuper pollicem erectum, adorabant eam *cultu religioſo perinde ac ipſam Deam Venerem. Jamque rumor perlatus erat per finitimas urbes, & provincias conterminas Deam, quæ nata eſt è cæruleo gurgite maris, & enutrita humore undarum ſpumantium, jam verſari in mediis turbis populorum, promiſcuè factâ poteſtate videndæ ſuæ divinitatis: aut ſaltem, non pelagus, ſed tellurem iterum progeneráſſe aliam Venerem dotatam flore virginitatis, ex novo ſemine cœleſtium ſiderum. Sic exiſtimatio progreditur quotidie in immenſum: ſic rumor jam prolatus extenditur per vicinas Inſulas, magnamque partem continentis, & plurimas Provincias. Jam plurimi homines convolabant ad præſtantiſſimum ſpectaculum temporis* illius, *per prolixas vias, & per profundiſſimos tractus maris. Nulli amplius navigabant Paphum, nulli Cnidum, ac ne ipſam quidem in*ſulam *Cythera ad videndam Deam Venerem. Sacrificia Deæ negliguntur; delubra deturpantur* ſitu; *lecti* ejus *calcantur; cærimoniæ inſuper habentur,*

NOTÆ.

1. *Admoventes oribus ſuis dexteram.*] Qui mos & geſtus adorantium. Plin. lib. 28. cap. 2. *In adorando dexteram ad oſculum ferimus totumque corpus circumagimus; quod in lævum feciſſe, Galliæ religioſius credunt.* Noſter in Apologia, de irreligioſo: *Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admovere.*

2. *Deam, quam cærulum, &c.*] Venerem è mari ortam.

3. *Paphum nemo, Cnidum nemo, ac ne ipſa quidem Cythera.*] Loca Veneris cultu, & delubris nobilia. Ovid. lib. 10. Metamorph. Fab. 12.

Capta (Venus) *viri* (Adonidis) *forma non jam Cythereia curat*
Littora, non alto repetit Paphon æquore cinctam,
Piſcoſamque Cnidon, gravidamque Amathunta metallis.

Paphos oppidum eſt Cypri Inſulæ. *Cnidos* urbs Cariæ adhærens in extremo cornu Peninſulæ, Praxitelis Venere nobilitata. *Cythera* autem plurali numero, Inſula contra Cretam, teſte Strabone, quinque miliibus diſtans à Maleæ Promontorio. Hodie *Cerigo* dicitur.

4. *Pulvinaria proteruntur.*] Lectuli, in quibus ejus effigies (ut & cætero-

coronata ſimulacra, & aræ viduæ frigido cinere fœdatæ. Puellæ ſupplicatur, & in humanis vultibus Deæ tantæ numina placantur, & in matutino progreſſu virginis, victimis & epulis [1] Veneris abſentis nomen propitiatur. Jamque per plateas commeantem populi frequenter [2] floribus ſertis, & ſolutis adprecantur. Hæc honorum cœleſtium ad puellæ mortalis cultum immodica tranſlatio, veræ Veneris vehementer incendit animos: &, impatiens indignationis, capite quaſſanti fremens altiùs, ſic ſecum diſſerit: [3] En rerum naturæ priſca parens, en elementorum origo initialis, en [4] orbis totius alma Venus, quæ cum mortali puellâ partiario majeſtatis honore tractor? & nomen meum cœlo conditum terrenis ſordibus profanatur? [5] Nimirum communi numinis piamento vicariæ venerationis incertum ſuſtinebo? & imaginem meam circumferet puella moritura? Fruſtrà me [6] paſtor ille, cujus juſtitiam fidemque magnus comprobavit Jupiter, ob eximiam ſpeciem [7] tantis prætulit Deabus. [8] Sed non adeo gaudens iſta,

INTERPRETATIO.

Statuæ ejus cernuntur *deſtitutæ coronis, & altaria deſerta, inquinata frigido cinere. Preces admoventur virgini, & tantæ Deæ divinitas propitiatur ſub humanâ formâ, & matutino tempore dum puella procedit foras, nomen abſentis Veneris invocatur hoſtiis, & conviviis. Jamque populi ſæpè ei ſupplicant, dum incedit per vicos,* jacientes *flores implexos, & ſolutos. Hæc immoderata tranſlatio divinorum honorum ad adorationem viginis mortalis graviter concitavit indignationem veræ Veneris, quæ cùm non caperet* ampliùs *iram, ſic apud ſe loquitur concutiens caput, & minitans graviora.* Sum-ne ego *illa Venus antiqua mater rerum naturalium, & origo initialis elementorum, & altrix totius orbis, quæ advertor cultu divinitatis participato cum virgine mortali? Meumque nomen cœlo repoſitum polluitur immunditiis terreſtribus? Nempe dum meum numen placatur ſub ejus perſona,* ego *ſubibo* hanc *aleam, ut alia colatur meo loco? & virgo mortalis geret meam formam? Ille igitur paſtor, cujus Jupiter approbavit fidem & æquitatem, fruſtrà antepoſuit me tantis Deabus propter egregiam* meam *pulcritudinem. Verùm illa, quæcunque* tandem *ſit, non uſque adeo lætabitur*

NOTÆ.

rum Deorum in ſuis cujuſque delubris) epulis appoſitis jacebat: quod *Lectiſternium* dictum. Hujus frequens apud Livium mentio rebus dubiis aut adverſis, & monſtrorum procurandorum causâ.

1. *Veneris abſentis nomen propitiatur.*] Sic lege juxta Editionem Vicentinam, non autem *numen*, ut eſt in pleriſque. Mox enim dixerat: *& in humanis vultibus Deæ tantæ Numina placantur*, ſicque futilis eſſet repetitio.

2. *Floribus ſertis.*] Contextis, colligatis. Nam apud antiquos *ſerere* eſt *jungere.* Lucanus.

Accipiunt ſertas nardo florente coronas.

3. *En rerum naturæ priſca parens,* &c.] Omnia enim generatione, cui Venus præeſt, producuntur, & propagantur. Vide Lucretium, initio ſui Operis.

4. *Totius orbis alma Venus.*] Feſtus: *alma, ſancta ſive pulchra, vel alens, ab alendo.* Servius ad Georgic. lib. 2. *almus ager, ab eo, quod nos alat.*

5. *Nimirùm communi Numinis piamento,* &c.] Locum hunc τὸ ἀρχαικοτρόπως paulò expoſui in interpretatione; ſed vix aliter potuit ſenſus aperiri.

6. *Paſtor ille.*] Paris Priami filius.

7. *Tantis Deabus.*] Junoni & Palladi.

8. *Sed non adeo gaudens,* &c.] *Non*

quæcunque eſt, meos honores uſurpabit. Jam faxo hujus etiam ipſius illicitæ formoſitatis pœniteat. Et vocat confeſtim [1] puerum ſuum, pinnatum illum, & ſatis temerarium: qui malis ſuis moribus contemptâ diſciplinâ publicâ, flammis & ſagittis armatus, per alienas domos nocte diſcurrens, & omnium matrimonia corrumpens, impunè committit tanta flagitia, & nihil prorſus boni facit. Hunc, quanquam genuinâ licentiâ procacem, verbis quoque inſuper ſtimulat. Perducit ad illam civitatem, & [2] Pſychen, (hoc enim nomine puella nuncupabatur) coram oſtendit. Et totâ illâ perlatâ de formoſitatis æmulatione fabulâ, gemens ac fremens indignatione: Per, ego, te, inquit, maternæ caritatis fœdera deprecor, per tuæ ſagittæ dulcia vulnera, per flammæ iſtius mellitas uredines, vindictam tuæ parenti, ſed plenam tribue: & pulcritudinem contumacem reverenter vindica: [3] idque unum, & præ omnibus unicum volens effice. [4] Virgo iſta amore flagrantiſſimo teneatur hominis extremi, [5] quem dignitatis & patrimonii ſimul, & incolumitatis ipſius fortuna damnavit, [6] tamque infimi, ut per totum orbem non inveniat miſeriæ ſuæ comparem.

INTERPRETATIO.

intercepiſſe cultum mihi debitum. Jam curabo, ut ipſam pœniteat etiam ſuæ illegitimæ pulchritudinis. Et ſtatim accerſit filium ſuum alatum illum, & valdè audacem, qui pravâ ſuâ indole ſpretis legibus publicis, inſtructus facibus & telis, vagans nocte per domos aliorum, & labefactans connubia omnium, perpetrat impunè tanta ſcelera, neque quidquam omninò boni facit. Hunc tametſi protervum innatâ ſibi licentiâ, inſtigat quoque præterea verbis. Deducit eum in illam urbem, & demonſtrat ipſi *Pſychen (hoc enim erat nomen virginis.) Et narratâ illâ hiſtoriâ de contentione pulchritudinis, ſuſpirans, & fremens irâ: Ego te obſecro, inquit, per vinculum amoris materni, per ſuaves plagas tui teli, per dulciculas uſtiones iſtius facis, da tuæ matri ultionem, ſed perfectam: & puni formoſitatem ſuperbam, pro* tuâ in me *reverentiâ: & ultro incumbe in id unum, & ſolum præ cæteris. Puella hæc flagret ardentiſſimo amore hominis viliſſimi, quem fortuna privaverit & honore, & ſimul bonis, & ſanitate, & qui ſit adeo abjectus, ut neminem reperiat in toto orbe ſibi parem miſeriâ.*

NOTÆ.

gaudens uſurpabit, Græca locutio, pro, *non gaudebit uſurpâſſe.* Ariſtænetus l. 1. Epiſt. 5. τὴν ἐμὴν κλίνην οὔποτε χαίρουσα καθυβρίσεις. *lectum meum nunquam gaudens injuriâ afficiet.*

1. *Puerum ſuum.*] Cupidinem.

2. *Pſychen.*] Nomen Græcum ψυχὴ *anima.* Unde Fulgentius fabulam hanc, de Animâ allegoricè explicat.

3. *Idque unum, & præ omnibus unicum volens effice.*] Poſterior vox auget vim prioris: Sic Gellius, lib. 18. cap. 4. *cùm ille ſe unum, & unicum lectorem, enarratoremque Salluſtii diceret.*

4. *Virgo iſta.*] Pſychen oſtendit.

5. *Quem & dignitatis, &c. fortuna damnavit.*] *Damnare* hîc eſt ἀποκληρῶσαι, *privare, exhæredare.*

6. *Tamque infimi.*] Sic Vvovver ex Mſs. non autem *infirmi.* Terent. Eunucho, Act. 3. Scen 2.

Tace, tu, quem ego eſſe infrà infimos omnes puto.

Sic effata, & oſculis hiantibus filium diu ac preſſulè ſaviata, proximas oras reflui littoris petit, plantiſque roſeis vibrantium fluctuum ſummum rorem calcavit. Ecce jam profundi maris udo reſedit vertice: & ipſum, quod incipit velle, ſtatim quaſi pridem præcepit, non moratur marinum obſequium. Adſunt [1] Nerei filiæ chorum canentes, [2] & Portunus cæruli barbis hiſpidus, [3] & gravis piſcoſo ſinu Salacia, & [4] auriga parvulus Delphini Palæmon; jam paſſim maria perſul-

INTERPRETATIO.

Sic locuta, & diu atque arctè oſculata natum ſuum *ore ſemiaperto, confert ſe ad proximos margines ripæ undoſæ, & roſeis pedibus inambulavit ſupremum humorem undarum ſalientium. Jam conſtiterat in humidâ ſuperficie alti pelagi, cùm illicò marina* numina *exequuntur idipſum, quod* tantùm *incipiebat velle, perinde ac ſi jamdudum imperâſſet* illud. *Nereides præſtò ſunt agentes concentum, & Neptunus hirſutus glaucis barbis, & Salacia onerata ſinu pleno piſcibus, & parvus Palæmon inequitans Delphino; jam turmæ Tritonum undique* cernun-

NOTÆ.

1. *Nerei filiæ.*] *Nereides* Nymphæ maris, quas ex Doride ſorore ſuâ *Nereus* genuit numero quinquaginta. Fuit ille *Nereus* Oceani & Tethyos filius juxta Heſiodum, vel Oceani ſeu Ponti, & Terræ, juxta Apollodorum, lib. 1. Bibliothecæ.

2. *Et Portunus.*] Qui Palæmon Græcis *Portunus* vulgò Latinis dictus eſt. At hîc non Palæmona, ſed ipſum Neptunum *Portuni* nomine intelligas; ſequitur enim mox Salacia Neptuni uxor, ac deinde Palæmon alius a *Portuno.* Martianus Capella, lib. 5. Nupt. Merc. & Philolog. *Portuni triſidam ſuſpirans flagitat haſtam.*
Ubi vides tridentem Neptuni inſigne *Portuno* tribui, qui proinde Neptunus eſt. Sed dubitationem omnem auferr hic locus Ciceronis, lib. 2. de Naturâ Deorum. *Datum eſt igitur Neptuno, &c. maritimum omne Regnum: nomenque productum, ut Portunus, à portu, ſic Neptunus à nando.*

3. *Et gravis piſcoſo ſinu Salacia.*] Auguſtinus, lib. 4. de Civitate Dei: *Quid eſt, quod mare Neptuno tribuitur, terra Plutoni? ac ne ipſi quoque ſine conjugibus remanerent, additur Neptuno Salacia, Plutoni Proſerpina. Inferiorem maris partem Salacia tenet, terræ inferiorem Proſerpina. Salacia* à *ſalo* dicta eſt. Cùm autem inferiorem maris partem teneat, aquam ejus atque unà piſces omnes ſuſtentat, ideoque rectè a Noſtro dicitur *gravis piſcoſo ſinu Salacia.*

4. *Auriga parvulus Delphini Palæmon.*] Claudianus, de Nuptiis Honorii & Mariæ: ——— *Cadmeia ludit Leucothoe, frænatque roſis Delphina Palæmon.*
Reliqua ibidem vide, huc enim mirè faciunt. Athamas Thebarum Rex à Junone in furorem actus, occiſo Learcho filio, cùm Melicertam quoque alterum filium, atque una Ino uxorem Cadmi filiam perſequeretur ſimiliter occiſurus, illi ſe in mare egerunt præcipites, & Veneris precibus in Deos à Neptuno verſi ſunt: *Ino* in *Leucotheam,* ſeu *Leucothoen,* quæ Latinis dicta eſt *Mater Matuta;* Melicerta in *Palæmona* Latinis *Portunum* dictum, ut jam monui. Cùm autem dicit *Auriga parvulus Delphini Palæmon* alludere videtur ad id, quod ait Pauſanias in Atticis, Melicertam à *Delphino* exceptum fuiſſe, cùm decidiſſet è Petrâ Moluride, & in Corinthiorum Iſthmum delatum. Hinc Iſthmici ludi in honorem ejus inſtituti.

tantes [1] Tritonum catervæ. Hic [2] conchâ ſonaci leniter buccinat: ille ſerico tegmine flagrantiæ Solis obſiſtit inimici: alius ſub oculis dominæ ſpeculum prægerit; curtus bijuges alii ſubnatant. Talis [3] ad Oceanum pergentem Venerem comitatur exercitus. Intereà Pſyche cum ſuâ ſibi perſpicuâ pulcritudine nullum decoris ſui fructum percipit. Spectatur ab omnibus: laudatur ab omnibus: nec quiſquam, non Rex, non regius, nec de plebe ſaltem, cupiens ejus nuptiarum petitor accedit. Mirantur quidem divinam ſpeciem, ſed ut ſimulacrum fabrè politum mirantur omnes. Olim duæ majores ſorores, quarum temperatam formoſitatem [4] nulli diffamarant populi, procis Regibus deſponſæ, jam beatas nuptias adeptæ: [5] ſed Pſyche virgo vidua domi reſidens, deflet deſerta ſuam ſolitudinem, ægra corporis, animi ſaucia, &, quamvis gentibus totis complacitam, odit in ſe ſuam formoſitatem. Sed infortunatiſſimæ filiæ miſerrimus pater, ſuſpectatis cœleſtibus odiis, & iræ Superûm metuens, [6] Dei Mileſii

INTERPRETATIO.

tur *ſaltantes per maria. Hic tubâ canit jucundè conchâ ſonorâ: ille defendit ardorem Solis infeſti umbellâ ſericâ: alius præfert ſpeculum ante conſpectum dominæ; alii natant ſub curru* ejus *bijugi. Talis cœtus ſtipat Venerem euntem ad Oceanum. Interim Pſyche cum ſuâ ipſius inclytâ pulchritudine nihil capit utilitatis ex ſuâ formâ. Omnes contemplantur eam: omnes laudant: nullus* tamen *exoptans ejus connubium venit* ad parentes *ipſam petiturus, non Rex, non regiæ ſtirpis, neque ſaltem plebeius. Omnes quidem admirantur divinam ejus formam, ſed admirantur veluti ſignum affabrè ſculptum. Jamdudum ambæ ſorores grandiores* natu, *quarum moderatam pulchritudinem nulli populi prædicaverant, deſponſatæ* erant *Regibus amatoribus* ſuis, *& jam factæ compotes felicium nuptiarum: at Pſyche vidua* tametſi *virgo, degens domi, dolens corpore, & læſa animo luget ſe ſolam derelictam, & odit in ſe ſuam pulchritudinem, tametſi gratam univerſis nationibus. At pater infeliciſſimus filiæ miſerrimæ ſuſpicans* id fieri *odiis* alicujus *Numinis, & formidans iram Deorum, conſulit*

NOTÆ.

1. *Tritonum catervæ.*] *Triton* Neptuni fuit & Salaciæ filius ſummâ ſui parte hominem referens, imâ piſcem. Sed & magnus *Tritonum* numerus poſt illum à Poëtis confictus eſt, ſive illius prioris fratres eſſent, ſive filii.

2. *Conchâ ſonaci.*] Ovid. Metamorphoſ. lib. 1.

——— ——— ſupraque profundum
Extantem, atque humeros innato murice tectum
Cæruleum Tritona vocat, conchâque ſonaci
Inſpirare jubet, fluctuſque, & flumina ſigno
Jam revocare dato, &c.

3. *Ad Oceanum.*] Ad regiam *Oceani* maris Dei, mariti Tethyos.

4. *Nulli diffamârant populi.*] Non infamârant, ſed *prædicaverant.* Suprà: *Chryſeros diffamat incendio repentino domum poſſideri.*

5. *Sed Pſyche virgo vidua domi reſidens.*] In Apologia: *filia autem &c. niſi in facilitatem Pontiani incidiſſet, fortaſſean adhuc, vidua antequam nupta domi ſediſſet.*

6. *Dei Mileſii.*] Apollinis, qui templum habuit & oraculum apud Miletum Ioniæ caput.

vetuſtiſſimum

[1] vetuſtiſſimum percontatur oraculum: & tanto numine precibus & victimis [2] ingratæ virgini petit nuptias & maritum. Sed Apollo, quanquam Græcus & Ionicus, [3] propter Mileſiæ conditorem, ſic Latinâ ſorte reſpondit:

Montis in excelſi ſcopulo deſiſte puellam
Ornatam mundo funerei thalami.
Nec ſperes generum mortali ſtirpe creatum:
Sed ſævum, atque ferum, vipereumque malum;
Qui pennis volitans ſuper æthera, cuncta fatigat,
Flammâque & ferro ſingula debilitat:
Quem tremit ipſe [4] *Jovis: quo numina terrificantur,*
[5] *Fluminaque horreſcunt,* [6] *& Stygiæ tenebræ.*

Rex olim beatus, affatu ſanctæ vaticinationis accepto, piger triſtiſque retrò domum pergit, ſuæque conjugi præcepta ſortis enodat infauſtæ. Mœretur, fletur, lamentatur diebus pluſculis. Sed diræ ſortis jam

INTERPRETATIO.

antiquiſſimum oraculum Dei Mileſii: & precibus hoſtiiſque poſcit à magno illo *Deo matrimonium & virum mœſtæ filiæ. Sed Phœbus, quamvis* eſſet *Græcus & Ionicus, propter eum, qui condidit Mileſiam, reſpondit tamen oraculo Latino, his verbis:*

Siſte virginem in vertice montis alti,
Excultam ornatu nuptiarum feralium.
Neque expectes generum cretum humano ſanguine,
Sed crudelem & ferocem, & malum inſtar viperæ,
Qui volans alis ſupra cœlum, labefactat omnia,
Et frangit cuncta igne & ferro:
Quem ipſe Jupiter metuit, quo Dii terrentur,
Quem fluvii reformidant, & obſcuritas Tartarea.

Rex fortunatus quondam, auditis verbis ſortis divinæ, revertitur domum tardus, & mœſtus, explicatque ſuæ uxori juſſa funeſti oraculi. Lugetur, ploratur, ejulatur per dies ſat multos. Sed exitiabilis exitus crudelis oraculi

NOTÆ.

1. *Vetuſtiſſimum Dei Mileſii percontatur oraculum.*] Branchidatum, vel Branchiadarum (qui Apollinis Sacerdotes erant) primò dictum, poſteà Apollinis Didymæi.

2. *Ingratæ virgini,*] Mœſtæ, triſti. Virgil. Æneid. 6.

——— *& cineri ingrato ſuprema ferebant.*

Ad quem locum Servius: *ingrato, triſti; ut gratum aliquid lætum dicimus.*

3. *Propter Mileſiæ conditorem.*) Qui, ſive Miletus fuerit filius Apollinis, ut quidam volunt, à quo nomen ſortita ſit *Mileſia* civitas; ſive Neleus Pylius, ut vult Strabo; ſive denique Ionus, ut tradit Vitruvius, à quo & reliquas Ioniæ civitates conditas affirmat: certè Græcus fuit.

4. *Jovis.*] Nominativus antiquus, à quo fluxêre omnes reliqui caſus nominis *Jupiter*, quod ſonat *Jovis pater.*

5. *Fluminaque horreſcunt.*] Quippe qui *& ipſas aquas urere conſuevit*, ut ait Noſter, lib. 5.

6. *Et Stygiæ tenebræ.*] Neque enim à telis Cupidinis, de quo intelligendum oraculum eſt, Plutonem ipſum ſua protegere potuit obſcuritas. De *Styge* jam lib. 2. egimus.

urget teter effectus. Jam feralium nuptiarum miſerrimæ virgini choragium ſtruitur. [1] jam tædæ lumen atræ fuliginis [2] cinere marceſſit: & ſonus [3] tibiæ Zygiæ mutatur [4] in querulum Lydium modum: [5] cantuſque lætus Hymenæi lugubri finitur ululatu: & puella nuptura deterget lacrymas [6] ipſo ſuo flammeo. Sic affectæ domûs triſte fatum cuncta etiam civitas congemebat, luctuque publico confeſtim congruens edicitur [7] juſtitium. Sed monitis cœleſtibus parendi neceſſitas miſellam Pſychen ad deſtinatam pœnam efflagitabat. Perfectis igitur feralis thalami cum ſummo mœrore ſolemnibus, toto proſequente populo, vivum producitur funus: & lacrymoſa Pſyche comitatur non nuptias, ſed exequias ſuas. Ac dum mœſti parentes, & tanto malo perciti [8] nefarium facinus perficere contantur, ipſa illa

INTERPRETATIO.

jam inſtat. Jam inſtrumentum funebris matrimonii apparatur puellæ infeliciſſimæ. Jam lux facis obſcuratur cinere nigræ fuliginis: & ſonus tibiæ nuptialis convertitur in luctuoſum modum Lydium: & hilaris cantus Hymenæi deſinit in mœſtum ejulatum: & virgo mox *nuptura abſtergit lacrymas ipſo ſuo velamine nuptiali. Tota quoque urbs unà deplorabat acerbam ſortem domûs ita afflictæ, ſtatimque præcipitur ceſſatio Juris* dicundi *conveniens mœrori publico. Verùm neceſſitas obediendi juſſis divinis depoſcebat miſeram Pſychen ad deſignatum ſupplicium. Abſolutis ergo cærimoniis lugubrium nuptiarum cum maximo luctu, vivæ exequiæ procedunt totâ plebe ſequente: & Pſyche plorans comitatur non pompam nuptialem, ſed funus ſuum. Dumque parentes* ejus *dolentes & perculſi tantâ calamitate morantur peragere illud nefandum ſcelus,*

NOTÆ.

1. *Tædæ lumen.*] Nuptialis *tædæ*. In nuptiis præferebantur *tædæ*, dum ſponſa velata flammeo in mariti domum ducebatur. Mali autem erat ominis ſi ejuſmodi tædæ aut extinguerentur, aut fumoſæ eſſent, minuſque lucerent.

2. *Cinerem arceſſit.*] Lege *cinere marceſſit*. Id eſt, *obſcuratur, debilitatur, langueſcit.*

3. *Tibiæ Zygiæ.*] *Nuptialis, jugalis:* ζύγιος αὐλὸς, Græcis. Sic pronuba Juno, cui vincla jugalia curæ, ab iiſdem Ζυγία dicta eſt, à nomine ζυγὸς, quod *jugum* ſignificat.

4. *In querulum Lydium modum.*] Varii fuere apud antiquos Muſicæ modi, quos enumerat Noſter in Floridis Fragmento 2. his verbis: *ſeu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.* Ad quem locum vide quæ notavimus. *Lydius modus* ab Amphyone, ut perhibent, inventus, luctui & flebili queriſmoniæ erat accommodatus.

5. *Cantuſque lætus Hymenæi.*] Vide Epithalamium Juliæ & Manlii apud Catullum. Et Honorii ac Mariæ apud Claudianum.

6. *Ipſo ſuo flammeo.*] Velamen erat *flammei*, id eſt, *rubri coloris*, quo amicta erat nova nupta, cùm ex paternis ædibus ad maritum ducebatur. *Flammearii* Plauto ſunt, qui ejuſmodi *flammea* faciunt, aut rubro colore inficiunt.

7. *Juſtitium.*] Ceſſatio eſt à Jure dicundo in publico luctu indici ſolita. Lucanus. ——— *ferale per urbem,*

Juſtitium, latuit plebeio tectus amictu,

Omnis honos.

8. *Nefarium facinus perficere.*] Filiam ad ſcopulum ducere.

filia talibus eos adhortatur vocibus : Quid infelicem ſenectam fletu diutino cruciatis ? Quid ſpiritum veſtrum, qui magis meus eſt, crebris ejulatibus fatigatis ? Quid lacrymis inefficacibus ora mihi veneranda fœdatis ? Quid laceratis veſtris oculis mea lumina ? Quid canitiem ſcinditis ? Quid pectora, quid ubera ſancta tunditis ? Hæc erunt vobis egregiæ meæ formoſitatis præclara præmia. Invidiæ nefariæ lethali plagâ percuſſi, ſerò ſentitis. Cùm gentes & populi celebrarent nos divinis honoribus, cùm novam me Venerem ore conſono nuncuparent : tunc dolere, tunc flere, tunc me jam quaſi peremptam lugere debuiſtis. Jam ſentio, jam video, ſolo me nomine Veneris periiſſe. Ducite me, &, cui ſors addixit, ſcopulo ſiſtite. Feſtino felices iſtas nuptias obire ; feſtino generoſum illum maritum meum videre. Quid differo ? Quid detrecto venientem, qui totius orbis exitio natus eſt ? Sic profata virgo conticuit : ingreſſuque jam valido pompæ populi proſequentis ſeſe miſcuit. Itur ad conſtitutum ſcopulum montis ardui : cujus in ſummo cacumine ſtatutam puellam cuncti deſerunt : tædas nuptiales, quibus præluxerant, ibidem lacrymis ſuis extinctas relinquentes. Choragio itaque perfecto, dejectis capitibus domuitionem parant. Et miſeri quidem parentes ejus tantâ clade defeſſi, clauſæ domûs abſtruſi tenebris, perpetuæ nocti ſeſe dedidêre. Pſychen autem paventem ac trepidam, & in ipſo ſcopuli vertice deflentem, mitis aura molliter ſpirantis [1] Zephyri, vibratis

INTERPRETATIO.

illa ipſa eorum *nata commonefacit eos his verbis : Quare affligitis longo luctu miſeram ſenectutem ? Quare torquetis tam frequentibus lamentis vitam veſtram, quæ potius mea eſt ? Cur deturpatis vultus mihi venerabiles lacrymis inutilibus ? Cur laniatis meos oculos* dilaniando *veſtros ? Quare vellitis* veſtros *canos ? Quare plangitis pectora, quare caſtas mammas ? Hæc erit vobis egregia merces meæ eximiæ pulchritudinis.* Nunc id *animadvertitis*, ſed *tardiùs, cùm icti eſtis vulnere morti fero malæ Invidiæ. Quando populi, & nationes proſequebantur me cultu divino, quando vocabant me novam Venerem voce unanimi : tunc oportuit vos mœrere, tunc lugere, tunc me deflere quaſi jam mortuam. Jam adverto, jam certò ſcio me* ideò *tantùm interiiſſe, quia nominata ſum Venus. Producite me, & conſtituite in rupe, cui oraculum me deſtinavit. Propero peragere illud fortunatum connubium ; geſtio intueri præclarum illum conjugem meum. Quid moror ? Quare refugio* illum ad me *accedentem qui ortus eſt in perniciem totius mundi ? Puella ſic locuta tacuit, & jam confirmato greſſu immiſcuit ſe cœtui plebis ſe comitantis. Pergunt ad deſtinatam rupem montis excelſi : in cujus ſupremo vertice collocatam virginem omnes relinquunt : ibidem faces jugales, quas ſecum accenſas attulerant, dimittentes extinctas ſuis fletibus. Igitur peractâ pompâ, domum ire pergunt capitibus demiſſis. Et infelices quidem ejus parentes fracti tantâ calamitate, abſconditi in obſcuritate ædium obſtratarum, tradiderunt ſe perpetuis tenebris. Pſychen verò formidantem ac trementem, & plorantem in ipſo cacumine rupis, mollis ſpiritus Zephyri leniter flantis paulatim juſ-*

NOTÆ.

1. *Zephyri.*] Hic ventus è Veneris atque Cupidinis famulatu eſt.

hinc inde laciniis, & reflato ſinu ſenſim levatam, ſuo tranquillo ſpiritu vehens, paulatim per devexa excelſæ vallis ſubditæ florentis ceſpitis gremio leniter delapſam reclinat.

INTERPRETATIO.

tollit expanſis veſtimentis ejus *in omnes partes, & ſinu explicato flatibus, & portans eam ſuâ aurâ placidâ ſenſim per declivia profundæ vallis ſubjacentis, reſupinat in ſinu floridi graminis clementer lapſam.*

NOTÆ.

Lucret. lib. 4.

It Ver, & Venus, & Veneris prænuntius ante
Pennatus graditur Zephyrus veſtigia propter.

LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI METAMORPHOSIS.

LIBER QUINTUS.

PSYCHE teneris & herboſis locis [1] in ipſo toro roſcidi graminis ſuave recubans, tantâ mentis perturbatione ſedatâ dulce conquievit. Jamque ſufficienti recreata ſomno, placido reſurgit animo. Videt lucum proceris & vaſtis arboribus conſitum: videt fontem vitreo latice perlucidum medio luci meditullio. Prope fontis adlapſum domus regia eſt, ædificata non humanis manibus, ſed divinis artibus. Jam ſcires ab introitu primo, Dei cujuſpiam luculentum & amœnum videre te diverſorium. Nam ſumma laquearia [2] ci-

INTERPRETATIO.

PSYCHE leniter jacens in teneris & gramineis locis in ipſo ſtrato herbæ roridæ, tanto tumultu animi pacato ſuaviter obdormivit. Et poſtquàm refecta eſt ſopore ſatis longo, exurgit mente tranquillâ. Aſpicit nemus plantatum altis & magnis arboribus: aſpicit in ipſo medio nemoris fontem limpidum aquâ clarâ *inſtar vitri. Juxta fluentum ſontis eſt regale palatium conſtructum non operâ hominum, ſed arte Deorum. Jam à primo ingreſſu agnoſceres te cernere magnificam & jucundam habitationem alicujus Numinis. Nam aureæ columnæ ſuppoſitæ*

NOTÆ.

1. IN *ipſo toro roſcidi graminis.*] Virgil.

——*Viridante toro conſederat herbæ.* Servius ad illum locum; *verbum de verbo, nam torus à tortis herbis dictus eſt.*

2. *Citro.*] Quæ cedrus eſt, thya quoque veteribus dicta Homero θύον teſte Plin. lib. 13. cap. 16. Commendat etiam cedrum ad lacunaria Vitruvius, lib. 2. cap. 9. propter æternam, ut ait, diuturnitatem. *Item cedrus* (inquit) *& Juniperus eaſdem habent virtutes & utilitates; ſed quemadmodum ex cupreſſu & pinu reſina, ſic ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, naſcitur, quo reliquæ res cùm ſunt unctæ (uti etiam libri) à tineis, & à carie non læduntur. Arbores autem ejus ſunt ſimiles cupreſſeæ foliaturæ, materies venâ directâ. Epheſi in æde Dianæ ſimulacrum, & etiam lacunar ex eâ, & ibi & in cæteris nobilibus fanis propter æternitatem ſunt facta.* Similia habet Plin. loco mox citato, ubi etiam refert menſas illas citreas tanti luxûs, & omni pretio pretioſiores, ex hujus arboris radicibus factas fuiſſe.

tro & [1] ebore curioſè cavata ſubeunt aureæ columnæ. Parietes omnes argenteo cælamine conteguntur, beſtiis & id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium. Mirus prorſum homo, imò Semi-Deus, vel certè Deus, qui magnæ artis ſubtilitate [2] tantum efferavit argentum. Enimverò pavimenta ipſa [3] lapide pretioſo cæſim diminuto, in varia picturæ genera diſcriminantur. Vehementer iterùm, ac ſæpiùs beatos illos, qui ſuper gemmas & monilia calcant! Jam cæteræ partes longè lateque diſpoſitæ domûs, ſine pretio pretioſæ, totique parietes ſolidati maſſis aureis, ſplendore proprio coruſcant; ut diem ſuum ſibi domus faciat, licet Sole nolente: ſic cubicula, ſic porticus, [4] ſic ipſæ balneæ fulgurant. Nec ſeciùs opes cæteræ majeſtati

INTERPRETATIO.

ſunt cameris altiſſimis ex cedro & elephanto ſtudioſè arcuatis. Parietes omnes incruſtati ſunt argento cælato, in quo *belluæ, atque ejuſmodi pecudes obviæ ſunt oculis intrantium. Admirandus planè* ille *homo* fuit. *vel potiùs Semi-Deus, aut etiam Deus, qui ſolertiâ mirabilis artis tantum argenti effinxit in feras. Pavimenta autem ipſa diſtinguuntur in diverſas ſpecies picturæ, lapidibus pretioſis ſectis in fruſtula.* O *multùm, & terque quaterque felices illos, qui ambulant ſuper margaritas & lapides pretioſos! Reliqua verò membra ædium longè ac latè porrectarum tam pretioſa* ſunt, *ut nequeant æſtimari, univerſique parietes firmati molibus aureis micant ſuopte fulgore;* adeo *ut domus* ipſa *ſibi creet lucem etiam invito Sole: uſque adeo cubicula, porticus, ipſæque balneæ coruſcant. Nec reliqua ſupellex minùs convenit magni-*

NOTÆ.

1. *Et ebore.*] *Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,*
Et Mauri celeres, & Mauro obſcurior Indus,
Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu
Jam nimios, capitique graves.
Juvenal. Satyr. 11.

2. *Tantum efferavit argentum.*] Formavit in ferarum imagines. Beroaldus malebat *effigiavit*, quod etiam Pricæo placet. At nihil mutandum. Suprà enim: *beſtiis, & id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium.* Vox *efferavit* planè Apuleiana eſt. Loco *argentum* reponebat Lipſius *argumentum*, argutiùs, quàm veriùs. Suprà enim: *parietes omnes argenteo cælamine conteguntur, beſtiis &c.*

3. *Lapide pretioſo cæſim diminuto.*] Ejuſmodi opus pictum coagmentatis teſtulis variorum colorum *Muſaïcum* appellamus. Ælianus Spartianus in Peſcennio *Muſivum* dixit; *hunc* (Peſcennium nempe) *in Commodianis hortis in porticu curvâ, pictum de Muſivo inter Commodi amiciſſimos videmus Sacra Iſidis ferentem.* Ejuſmodi fuere *Aſarota*, quorum mentio apud Vitruv. Plin. Statium, & alios: pavimenta nempè ex teſtulis diverſicoloribus ſic coaptatis, ut referrent purgamenta cœnæ, & verrentium fallerent oculos. Hoc tamen præſtabat palatii Cupidinei pavimentum, quòd teſtulæ, quibus conſtabat, eſſent *lapides pretioſi.*

4. *Sic ipſæ balneæ fulgurant.*] Seneca Epiſtol. 86. de Africani villâ: *Balneolum anguſtum, tenebricoſum ex conſuetudine antiquâ. Non videbatur majoribus noſtris caldum niſi obſcurum.* Sed luxu creſcente (ut idem ſubjungit) non probata ſunt balnea, niſi quæ totius diei Solem feneſtris ampliſſimis reciperent. Vulgati hîc habent *valvæ*, ſed *balnea* adſtruxit Pricæus ex manuſcriptis Codicibus.

domûs reſpondent: ut equidem illud rectè videatur, ad converſationem humanam magno Jovi fabricatum cœleſte palatium. Invitata Pſyche talium locorum oblectatione propiùs acceſſit: & paulò fidentior [1] intra limen ſeſe facit. Mox prolectante ſtudio pulcherrimæ viſionis, miratur ſingula. Et altrinſecùs ædium horrea ſublimi fabricâ perfecta, magniſque congeſta gazis conſpicit. Nec eſt quidquam, quod ibi non eſt. Sed [2] præter cæteram tantarum divitiarum admirationem, hoc erat præcipuè mirificum, quòd nullo vinculo, nullo clauſtro, nullo cuſtode totius orbis theſaurus ille muniebatur. [3] Hìc ei ſummâ cum voluptate viſenti offert ſeſe vox quædam corporis ſui nuda: &, Quid, inquit, domina, tantis obſtupeſcis opibus? Tua ſunt hæc omnia. Prohinc cubiculo te refer, & lectulo laſſitudinem refove, & ex arbitrio lavacrum pete. Nos, quarum voces accipis, tuæ famulæ, ſeduló tibi præminiſtrabimus; nec corporis cura te, nec regales epulæ morabuntur. Senſit Pſyche divinæ providentiæ beatitudinem: monitûſque [4] voces informes audiens, & priùs ſomno, & mox lavacro fatigationem diluit. Viſoque ſtatim proximo [5] ſemirotun-

INTERPRETATIO.

ficentiæ domûs. Ita *ut jure quidem putetur eſſe cœleſtis regia ædificata ſummo Jovi ad converſandum cum hominibus. Pſyche illecta amœnitate horum locorum acceſſit propiùs: &* facta *paulò audacior ingreditur domum. Mox incitata curioſitate pulcherrimi ſpectaculi, cuncta admiratur. Et in alterâ parte domûs videt cellas ædificatas magnificâ ſtructurâ, & repletas ingentibus divitiis. Nihilque eſt, quod non ſit ibi. Sed ſupra reliquam admirationem tantarum opum, hoc erat præſertim admirandum, quòd ille theſaurus univerſi mundi nullâ catenâ, nullo repagulo, nullo cuſtode defendebatur. Dum illa intuetur hæc cum voluptate maximâ, vox quædam deſtituta ſuo corpore exhibet ſe ei: &, O hera, inquit, quare ſtupes* ad conſpectum *tantarum divitiarum? Illa omnia ſunt tua. Redi igitur in cubiculum, & reſice toro defatigationem, & cùm libitum fuerit, ito in balneum. Nos tuæ ancillæ, quarum audis voces, tibi ſuppeditabimus omnia diligenter, & quæ pertinent ad curandum corpus, & regiæ dapes tibi præſto erunt. Pſyche advertit felicitatem* ſibi paratam *providentiâ divinâ: parenſque* illis *monitis*, quæ erant *voces incorporeæ, diſcutit laſſitudinem ſopore primùm, & paulo pòſt balneo. Conſpectoque hemicyclo proximo, &*

NOTÆ.

1. *Intra limen ſeſe facit.*] Lib. 10. *hæc* (Venus) *ut primùm ante Judicis* (Paridis) *conſpectum facta eſt.*

2. *Præter cæteram tantarum divitiarum admirationem.*] Hic *admiratio* ſumitur non pro actu admirantis, ſed pro pulchritudine rei, quæ admirationem excitat in animis ſpectantium.

3. *Hic ei ſummâ cum voluptate viſenti.*] *Hic* loco *hæc* poſitum: quod ſæpiùs apud hunc Auctorem obſervare licet. Infrà hoc ipſo libro: *hic illa verboſa & ſatis curioſa avis in auribus Veneris, filii lacerans exiſtimationem, ganniebat.*

4. *Voces informes.*] Omni formâ corporeâ, & viſibili deſtitutæ.

5. *Semirotundo.*] Lecto in dimidii circuli figuram curvato, qualem Græcis vocabulis *hemicyclon* & *ſigma* vocârunt. Græcorum enim *ſigmati* in inſcriptionibus eadem figura quæ Latino-

do, ſuggeſtum propter, inſtrumentum cœnatorium rata refectui ſuo commodum, libens accumbit. Et illicò vini nectarei, eduliorumque variorum fercula copioſa, nullo ſerviente, ſed tantùm ſpiritu quodam impulſa, ſubminiſtrantur. Nec quemquam tamen illa videre poterat, ſed verba tantùm audiebat excidentia, & ſolas voces famulas habebat. Poſt opimas dapes quidam introceſſit, & cantavit inviſus; & alius citharam pulſavit, quæ videbatur nec ipſa. Tunc [1] modulatæ multitudinis conferta vox [2] aures ejus affertur; ut, quamvis hominum nemo pareret, chorus tamen eſſe pateret. Finitis voluptatibus [3] veſperâ ſuadente, concedit Pſyche cubitum. Jamque provectâ nocte, clemens quidam ſonus aures ejus accedit. Tunc virginitati ſuæ pro tantâ ſolitudine metuens, pavet & horreſcit, & quovis malò plus timet quod ignorat. Jamque aderat [4] ignobilis maritus, & torum inſcenderat, & uxorem ſibi Pſychen fecerat, & ante lucis exortum properè diſceſſerat: ſtatim voces cubiculo præſtolatæ, novam nuptam [5] interfectæ virginitatis curant. Hæc diutino tempore

INTERPRETATIO.

menſa prope illud, *arbitrata eſſe ſupellectilem cœnaticam idoneam ſuæ refectioni; diſcumbit ultrò. Et ſtatim apponuntur miſſus copioſi dulciſſimi vini, & diverſarum dapum, nemine miniſtrante, ſed ſolùm acti quodam flatu. Illa tamen neminem poterat cernere, ſed audiebat ſolùm verba elabentia, & habebat tantùm voces pro ancillis. Poſt exquiſitos* illos *cibos quidam ingreſſus eſt, & cecinit inconſpicuus, & alius perſonuit cithara, quæ non aſpiciebatur quoque. Tunc voces permultæ turbæ* muſicè *canentis perveniunt ad aures ejus;* ita *ut, tametſi nullus homo cerneretur, manifeſtum tamen eſſet concentum eſſe. Poſtquam finis factus eſt horum gaudiorum, Pſyche it cubitum, veſpere adhortante* ipſam. *Cùmque nox jam eſſet promota, lenis quidam ſuſurrus fertur ad aures ejus. Tum timens ſuæ pudicitiæ propter tantam ſolitudinem, & formidat, & horret, & magis metuit quod neſcit; quàm quodcumque* aliud *malum. Jamque ſponſus incognitus aderat, & conſcenderat lectum, & Pſychen fecerat ſibi conjugem, atque abierat feſtinanter ante diluculum: illicò voces præſtò adſtantes in cubiculo refovent extinctum pudorem novæ nuptæ. Hæc ſic geſta*

NOTÆ.

rum C. Juxta lectum hujuſmodi menſa apponebatur, quam hîc ſuggeſtum vocat Apuleius, figuræ aut ſemicircularis aut rotundæ.

1. *Modulatæ multitudinis conferta vox.*] *Modulatæ* intellige *modulantis*, præteritum pro præſenti. Vicentina editio & manuſcripti Codices nonnulli Pricæo laudati habent, non malè meo judicio: *in modum multitudinis conferta vox.*

2. *Aures ejus affertur.*] *Fertur ad aures ejus.* Sic mox: *aures ejus accedit.* Paulò pòſt: *ſcopulum iſtum protinus aderunt.* Ubi præpoſitio verbo juncta eſt non nomini, quod frequens apud hunc Auctorem, ut jam monui.

3. *Veſperâ ſuadente.*] Virgil. Æneid. 2: —— *ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.*

4. *Ignobilis maritus.*] *Ignotus*, Gloſſæ: ἄγνωστος, *ignobilis.*

5. *Interfectæ virginitatis curant.*] Nota genitivum cum verbo *curo. Interfectæ virginitatis* dicit, ut Tertull. poſt ipſum, *occiſa in publicum caſtitatis.* lib. *de Pallio.*

ſic

ſic agebantur. Atque, ut eſt naturâ redditum, novitas per aſſiduam conſuetudinem delectationem ejus commendârat: & ſonus vocis incertæ ſolitudinis erat ſolatium. Intereà parentes ejus indefeſſo luctu, atque [1] mœrore conſeneſcebant. Latiùſque porrectâ famâ, ſorores illæ majores cuncta cognôrant: properèque mœſtæ atque lugubres, deſerto Lare, certatim ad parentum ſuorum conſpectum affatumque perrexerant. Eâ nocte ad ſuam Pſychen ſic infit maritus (namque præter oculos & manibus & auribus ſentiebatur) Pſyche dulciſſima, & cara uxor, exitiabile tibi periculum minatur Fortuna ſævior, quod obſervandum preſſiore cautelâ cenſeo: Sorores jam tuæ mortis opinione turbatæ, tuumque veſtigium requirentes, [2] ſcopulum iſtum protinus aderunt. Quarum, ſi quas fortè lamentationes acceperis; neque reſpondeas, immò nec proſpicias omninò. Cæterùm mihi quidem graviſſimum dolorem, tibi verò ſummum creabis exitium. Annuit, & ex arbitrio mariti ſe facturam ſpopondit. Sed eo ſimul cum nocte dilapſo, diem totum lacrymis ac plangoribus miſella conſumit: ſe nunc maximè prorſus periiſſe iterans, quæ beati carceris cuſtodiâ ſepta, & humanæ converſationis colloquio viduata, ne ſororibus quidem ſuis de ſe mœrentibus opem ſalutarem ferre, ac ne videre eas quidem omninò poſſet. Nec lavacro, nec cibo, nec ullâ denique re-

INTERPRETATIO.

ſunt per longum tempus. Atque, ut eſt à naturâ comparatum, novitas reddiderat ipſum ei *jucundum per continuam converſationem. Et ſonus vocis incognita erat* ei *ſolamen ſolitudinis. Interim ejus parentes contabeſcebant aſſiduo fletu atque triſtitiâ. Et rumore latiùs diffuſo, ſorores illæ* natu *grandiores factæ erant certiores de omnibus; & relictâ domo contenderant feſtinanter & certatim triſtes ac flentes, ad videndos & alloquendos parentes ſuos. Illâ nocte maritus ſic alloquitur ſuam Pſychen: (exceptis enim oculis, ſentiebatur tactu, & auditu) Suaviſſima Pſyche, & dilecta conjux, lethale periculum tibi impendet à fortunâ crudeliore; quod ſuadeo ut caveas majori diligentiâ. Sorores tuæ jam perturbatæ opinione tuæ mortis, & inveſtigantes tuos greſſus, brevi venient ad iſtam rupem. Quarum ſi fortè audieris aliquos ejulatus, ne reſponde: quinimmò, ne reſpice quidem* ad eas. *Aliàs mihi quidem paries dolorem acerbiſſimum, tibi verò ultimam perniciem. Aſſenſa eſt, & promiſit ſe obſequuturam voluntati ſui conjugis. Sed poſtquam ipſe abiit unà cum nocte, infortunata* Pſyche *tranſigit totum diem fletibus, ac planctibus: ſæpiùs dicens ſe nunc potiſſimùm interiiſſe funditùs,* quippe *quæ incluſa ſepto divitis carceris, & privata ſolatio humanæ converſationis, ne poſſet quidem ferre auxilium ſalubre ſuis ſororibus, quæ lugebant propter ſe, aut etiam eas aſpicere ullo modo. Neque balneo refecta, neque eſu, neque demum*

NOTÆ.

1. *Mœrore conſeneſcebant.*] Sic Cicero, pro Cluentio: *mœrore & lacrymis conſeneſcebant.* Codex Palat. Elmenhorſtio laudatus habet, *mœrore animi ſeneſcebant.*

2. *Scopulum iſtum protinus aderunt.*] Quaſi dicas, *erunt protinus ad iſtum ſcopulum.* Sic lib. 2. *primâ face cubiculum tuum adero.*

fectione recreata, flens ubertim, deceſſit ad ſomnum. Nec mora; cùm paulò maturiùs lectum maritus accubans, eamque etiam nunc lacrymantem complexus, ſic expoſtulat: Hæccine mihi pollicebare, Pſyche mea? Quid jam de te tuus maritus expecto? Quid ſpero? Et [1] perdia, & pernox, nec inter amplexus conjugales deſinis cruciatum. Age jam nunc ut voles, & animo tuo damnoſa poſcenti pareto: tamen memineris meæ ſeriæ monitionis, cùm cœperis ſerò pœnitere. Tunc illa precibus, & dum ſe morituram comminatur, extorquet à marito cupitis annuat: ut ſorores videat, luctus mulceat, ora conferat. Sic ille novæ nuptæ precibus veniam tribuit; & inſuper, [2] quibuſcunque vellet, eas auri vel monilium donare conceſſit. Sed identidem monuit, ac ſæpè terruit, ne quando ſororum pernicioſo conſilio ſuaſa, de formâ mariti quærat: neve ſe ſacrilegâ curioſitate de tanto fortunarum ſuggeſtu peſſum dejiciat, nec ſuum poſteà contingat amplexum. Gratias egit marito. Jamque lætior animo: Sed priùs, inquit, centies moriar, quàm tuo iſto dulciſſimo connubio caream. Amo enim & efflictim te, quicumque es, atque ut meum ſpiritum diligo, nec ipſi Cupidini comparo. Sed illud etiam precibus meis, oro, largire, & illi tuo famulo præcipe Zephyro, [3] ſimili vecturâ ſorores huc mihi ſiſtat. Et imprimens oſcula ſua-

INTERPRETATIO.

ullo cibo, ſed *plorans largiter contulit ſe dormitum. Confeſtimque maritus* ejus *cubans in lecto juxta ipſam paulò citiùs ſolito, & amplexus eam adhuc plorantem ſic conqueritur: An hoc promittebas mihi, Pſyche mea? Quid ego*, quamvis *tuus conjux*, poſſum *deinceps expectare à te? Quid* poſſum *sperare? Neque die, neque nocte, neque in* ipſis *complexibus* tui *mariti finem ullum facis te macerandi. Fac nunc jam quidquid libitum erit, & gere morem animo tuo cupienti exitiabilia: verùm recordare meorum prudentium monitorum, cùm cœperit te pœnitere*, ſed *tardiùs. Tunc illa rogitans, & minitans ſe* aliàs *morituram; impetrat ab invito marito* ut *aſſentiatur* ſuis *optatis; ut* ipſa *fruatur conſpectu ſororum, leniat* earum *mœrorem, præſenteſque præſens coram alloquatur. Sic ille conceſſit* hanc *facultatem precibus* ſuæ *novæ conjugis, & permiſit prætereà, ut eas impertiret quôcunque* munere *vellet*, ſive *auri*, *ſive gemmarum. Sed ſubinde admonuit, & ſæpiùs deterruit, ne unquam inducta exitiabili conſilio* ſuarum *ſororum, inquirat quæ ſit facies* ſui *conjugis; neve ſe deturbet ex tanto culmine divitiarum impiâ curioſitate, neque poſteà fruatur ſuo complexu.* Illa *egit grates ſuo conjugi, & jam exhilarata animo: At, inquit, peream potiùs centies, quàm priver hoc tuo ſuaviſſimo conjugio. Diligo enim, & perditè amo te, quiſquis es, & veluti meam vitam, teque antepono ipſi Cupidini. Verùm tribue quoque hoc meis ſupplicationibus (quæſo), & impera illi Zephyro tuo ſervo*, ut *advehat huc ad me meas ſorores pari vehiculo. Et* his *dictis figens*

NOTÆ.

1. *Perdia, & pernox.*] *Perdius* & *pernox* adjectiva ſunt idem ſonantia ac, *per totam noctem*, aut *per totum diem aliquid faciens, durans, perſeverans.*

2. *Quibuſcumque vellet, eas auri*, &c.] Græca locutio.

3. *Simili vecturâ.*] Ac ego advecta ſum.

ſoria, & ingerens verba mulcentia, & jungens membra cohibentia, his etiam blanditiis aſtruit: Mi mellite, mi marite, tuæ Pſyches dulcis anima. [1] Vi ac poteſtate Veneris victus, invitus ſuccubuit maritus, & cuncta ſe facturum ſpopondit, atque etiam luce proximante de manibus uxoris evanuit. At illæ ſorores percontatæ ſcopulum, locumque illum, quo fuerat Pſyche deſerta, feſtinantes adveniunt: ibique deflebant oculos, & plangebant ubera; quoad crebris earum ejulatibus ſaxa cauteſque parilem ſonum reſultarent. Jamque nomine proprio ſororem miſeram ciebant: quoad ſono penetrabili vocis ululabilis per prona delapſæ, amens & trepida Pſyche procurrit è domo: &, Quid, inquit, vos miſeris lamentationibus nequidquam affligitis? Quam lugetis, adſum. Lugubres voces deſinite, & diutinis lacrymis madentes genas ſiccate tandem; quippe cùm jam poſſitis, quam plangebatis, amplecti. Tunc vocatum Zephyrum præcepti maritalis admonet. Nec mora, cùm ille parens imperio, ſtatim clementiſſimis flatibus innoxiâ vecturâ deportat illas. Jam mutuis amplexibus, & feſtinantibus ſaviis ſeſe perfruuntur: & illæ ſedatæ lacrymæ poſtliminiò redeunt, prolectante gaudio. Sed, & tectum, inquit, & larem noſtrum lætæ ſuccedite, & afflictas animas cum Pſyche veſtrâ recreate. Sic allocuta, ſummas opes domûs aureæ, vocumque ſer-

INTERPRETATIO.

Laſia perſuaſoria, & addens dicta delinientia, & applicans artus devincientes, addit etiam his blanditiis: Mi dulcicule, mi conjux, ſuavis ſpiritus tuæ Pſyches. Maritus ſubactus vi ac potentiâ voluptatis Venereæ, dedit manus, quamvis *renitenter, & promiſit ſe præſtiturum omnia, dieque adventante ſimiliter abiit ex manibus conjugis* ſuæ. *Illæ verò ſorores* cùm *ſciſcitatæ* eſſent *rupem, & locum illum, in quo Pſyche fuerat relicta, advolant* illuc *celeriter: atque ibi macerabant oculos lacrymando, & tundebant papillas; donec rupes, & ſcopuli remitterent ſonum ſimilem frequentibus earum clamoribus. Et jam vocabant infelicem* ſuam *germanam proprio nomine; cùm Pſyche* excitata *ſono acuto vocis ejulantis, quæ deſcendebat deorſum per declivia, prorumpit ex ædibus vecors animi, & trepidans: &, Quare (ait) maceratis vos fruſtrà miſerandis ejulatibus? Ecce me, quam defletis. Temperate jam à lamentis, & exſiccate demùm malas humidas longo fletu; ſiquidem jam poteſtis complecti illam, quam lugebatis. Tunc accerſit Zephyrum, & memorat juſſa* ſui *mariti. Et confeſtim* ille *obediens mandato, defert illas mitiſſimis auris vectione innocuâ. Jam potiuntur ſeſe mutuò reciprocis amplexibus, & baſiis ingeſtis properè, illæque lacrymæ jam repreſſæ recurrunt iterùm lætitiâ* eas *eliciente. At, inquit, ſubite etiam noſtram domum, &* noſtros *penates cum gaudio. Et reficite veſtrum animum ægrum cum veſtrâ Pſyche. Sic affata* ipſas, *oſtendit* eis *immenſas divitias ædium aurearum, & earum auribus numeroſum*

NOTÆ.

1. *Vi ac poteſtate Veneris uſurus.*] Loco *uſurus* Brantius proponebat *victus*, vel *urſus* ab *urgeo*. Pricæus, *oppreſſus*. Facilè prætulerim *victus*. Quod ſi retinere velis *uſurus*, ſic intellige, ut Pſyches maritus, qui *uti* debuiſſet *vi ac poteſtate Veneris*, cujus erat filius, ad devinciendum animum uxoris, & nutibus ſuis adſtringendum, ab eâ vincatur, licet invitus.

vientium populoſam familiam auribus earum demonſtrat, lavacroque pulcherrimo, & [1] inhumanæ menſæ lautitiis eas opiparè reficit: ut, illarum prorſus cœleſtium divitiarum copiis affluentibus ſatiatæ, jam præcordiis penitis nutrirent invidiam. Denique altera earum ſatis ſcrupulosè curiosèque percontari non deſinit, quis illarum rerum cœleſtium dominus, quis-ve, vel qualis ipſius ſit maritus. Nec tamen Pſyche conjugale illud præceptum ullo pacto temerat, vel pectoris arcanis exigit: ſed è re natâ confingit, eſſe juvenem quendam & ſpecioſum, & commodùm lanoſo barbitio genas inumbrantem, plerumque ruteſtribus & montanis venatibus occupatum. Et, ne quâ ſermonis procedentis labe conſilium tacitum proderetur, [2] auro facto, gemmoſiſque monilibus onuſtas eas, ſtatim vocato Zephyro tradit reportandas. Quo protinus perpetrato, ſorores egregiæ domum redeuntes, jamque gliſcentis invidiæ felle flagrantes, multa ſecum ſermonibus mutuis perſtrepebant. Sic denique infit altera: [3] En orba & ſæva & iniqua fortuna! Hoccine tibi complacuit, ut utroque parente prognatæ, diverſam ſortem ſuſtineremus? Et nos quidem, quæ natu majores ſumus, [4] maritis advenis ancillæ deditæ, extorres & lare

INTERPRETATIO.

famulatum vocum miniſtrantium, & recreat eas lautè balneo pulcherrimo, & opiparis epulis menſæ non humanæ; adeo *ut, ſatiatæ abundantiâ illarum opum planè divinarum, jam alerent invidiam in intimis viſceribus. Poſtremo una earum non ceſſat quærere ſatis ſollicitè, & curiosè, quis* eſſet *dominus illarum rerum divinarum, quiſve, aut cujuſmodi eſſet vir ejus. Neque tamen Pſyche violat ullo modo mandatum ſui mariti, aut* illud *effert ex ſecreto cordis* ſui: *ſed ex tempore comminiſcitur* eum *eſſe quendam adoleſcentem & formoſum, & tunc primùm veſtientem malas molli lanugine, utplurimùm intentum venationibus campeſtribus, & montanis. Ac, ne ſecretum* ſuum *efferretur aliquo errore, ſi colloquia ducerentur in longum, Zephyro accerſito dat confeſtim eas revehendas, oneratas* tamen priùs *vaſis aureis, & torquibus ex gemmis. Quo ſtatim facto, eximiæ* illæ *ſorores revertentes domum, & jam ardentes viru invidiæ creſcentis, multa inter ſeſe garriebant alternis colloquiis. Tandem altera* harum *ſic incipit: O cæca, & crudelis, & injuſta fortuna! Hoc-ne tibi libitum eſt, ut* nos *procreatæ* iiſdem *ambobus parentibus,* quibus ipſa, *nanciſceremur ſortem* adeo *diſſimilem? Et nos quidem, quæ ſumus grandiores ætate, datæ extraneis viris famulæ* potiùs, quàm conjuges, *ejectæ & domo &*

NOTÆ.

1. *Inhumanæ menſæ.*] Non humanæ, ſed divinæ.

2. *Auro facto.*] Auro non in maſsâ, non in lamina, ſed fabricato in vaſa, aut alia ſimilia opera. Gloſſar. vetus: *argentum factum* α γυρὲν σκ... &. Contrà *aurum*, vel *argentum infectum* eſt illud, quod nondum expertum eſt artificis manum.

3. *En orba, &c. fortuna.*] *Orba oculis, cæca*: Epitheton perpetuum fortunæ: Græcis, τυφλὴ καὶ κωφὴ τύχη, *cæca & ſurda fortuna.* Ariſtoph. in Pluto, cœcum inducit Plutum divitiarum Deum & Fortunæ filium.

4. *Maritis advenis ancillæ deditæ.*]

& ipsâ patriâ degamus, longè parentum velut exulantes: hæc autem noviſſima, quam, fœtu ſatiante, poſtremus partus effudit, tantis opibus, & Deo marito potita ſit, quæ nec uti rectè tantâ bonorum copiâ novit? Vidiſti, ſoror, quanta in domo jacent, & qualia monilia: [1] quæ prænitent veſtes, quæ ſplendicant gemmæ; quantum præterea paſſim calcatur aurum. Quod ſi maritum etiam tam formoſum tenet, ut affirmat; nulla nunc in orbe toto felicior vivit. Fortaſſis tamen procedente conſuetudine, & affectione roboratâ, Deam quoque illam Deus maritus efficiet. Sic eſt hercules: ſic ſe gerebat, ferebatque. Jamjam ſurſum reſpicit; & Deam ſpirat mulier, quæ Voces ancillas habet, & Ventis ipſis imperat. At ego miſera, primùm patre meo ſeniorem maritum ſortita ſum, dein [2] cucurbitâ glabriorem, & quovis puero pumiliorem, cunctam domum ſeris & cathenis obditam cuſtodientem. Suſcipit alia: Ego verò maritum articulari etiam morbo complicatum, curvatumque, ac per hoc rariſſimè Venerem meam recolentem ſuſtineo, plerumque detortos & [3] duratos in lapidem digitos ejus perfricans, fomentis olidis, & pannis ſordidis, &

INTERPRETATIO.

ipsâ patriâ, vivamus procul à parentibus, veluti relegatæ in exilium: hæc verò ultima, quam, mater *jam faſtidiens prægnationem, ejecit noviſſimâ partitudine, fruatur tantis divitiis, & Deo conjuge, quæ nec ſcit quidem benè uti tantâ opum abundantiâ? Vidiſti, ſoror, quot, & cujuſmodi monilia ſtrata ſunt per ædes; quæ veſtes præfulgent, qui lapilli coruſcant; quanta inſuper copia auri ubique pedibus teratur. Quòd ſi habeat etiam virum æquè pulcrum atque aſſeverat, nulla nunc degit in toto mundo fortunatior. Forſan etiam, creſcente familiaritate, & confirmato amore, Deus* ejus *conjux eam quoque faciet Deam. Sic eſt profecto; ſic agebat, ſic ſe extollebat. Jamjam meditatur ſublimia, & ſumit ſibi divinos ſpiritus* hæc *mulier, quæ habet Voces famulas, & imperat ipſis Ventis. Ego vero infelix primùm nacta ſum conjugem natu grandiorem meo patre, tum* autem *magis calvum, quàm* eſt *cucurbita, & magis puſillum quolibet puero, qui totam domum ſervat occluſam ſeris & cathenis. Altera ſubjungit: Ego autem patior maritum etiam laborantem articulari morbo, & incurvum, proptereàque rariſſimè arantem meum fundum, perfricans ejus digitos contortos, & induratos in modum lapidis, terens has molliculas manus fomentis fœtidis, & pannis im-*

NOTÆ.

Cui malo ut obviàm iretur, *coëmptio* apud antiquiores Romanos adhibebatur inter reliqua nuptiarum ſolemnia. Iſidor. Origin. lib. 4. cap. 24. *antiquus nuptiarum erat ritus, quòd ſe maritus & uxor invicem emebant, ne videretur ancilla uxor.*

1. *Quæ prænitent veſtes.*] *Veſtes* Latinis non veſtimenta modò ſunt, ſed etiam aulæa, tapetes, ſtragulæ, omnis denique linea, & ſerica ſupellex.

2. *Cucurbita glabriorem.*] Editio Vicentina, & Beroaldi, *calviorem*, benè. Et, ſi retineas *glabriorem* erit eodem ſenſu exponendum, quo *calviorem*, de capite nempè, cùm *glabrum* utplurimùm dicatur de corpore depili, & delicatulo.

3. *Duratos in lapidem digitos,*] *Lapidosâ chiragrâ laborantes*, ut Perſii verbis utar, Satyr. 5. v. 58.

——— ſed cùm lapidoſa chiragra
Fregerit articulos. ———

fœtidis cataplaſmatis manus tam delicatas iſtas adurens; nec uxoris officioſam faciem, ſed medicæ laborioſam perſonam ſuſtinens. Et tu quidem, ſoror, videris quàm patienti, vel potiùs ſervili (dicam enim liberè quod ſentio) hæc perferas animo: enimverò ego nequeo ſuſtinere ulteriùs tam beatam fortunam [1] collapſam indignè. Recordare enim quam ſuperbè, quam arroganter nobiſcum egerit, & ipsâ jactatione immodicæ oſtentationis tumentem ſuum prodiderit animum; deque tantis divitiis exigua nobis invita projecerit, confeſtimque præſentiâ noſtrâ gravata, propelli, & [2] efflari, exſibilarique nos juſſerit. [3] Nec ſum mulier, nec omninò ſpiro, niſi eam peſſum de tantis opibus dejecero. Ac, ſi tibi etiam, ut par eſt, [4] inacuit noſtra contumelia, conſilium validum ambæ requiramus. Jamque iſta, quæ ferimus, non parentibus noſtris, ac ne ulli demonſtremus alii; immò nec omninò quidquam de ejus ſalute nôrimus. Sat eſt, quod ipſæ vidimus, quæ vidiſſe pœnituit; nedum ut genitoribus, & omnibus populis tam beatum ejus differamus præconium. Nec ſunt enim beati, quorum divitias nemo novit. Sciet ſe non ancillas, ſed ſorores habere

INTERPRETATIO.

mundis, & emplaſtris putidis; neque fungens obſequioſæ uxoris vice, ſed moleſto officio medicæ. Et tu quidem, germana, patere, ſi lubet, iſta animo tolerantiſſimo, vel potiùs ſervili (liberè enim tibi aperiam ſenſa mei animi) *quantum ad me autem, non poſſum ampliùs pati tam felicem ſortem immeritò obtigiſſe* noſtræ ſorori. *Revoca enim* tibi *in mentem quàm jactanter,* & *quàm tumidè ſe geſſerit nobiſcum, & oſtenderit ſuperbum ſuum animum ipsâ oſtentatione faſtûs immoderati; atque ex tot opibus jecerit nobis pauca, & invita quidem; ſtatimque præceperit nos ejici, & auferri flatu ac ſibilo Zephyri, quòd noſtra præſentia eſſet ipſi moleſta. Nec ſum mulier, neque prorſus vivo, niſi deturbavero eam deorſum ex tantâ fortunâ. Ac, ſi injuria noſtra tibi etiam* ſicuti mihi *perdoluit, ut æquum eſt, excogitemus ambæ* aliquod *egregium conſilium. Ac primùm, ne oſtendamus noſtris parentibus, neque cuiquam alii hæc* dona, *quæ geſtamus; immò nihil etiam prorſus compererimus de ejus vitâ. Satis eſt quod* nos *ipſæ aſpeximus, quæ nollemus aſpexiſſe, nedum ut prædicemus tantam ejus felicitatem parentibus noſtris, & univerſis populis. Neque enim illi ſunt felices, quorum opes nemini notæ ſunt. Noverit ſe habere non famulas, ſed ſorores,*

NOTÆ.

1. *Collapſam indignè.*] Scaliger, & Lipſius *collatam.* Sed nihil mutandum. Rectè dicitur *collapſa* fortuna, quæ indigno obtigit. Neque accedo Pricæo, qui *indignæ* reponit. *Fortuna collapſa indignè* dicitur, ut apud Plaut. *opera pulchrè locata.*

2. *Efflari, exſibilarique.*] Ad augendam invidiam vocabulis utitur contemptûs, *exſibilari* enim dicitur, qui cum ſibilo & riſu ejicitur, ut malus & inſubidus hiſtrio è theatro.

2. *Nec ſum mulier, nec omninò ſpiro, niſi, &c.*] Apud Petronium: *aut ego vir liberque non ſum, aut noxio ſanguine parentabo injuriæ meæ.* Apud Ovid. Metamorphoſ. 3. Juno de Semele,

——— *nec ſim Saturnia, ſi non*
Ab Jove merſa ſuo Stygias penetrabit ad undas.

4. *Tibi inacuit.*] Acerbitate ſuâ te pupugit, & excitavit indignationem. Infrà in hunc ſenſum dicit: *acidas & amaras nuptias.*

majores. Et nunc quidem concedamus ad maritos; & lares pauperes noſtros, ſed planè ſobrios, reviſamus: diuque cogitationibus preſſioribus inſtructæ, ad ſuperbiam puniendam firmiores redeamus. Placet pro bono duabus malis malum conſilium: totiſque illis tam pretioſis muneribus abſconditis, comam trahentes, &, perinde ut merebantur, ora lacerantes, ſimulatos redintegrant fletus. Ac ſic parentes quoque, redulcerato prorſus dolore, raptim deſerentes, veſaniâ turgidæ, domus ſuas contendunt: dolum ſceleſtum, immò verò parricidium ſtruentes contra ſororem inſontem. Intereà Pſychen maritus ille, quem neſcit, rurſum ſuis illis nocturnis ſermonibus ſic commonet: Vides-ne quantum tibi periculum [1] velitatur fortuna eminùs? Ac, niſi longè firmiter præcaves, mox cominùs congredietur. Perfidæ lupulæ magnis conatibus nefarias inſidias tibi comparant: quarum ſumma eſt, ut te ſuadeant meos explorare vultus, quos, ut tibi ſæpè prædixi, non videbis, ſi videris. Ergo igitur, ſi poſthac peſſimæ illæ [2] Lamiæ noxiis animis armatæ venerint, (venient autem ſcio) neque omninò ſermonem conferas; &, ſi id tolerare pro genuinâ ſimplicitate, proque animi tui teneritudine non poteris, certè de

INTERPRETATIO.

& natu quidem *grandiores. Et nunc revertamur quidem ad noſtros viros; & redeamus viſum noſtras domos pauperes quidem, ſed certè modeſtas. Et poſtquam munierimus nos diu conſiliis accuratioribus, revertamur vaſtatores ad plectendam ejus arrogantiam. Pravum* illud *conſilium approbatur à duabus pravis mulieribus ut bonum: & occultatis illis omnibus donis tanti pretii, vellentes capillos, & dilaniantes facies ſuas, prout merebantur, revocant fictas lacrymas. Et ſic quoque relinquentes feſtinanter parentes* ſuos. *poſt redintegratum prorſus eorum mærorem; petunt domos ſuas tumidæ furore, machinantes nefariam fraudem, immò verò parricidium adverſus ſororem innocentem. Interim Pſychen conjux ille, quem ignorat, ſic iterum commonefacit ſuis illis nocturnis affatibus: Cernis-ne quantum periculum fortuna vibrat in te è longinquo? Et, niſi maturè adhibes validam cautionem, jamjam adorietur te ex propinquo. Lupæ fraudulentæ ſtruunt in te ſceleſtos dolos magno molimine, qui eò denique redeunt, ut tibi dent conſilium obſervandi meam faciem, quam, ſi* ſemel *aſpexeris, non aſpicies* ampliùs, *ut* jam *ſæpè monui te. Si ergo nequiſſimæ illæ Striges deinceps venerint inſtructæ pernicioſis conſiliis, (ſcio autem eas venturas) ne colloquaris ullo modo cum ipſis, aut ſi non potueris id ferre propter nativam* tuam *ſimplicitatem, & animi tui pietatem,*

NOTÆ.

1. *Velitatur.*] *Jactatur eminùs. Velites* ſunt levioris armaturæ milites, qui prœlia eminùs jaculando ineunt. Hinc *velitari*, & *velitatio*.

2. *Lamiæ.*] Mulieres eſſe putabantur, ſeu potiùs quædam Dæmonum phantaſmata, quæ formoſarum mulierum ſpecie aſſumptâ, pueros blanditiis allectos devorarent. Horat. lib. de Arte Poëticâ.

Neu pranſæ Lamiæ puerum vivum
extrahat alvo.

Porrò ſorores Pſyches *Lamiæ* dicuntur, quaſi, veluti *Lamiæ*, ipſi vorandæ inhiarent. Verti *Striges*, quo nomine eaſdem infrà appellat.

marito nihil quidquam vel audias, vel reſpondeas. Nam & [1] familiam noſtram jam propagabimus, & hic adhuc infantilis uterus geſtat nobis infantem alium, ſi texeris noſtra ſecreta ſilentio, divinum; ſi profanaveris, mortalem. Nuntio Pſyche læta florebat, & divinæ ſobolis ſolatio plaudebat, & futuri pignoris gloriâ geſtiebat, & materni nominis dignitate gaudebat. Creſcentes dies & menſes exeuntes anxia numerat: & ſarcinæ [2] neſcia rudimenta miratur, de brevi punctulo tantum incrementulum locupletis uteri. Sed jam peſtes illæ teterrimæque Furiæ anhelantes vipereum virus, & feſtinantes impiâ celeritate navigabant. Tunc ſic iterum [3] momentarius maritus ſuam Pſychen admonet: [4] Dies ultimus, & caſus extremus, & ſexus infeſtus, & ſanguis inimicus jam ſumpſit arma, & caſtra commovit, & aciem direxit, & claſſicum perſonavit. Jam mucrone diſtricto jugulum tuum nefariæ tuæ ſorores petunt. Heu quantis urgemur cladibus, Pſyche dulciſſima! Tui noſtrique miſerere: religioſâque continentiâ domum, maritum, teque & iſtum parvulum noſtrum imminentis ruinæ infortunio libera: nec illas ſceleſtas fœminas, (quas tibi poſt internecinum odium, & calcata ſanguinis fœdera, ſorores appellare non licet) vel videas, vel audias: cùm [5] more Sirenum ſco-

INTERPRETATIO.

ſaltem nihil prorſus aut auſcultes, aut reponas de tuo *conjuge. Amplificabimus enim brevi noſtram familiam, & iſte venter adhuc puerilis fert nobis puerum alium, qui* futurus eſt *divinus, ſi occultaveris ſilentio noſtra arcana; mortalis* autem, *ſi divulgaveris* ea. *Pſyche exhilarata* hoc *nuntio pulchrior facta erat, & ſibi gratulabatur ſolamine divinæ prolis, ac mirificè gaudebat honore venturi infantis, & lætabatur gloriâ materni nominis. Computat ſollicitè dies procedentes, & menſes elabentes: & admiratur initia prægnationis ſibi ignota, tantum augmentum fœcundi uteri* fieri *ex parvo puncto. Sed jam illæ peſtiferæ* mulieres *ac nequiſſimæ Furiæ navigabant ſpirantes venenum viperinum, & properantes ſacrilegâ feſtinatione. Tunc* ille *conjux brevis converſationis commonefacit Pſychen ſuam his verbis:* Adeſt *dies extremus, & ultima calamitas, & ſexus* tibi *infenſus, & inimica cognatio jam ſe armavit, jam proceſſit, & inſtruxit aciem, & dedit ſignum* tubâ. *Jam tuæ ſceleſtæ ſorores adoriuntur fauces tuas nudato gladio. Eheu quanta nobis inſtat pernicies, Pſyche dulciſſima! Miſereat te mei, tuique, & exolve à calamitate caſûs impendentis domum, virum* tuum, *te ipſam, iſtumque infantulum inviolabili ſilentio: neque vel aſpicias, vel auſcultes illas nefarias mulieres (quas non eſt* tibi *fas vocare germanas poſt mortiferum odium,* quo te proſequuntur, *&* poſt *ſubterhabita jura cognationis,) quando extantes è*

NOTÆ.

1. *Familiam noſtram.*] Non *famulitium*, ſed *ſtirpem.*

2. *Neſcia rudimenta.*] *Neſcita, occulta*, paſſivâ ſignificatione. Infrà: *inſcio quodam tramite*, id eſt, *ignoto.*

3. *Momentarius maritus.*] Qui momento veniebat, momento avolabat ex amplexu conjugis.

4. *Dies ultimus, &c.*] Supple *adeſt.*

5. *more Sirenum.*] Ovid. lib. 3. de Arte amandi.

Monſtra maris Sirenes erant, quæ voce canorâ
Quaſlibet admiſſas detinuere rates.

pulo

pulo prominentes, funeſtis vocibus ſaxa perſonabunt. Suſcipit Pſyche, ſingultu lacrymoſo ſermonem [1] incertans: Jamdudum, quod ſciam, fidei atque parciloquii mei perpendiſti documenta: nec eo ſeciùs approbabitur tibi nunc etiam firmitas animi mei. Tu modò Zephyro noſtro rurſum præcipe, fungatur obſequio; & in vicem denegatæ ſacroſanctæ imaginis tuæ, redde ſaltem conſpectum ſororum, [2] per iſtos cinnameos & undique pendulos crines tuos, per teneras & teretes & mei ſimiles genas, per pectus neſcio quo calore fervidum. [3] Sic in hoc ſaltem parvulo cognoſcam faciem tuam, ſupplicis anxiæ piis precibus erogatus germani complexûs indulge fructum, & tibi devotæ charæque Pſyches animam gaudio recrea. Nec quidquam ampliùs in tuo vultu requiro. Jam nil officiunt mihi nec ipſæ nocturnæ tenebræ. Teneo te meum lumen. His verbis & amplexibus mollibus decantatus maritus, lacrymaſque ejus ſuis crinibus deter-

INTERPRETATIO.

ſcopulo inſtar Sirenum, percutient has *rupes ſuis exitiabilibus clamoribus. Pſyche reſpondet interſecando verba ſingultu flebili: Jam pridem, quantum arbitror, ſpectata tibi ſunt argumenta meæ fidei, atque taciturnitatis: & nihilominus dabitur tibi etiam nunc à me teſtimonium meæ conſtantiæ. Tu tantùm impera iterum noſtro Zephyro* ut *faciat ſuum officium; & loco tuæ divinæ formæ, quam me celas, concede ſaltem ut iterum videam meas ſorores,* oro te *per iſtos tuos capillos ambroſios dependentes ex omnibus partibus, per malas tuas delicatas, & rotundulas, ac ſimiles mearum, per pectus* tuum *æſtuans neſcio quo ardore. Ita agnoſcam vultum tuum ſaltem in hoc infante, exoratus piis precibus* mei *ſupplicantis & ſollicitæ concede mihi voluptatem amplectendi meas ſorores, & reſice hilaritate mentem Pſyches tibi addictæ, & dilectæ. Et nihil jam inquiro ulteriùs de tuâ facie. Jam ipſa etiam obſcuritas noctis nullatenùs mihi obſtat. Complector te mea lux. Maritus devinctus ejuſmodi verbis, & teneris amplexibus, & abſtergens capil-*

INTERPRETATIO.

Hæ filiæ fuerunt Acheloï fluvii, & Terpſichores: quanquam alii Melpomenen, alii Steropen, alii Calliopen Sirenum matrem faciunt. Plura vide apud Mythologos, Lil. Gyraldum, Syntagmate 5. Natalem Comitem, lib. 7. cap. 13. & alios.

1. *Incertans.*] *Infringens, & incertum reddens.* quod fit dum ſingultibus verba interſecantur.

2. *Per iſtos cinnameos, & undique pendulos crines tuos.*] Quos Pſyche hoc dicens contrectabat. Nam, ut ſuprà dictum, *maritus ille præter oculos, & manibus, & auribus ſentiebatur. Cinnamei crines* ſunt ſuave olentes: eſt enim *Cinnamum* ſeu *cinnamomum* frutex, cujus cortex jucundi odoris non infimum locum tenet inter aromata. Hujus conſiderationem vide apud Plin. lib. 12. cap. 19. Cinnameos *ambroſios* verti, non tam reſpiciens ad ipſam vocem, quàm ad mentem Auctoris.

3. *Sic in hoc ſaltem parvulo, &c.*] Solemnis obteſtantis particula *ſic*. Vertumnus ſub anu latens Pomonæ apud Ovid. Metamorphoſ. lib. 14.

Sic tibi nec vernum naſcentia frigus adurat
Poma, nec excutiantt rapidi florentia venti.

Horat.

Sic te Diva parens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida ſidera, &c.

In hoc parvulo.] Quem utero geſtabat patri ſimilem futurum.

gens, facturum ſpopondit: & prævertit ſtatim lumen naſcentis diei. [1] Jugum ſororium [2] conſponſæ factionis, ne parentibus quidem viſis, rectà de navibus ſcopulum petunt illum, præcipiti cum velocitate: nec venti ferentis opertæ præſentiam, licentioſâ cum temeritate proſiliunt in altum. Nec immemor Zephyrus regalis edicti, quamvis invitus, ſuſceptas eas gremio ſpirantis auræ, ſolo reddidit. At illæ incontanter ſtatim conferto veſtigio domum penetrant, complexæque [3] ſuam prædam, ſorores nomine mentientes, [4] theſaurumque penitus abditæ fraudis vultu læto tegentes, ſic adulant: Pſyche, non ita ut pridem parvula, [5] & ipſa jam mater es. Quantum putas boni nobis geris [6] in iſtâ perulâ? Quantis gaudiis totam domum noſtram hilarabis? O nos beatas, quas infantis aurei nutrimenta lætabunt! qui, ſi parentum, ut oportet, pulchritudini reſponderit, prorſùs Cupido naſcetur. Sic affectione ſimulatâ, paulatim ſororis invadunt animum. Statimque eas à laſſitudine viæ ſedilibus refotas, & balnearum vaporoſis fontibus curatas, pulcherrimo [7] triclinio, mirisque illis & beatis

INTERPRETATIO.

lis ſuis ejus fletus, promiſit ſe facturum quod rogaverat, *& confeſtim prævenit* diſceſſione ſuâ *lucem diei orientis. Ambæ ſorores, quæ ſimul conſpiraverant, ne viſitatis quidem parentibus ſuis, conferunt ſe præcipiti feſtinatione è navibus rectà ad rupem illam, neque expectatâ præſentiâ Zephyri vehentis, deſiliunt in præceps cum liberiore confidentiâ. At Zephyrus non oblitus mandatum* ſui *Regis, detulit eas ad terram, exceptas, quamvis ingratiis, complexu ſui flatûs. At illæ abſque morâ intrant è veſtigio in ædes gradu celeri, & invadentes ſuam prædam, ſimulantes verbis ſe* eſſe *ſorores, & celantes hilari facie penum fallaciarum intimè abſconditarum, ſic fictè abblandiuntur: Pſyche, non es* ampliùs *parva quemadmodum olim, ſed ipſa jam es mater. Quantum boni exiſtimas te nobis portare in iſto ſacculo? Quantâ lætitiâ afficies omnem noſtram familiam? O nos felices, quas nutricatus pretioſi* iſtius *pueri exhilarabit! qui ſi æquaverit formam parentum* ſuorum, *ut par eſt, prodibit merus Cupido. Sic mentitæ amorem, occupant ſenſim mentem* ſuæ *ſororis. Eaſque illicò refectas ſellis ex fatigatione itineris, & lotas aquis tepidis balneorum, excipit magnifico triclinio, & illis ferculis atque*

NOTÆ.

1. *Jugum ſororium.*] Ut *jugum boum* dicitur, pro *pari boum ſimul conjugatorum*, ita hîc *jugum ſororium* pro duabus ſororibus, malitiæ vinculo, fraudiumque fœdere inter ſe ſociatis.

2. *Conſponſæ factionis.*] *Conjuratæ.* Feſtus: *conſponſor, conjurator.* Metaphora ducta à pacto jugali. Idem Feſtus: *conſponſos antiqui dicebant mutuâ fide colligatos.*

3. *ſuam prædam.*] Sororem Pſychen, cui inhiabant, veluti prædæ latrones ſolent.

4. *Theſaurumque abditæ fraudis.*] Sic *theſaurus mali.* Et in verſu Græco:
Θησαυρός ἐστι τῶν κακῶν κακὴ γυνή.
Theſaurus eſt malorum mala mulier.

5. *Et ipſa jam mater es.*] Latiori etiam acceptione *mater* dicitur, quæ nondum quidem peperit, ſed gravida eſt, ut hîc.

6. *In iſtâ perulâ.*] In utero, quem ſimul cum dicto demonſtrant.

7. *Triclinio.*] *Triclinium* eſt cœnaculum à tribus lectis diſcumbentium dictum. Κλίνη enim Græcis *lectus* eſt.

edulibus, atque [1] tucetis oblectat. Jubet citharam loqui, pſallitur: [2] tibias agere, ſonatur: [3] choros canere, cantatur. Quæ cuncta præſente nullo dulciſſimis modulis animos audientium remulcebant. Nec tamen [4] ſceleſtarum ſtrigarum nequitia, vel ipsâ mellitâ cantûs dulcedine mollita conquievit: ſed ad deſtinatam fraudum pedicam ſermones conferentes, diſſimulanter occipiunt ſciſcitari qualis ei maritus, & [5] unde natalium ſectacula provenirent. Tunc illa ſimplicitate nimiâ [6] priſtini ſermonis oblita, novum commentum inſtruit; aitque

INTERPRETATIO.

tucetis admirandis ac lautiſſimis. Imperat perſonari citharâ, perſonatur; jubet *cani tibiis, canitur: concentum fieri, cantatur. Quæ omnia, tametſi nemo videretur, deliniebant mentes auditorum ſuaviſſimis modulationibus. Neque tamen malitia nefariarum lamiarum ceſſavit, delinita vel ipsâ melleâ ſuavitate concentûs: ſed* ipſæ *deflectentes orationem ad compactos laqueos fallaciarum, fictè incipiunt interrogare* eam *cujuſmodi eſſet ejus maritus, & à quibus* parentibus *duceret originem. Tum illa præ nimiâ ſimplicitate immemor eorum quæ priùs dixerat, comminiſcitur novum mendacium: & dicit*

NOTÆ.

1. *Tucetis.*] Vide Not. lib. 2. p. 43.

2. *Tibias agere.*] Scaliger ad Manil. reponit in hoc loco, *tibias jugere*, de milvinis tibiis intelligens. Milvinæ autem tibiæ Solino cap. 11. ſunt *tibiæ, quæ in accentus exeunt acutiſſimos.* Porrò Feſto: *jugere milvii dicuntur cùm vocem emittunt.* At non à voce milviorum dictas fuiſſe illas milvinas tibias crediderim: ſed potiùs quòd ex milviorum tibiis, hoc eſt, crurum oſſibus, factæ primùm fuerint tibiæ illæ acutæ & tenues. Nihil ergo *jugere* pertinet ad tibias. Si ſollicitandus ſit hic locus, aliud quærendum exiſtimo.

3. *Choros canere.*] Iſidor. Origin. lib. 6. cap. 18. *cùm unus canit, Græcè, μονῳδία, Latinè ſicinium dicitur: cùm verò duo canunt, bicinium appellatur: cùm multi, chorus.*

4. *Sceleſtarum ſtrigarum nequitia.*] Lectio hæc eſt Bertin. Codicis, alii habent *ſceleſtarum fœminarum.* Quæ hîc *ſtrigæ* Apuleio, cæteris *ſtriges*, ex Ovidio lib. 6. Faſtorum.

Sunt avidæ volucres, non quæ Phineia menſis
Guttura fraudabant: ſed genus inde trahunt.
Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ,
Canities pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte volant, pueroſque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactantia viſcera roſtris:
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis Strigibus nomen: ſed nominis hujus
Cauſa, quòd horrendâ ſtridere nocte ſolent.

Eſt quoque in maledictis habitum hoc nomen, & dicitur de veneficis mulieribus.

5. *Unde natalium ſectacula provenirent.*] Hæc eſt lectio Florentini codicis, & Beroaldi, niſi quòd *provenirent* malui, cum Pricæi editione, quàm *proveniret*, ut *ſectacula* ſit pluralis numeri. Colvius legebat *natalium notacula*, Vvovver. & Pontanus *unde natalium, ſecta cuja*, argutiùs ſanè quàm veriùs. Satis clara eſt expoſita lectio. *Natalium ſectacula* ſunt ſeries & ſtemmata generis, &: *unde natalium ſectacula provenirent* eſt: *unde generis ſeriem duceret.*

6. *Priſtini ſermonis.*] Quo dixerat maritum ſuum eſſe *juvenem quendam & ſpecioſum, commodùm lanoſo barbitio genas inumbrantem.*

maritum ſuum de provinciâ proximâ, magnis pecuniis negotiantem; jam medium curſum ætatis agere, interſperſum rarâ canitie. Nec in ſermone iſto tantillùm morata, rurſum opiparis muneribus eas onuſtas, ventoſo vehiculo reddidit. Sed dum Zephyri tranquillo ſpiritu ſublimatæ domum redeunt, ſic ſecum altercantur: Quid, ſoror, dicimus de tam monſtruoſo fatuæ illius mendacio? Tunc adoleſcens, modò florenti lanugine barbam inſtruens; nunc ætate mediâ, candenti canitie lucidus. Quis ille, quem temporis modici ſpatium repentinâ ſenectâ reformavit? Nil aliud reperies, mi ſoror, quàm vel mendacium iſtam peſſimam fœminam confingere, vel formam mariti ſui neſcire. Quorum utrum verum eſt, opibus iſtis quamprimùm exterminanda eſt. Quòd ſi viri ſui faciem ignorat, Deo profectò denupſit; & Deum nobis prægnatione iſtâ gerit. Certè ſi divini puelli, quod abſit, hæc mater audierit, ſtatim me laqueo nexili ſuſpendam. Ergo interim ad parentes noſtros redeamus, & exordio ſermonis hujus quàm concolores fallacias adtexamus. Sic inflammatæ, parentibus faſtidienter appellatis, & nocte turbatis vigiliis percitæ, matutino ſcopulum pervolant: & inde ſolito venti præſidio [1] vehementer devolant; lacrymiſque preſſurâ palpebrarum coactis, hoc aſtu puellam appellant: [2] Tu quidem felix, & ipſa tanti mali ignorantiâ beata, ſedes incurioſa periculi tui: nos autem, quæ pervigili

INTERPRETATIO.

ſuum maritum eſſe *ex vicinâ regione, exercentem maximum commercium, conſtitutum in ætate mediâ, tunc primùm caneſcentem. Neque inſiſtens ullo modo huic orationi, tradidit eas vehiculo venti, oneratas iterùm lautis donis. Verùm* ex *ſurſum latæ placidâ aurâ Zephyri, dum revertuntur domum, ſic differunt inter ſe: Quid dicimus, ô germana, de mendacio tam prodigioſo illius ſtolidæ? Tunc,* cùm primùm vidimus ipſam, *juvenis erat* maritus ejus, *incipiens tantùm veſtiri floridâ lanugine: hodie eſt mediæ ætatis interlucens canis albentibus. Qualis ille* poteſt eſſe, *quem breve intervallum temporis mutavit ſubitò in ſenem? Nihil aliud invenies, germana mea, quàm vel hanc mulierem nequiſſimam comminiſci mendacium, vel ignorare faciem conjugis ſui. Quorum utrumlibet ſit, dejicienda quantocyùs ex illis divitiis. Quòd ſi non novit formam ſui mariti, certè nupta eſt Deo, & nunc geſtat nobis Deum in utero. Profectò, ſi hæc fuerit parens divini infantis, (quod Dii avertant) ſuſpendam me illicò reſte alligatâ. Intereà igitur revertamur ad noſtros parentes, & concinnemus dolos quàm maximè congruentes initio hujus colloquii. Ita accenſæ, & parentibus ſalutatis tantùm obiter, excitatæ inſomniis quibus turbatæ fuerant noctu, mane* facto *currunt ad rupem, atque illinc celeriter deſcendunt ope conſueti Venti; lacrymiſque vi expreſſis terendo oculos, hac arte alloquuntur puellam: Tu quidem fortunata, & felix ipsâ ignoratione tanti mali, manes* hîc *nullatenus ſollicita de diſcrimine*, in quo verſaris, *nos verò, quæ invigilamus rebus tuis*

NOTÆ.

1. *Vehementer.*] Quid ſi legas, *vehentis?*

2. *Tu quidem felix, & ipſa tanti mali ignoratia beata.*] Seneca in Thyeſte, Act. 4.

——— *in malis unum hoc tuis*
Bonum eſt Thyeſta, quòd mala ignoras tua.

curâ rebus tuis excubamus, cladibus tuis miſerè cruciamur. Pro vero namque comperimus, nec te, ſociæ ſcilicet doloris casûſqus tui, celare poſſumus, immanem colubrum, multinodis voluminibus ſerpentem, veneno noxio [1] colla ſanguinantem, [2] hiantemque ingluvie profundâ, tecum noctibus latenter acquieſcere. Nunc recordare [3] ſortis Pythicæ, quæ te pertrucis beſtiæ nuptiis deſtinatam eſſe clamavit. Et multi coloni quique circumſecùs venantur, & accolæ plurimi vidêre eum veſperâ redeuntem è paſtu, proximique fluminis vadis innatantem. Nec diu blandis alimoniarum obſequiis te ſaginaturum omnes affirmant: ſed, cùm primùm prægnationem tuam plenus maturaverit uterus, opimiore fructu præditam devoraturum. At hîc jam tua eſt exiſtimatio, utrum ſororibus pro tuâ carâ ſalute ſollicitis aſſentiri velis, & declinatâ morte nobiſcum ſecura periculi vivere, an ſæviſſimæ beſtiæ ſepeliri viſceribus. Quòd ſi te ruris hujus [4] vocalis ſolitudo, vel clandeſtinæ Veneris fœtidi periculoſique concubitus, & venenati ſerpentis amplexus delectant; certè piæ ſorores noſtrum fecerimus. Tunc Pſyche miſella, utpote ſimplex, &

INTERPRETATIO.

ſolitudine inſomni, vehementer angimur tuis calamitatibus. Cognovimus enim pro certo, &, utpote participes tui mali & infortunii, non poſſumus tibi diſſimulare, monſtroſum draconem, ſinuantem terga in ſpiras multorum nodorum, cui cervices rubent veneno lethali, & os patet alto hiatu, concumbere tecum clanculùm ſingulis *noctibus. Revoca jam tibi in mentem oraculum Apollinis, quod pronuntiavit te eſſe addictam connubio ferociſſimæ belluæ. Et plurimi agricolæ, & qui venantur huc illuc circa* hunc locum, *& permulti vicini aſpexerunt ipſum redeuntem è pabulo, & nantem in aquâ vicini amnis: & cuncti aſſeverant te non diu pinguefactum iri* ab ipſo *ſuavibus & officioſis epulis, ſed* ipſum *deglutiturum te prægnantem pinguiore fœtu, ſtatim atque pleno jam ventre partitudo tibi appetet. At tuum eſt nunc videre an velis credere ſororibus tuis anxiis pro carâ tuâ vitâ, & evitatâ nece vitam degere nobiſcum tuta à periculo; an* verò *con umulari ventre belluæ crudeliſſimæ. Quòd ſi ſolitudo hujus villæ perſonans* vocibus, *aut coitus putidi & exitiabiles ſecretæ Veneris, & complexus anguis viroſi tibi placent: nos ſaltem*, quæ *ſorores* ſumus *amantes* tui, *functæ fuerimus noſtro* officio. *Tunc infelix Pſyche, quippe quæ ſimplex* erat, *&*

NOTÆ.

1. *Colla ſanguinantem.*] Virgil. Æneid. 2 de anguibus à Tenedo tranquilla per alta venientibus.

Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exuperant undas. ———

2. *Hiantemque ingluvie profundâ.*] *Ingluvies*, ab *inglutiendo*, ſpatium eſt gulæ, ſive œſophagi. Virgil. lib. 3. Georgic. de angue ſimiliter *ingluviem* dixit. ——— ——— *piſcibus atram*
Improbus ingluviem, ranisque loquacibus implet.

3. *Sortis Pythicæ*] Oraculi Apollinei. *Pythius* unum eſt ex Apollinis nominibus, ipſi attributum ob interfectum ſerpentem Pythonem. Et Pythia dicta eſt Sacerdos Apollinis, quæ oracula ex tripode pronuntiabat, & *Pythia* ludi in ejus honorem.

4. *Vocalis ſolitudo.*] Quæ vocibus incorporeis reſonabat,

[1] animi tenella, rapitur verborum tam triſtium formidine: &, extra terminum mentis ſuæ poſita, prorſus omnium mariti monitionum, ſuarumque promiſſionum memoriam effudit, & in profundum calamitatis ſeſe præcipitavit, tremenſque & exangui colore lurida, tertiata verba [2] ſemianimi voce ſubſtrepens, ſic ad illas ait: Vos quidem, cariſſimæ ſorores, ut par erat, in officio veſtræ pietatis permanetis: verùm & illi, qui talia vobis affirmant, non videntur mihi mendacium fingere. Nec enim unquam viri mei vidi faciem, vel omninò [3] cujatis ſit novi; ſed tantùm nocturnis ſubaudiens vocibus, maritum incerti ſtatûs, & prorſus lucifugam tolero, beſtiamque aliquam rectè dicentibus vobis meritò conſentio. Meque magnopere ſemper à ſuis terret aſpectibus, malumque grande de vultûs curioſitate præminatur. Nunc, ſi quam ſalutarem opem periclitanti ſorori veſtræ poteſtis afferre, jam nunc ſubſiſtite. [4] Cæterùm incuria ſequens prioris providentiæ beneficia corrumpit. Tunc nactæ, jam portis patentibus, nudatum ſororis animum facinoroſæ mulieres, omiſſis tectæ machinæ latibulis, diſtrictis gladiis fraudium, ſimplicis puellæ paventes cogitationes invadunt. Sic denique altera: Quoniam nos originis nexus pro tuâ incolumitate periculum quidem nullum ante ocu-

INTERPRETATIO.

molli animo, corripitur metu propter *illa verba adeo funeſta: & impos animi facta, oblita eſt prorſus cunctorum monitorum ſui conjugis, & ſuorum promiſſorum, & ſeſe dejecit in voraginem infortunii, & trepidans ac pallida colore buxeo, proferens demiſsè truncata verba voce attenuatâ, ſic affatur illas: Vos quidem, dilectiſſimæ germanæ, ſemper eſtis in officio veſtræ charitatis, ut æquum eſt: ſed illi quoque, qui vobis aſſeverant iſta, non mihi videntur comminiſci mendacium. Nunquam enim intuita ſum vultum mei mariti, neque prorſus ſcio unde ſit; ſed ſuſtineo conjugem incognitæ formæ, qui fugit omninò lucem, paululùm audiens tantùm verba ejus noctu, & vobis jure aſſentior, quæ benè affirmatis eum eſſe aliquam belluam.* Ille *enim me valdè diſſuadet à viſione ſui, & præmonet ingens malum mihi impendere ex curioſitate* contemplandi *ejus oris. Nunc ſi poteſtis dare aliquod ſalubre auxilium veſtræ ſorori poſitæ in periculo, nunc nunc ſuccurrite. Namque negligentia ſubſequens labefactat benefacta vigilantiæ præcedentis. Tunc nefariæ fœminæ invenientes pectus ſororis jam patens, foribus apertis, relictis latebris occultæ fallaciæ occupant timidum animum mulierculæ nudatis mucronibus gladiorum.* Ac *ſic demùm una earum* incipit*: Quia vinculum cognationis vetat nos ullum periculum inſpicere, cùm agitur de tuâ ſalute,*

NOTÆ.

1. *Animi tenella.*] Suprà: *ſi id tolerare pro genuinâ ſimplicitate, proque animi tui teneritudine non potes.*

2. *Semianimi voce.*] Cod. Florent. habet *ſemihiante*, non malè.

3. *Cujatis ſit.*] Rectus caſus antiquus, pro *cujas*, lib. 1. *ſed ut priùs noritis quis ſim, & cujatis, &c.*

4. *Cæterùm incuria ſequens, &c.*] Senſus eſt: *aliàs ſi mihi in poſterum opem ferre negligitis, fruſtrà invigilaveritis antehac meæ ſaluti, & fruſtrà me monueritis diſcriminis mihi impendentis.*

ſos habere compellit: [1] viam, quæ ſola deducit iter ad ſalutem, diu diuque cogitatam monſtrabimus tibi. Novaculam præacutam, [2] appulſu etiam palmulæ lenientis exaſperatam, tori quâ parte cubare conſuêſti, latenter abſconde: lucernamque concinnem, completam oleo, claro lumine præmicantem, ſubde aliquo [3] claudentis aulæ tegmine. Omnique iſto apparatu tenaciſſimè diſſimulato, poſtquam ſulcatos intrahens greſſus cubile ſolitum conſcenderit, jamque porrectus, & exordio ſomni prementis implicitus altum ſoporem flare cœperit: toro delapſa, nudoque veſtigio [4] penſilem gradum paululatim minuens, cœcæ tenebræ cuſtodiâ liberatâ lucernâ, præclari tui facinoris opportunitatem de luminis conſilio mutuare: & ancipiti telo illo, audaciter priùs dexterâ ſurſum elatâ, niſu quàm valido noxii ſerpentis nodum cervicis & capitis abſcinde. Nec noſtrum tibi deerit ſubſidium: ſed cùm primùm illius morte ſalutem tibi feceris, anxiæ præſtolabimur: cunctiſque ocyùs tecum rebus relatis, votivis nuptiis hominem te jungemus homini. Tali verborum incendio flammata viſcera ſororis jam prorſus ardentis deſerentes ipſæ protinus,

INTERPRETATIO.

oſtendemus tibi modum, quem diutiſſimè meditatæ ſumus, quo uno poteris evadere incolumis. In eâ *parte lecti, in quâ ſoles jacêre, abde clanculùm cultrum acutiſſimum, exacutum frictu coticulæ lævigantis, & ſuppone alicui operculo ollæ tegentis lampadem commodæ magnitudinis, plenam oleo, præfulgentem luce micanti. Et omni iſto inſtrumento ſecretiſſimè celato, poſtquam* ille *aſcenderit in conſuetum lectum inferens gradus ſinuoſos, jamque ſtratus, & involutus principio gravis ſoporis cœperit profundè ſtertere;* tu *deſcendens lecto, & placidè ſuſtinens ſuſpenſum greſſum nudis pedibus, depromptâ lampade ex obſcuro carcere operimenti, ſume commodum tempus* gerendi *tui egregii facinoris ex ſuaſu lucis; & primùm ſublatâ audacter manu, reſeca conatu valentiſſimo hoc gladio utrinque acuto caput anguis pernicioſi, quâ parte adnectitur collo. Neque noſtrum auxilium deficiet te: ſed ſtatim atque tibi pepereris incolumitatem illius morte,* nos *ſollicitæ* de te, *aderimus tibi præſtò: & omnibus* his opibus *aſportatis tecum, quàm citiſſimè copulabimus te,* puellam *humanæ naturæ, homini connubio optabili. Ipſæ confeſtim relinquentes præcordia ſororis jam penitus flagrantis accenſa hoc incentivo ſermonis, ſibi etiam*

NOTÆ.

1. *Viam, quæ ſola deducit iter ad ſalutem.*] *Via* hoc diſtingui videtur ab *itinere*, quòd *via* ſit per quam fit *iter*; *iter* verò ipſa *viæ decurſio*. Lucret. l. 5. dixit *iter viæ*.

Certantes, iter infeſtum fecere viaï.

Hæc tamen uſurpantur ſæpiùs promiſcuè.

2. *Adpulſu etiam palmulæ lenientis.*] An cotis, cujus figura palmulam refert? An verò manus Pſyches, quam, utpote delicatulam, palmulam vocat? De cote magis placet: ſequitur enim *exaſperatam*. Cos leniens illa eſt, quâ novacularum acies aſperiore illâ cote orbiculari jam attenuatâ, lenitur, & coæquatur.

3. *Claudentis aulæ.*] *Aula* hîc *olla* eſt, ut apud Plautum, in Aululariâ.

——— ——— *aulam onuſtam auri.*

4. *Penſilem gradum.*] Dixit ſuprà, *ſuſpenſum*.

tanti mali confinium ſibi etiam eximiè metuentes, flatûs alitis impulſu ſolito porrectæ ſuper ſcopulum, illicò pernici ſe fugâ proripiunt: ſtatimque conſcenſis navibus abeunt. At Pſyche relicta ſola, niſi quòd [1] infeſtis Furiis agitata, ſola non eſt, æſtu pelagi ſimiliter mœrendo fluctuat: &, quamvis ſtatuto conſilio, & obſtinato animo, jam tum facinori manus admovens: adhuc incerta conſilii titubat; multiſque calamitatis ſuæ diſtrahitur affectibus. Feſtinat, differt; audet, trepidat; diffidit, iraſcitur: &, quod eſt ultimum, in eodem corpore odit beſtiam, diligit maritum. Veſperâ tamen jam noctem trahente, præcipiti feſtinatione nefarii ſceleris inſtruit apparatum. [2] Nox aderat, & maritus advenerat, * * * * in altum ſoporem deſcenderat. Tunc Pſyche, & corporis & animi alioquin infirma, Fati tamen ſævitiâ ſubminiſtrante, viribus roboratur: & prolatâ lucernâ, & arreptâ novaculâ, ſexum audaciâ mutavit. Sed, cùm primùm luminis oblatione tori ſecreta claruerunt; videt omnium ferarum mitiſſimam dulciſſimamque beſtiam; illum ipſum Cupidinem formoſum Deum, formosè cubantem: cujus aſpectu lucernæ quoque lumen hilaratum increbuit, & acuminis ſacrilegi novaculam pœnitebat. At verò Pſyche tanto aſpectu deterrita, & impos animi, marcido pallore defecta, tremenſque deſedit in imos

Interpretatio.

timentes mirum in modum propinquitatem tanti mali, delatæ in rupem conſuetâ impulſione volucris venti, aufugiunt ſtatim velociter: & conſcenſis è veſtigio navigiis abſcedunt. Pſyche verò relicta ſola, niſi quòd illa *non eſt ſola,* quæ *exagitatur Furiis ſævientibus, fertur huc illuc mœrore ad inſtar æſtûs maris: & quanquam conſtanti decreto, & mente obfirmatâ jamjam adhiberet nefarias manus; adhuc tamen vacillat, dubitans quid actura ſit, & trahitur in diverſas partes plurimis curis ſuæ cladis. Properat, remoratur; confidit, tremit; diffidit, indignatur: &, quod poſtremum eſt, in eodem corpore odio habet belluam, & amat conjugem. Veſpere tamen jam accerſente noctem, diſponit inſtrumenta criminis infandi tumultuaria properatione. Nox venerat, & unà maritus, * * * * * * * * & demerſus erat in profundum ſomnum. Tunc Pſyche, licet aliàs eſſet imbecilla & corpore & animo, ſumit tamen vires, ſuppeditante* eas ipſi *crudelitate fati: & depromptâ lampade, ſumptoque cultro,* viſa eſt *immutâſſe ſexum magnanimitate. Verùm ſimul atque illatâ luce arcana lecti colluſtrata fuerunt, aſpicit clementiſſimam ſuaviſſimamque beſtiam omnium beſtiarum; illum ipſum Cupidinem pulchrum Deum jacentem* decoro ſitu corporis*: cujus intuitu lumen etiam lampadis exhilaratum magis ſplenduit, & cultrum ipſum pœnitebat* ſui *impii mucronis. Pſyche autem dimota* à ſuo propoſito *tali ſpectaculo, & poſita extra terminos mentis, & exanimata languido pallore, & trepidans reclinat ſe in imos popli-*

Notæ.

1. *Infeſtis Furiis.*] *Furias* hîc intellige varios animi tumultus, quibus vexata eſt miſera Pſyche, poſt ſororum orationem.

2. *Nox aderat, & maritus aderat.*] Inſuavis eſt hæc repetitio ejuſdem vocis: repone ex Codice Fuxenſi, *maritus advenerat.*

poplites

poplites; & ferrum quærit abſcondere, ſed in ſuo pectore. Quod profectò feciſſet, niſi ferrum, timore tanti flagitii, manibus temerariis elapſum evolâſſet. Jamque laſſa, ſaluteque defecta, dum ſæpiùs divini vultûs intuetur pulchritudinem, recreatur animi. Videt capitis aurei genialem cæſariem [1] ambroſiâ temulentam, cervices lacteas, genaſque purpureas, pererrantes crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos: quorum ſplendore nimio fulgurante, etiam ipſum lumen lucernæ vacillabat. Per humeros volatilis Dei pinnæ roſcidæ micanti flore candicant; & quamvis alis quieſcentibus extimæ plumulæ tenellæ ac delicatæ tremulè reſultantes, inquietè laſciviunt. Cæterum corpus glabellum, atque luculentum, & quale peperiſſe Venerem non pœniteret. Ante lectuli pedes jacebat arcus, & pharetra, & ſagittæ, [2] magni Dei propitia tela. Quæ dum inſatiabili animo Pſyche ſatis curioſa rimatur, atque pertractat, & mariti ſui miratur arma: depromit unam de pharetrâ ſagittam, & [3] puncto pollicis extremam aciem periclitabunda, trementis etiamnum articuli nixu fortiore pupugit altiùs; ut per ſummam cutem ro-

INTERPRETATIO.

tes; & tentat abdere cultrum, ſed in ſuum pectus. Quod feciſſet procul dubio, niſi culter, metu tanti ſceleris, excidens è manibus illius *temerariæ* mulieris *aufugiſſet. Cumque jam feſſa eſſet, & ſemimortua, reficitur animo, contemplando ſæpiùs venuſtatem divinæ faciei. Cernit comam nativam flavi capitis ſaturam ambroſiâ, cirros capillorum diſperſos per colla* candida inſtar *lactis, &* per *malas roſeas, venuſtè implicatos, alios dependentes in anteriorem* partem capitis, *alios in poſteriorem: quorum nimio fulgore coruſcante, ipſa quoque lux lampadis fluctuabat. In ſcapulis volatici* illius *Dei pennæ roridæ albicant nitore fulgenti; &, licet alæ maneant immotæ, extremæ tamen plumulæ teneræ ac molles, trepidè ſubſultantes tremunt laſcivè. Reliquum corpus depile, & formoſum, & quale non pœniteret Venerem eſſe enixam. Ad pedes tori arcus, & pharetra, & ſagittæ jacebant, arma benigna potentis* illius *Dei. Quæ dum Pſyche valdè curioſa explorat animo inexplebili, & contrectat, atque admiratur tela ſui conjugis: extrahit unam ſagittam ex pharetrâ, & volens experiri extimum* ejus *acumen punctiunculâ pollicis, pupugit* illum *profundiùs impreſſu validiore articuli adhuc trepidantis.* Adeo *ut exiguæ ſtillæ cruoris purpurei fluxe-*

NOTÆ.

1. *Ambroſiâ temulentam.*] Sic Solis equos Ovidius libro ſecundo Metamorphoſ. facit *ambroſiæ ſucco ſaturos.* ἀμβρόσιος immortalis eſt, & *ambroſia* liquor Deorum immortalium pabulo adhibitus; *temulenta ambroſiâ cæſaries* eſt ejuſmodi liquore uncta.

2. *Magni Dei propitia tela.*] Apud Gellium lib. 6. Noct. Attic. cap. 5. Alfenus Juriſconſultus: *ſicut novum novitium, dicimus & proprium propitium, augere atque intendere volentes novi & proprii ſignificationem.* Utinam aliquod aliud teſtimonium præ manibus habeam, quo hunc *propitio* ſignificatum aſtruam: mirè enim huic loco quadraret. Sed Alfeni hujus teſtimonio vix fido, cùm illum in aliis refellat ipſe Gellius. Hinc malui vertere *benigna.*

3. *Puncto pollicis.*] Meliùs fortaſſe legas, *punctu.*

Apul. X

raverint parvulæ ſanguinis roſei guttæ. Sic ignara Pſyche ſponte in Amoris incidit amorem. Tunc magis magiſque cupidine flagrans Cupidinis, prona in eum efflictim inhians, patulis ac petulantibus ſaviis feſtinanter ingeſtis, de ſomni menſurâ metuebat. Sed, dum bono tanto percita, ſauciâ mente fluctuat; lucerna illa, ſive perfidiâ peſſima, ſive invidiâ noxia, ſive quòd tale corpus contingere, & quaſi baſiare & ipſa geſtiebat: evomuit de ſummâ luminis ſui ſtillam ferventis olei ſuper humerum Dei dextrum. Hem audax & temeraria lucerna, & amoris vile miniſterium, ipſum [1] ignis totius Deum aduris: cùm te ſcilicet amator aliquis, ut diutiùs cupitis etiam nocte potiretur, primus invenerit! Sic inuſtus exiluit Deus, viſâque detectæ fidei [2] colluvie, prorſus ex oculis & manibus infeliciſſimæ conjugis tacitus avolavit. At Pſyche ſtatim reſurgentis ejus crure dextro manibus ambabus arrepto, [3] ſublimis evectionis [4] appendix miſeranda, & per nubilas plagas penduli comitatûs [5] extrema conſequia, tandem feſſa delabitur ſolo. Nec Deus amator humi jacentem deſerens, involavit proximam cupreſſum, deque ejus alto cacumine ſic eam graviter com-

INTERPRETATIO.

rint per extimam pellem. Sic Pſyche ignorans prolapſa eſt ultrò in amorem ipſius *Amoris. Tunc magis ac magis accenſa cupiditate* Dei *Cupidinis, atque reclinata in eum, & correpta immoderato deſiderio* ipſius, *impreſſis properè oſculis hiantibus & procacibus, timebat ne ſpatium ſoporis* ejus eſſet brevius. *At, dum ipſa affecta tantâ voluptate jactatur huc illuc animo vulnerato, lampas illa, ſive quòd eſſet nequam & perfida, ſive quòd vellet ei nocere ex invidiâ, ſive quia ipſa quoque cuperet tangere, & quaſi oſculari corpus tam formoſum: effudit ex ſummo ſuo ellychnio guttum olei ardentis in ſcapulam dextram Dei.* O *inſolens ac proterva lampas, & abjectum inſtrumentum amoris, uris ipſum Deum omnium flammarum: quamvis tu primùm inventa ſis ab amante aliquo, ut diutiùs frueretur etiam noctu optato* conſpectu *amicæ! Cupido ſic uſtulatus ſurrexit repentè, & conſpecto flagitio revelati arcani, ſilens ſubtraxit ſe prorſùs volatu ex conſpectu & manibus miſerrimæ uxoris. Sed confeſtim Pſyche apprehendens utrâque manu dextram tibiam ejus dum conſurgeret, & miſerandum in modum pendens ex ipſo elato in altum, & comitans* eum *per regionem nubium ſuſpenſa, ac ponè ſequens, laſſata demùm decidit in terram. At Deus* ejus *amator non relinquens ipſam proſtratam in terrâ, volavit in proximam cupreſſum, atque ex ſummo vertice illius ſic alloquitur eam valdè*

NOTÆ.

1. *Ignis totius Deum.*] Cupidinem, qui tot ignibus hominum Deorumque pectora quotidie inflammat.

2. *Colluvie.*] Fœditate. *Flagitium* verti, quod eſt *crimen cum dedecore conjunctum.*

3. *Sublimis evectionis appendix*, &c.] Sublimior eſt hæc oratio, & ſupra communem uſum captumque. Itaque παρα- φραστικωτέρως mihi fuit exponenda.

4. *Appendix miſeranda.*] Sic lib. 8. *laqueum ſibi nectit infantulumque, quem de eodem marito jamdudum ſuſceperat, eodem funiculo nectit, ſeque in prealtiſſimum puteum appendicem parvulum trahens precipitat.*

5. *Extrema conſequia.*] *Conſequium* ſequelam ſonat. Lib. 10. *ſpretis luctu*

motus affatur: Ego quidem, ſimpliciſſima Pſyche, parentis meæ Veneris præceptorum immemor, quæ te miſeri extremique hominis devinctam cupidine infimo matrimonio addici juſſerat, ipſe potiùs amator advolavi tibi. Sed hîc feci leviter, ſcio: & præclarus ille ſagittarius, ipſe me telo meo percuſſi, teque conjugem meam feci, ut beſtia ſcilicet tibi viderer, & ferro caput excideres meum, quod iſtos amatores tuos oculos gerit? Hæc tibi identidem ſemper cavenda cenſebam; hæc benevolè te monebam. Sed illæ quidem conſiliatrices egregiæ tuæ, tam pernicioſi magiſterii dabunt actutùm mihi pœnas: te verò tantùm fugâ meâ puniverò. [1] Et cum termino ſermonis, pinnis in altum ſe proripuit. Pſyche verò humi proſtrata, &, quantum viſu poterat, volatus mariti proſpiciens, extremis affligebat lamentationibus animum. Sed ubi [2] remigio plumæ raptum maritum proceritas ſpatii fecerat alienum, per proximi fluminis marginem præcipitem ſeſe dedit. Sed mitis fluvius, in honorem Dei ſcilicet, qui [3] & ipſas aquas urere conſuevit, metuens ſibi, confeſtim eam innoxio volumine ſuper ripam florentem herbis expoſuit. Tunc fortè [4] Pan

INTERPRETATIO.

iratus: Ego equidem, ô Pſyche nimis credula, oblitus juſſorum Veneris meæ matris, quibus præceperat mihi *uti illigarem te amore hominis miſeri, & viliſſimi, ac manciparem conjugio abjectiſſimo*, ego, inquam, *ipſe adveni potiùs tibi amator. Verùm geſſi me inconſideratè in hac re, fateor; atque* ego, qui habeor *tam peritus ſagittarius, ferii me meâ ſagittâ: & aſcivi te mihi in uxorem, ut nempè crederes me belluam, & gladio amputares meum caput, quod geſtat hos oculos tui amantis? Suadebam tibi frequenter cavendum eſſe ſemper ab his* malis, *commonefaciebam te amanter de his. Verùm illæ quidem, quæ dederunt tibi hoc eximium conſilium, luent mihi è veſtigio ſupplicium* debitum *documento tam exitiabili: te autem plectam ſolùm meâ fugâ. Et finitâ hac oratione, ſub raxit ſe alis in ſublime. At Pſyche jacens humi, & proſpectans volatum* ſui *conjugis, quantum valebat atie oculorum, cruciabat pectus ſuum queſtibus vehementiſſimis. Verùm ſtatim atque altitudo intervalli ſubduxit* ab ejus conſpectu *maritum ſublatum jactatione alarum, præcipitavit ſe ex ripâ fluvii vicini. Sed amnis manſuetus, in honorem nempè Dei illius, qui ſolet incendere ipſas undas, timens pro ſe, projecit eam innocuis fluctibus in marginem virentem gramine. Tunc fortè Pan Deus*

NOTÆ.

lentis illis vehiculis, ac poſthabitis decoris rhedarum carpentis, quæ partim contecta, partim revelata, fruſtrà noviſſimis trahebantur conſequiis.

1. *Et cum termino ſermonis.*] Sic alibi Noſter: *& cum iſto fine ſermonis.*

2. *Remigio plumæ.*] Sic lib. de Deo Socratis: *Cæterum cum illis feſſa ſunt remigia pennarum, terra ceu portus eſt.* Et Virgil. lib. 1. Æneid;

—— *volat ille per aëra magnum*
Remigio alarum.

Metaphora eſt a navibus ducta.

3. *Et ipſas aquas urere.*] Fluviorum ſcilicet, & maris Numina, Nymphaſque, nec-non & ipſos piſces amoris ignibus accendere.

4. *Pan Deus ruſticus.*] *Pan*, quem antiqui paſtorum venatorumque Deum fecerunt, Cujus filius fuerit non ſatis conſtat apud Auctores. Herodotus Mercurii & Penelopes filium facit. Duris

Deus ruſticus [1] juxta ſupercilium amnis ſedebat, [2] complexus hîc humo Cannam Deam, [3] eamque voculas omnimodas edocens recinere. Proximè ripam vago paſtu laſciviunt [4] comam fluvii tondentes capellæ. [5] Hircoſus Deus ſauciam Pſychen, atque defectam, utcunque casûs ejus non inſcius, clementer ad ſe vocatam ſic permulcet verbis lenientibus: Puella ſcitula, ſum quidem ruſticanus & opilio, ſed ſenectutis prolixæ beneficio multis experimentis inſtructus. Verùm, ſi rectè conjecto, quod profectò prudentes viri divinationem autumant, ab iſto titubante & ſæpiùs vacillante veſtigio, deque nimio pallore corporis, & aſſiduo ſuſpiratu, immò [6] & ipſis mœrentibus oculis tuis: amore nimio laboras. Ergo mihi auſculta: nec te rursùs præcipitio, vel ullo mortis accerſito genere perimas. Luctum deſine, & pone mœrorem; precibuſque potiùs Cupidinem Deorum maximum percole; &, utpote adoleſcentem delicatum luxurioſumque, blandis obſequiis

INTERPRETATIO.

agreſtis ſedebat humi prope ripam fluvii, amplectens Nympham Syringa, & docens eam reddere canendo omne genus vocum. Juxta marginem capellæ carpentes herbam fluminis errant huc illuc libero paſtu. Caprinus Deus accitam ad ſe leniter Pſychen perculſam ac laſſatam ſic delinit blando ſermone, non omninò ignarus ejus calamitatis: O venuſta adoleſcentula, ego equidem ſum agreſtis & paſtor ovium, ſed edoctus plurimâ experientiâ, propter longam ſenectam. Sed, ſi benè conjicio, (quod ſanè prudentes viri habent pro divinatione) ſi, inquam, benè conjicio *ex tuo gradu incerto, & ſæpè titubante, atque ex immodico pallore corporis, perpetuiſque ſuſpiriis, quin imò & ex ipſis etiam tuis oculis lugentibus: ardes immodico amore. Crede mihi igitur; neque te iterum* velis *interficere præcipitio, aut ullâ aliâ morte ſpontaneâ. Ceſſa jam flere, & mitte triſtitiam; & propitiare potiùs precibus Cupidinem potentiſſimum Deorum, atque illum devinci tibi blanditiis, utpote juvenem mollem & deditum volupta-*

NOTÆ.

Samius, Penelopes ex omnibus ſuis procis. Epimenides, *Pana*, & Arcadem geminos ex Jove & Calliſto natos ait. Alii Jovis & ὕβρεως, id eſt, *Contumeliæ* filium fuiſſe ferunt. *Inuus* Latinis dictus eſt. Orpheus *Pana* univerſam naturam eſſe voluit, cujus elementa & cœlum membra ſint. Fuſam *Panos* deſcriptionem vide apud Servium, ad hunc verſum Eclog. 2. Virg.

Mecum unà in ſylvis imitabere Pana canendo.

1. *Juxta ſupercilium amnis.*] Sic apud Ammian. lib. 16. *ſupercilia Rheni.* Et lib. 22. *Iſtri ſupercilia.* Et Noſter, lib. 7. *ripæ ſupercilium.*

2. *Complexus Cannam Deam.*] Fiſtulam ex arundinibus ſeu cannis, in quas Nympha Syrinx converſa fuerat dum fugeret ejus amplexus. Fabulam vide lib. 1. Metamorphoſ.

3. *Eamque voculas omnimodas edocens recinere.*] Virgil. Eclog. 2.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit. ——— ——— ———

4. *Comam fluvii.*] Gramen ripæ μεταφορικῶς.

5. *Hircoſus Deus.*] Pan, qui hircinis cornibus & pedibus inſignis erat.

6. *Et ipſis mœrentibus oculis tuis.*] Pricæus ſat veriſimilius reponit; *iſtis marcentibus oculis.*

promerere. Sic locuto Deo paſtore, nulloque ſermone reddito, ſed adorato tantùm Numine ſalutari, Pſyche pergit ire. Sed antequàm multùm viæ laboranti veſtigio pererrâſſet; [1] inſcio quodam tramite jam delabente, accedit quandam civitatem, in quâ regnum maritus unius ſororis ejus obtinebat. Quâ re cognitâ, Pſyche nuntiari præſentiam ſuam ſorori deſiderat: mox inducta, alternis amplexibus mutuæ ſalutationis expletis, percontanti cauſas adventûs ſui, ſic infit: Meminiſti conſilium veſtrum, ſcilicet quo mihi ſuaſiſtis, ut beſtiam, quæ mariti mentito nomine mecum quieſcebat, priuſquam ingluvie voraci me miſellam hauriret, ancipiti novaculâ perimerem. Sed cùm primùm, ut æquè placuerat, conſcio lumine vultus ejus aſpexi; video mirum divinumque prorſùs ſpectaculum: ipſum illum Deæ Veneris filium, ipſum, inquam, Cupidinem leni quiete ſopitum. Ac dum tanti boni ſpectaculo percita, & nimiâ voluptatis copiâ turbata, fruendi laborarem inopiâ: caſu ſcilicet peſſimo, lucerna fervens oleum rebullívit in ejus humerum. Quo dolore ſtatim ſomno recuſſus, ubi me ferro & igni conſpexit armatam: Tu quidem, inquit, ob iſtud tam dirum facinus, confeſtim toro meo divorte, [2] tibique res tuas habeto. Ego veró ſororem tuam, & nomen, quo tu cenſeris, aiebat,

INTERPRETATIO.

ribus. Ubi Deus Opilio dixit ea, Pſyche proſequitur ſuum iter nullo reſponſo dato, ſed venerata Numen propitium. At nondum confecerat multùm itineris inceſſu ægro; cùm pervenit per quandam ſemitam declivem ſibi *incognitam, in urbem quandam, cujus Rex erat maritus unius ex ejus ſororibus. Quo comperto, Pſyche rogat ut moneatur ſoror ſe adeſſe. Introducta ſtatim, poſtquàm defunctæ fuerunt mutuis amplexibus ſalutationis reciproca, cùm interrogaret* ſoror, *quare illuc veniſſet, incipit hoc modo:* Recordaris *veſtri conſilii, quo nimirùm hortatæ eſtis me, ut interficerem cultro utrinque acuto belluam, quæ mecum cubabat ſimulato nomine conjugis, antequam deglutiret me infelicem gutture famelico. Sed ſimul atque intuita ſum faciem ejus ad lumen lucernæ ut convenerat inter nos, cerno ſpectamen ſtupendum, & penitùs divinum, ipſum filium Deæ Veneris, illum ipſum, inquam, Cupidinem placidè dormientem. Cumque attonita aſpectu tanti boni non poſſem potiri* ipſo, *propter voluptatem immoderatam, quâ eram perturbata: peſſimo fato* accidit ut *lampas refunderet oleum ardens in ſcapulam ejus. Quo dolore excitatus repentè è ſopore, ut me vidit inſtructam novaculâ, & lucernâ: Tu quidem, ait, diſcede actutùm à meo thalamo, ob ſcelus adeo crudele, & effer hinc quæ tua ſunt. Ego autem mihi jungam protinus pignore atque hoc connubio*

NOTÆ.

1. *Inſcio quodam tramite.*] *Ignoto,* Sic ſuprà: *neſcia ſarcinæ rudimenta miratur.*

2. *Tibique res tuas habeto.*] Verba ſolemnia divortiorum. Martial.

Menſe novo Jani veterem Proculeia maritum
Deſeris, atque jubes res ſibi habere ſuas.

Dicebatur etiam *tibi res tuas agito*; πρᾶττε τὰ σά. In ſponſalibus diſcutiendis renuntiatio hac formulâ concepta erat, *conditione tuâ non utor.*

jam mihi [1] confeſtim arrâ atque his nuptiis conjugabo. Et ſtatim Zephyro præcipit, ultra terminos me domûs ejus efflaret. Necdum ſermonem Pſyche finierat: illa veſanæ libidinis & invidiæ noxiæ ſtimulis agitata, reconcinnato mendacio fallens maritum, quaſi de morte parentum aliquid comperiſſet, ſtatim navem aſcendit: & ad illum ſcopulum protinus pergit, &, quamvis alio vento flante, cœcâ ſpe tamen inhians: Accipe me, dicens, Cupido, dignam te conjugem; & tu Zephyre ſuſcipe dominam: ſaltu ſe maximo præcipitem dedit. Nec tamen ad illum locum, vel ſaltem mortua, pervenire potuit. Nam per ſaxa cautium membris jactatis atque diſſipatis, &, perinde ut merebatur, laceratis viſceribus ſuis, alitibus beſtiiſque obvium ferens pabulum, interiit. Nec [2] vindictæ ſequentis pœna tardavit. Nam Pſyche errabundo rursùs gradu pervenit ad civitatem aliam, in quâ pari modo ſoror morabatur alia. Nec ſeciùs & ipſa fallacie germanitatis inducta, & [3] in ſororis ſceleratas nuptias æmula, feſtinavit ad ſcopulum: inque ſimile mortis exitium cecidit. Interim dum Pſyche, quæſitioni Cupidinis intenta, populos circuibat; ille vulnere lucernæ dolens, in ipſo thalamo matris jacens ingemebat. Tunc avis per-

INTERPRETATIO.

tuam ſororem, (& dicebat nomen, quo tu vocaris,) & imperat extemplo Zephyro, ut expelleret me flatu ex finibus ſuarum ædium. Nondum Pſyche fecerat finem loquendi cùm illa *exſtimulata aculeis inſanæ cupiditatis, & invidiæ exitialis, decipiens maritum confiсto mendacio, perinde ac ſi audiviſſet aliquid de obitu* ſuorum *parentum, ingreditur ſubitò navem: & confert ſe ſtatim ad illam rupem, & licet alius ventus* quàm Zephyrus *tunc ſpiraret, nihilominus cupiens* ardenter id, quod *ſperabat abſque ratione, dicenſque: Suſcipe me, ô Cupido, uxorem te dignam: tu verò, Zephyre, excipe tuam heram: præcipitavit ſe ingenti ſaltu. Neque tamen potuit illuc deferri, vel mortua quidem.*

Obiit enim disjectis & diſperſis artubus per cautes ſcopulorum, & interaneis ſuis dilaniatis, quemadmodum digna erat, offerens avibus & feris eſcam paratam. Neque ſupplicium debitum *ſecundæ ultioni diu dilatum eſt. Pſyche enim devenit iterùm vago greſſu in aliam urbem, ubi altera ſoror ejus ſimiliter habitabat. Et ipſa ſimili modo perſuaſa fraude fraternitatis, & appetens conjugium ſuæ germanæ nefariè diſturbatum, properavit ad rupem: & corruit* peritura *eodem genere necis. Intereà dum Pſyche, attenta ad inveſtigandum Cupidinem, percurrebat provincias; ipſe laborans uſtione lampadis, lamentabatur ſtratus in ipſo lecto* ſuæ *parentis. Tunc Gavia volucris illa can-*

NOTÆ.

1. *Confeſtim arrâ, atque his nuptiis conjugabo.*] Mercerus, ad lib. 4. Annal. Taciti, reponebat hoc loco *confarreatis nuptiis*, quod valdè placet. Notum quid fuerit in nuptiis veterum *confarreatio*, & de hac agemus lib. 6. ad hæc verba, *Pſyche convenit in manum Cupidinis.*

2. *Vindictæ ſequentis.*] De alterâ ſummendæ.

3. *In ſororis ſceleratas nuptias.*] Non *ſceleſtas*, ſed *conſceleratas*, ſcelere ſororio violatas, & diſturbatas: à verbo *ſcelerare*. Vel intellige *ſceleratas*, quæ non poterant à ſorore citra ſcelus appeti.

alba illa [1] Gavia, quæ ſuper fluctus marinos pinnis natat, demergit ſeſe properè ad Oceani profundum gremium. Ibi commodùm Venerem lavantem natantemque propter aſſiſtens, indicat aduſtùm filium ejus gravi vulneris dolore mœrentem, dubium ſalutis jacere: jamque per cunctorum ora populorum rumoribus convitiiſque variis omnem Veneris familiam malè audire, quòd ille quidem montano ſcortatu, tu verò marino natatu ſeceſſeritis, ac per hoc non voluptas ulla, non gratia, non lepos, ſed incompta, & agreſtia, & horrida cuncta ſint: non nuptiæ conjugales, non amicitiæ ſociales, non liberûm caritates; ſed enormis illuvies, & [2] ſqualleutium fœderum inſuave faſtidium. Hîc illa verboſa & ſatis curioſa avis in auribus Veneris, filii lacerans exiſtimationem, ganniebat. At Venus irata ſolidùm exclamat repentè: Ergo jam ille bonus filius meus habet amicam aliquam? Prome, agedum, quæ ſola mihi ſervis amanter, nomen ejus, quæ ingenuum & [3] inveſtem ſollicitavit, ſive illa [4] de Nympharum

INTERPRETATIO.

didiſſima, quæ alis natat ſuper undas maris, penetrat ſe feſtinanter ad imum ſinum pelagi. Illic ſtans juxta Venerem, quæ tum fortè abluebat corpus, *& natabat, nuntiat ipſi natum ejus decumbere graviter uſtum, & ob dolorem gementem, & ambiguum vitæ; & jam totam ſtirpem Veneris differri rumoribus ac maledictis diverſis in ore omnium nationum: quoniam*, inquit, *abiviſtis, ille in montes ad ſcortandum, tu verò in mare ad lavandum, & propterea nulla* jam eſt *voluptas, nulla gratia, nulla venuſtas, ſed omnia ſunt inconcinna, & ruſticana, & hiſpida: non conjugia honeſta non amicitiæ inter ſocios, non amor filiorum; ſed portentoſa fœditas, & ingratum tædium ſordentium matrimoniorum. Illa volucris garrula & nimis curioſa inſuſurrabat hæc in aures Veneris, violans famam nati* ejus. *At Venus his penitùs accenſa ſtatim exclamat: Ille igitur probus natus meus jam nactus eſt aliquam amicam? Agedum, tu, quæ ſola mihi famularis amicè, dic mihi nomen illius, quæ pellexit adoleſcentem liberalem, &* adhuc *imberbem, ſive illa ſit ex*

NOTÆ.

1. *Gavia.*] *Gaviæ*, teſte Plinio, lib. 10. cap. 32. aves ſunt aquaticæ, in petris nidificantes. Eod. lib. cap. 74. anatibus infenſæ.

2. *Squallentium fœderum*, &c.] Conjugium enim abſque amore mutuo non eſt verè conjugium, ſed potiùs vile pactum, tædii & faſtidii plenum.

3. *Inveſtem.*] Nondum veſticipem, nondum puberem. Feſtus: *veſticeps puer eſt, qui jam veſtitus eſt pubertate: è contrà inveſtis, qui necdum pubertate veſtitus eſt* Nonius *inveſtes* dici vult quaſi adhuc *in Veſta*, id eſt, *in pudicitia, atque caſtitate*: ſed pugnat huic etymo, quòd puberes *veſticipes* dicantur. A *veſte* ergo, non a *Veſtâ*, deducendum eſt.

4. *De Nympharum populo.*] Innumerabili ſanè. Fuerunt enim permulta *Nympharum* genera. Aliæ οὐράνιαι, *cœleſtes*, aliæ ἐπίγειαι, *terreſtres*, aliæ ποτάμιοι, *fluviatiles*, aliæ λιμναῖαι & λιμνάδες, *ſtagnorum*, aliæ θαλάσσιαι, *marinæ*. Et aliis nominibus, *Oreades* montium Nymphæ, *Dryades* & *Hamadryades* ſylvarum, *Napææ* convallium, *Naiades* fontium, & *Nereides* maris. De quibus vide plura apud Mythologos.

populo, ſeu [1] de Horarum numero, ſeu [2] de Muſarum Choro, vel [3] de mearum Gratiarum miniſterio. Nec loquax illa conticuit avis: ſed, Neſcio, inquit, domina. Puto puellam (ſi probè memini, Pſyches nomine dicitur) efflictim cupere. Tunc indignata Venus exclamavit: Vel maximè Pſychen illam, meæ formæ [4] ſuccubam, mei nominis æmulam, verè diligit. Nimirùm, illud incrementum, lenam me putavit, cujus monſtratu puellam illam cognoſceret. Hic [5] quiritans properiter emergit è mari, ſuumque protinùs aureum thalamum petiit: &, reperto, ſicut audierat, ægroto puero, jam inde à foribus quàm

INTERPRETATIO.

plebe Nympharum, ſive ex numero Horarum, ſive ex Choro Muſarum, aut ex famulitio mearum Charitum. Nec volucris illa garrula ſiluit: Verùm, ô Domina, inquit, non planè ſcio. Arbitror eum perditè amare virginem, cui *nomen eſt Pſyche, ſi benè recordor. Tum Venus irata erupit in has voces: Et certò amat illam præſertim Pſychen æmulam meæ pulchritudinis, quæ conata eſt uſurpare meum nomen. Nempe hoc* eſt *augmentum* mei doloris, quòd *habuerit me pro lenâ, cujus indicio nôſſet hanc virginem. Vociferans hæc vehementer enatat celeriter è mari, & contendit ſtatim ad ſuum lectum aureum: &, invento* ſuo *filio ægro, ut nunciatum fuerat ipſi, clamitans altiſſimâ*

NOTÆ.

1. *De Horarum numero.*] Orpheus in Hymno, & Apollodorus Biblioth. lib. 1. *Horas* Jove & Themide natas aiunt. Hæ unà cum Jano Cœli portis præerant, teſte Ovid. lib. 1. Faſtorum, ubi Janus ait,

Præſideo foribus Cœli cum mitibus
Horis.

Eas idem Ovid. Floræ dat comites, Faſt. 5. ubi Flora

Conveniunt pictis incinctæ veſtibus
Horæ,
Inque leves calathos munera noſtra legunt.

Cui conſonat Noſter lib. 6. *Horæ roſis & cæteris floribus purpurabant omnia.* Aliqui *Horas* à Gratiis non diſtinxerunt. *Horas* ἀπὸ τοῦ ὠρεύειν *à cuſtodiendo* dictas ait Scholiaſtes Heſiodi. Plato in Cratylo ἀπὸ τοῦ ὁρίζειν *à terminando*. Macrob. ab *Horo*, qui Sol eſt. Tres nominantur vulgò Εὐνομία, δίκη & εἰρήνη. *Lex, Juſtitia, & Pax.* Viginti quatuor innuit Ovidius, lib. 1. Metamorphoſ. cum dicit:

——— *Et poſitæ ſpatiis æqualibus*
Horæ.

Sed de *Horis* jam ſatis. Plura, ſi vis, conſule Gyrald. Syntagm. 13.

2. *De Muſarum Choro.*] Novem fuere *Muſæ*, quibus varii parentes à variis Auctoribus aſſignantur. Muſæus & complures antiquorum unà cum Saturno natas è Cœlo fuiſſe crediderunt. At Orpheus, Heſiodus, & recentiores Poëtæ Jovis & Mnemoſynes filias dixere. Hinc Phædrus:

Ego, quem Pierio mater enixa eſt
jugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne
Jovi
Fœcunda novies, artium peperit
Chorum.

3. *De mearum Gratiarum miniſterio.*] Lib. 2. *licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni Gratiarum Choro ſtipata, &c.* ad quem locum vide Notas noſtras.

4. *Succubam.*] Pellicem, quæ debitum Veneris pulchritudini cultum interceperat. *Succuba* propriè thalami jugalis dicitur. Hypſipyle Jaſoni in Heroïdibus:

Quod gemit Hypſipyle, lecti quoque
ſuccuba noſtri
Mœreat, & leges ſentiat ipſa ſuas

5. *Quiritans.*] *Clamitans:* quaſi *invocans Quirites.*

maximè

maximè boans: Honeſta, inquit, hæc, & natalibus noſtris bonæque tuæ frugi congruentia? Ut primùm quidem tuæ parentis, immò dominæ præcepta calcares, nec ſordidis amoribus inimicam meam cruciares; verùm etiam hoc ætatis puer, tuis licentioſis & immaturis jungeres amplexibus: ut ego nurum ſcilicet tolerarem inimicam. Sed utique præſumis nugo, & corruptor, & [1] inamabilis, te ſolum generoſum, nec me jam per ætatem poſſe concipere. Velim ergo ſcias, multò te meliorem filium alium genituram: immò, ut contumeliam magis ſentias, aliquem de meis adoptaturam vernulis: eique donaturam iſtas pinnas, & flammas, & arcum, & ipſas ſagittas, & omnem meam ſupellectilem, quam tibi non ad hos uſus dederam. Nec enim [2] de patris tui bonis, ad inſtructionem iſtam quidquam conceſſum eſt. Sed malè primâ tuâ pueritiâ inſtructus es, & [3] acutas manus habes, & [4] majores tuos irreverenter pulsâſti toties; & [5] ipſam

INTERPRETATIO

voce *ab ipsâ uſque januâ: Iſta ſunt decora (inquit) & convenientia noſtro generi, ac tuæ probitati? Ut primùm quidem ſubter haberes juſſa tuæ matris, immò dominæ, nec torqueres* virginem *mihi odioſam vilibus amoribus; quin immò* tu *puſio tantulæ ætatis, admoveres eam tuis protervis, & præproperis complexibus: nempè ut ego paterer nurum mihi inviſam. At nimirùm putas, ô nugator, & labefactator* morum, *& odioſe, te unum eſſe nobilem, nec me poſſe deinceps fieri gravidam propter ætatem* grandiorem. *Volo igitur ut ſcias, me procreaturam alium natum longè meliorem quàm tu ſis; immò, (ut hæc contumelia ſit tibi gravior) me adſcituram in filium aliquem ex meis ſervulis, & daturam ipſi iſtas* tuas *alas, & facem, & arcum, & ipſa tela, atque omnia mea arma, quæ non tibi donaveram ut ſic志 uteteris* iis. *Nihil enim tibi datum* eſt *ex opibus tui genitoris ad iſtam armaturam. Sed malè* factum, quòd *armatus es à teneris annis,* nam *habes manus pungentes, & percuſſiſti tam ſæpè tuos avos abſque ullâ reverentiâ, & denudas ſingulis die-*

NOTÆ.

1. *Et inamabilis.*] Graviſſimum convitium. Sic *inamabilis* unda Stygiæ Paludis Virgilio dicitur, & *illaudati Buſiridis aras*: de quorum ἐπιθέτων gravitate Gell. Noct. Attic. lib. 2. cap. 6. quem vide.

2. *De patris tui bonis.*] De patre Cupidinis variæ ſunt ſententiæ, plerique tamen vel Martem, vel Vulcanum agnoſcunt, & cùm Apuleius Martem vitricum ejus infrà dicat, certè patrem Vulcanum agnoſcere videtur.

3. *Acutas manus habes.*] Petulantes, & malo inferendo ſemper paratas, & ſecundùm Nonnum, & Muſæum ὀξεῖ χεῖρας *armatas. Pungentes* verti ad verbum.

4. *Majores tuos irreverenter pulsâſti.*] An *te majores*, hoc eſt, *grandiores* (quod puero grande peccatum eſt?) an verò *tuos avos*, Jovem puta Veneris patrem, juxta hæc Virgil. lib. 1. Æneid.

Oſcula libavit natæ dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea, &c.

& Junonem matrem Vulcani, atque etiam Cybelen Deorum matrem, quam legimus vehementi in Atyn amore flagraſſe?

5. *Ipſam matrem ſuam.*] Venus enim amavit Martem, Adoniden, Anchiſen, &c. *Denudas*, intellige, vel *ſpolias pudore*, vel magis ad verbum, *ſpolias veſtibus, ut nudam amatoribus potiundam exhibeas.*

matrem tuam, me, inquam, ipſam parricida denudas quotidie: & percuſſiſti ſæpiùs, & [2] quaſi viduam utique contemnis. [3] nec vitricum tuum, fortiſſimum illum maximumque bellatorem metuis. Quidni? cui ſæpiùs in angorem mei pellicatûs, puellas propinare conſuêſti. Sed faxo te luſûs hujus pœniteat, & ſentias acidas & amaras nuptias iſtas. Sed nunc irriſui habita quid agam? Quò me conferam? Quibus modis [4] ſtellionem iſtum cohibeam? Petam-ne auxilium ab inimicâ meâ Sobrietate, quam propter hujus ipſius luxuriam offendi ſæpiùs? Aut ruſticæ ſquallentiſque fœminæ colloquium prorsùs adhi-

Interpretatio.

bus ipſam tuam parentem, me ipſam, inquam, matricida: & feriiſti ſæpè, & aſpernaris veluti viduam. neque times vitricum tuum illum validiſſimum, & maximum prœliatorem. Reverà; nam ſolitus es ſæpiùs conciliare ipſi pellices ad me excruciandam. Sed curabo ut te pœniteat hujus ludi, & experiaris iſtud connubium acerbum & inſuave. Sed quid nunc ego *deriſa faciam? Quò tendam? Quâ ratione coërcebo hunc maleficum? Implorabo-ne opem Sobrietatis hoſtis meæ, quam toties læſi ob libidinem hujus ipſiuſmet? Aut omninò ſermo habendus mihi erit cum illâ ru-*

Notæ.

1. *Quaſi viduam utique contemnis.*] Viduæ deſpectui ſunt, non filiis modò, verùm etiam aliis, utpote mariti præſidio deſtitutæ, ideoque injuriæ magis patentes. Terent. Heautontim. Act. 5. Scen. 1.

Non, ita me Dii ament, auderet hæc facere viduæ mulieri,
Quæ in me fecit.

Petronius: *Jam enim faxo ſciatis, non viduæ hanc inſulam eſſe, ſed M. Manilii.*

2. *Nec vitricum tuum fortiſſimum illum maximumque bellatorem.*] *Vitricus meus* is eſt, qui defuncto meo patre matrem meam uxorem duxit. At quomodo *Vitricus* Cupidinis Mars, qui Veneris ejus matris adulter, non maritus erat? Niſi fortè repudiato Vulcano Venus ipſi nupſerit. Extat certè apud Martialem Epigramma 21. libri 6. de Nuptiis Stellæ & Ianthidos, quo Mars legitimus aliquando Veneris maritus factus fuiſſe innuitur.

Perpetuam Stellæ dum jungit Ianthida vati
Læta Venus dixit: plus dare non potui.
Hæc coram domina; ſed nequius illud in aurem:
Tu ne quid pecces, exitioſe, vide.
Sæpè ego laſcivum Martem furibunda cecidi,
Legitimos iſſet cùm vagus ante toros.
Sed poſtquam meus eſt, nullâ me pellice læſit:
Tam frugi Juno vellet habere, Jovem, &c.

At nihil neceſſe ſic intelligere. *Vitricum* filii appellat adulterum, quem conjugem ſuum in Martialis Epigrammate innuit *prætexens* nimirùm *nomine culpam.*

3. *Stellionem iſtum.*] Gloſſæ Pricæo laudatæ: κακοῦργος: *maleficus ſtellio.* Eſt autem *ſtellio* lacertus minor variis ſtellatus corpora guttis; fraudulentum animalculum, homini invidens, ut ferunt. Vide pueri in *ſtellionem* Metamorphoſin apud Ovid. lib. 5. A *ſtellione, ſtellionatus*, id eſt, *impoſturæ* crimen nominatum: quod maximè in his locum habet: ſi quis fortè rem alicui obligatam diſſimulatâ obligatione, per calliditatem alii diſtraxerit: item ſi quis merces ſuppoſuerit; vel corruperit, & ſi quis impoſturam fecerit.

hendum eſt? Inhorreſco: nec tamen vindictæ ſolatium unde unde ſpernendum eſt. Illa mihi prorsùs adhibenda eſt, nec ulla alia: quæ caſtiget aſperrimè nugonem iſtum: [1] pharetram expilet, & ſagittas dearmet, arcum enodet, tædam deflammet; immò & ipſum corpus ejus [2] acrioribus remediis coërceat. Tunc injuriæ meæ litatum crediderim, cùm ejus comas, quas iſtis manibus meis ſubinde aureo nitore perſtrinxi, deraſerim: pinnas, quas [3] meo gremio nectarei fontis infeci, prætotonderim. Sic effata, foras ſeſe prorupit infeſta, & [4] ſtomachata biles Venereas. Sed eam protinus Ceres & Juno [5] comitantur: viſamque vultu tumido, quæſivère, cur truci ſupercilio tantam venuſtatem micantium oculorum coërceret? At illa, [6] Opportunè, inquit, ardenti prorsùs iſto meo pectori violentiam ſcilicet perpetrare venitis. Sed totis oro veſtris viribus Pſychen illam fugitivam, volaticam, mihi requirite. Nec enim vos utique domûs meæ famoſa fabula, [7] & non dicendi filii mei facta latuerint. Tunc illæ [8] gnaræ quæ ge-

INTERPRETATIO.

liere agreſti & ſordidâ. Horreo id cogitans: *ſed tamen non eſt repudiandum ſolamen ultionis, quacumque ex parte* adveniat. *Utendum ſanè mihi eſt hujus operâ, & nullius alterius: ut puniat ſeveriſſimè nugatorem hunc, & evacuet* ejus *pharetram, exarmet tela, ſolvat arcum, extinguat facem, quin & cohibeat ipſum illius corpus aſperioribus medicaminibus. Tum putabo ſatisfactum meæ contumeliæ, cùm totondero ejus capillos, quos aureo ſplendore fulgentes ſæpè collegi* in nodos *his manibus: &* cùm *reſecuero alas, quas tinxi ambroſio liquore mei ſinûs. Sic locuta, erumpit foras infenſa, & percita irâ Venereâ. Verùm Juno & Ceres extemplo ſe adjungunt ipſi comites: eamque cernerent eam eſſe facie turgidâ, rogaverunt, quare cohiberet ſupercilio minaci tantam pulchritudinem oculorum fulgurantium? At illa: Advenitis, inquit, tempeſtivè, ut nimirùm vim faciatis his meis præcordiis, penitùs æſtuantibus* irâ. *Sed inveſtigate mihi, precor, omni veſtro conatu illam vagam, & fugitivam Pſychen. Neque enim ignoratis profectò infamem rumorem,* qui diſpergitur *de meâ familiâ, & flagitia* Cupidinis *jam non nominandi mei filii. Tum illæ ſcientes*

NOTÆ.

1. *Pharetram expilet, ſagittas dearmet, arcum enodet, tædam deflammet, &c.*] Rectè hæc per allegoriam dicuntur de Sobrietate. Illâ enim retunduntur libidinis motus & ardores, quæ tela, & faces, & arcus, & ſagittæ ſunt Cupidinis. Notum eſt adagium: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.*

2. *Acrioribus remediis.*] Inediâ ſcilicet, quâ maximè coërcetur Cupido.

3. *Meo gremio nectarei fontis.*] Hypallage; pro *nectareo fonte mei gremii.*

4 *Stomachata biles Venereas.*] Fœmineâ atque impotenti irâ accenſa.

5. *Comitantur.*] Brantius, *continuantur*, hoc eſt, *aſſequuntur*, ſat veriſimiliter. Sic lib. 1. *inde me commodè egredientem continuatur Pythias.*

6. *Opportunè.*] Ironicè.

7. *Et non dicendi filii mei.*] Propter recens flagitium, & ſpreta materna juſſa. Sic ſuprà: *illas ſceleſtas fœminas, quas tibi, poſt internecinum odium, & calcata ſanguinis fœdera, ſorores appellare non licet.*

8. *Ignaræ quæ geſta ſunt.*] Scribe *gnaræ.* Mox enim ipſæ rem omnem narrant.

ſta ſunt, palpare Veneris iram ſævientem ſic adortæ: Quid tale, domina, deliquit tuus filius, ut animo pervicaci voluptates illius impugnes: &, quam ille diligit, tu quoque perdere geſtias? Quod autem, oramus, iſti crimen, ſi puellæ lepidæ libenter arriſit? An ignoras [1] eum maſculum & juvenem eſſe, vel certè jam quot ſit annorum oblita es? An quòd ætatem portat bellulè, puer tibi ſemper videtur? Mater autem tu, & prætereà cordata mulier, filii tui luſus ſemper explorabis curioſè, & in eo luxuriem culpabis, & amores revinces, & tuas artes tuaſque delicias in formoſo filio reprehendes? Quis autem te Deûm, quis hominum patietur, paſſim cupidines populis diſſeminantem, cùm tuæ domûs amores amarè coërceas, & [2] vitiorum muliebrium [3] publicam præcludas officinam? Sic illæ, metu ſagittarum, patrocinio gratioſo Cupidini quamvis abſenti blandiebantur. Sed Venus indignata ridiculè tractari ſuas injurias, præverſis illis, altè rurſus concito gradu, pelago viam capeſſit.

INTERPRETATIO.

*ea, quæ facta fuerant ſic aggreſſæ ſunt demulcere infeſtam iram Veneris: Quid tantum peccavit tuus natus, domina, ut relucteris obſtinatâ mente ejus gaudiis, & tu cupias etiam perimere il*lam, *quam ipſe amat? Quod verò delictum ipſi eſt (rogamus) ſi venuſta puella placuit ejus animo? An neſcis eum eſſe marem, & juvenem, aut certè oblita-ne es quot habeat annos? An quia ſuſtinet venuſtè ætatem, videtur tibi ſemper puer? Tu verò*, quæ es ipſius *mater, & inſuper prudens fœmina, an ſemper obſervabis curioſè oblectamenta tui filii, & in illo vituperabis libidinem, & condemnabis amores, ac redargues in pulchro filio tuas artes, & voluptates? Quis verò ex Diis, aut quis ex hominibus feret te ſpargentem amores ubique per populos, cùm* ipſos *amores tuæ domûs reprimas ſeverè, &* eis *claudas publicam officinam vitiorum fœmineorum? Sic illæ adulabantur officioſâ defenſione Cupidini licet abſenti, formidine telorum* ejus. *At Venus graviter ferens quòd ageretur jocelariter de ſuis contumeliis, relictis illis poſt terga, contendit ad Oceanum veſtigio iterum vehementer accelerato.*

NOTÆ.

1. *Eum maſculum & juvenem eſſe.*] Τὸ *juvenem* Pricæus fruſtrà ſollicitat. Opponitur hîc non *ſeni*, ſed *puero*. Mox enim: *an quòd ætatem portat bellulè, puer tibi ſemper videtur?*

2. *Vitiorum muliebrium.*] Conſuetudinis cum mulieribus.

3. *Publicam.*] Quam omnibus aperis.

LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI METAMORPHOSIS.

LIBER SEXTUS.

INTEREA Pſyche variis jactabatur diſcurſibus, dies noctesque mariti veſtigationibus inquieta, animo tanto cupidior, & iratum licet, ſi non uxoriis blanditiis lenire, certè ſervilibus precibus propitiare. Et, proſpecto templo quodam in ardui montis vertice: Unde autem, inquit, ſcio, an iſtic meus degat dominus? Et illicò dirigit citatum gradum: quem defectum prorſus aſſiduis laboribus ſpes incitabat, & votum. Jamque gnaviter emenſis celſioribus jugis, [1] pulvinaribus ſeſe proximam intulit. Videt ſpicas frumentarias in acervo, & alias flexiles in coronâ; & ſpicas ordei videt. erant & falces, & [2] operæ meſſoriæ mundus omnis; ſed cuncta paſſim jacentia, & incuriâ confuſa, &, ut ſolet, æſtu laborantium manibus projecta. Hæc ſingula Pſyche curioſè dividit, & diſcretim remota ritè componit: rata ſcilicet, nullius Dei fana & cærimonias negligere ſe debere,

INTERPRETATIO.

INTERIM Pſyche agebatur diverſis erroribus, anxiè intenta diebus ac noctibus indagationi ſui conjugis, eò magis exoptans animo eum quamvis infenſum placare ſaltem ſervilibus ſupplicationibus, ſi non poſſet *demulcere blandimentis uxoriis. Et viſo quodam delubro in cacumine excelſi montis: Quid autem novi, inquit, num meus dominus ibi habitet? Et ſtatim contendit* illuc *greſſu feſtino, quem penitùs debilitatum continuis laboribus ſpes & deſiderium accelerabant. Et altioribus culminibus jam ſtrenuè ſuperatis, acceſſit proximè ad lectulos* Numinis. *Cernit ariſtas frumenti coaggeratas, & alias implexas in corollam; conſpicit quoque ariſtas hordei. erant etiam novaculæ, & omne inſtrumentum meſſium; verùm omnia jacebant hinc inde permixta ex negligentiâ, & abjecta manibus æſtuantium calore, ſicut conſuevit* fieri. *Pſyche ſeparat hæc cuncta ſtudioſè, & ſeorſim diviſa rectè ordinat: putans nimirùm nullius Numinis templa & ſacra ſibi eſſe negligenda,*

NOTÆ.

1. *PUlvinaribus.*] Lib. 4. *pulvinaria proteruntur*: ad quem locum vide Notas noſtras pag. 132.

2. *Operæ meſſoriæ mundus omnis.*] Inſtrumenta, quibus utuntur meſſores; falces, raſtra, &c.

ſed omnium benivolam miſericordiam corrogare. Hæc eam ſollicitè ſedulóque curantem, [1] Ceres alma deprehendit; & longùm exclamat protinus: Ah, Pſyche miſeranda! totum per orbem Venus anxiâ diſquiſitione tuum veſtigium furens animi requirit: teque ad extremum ſupplicium expetit, & totis numinis ſui viribus ultionem flagitat. Tu verò rerum mearum tutelam nunc geris, & aliud quidquam cogitas niſi de tuâ ſalute? Tunc Pſyche pedes ejus advoluta, & uberi fletu rigans Deæ veſtigia, [2] humumque verrens crinibus ſuis, multijugis precibus editis veniam poſtulabat: Per, ego, te frugiferam tuam dextram iſtam deprecor, per lætificas meſſium cærimonias, [3] per tacita ſacra ciſtarum, & per famulorum tuorum [4] draconum pinnata curricula, [5] & glebæ Siculæ ſulcamina, & [6] currum rapacem, & [7] terram

Interpretatio.

ſed benevolentiam, & miſerationem cunctorum eſſe implorandam. Alma Ceres offendit ipſam procurantem ea anxiè & diligenter, & ſtatim exclamat eminùs: Ah, Pſyche infelix! Venus accenſa mentem furore inveſtigat te ſollicitâ indagatione per univerſam terram: & depoſcit te ad ſummam pœnam de te ſumendam, *& poſtulat vindictam omnibus niſibus ſuæ divinitatis. Tu autem curas res meas, & cogitas de ullâ aliâ re, quàm de tuâ vitâ? Tum Pſyche proſtrata ante pedes Deæ, & proluens ejus veſtigia lacrymis abundantibus, ac tergens ſolum ſuis capillis, rogabat veniam variis prolatis ſupplicationibus: EGO oro te per tuam iſtam manum, quæ geſtat fruges, per ſacra meſſium exhilarantia, per ſecreta myſteria* tuorum *caniſtrorum, perque currus alatos draconum tibi famulantium, & arationem ſoli Siculi, & currum raptorem* filiæ tuæ, *& tellurem, quæ retinuit*

Notæ.

1. *Ceres alma.*] Proprium Cereris ἐπίθετον *alma*, quòd frugibus mortales alat.

2. *Humum verrens crinibus.*] Quod in calamitatibus factitatum ad iram Numinum placandam. Claudian.

> *Numinibus votiſque vacas, & ſupplice crine*
> *Verris humum.* ———

3. *Per tacita ſacra ciſtarum.*] Arcana Cereris ſacra, & myſteria in ciſtis ſeu caniſtris à mulieribus portabantur in ſolemnibus ejus pompis, quæ mulieres ideò Κανηφόροι *caniſtriferæ* dictæ ſunt. Quidam Codices habent *tacita ſecreta*, quod in idem recidit. Orgia etiam Bacchi in ciſtis ferebantur. Catull. Carmine quod inſcribitur *Argonautica*:

> *Pars obſcura cavis celebrabant* Orgia *ciſtis,*
> *Orgia, quæ fruſtrà cupiunt audire profani.*

4. *Draconum pinnata curricula.*] Fabulantur Cererem curru tracto ab alatis draconibus ſeu ſerpentibus vehi ſolitam. Ovid. lib. 6. Metamorphoſ.

> ——— *geminos Dea fertilis angues*
> *Curribus admovit, frænisque coërcuit ora.*

5. *Et glebæ Siculæ ſulcamina.*] Quæ Cereri ejuſque filiæ Proſerpinæ ſacra erant. Siculi enim arbitrati ſunt has Deas apud ſe natas fuiſſe, & fruges in Siciliâ primùm repertas, nec immeritò, frugum enim adeo ferax fuit, ut Italiæ horreum diceretur.

6. *Currum rapacem.*] Quo Pluto Proſerpinam rapuit.

7. *Terram tenacem.*] Quæ Proſerpinam, ſeu potiùs ſementem per eam deſignatam, mediâ anni parte detinet, ex pacto Cererem inter, & Proſerpinam inito juſſu Jovis.

tenacem, & illuminarum Proſerpinæ nuptiarum [1] demeacula, & [2] luminoſarum filiæ inventionum remeacula, & cætera quæ ſilentio tegit [3] Eleuſis Atticæ ſacrarium, miſerandæ Pſyches animæ, ſupplicis tuæ, ſubſiſte. inter iſtam ſpicarum congeriem patere, vel pauculos dies deliteſcam; quoad Deæ tantæ ſæviens ira ſpatio temporis mitigetur, vel certè meæ vires diutino labore feſſæ, quietis intervallo leniantur. Suſcipit Ceres: Tuis quidem lacrymoſis precibus & commoveor, & opitulari cupio: ſed cognatæ meæ, cum quâ etiam fœdus amicitiæ colo, bonæ præterea fœminæ, malam gratiam ſubire nequeo. Decede itaque iſtis ædibus protinus: & quòd à me retenta cuſtoditaque non fueris optimi conſule. Contra ſpem ſuam repulſa Pſyche & afflicta [4] duplici mœſtitiâ, iter retrorſum porrigens, inter ſubſitæ convallis ſublucidum lucum proſpicit fanum ſolerti fabricâ ſtructum; nec ullam vel dubiam ſpei melioris viam volens omittere, ſed adire cujuſcunque Dei veniam, ſacratis foribus proximat. Videt dona pre-

INTERPRETATIO.

ipſam, & *deſcenſionem Proſerpinæ* cùm *obſcurum ejus conjugium* celebratum eſt, & *reditum filiæ* tuæ, poſtquàm *reperta fuit ad lumen* tædarum, & per *reliqua quæ Eleuſis ſacrarium Atticæ celat taciturnitate, ſuccurre vitæ infelicis Pſyches, quæ tibi ſupplicat. Sine me latère in hoc acervo ariſtarum ſaltem per aliquot dies; donec crudelis furor tantæ Deæ leniatur intervallo temporis; aut ſaltem meæ vires fractæ longo labore reficiantur ſpatio quietis. Ceres reſpondet ad hæc: Tuæ quidem preces mixtæ fletibus movent me, & vellem* tibi *auxiliari, ſed non poſſum incurrere in offenſionem meæ conſanguineæ, cum quâ conjuncta ſum nexu veteris amicitiæ*, & quæ *inſuper* eſt *proba mulier. Abi igitur actutùm ex hoc templo: & puta actum eſſe tecum à me clementiſſimè, quòd non retinuerim te, nec aſſervaverim. Pſyche rejecta præter ſpem ſuam, & confecta geminato mœrore, cùm remetiretur viam retrò, videt in ſubluſtri nemore vallis ſubjacentis templum ædificatum opere artificioſo: cumque nollet negligere ullam viam ſpei melioris quamvis ancipitem, ſed implorare miſericordiam cujuſvis Numinis, accedit ad ſacras valvas. Cernit magni pretii dona*

NOTÆ.

1. *Demeacula, &, &c. remeacula.*] Lib. 1. *fruſtulum panis, &c. mediis faucibus inhæreret, ac neque deorſum demeare, neque ſurſum remeare poſſet.*

2. *Luminoſarum filiæ inventionum.*] Ceres inveſtigatura filiam duas tædas dicitur ad Æthnæ ignes accendiſſe, & cum iis orbem peragrâſſe terrarum. Hinc eſt quòd accenſas tædas in ejus ſacris ferebant. Et hîc *luminoſæ inventiones* Proſerpinæ dicuntur, quoniam ad tædarum illarum lumen factæ erant.

3. *Eleuſis.*] Urbs Atticæ dicta ab *Eleuſio* Rege, qui Cererem filiam inveſtigantem benignè excepit hoſpitio. Ob cujus rei memoriam, ſive quia, ut referunt quidam, frumenti ſatio a Triptolemo apud Eleuſin reperta eſt, ſolemnia ſacra Cereri inſtituta ſunt apud illam urbem. Per mulieres hæc ſacra procurabantur, quæ à cibis abſtinentes jacebant humi in pampinis,

Perque novem noctes Venerem amplexuſque viriles
In vetitis numerabant, ut ait Ovid. Hinc Ceres *Eleuſinia* dicta eſt, &, à Cerere *Cerealis Eleuſis.*

4. *Duplici mœſtitiâ.*] Scilicet ob metum Veneris, & repulſam quam a Cerere paſſa erat.

tioſa, & lacinias auro litreratas, ramis arborum poſtibuſque ſuffixas; [1] quæ cum gratiâ facti nomen Deæ, cui fuerant dicata, teſtabantur. Tunc genu nixa, & [2] manibus aram [3] tepentem amplexa, deterſis ante lacrymis, ſic adprecatur:

MAGNI Jovis germana & conjuga: ſive tu [4] Sami, [5] quæ querulo partu vagituque & alimoniâ tuâ gloriatur, tenes vetuſta delubra: ſive [6] celſæ Carthaginis, [7] quæ te virginem vecturâ leonis cœlo commeantem percolit, beatas ſedes frequentas: [8] ſive prope ripas Inachi,

INTERPRETATIO.

ria & veſtes intextas aureis litteris, appenſas ad ramos arborum & ad *poſtes* templi, *in quibus nomen quoque Deæ, cui conſecrata fuerant, erat ſcriptum cum confeſſione beneficii* accepti. *Tunc fulta genu, & apprehenſâ manibus arâ adhuc tepidâ, ſic orat, abſterſis priùs lacrymis.*

SOROR & uxor ſummi Jovis: ſive tu habitas in antiquis templis Sami; quæ jactat honorem tuorum natalium, & vagitûs tui *lamentabilis, & tui nutricatûs; ſive incolis fortunata loca alta Carthaginis, quæ adorat te virginem aſcendentem in cœlum vectione leonis; ſive praes claris muris Ar-*

NOTÆ.

1. *Quæ cum gratiâ facti, &c.*] Ovid. Amorum lib. 2. Eleg. 13. votum Iſidi pro Corinnæ ſalute faciens:

Ipſe feram ante tuos munera tota pedes.
Adjiciam titulum, SERVATA NASO CORINNA
Tu modò fac titulo muneribuſque locum.

2. *Manibus aram tepentem amplexa.*] Mos ſupplicum & noxam promeritorum, ut ad aras tanquam ad aſylum confugerent, eaſque amplecterentur. Vide Plaut. Moſtell. & Rudente. Terent. Heautontimor. Cic. pro Domo ſuâ.

3. *Tepentem.*] Igne ſactificiorum in eâ paulò antè peractorum.

4. *Sami.*] *Samos* Inſula in mari Icario Junoni ſacra. *Partheniam* Strabo vocatam fuiſſe ait à *Parthenio* fluvio. Varro, & Lactantius (magis ex hujus loci ſententiâ) eò quòd Juno adhuc virgo, & à primis ſuis incunabulis educata in ea fuerit, donec Jovi nuberet.

5. *Quæ querulo partu, &c. gloriatur.*] Dicebant enim Samii Junonem apud ſe natam ad Imbraſum fluvium. Unde &. *Imbraſia* eſt appellata.

6. *Celſæ Carthaginis.*] Virgil. lib. 4. Æneid.

——— tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas.

Carthaginis.] Hujus ſitum & originem habes Æneid. 1.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, &c.

7. *Quæ te virginem vecturâ leonis cœlo commeantem,* &c.] Innuit procul dubio *Cœleſtem* Carthaginis Numen; quam permulti tamen non Junonem, ſed Cybelen, aut Venerem fuiſſe exiſtimârunt. Stat. lib. 10. Thebaïd. meminit Junonis pictæ in veſte, quâ ejus ſtatuam velârunt Argolicæ matres.

Ipſa illic magni thalamo deſpenſa Tonantis
Expers conjugii, & timidè poſitura pudorem,
Lumine demiſſo pueri Jovis oſcula libat.

Fuit etiam apud Hermionen urbem templum Junonis παρθένου, teſte Stephano.

8. *Prope ripas Inachi.*] *Inachus* hodie *Planizza* Sophianò, fluvius eſt Peloponeſi per agrum Argivum fluens in Sinum Argolicum, ſic dictus ab *Inacho* Argivorum Rege, à quo Argivi ipſi Inachidæ appellati ſunt.

qui

qui te jam nuptam Tonantis, & reginam Dearum memorat, [1] inclytis Argivorum præſides mœnibus: [2] quam cunctus Oriens Zygiam veneratur, & [3] omnis Occidens Lucinam appellat: ſis meis extremis caſibus [4] Juno Soſpita, meque in tantis [5] exantlatis laboribus defeſſam, imminentis periculi metu libera. Quòd ſciam, ſoles prægnantibus periclitantibus ultrò ſubvenire. Ad iſtum modum ſupplicanti ſtatim ſeſe Juno cum totius ſui Numinis auguſtâ dignitate præſentat. Et protinus, [6] Quàm

INTERPRETATIO.

givorum juxta ripas amnis Inachi, qui celebrat te jam uxorem Jovis, & reginam Dearum: quam omnes nationes *Orientales colunt* ſub nomine Junonis *Zygiæ, & omnes Occidentales nominant Lucinam: eſto mihi in meâ maximâ miſeriâ Juno conſervatrix, & me fatigatam tot laboribus, quos ſuperavi, exolve timore inſtantis diſcriminis. Quantum ſcio, conſuevisti ferre libenter opem gravidis* mulieribus *poſitis in periculo. Sic oranti Juno offert ſe repentè cum venerandâ majeſtate omnis ſuæ divinitatis. Et ſtatim, Quàm*

NOTÆ.

1. *Inclytis Argivorum præſides mœnibus.*] Pauſanias ſcribit apud Argivos templum fuiſſe Junonis Anthiæ, id eſt, Floridæ. Author eſt Strabo templum dicatum Junoni fuiſſe juxta Mycenas Argivis Mycenæiſque commune, in quo fuerunt ſimulacra Polycleti manu, præſtantiſſimo artificio. Utraque urbs in Junonis tutela fuit. Hinc Horatius:

—— plurimus in Junonis honorem
Aptum dicet equis Argos, diteſque Mycenas.

Vide lib. 10. Thebaid. Stat.

2. *Quam cunctus Oriens Zygiam,* &c.] Sic etiam locum hunc Apuleii citat Lyl. Gyraldus Syntagm. 3. Lipſius legendum putat *Syriam*, non *Zygiam*; Junonem enim ſub nomine Deæ Syriæ in Oriente cultam fuiſſe, teſte Luciano, qui templum ipſius luculentum Hierapoli Syriæ deſcribit. Si *Zygiam* retineas, per *Orientem* intelligendi erunt Græciæ populi ad Orientem Italiæ poſiti, apud quos Juno ζυγία & ζυγίη dicta eſt ἀπὸ τοῦ ζεύγνυναι τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι, *quòd fœminam mari conjungeret.* Fuit & Romæ ara Jugæ Junonis in vico Jugario, inde dicto, ut refert Feſtus.

3. *Omnis Occidens Lucinam.*] Et *Lucetiam*, quòd naſcentibus lucem tribueret, vel, ut vult Plinius, à *luco*, in quo Romæ condita erat *Lucinæ* ædes. Prius etymon tangit Ovidius lib. 3. Faſtorum:

Dicite, tu nobis lucem Lucina dediſti,
Dicite, tu voto parturientis ades.

Per *Occidentem* intellige *Italiam*. *Lucinæ* tamen nomine *Dianam* nonnulli intellexerunt. Inter hos Virgil.

Caſta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo,

Vide Horat. in Carmine ſæculari. Græci εἰλείθυιαν ἄρτεμιν nominant.

4. *Juno Soſpita.*] Hoc cognomine Juno in Lanuvino municipio colebatur, cui omnes Conſules ſacrificare neceſſe erat, ut docet Cicero pro Muræna. Livius, lib. 8. refert Lanuvinis civitatem datam, & ſacra ſua reddita, eâ conditione, ut ædes lucuſque Soſpitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum Populo Romano eſſet. Sic dicta eſt à verbo *ſoſpitare*, quod eſt *ſalvum præſtare.*

5. *Exantlatis.*] *Exantlare* ſive *exanclare* Feſto *exhaurire* eſt. Nonio præterea *perpeti*, vel *ſuperare*, qui ſenſus eſt hujus loci.

6. *Quàm vellem, inquit, Pſyche, nutum meum, &c. accommodare.*] Priceæus ex tribus Mſs. reponit: *quàm vellem, inquit, per fidem nutum meum*, &c. quod eſt, *ſi per fidem liceret*, ut lib. 3. *quàm vellem, parens juſſis tuis obſequium commodare, ſi per fidem liceret.*

vellem, inquit, Pſyche, nutum meum precibus tuis accommodare! ſed contra voluntatem Veneris [1] nurûs meæ; quam filiæ ſemper dilexi loco, præſtare me pudor non ſinit. tum etiam [2] legibus, quæ ſervos alienos profugos invitis dominis vetant ſuſcipi, prohibeor. Iſto quoque Fortunæ naufragio Pſyche perterrita, nec indipiſci jam maritum volatilem quiens, totâ ſpe ſalutis depoſitâ, ſic ipſa ſuas cogitationes conſuluit? Jam quæ poſſunt alia meis ærumnis tentari vel adhiberi ſubſidia, cui nec Dearum quidem quanquam volentium potuerunt prodeſſe ſuffragia? Quorſum itaque, tantis laqueis incluſa, veſtigium porrigam: quibuſque tectis, vel etiam tenebris abſcondita, magnæ Veneris inevitabiles oculos tandem effugiam? Quin igitur maſculum ſumis animum, & caſſæ ſpeculæ renuntias fortiter, & ultroneam te dominæ tuæ reddis, & vel ſerâ modeſtiâ ſævientes impetus ejus mitigas? Quî ſcis, an etiam, quem tu quæritas, illic in domo matris reperias? Sic ad dubium obſequium, immò ad certum exitium præparata, principium futuræ ſecum meditabatur obſecrationis. At Venus terrenis remediis inquiſitionis abnuens, cœlum petit. Jubet conſtrui currum, quem ei Vulcanus ſubtili fabricâ ſtudioſè poliverat, & ante thalami rudimentum [3] nuptiale munus obtulerat, limæ tenuantis detrimento conſpicuum, & ipſius auri damno pretioſum.

INTERPRETATIO.

cuperem, inquit, ô Pſyche, inclinare meum favorem in tuas preces! ſed mihi non licet per honeſtatem hoc facere adverſus voluntatem Veneris meæ nurûs, quam ſemper amavi quaſi filiam. prætereà impedior legibus, quæ prohibent, ne alieni ſervi fugitivi recipiantur invitis ſuis heris. Pſyche terrefacta hac etiam calamitate ſuæ ſortis, nec valens ampliùs conſequi ſuum conjugem volaticum, jam deſperans de ſalute, ſic recogitavit apud ſe: Quænam alia auxilia poſſunt deinceps explorari, aut applicari meis miſeriis, ſiquidem ne favor quidem Dearum, quamvis cupientium, potuit mihi opitulari? Quonam igitur feram greſſus coarctata tot anguſtiis? Et quibus domibus, quâve etiam obſcuritate tecta, potero evitare indeclinabiles oculos magnæ Veneris? Quidni ergo induis tandem virilem animum, & conſtanter deponis vanam ſpem, teque dedis ſponte tuæ heræ, & demulces ejus iram tuâ *modeſtiâ quamvis tardâ? Unde ſcis an* non *inventura ſis etiam ibi in ædibus* ſuæ *parentis* illum, *quem tamdudum inveſtigas? ſic parata ad obſequium anceps, vel potiùs ad perniciem indubitatam, recogitabat apud ſe exordium deprecationis. Venus verò jam repudians ſubſidium terreſtris inveſtigationis, aſcendit in cœlum. Imperat apparari currum, quem Vulcanus ei poliverat curioſè opere ſolerti, & dederat* ei *donum conjugale ante primum uſum tori nuptialis,* quique erat *inſignis damno* materiæ, *quam lima imminuerat, & pretioſus ipſo detrimento auri.*

NOTÆ.

1. *Nurus meæ.*] Nupſerat quippe Venus Vulcano Junonis filio.

2. *Legibus quæ ſervos, &c.*] Qualis eſt Fabia, *de Plagiariis*, de quâ in Pandectis, lib. 48. Tit. 15.

3. *Nuptiale munus.*] Nempè illud

Quod primâ pro nocte datur, cùm lance beatâ
Dacius, & ſcripto radiat Germanicus auro, ut ait Juvenal. Satir. 6.

Morgengeben Germanis, unde lex Morganatica.

De multis, quæ circa cubiculum dominæ ſtabulant, procedunt quatuor candidæ columbæ, & hilaris inceſſibus picta colla torquentes, jugum gemmeum ſubeunt: ſuſceptâque dominâ lætæ ſubvolant. Currum Deæ proſequentes gannitu conſtrepenti laſciviunt [1] paſſeres: [2] & cæteræ quæ dulcè cantitant aves, melleis modulis ſuavè reſonantes, adventum Deæ prænuntiant. Cedunt nubes, & [3] cœlum filiæ panditur: & ſummus æther cum gaudio ſuſcipit Deam. nec obvias aquilas, vel accipitres rapaces pertimeſcit magnæ Veneris canora familia. Tunc ſe protinus ad regias Jovis arces dirigit, & petitu ſuperbo Mercurii, Dei vocalis, operæ neceſſariam uſuram poſtulat. [4] Nec renuit Jovis cærulum ſupercilium. Tunc ovans illicò, comitante etiam Mercurio, Venus cœlo demeat, eique ſollicitè ſerit verba: [5] Frater Arcas, ſcis nempè [6] ſororem tuam Venerem ſine Mercurii præſentiâ nil unquam feciſſe: nec te præterit utique quanto jam tempore deliteſcentem ancillam nequiverim reperire. Nil ergo ſupereſt, quàm

INTERPRETATIO.

Prodeunt quatuor albæ columbæ ex multis, quæ nidulantur circùm cubiculum ſuæ *dominæ, & læto greſſu ſinuantes pictas cervices, ſupponunt colla jugo* facto *ex gemmis, exceptâque dominâ ſubvolant hilares. Paſſeres ſtipantes currum Deæ laſciviunt ſtrepero murmure: & reliquæ volucres, quæ ſuaviter canunt, modulantes dulci melodiâ, præmonent Deam accedere. Nubila diffugiunt, & cœlum patefit* ſuæ *natæ. ac ſupremus æther lætus excipit Deam. Neque argutus famulatus magnæ Veneris formidat aquilas, aut accipitres prædatores, quibus occurrit. Tunc protinùs tendit rectà ad regale palatium Jovis, ſuperbâque petitione poſcit, ut liceat uti miniſterio* ſibi *neceſſario Mercurii, Dei pollentis* egregiâ *voce. Jupiter annuit* ejus poſtulatis nictu *cærulei ſupercilii. Tum Venus triumphans deſcendit ex cœlo actutùm unà cum Mercurio, eique hoc dicit anxiè: Frater Cyllenie, non ignoras germanam tuam Venerem nihil unquam feciſſe abſque ope Mercurii: nec te fugit, ut arbitror, quandiu jam non potuerim invenire latentem famulam. Hoc ergo unum reſtat, ut*

NOTÆ.

1. *Paſſeres.*] Salaciſſimi, ideoque meritò accenſiti Veneris famulitio.

2. *Et cæteræ, quæ dulcè cantitant aves, &c. adventum* Deæ *prænuntiant.*] Lib. 11. *ut canoræ etiam aviculæ, &c. concentus ſuaves adſonarent: matrem ſiderum, parentem temporum, orbiſque totius dominam blando mulcentes adfamine.*

3. *Cœlum filiæ panditur.*] Veneri, quam ex Mythicis multi ex cœli pudendis in mare projectis ortam ferunt.

4. *Nec renuit Jovis cærulum ſupercilium.*] Id eſt, *Jupiter annuit ejus poſtulatis. Cærulum* porrò dicitur ſupercilium illud Jovis cuncta movens, à colore cœli, qui color, cùm ſudum eſt, cæruleus eſſe ſolet.

5. *Frater Arcadi.*] Meliùs Vvovver. & Pricæus ex M S. *Frater Arcas.* Mercurius à Cylleno monte Arcadiæ, in quo eum Maja Jovi peperit, *Cyllenius*, & *Arcas* cognominatus eſt. Fratrem eum Venus vocat; orta enim & ipſa, juxta nonnullos Mythologos, ex Jove & Dione, ut jam monui.

6. *Sororem tuam Venerem ſine Mercurii præſentiâ nil unquam feciſſe.*] *Mercurius* quippe dolis & furtis præeſt, ſine quibus vix geruntur Veneris negotia.

tuo præconio præmium inveſtigationis publicitùs edicere. Fac ergo mandatum matures meum, & indicia, quibus poſſit cognoſci, manifeſtè deſignes; ne, ſi quis occultationis illicitæ crimen ſubierit, ignorantiæ ſe poſſit excuſatione defendere. [1] Et ſimul dicens, libellum ei porrigit, ubi Pſyches nomen continebatur, & cætera. Quo facto, protinus domum ſeceſſit. Nec Mercurius omiſit obſequium. nam per omnium ora populorum paſſim diſcurrens, ſic mandatæ prædicationis munus exequebatur: Si quis à fugâ retrahere, vel occultam demonſtrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Pſychen, [2] conveniat retrò metas Murtias Mercurium prædicatorem, accepturus [3] indicinæ nomine ab ipsâ Venere ſeptem ſavia ſuavia, & unum blandientis appulſu linguæ longè mellitum. Ad hunc modum pronuntiante Mercurio, tanti præmii cupido certatim omnium mortalium ſtudium arrexerat. Quæ res nunc vel maximè ſuſtulit Pſyches omnem contationem. Jamque fores ejus dominæ proximanti occurrit una de famulatione Veneris, [4] nomine Conſuetudo: ſtatimque

Interpretatio.

merces perquiſitionis ejus *publicè proponatur tuâ proclamatione. Da igitur operam ut exequaris quamprimùm mea juſſa, & clarè denotes ſigna, quibus poſſit agnoſci: ne, ſi quis contraxerit reatum celando eam præter fas, poſſit tueri ſe excuſatione ignorantiæ. Et cum dicto tradit ei codicillum, in quo nomen Pſyches & reliqua ſcripta erant. Quo facto recipit ſe ſtatim domum. Mercurius non defuit obſequio: currens enim huc illuc per conſpectum cunctarum nationum, ſic fungebatur officio præconii* ſibi *imperati: Si quis poſſit reducere filiam Regis profugam, nomine Pſychen, famulam Veneris fugientem, aut indicare latentem, adeat Mercurium præconem ponè metas Murtias, accepturus pro indicio ab ipsâ Venere ſeptem dulcia oſcula, & unum perquàm ſuaviſſimum contactu linguæ abblandientis. Mercurio hæc proclamante, deſiderium tantæ mercedis excitârat cum æmulatione diligentiam omnium hominum. quod* unum *velpræcipuè tunc abſtulit omnem dubitationem ex animo Pſyches. Cumque accederet ad januam ſuæ heræ, una ex ancillis Veneris nominata Conſuetudo fit ipſi obviàm: &*

Notæ.

1. *Et ſimul dicens.*] Græcum eſt, καὶ ἅμα λέγων.

2. *Retrò metas Murtias.*] Venerem *Myrteam* & *Murtiam* coluerunt Romani dictam à *Murto*, ſive *Myrto* arbore ipſi ſacrâ. *Murtiæ* Deæ ſacelli mentio in ſchedis Feſti. Plinius, lib. 15. cap. 29. *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant. Metæ Murtiæ* fuerunt *Metæ* in Circo poſitæ. Nam ex Tertull. lib. *de Spectaculis*: fuerunt in Circo ova Caſtoris, & delphini Neptuni, & columnæ Seſſiæ, Meſſiæ, Tutelinæ: tres aræ Deorum Samothracum: Obeliſcus, Soli: Euripus, Matri Deûm: Murtiæ Veneri, Metæ. Vide Bulengerum. *de Circo*, cap. 2. & 9.

3. *Indicinæ nomine.*] Elmenhorſtii index: *Indicina præmium, quod indicibus datur.* Gloſſa Servii, *Indicina* μήνυτρον. Pace Elmenhorſtii dixerim. *Indicina* Apuleio eſt *indicium* ipſum, ut *furatrina*, *furtum*, & ſimilia.

4. *Nomine Conſuetudo.*] Rectè *Conſuetudinem* Veneris miniſtram facit, ipſa enim ſæpè amorem creat.

quantum maximè potuit, exclamat : Tandem, ancilla nequiſſima, dominam habere te ſcire cœpiſti? An pro cæterâ morum tuorum temeritate, iſtud quoque neſcire te fingis, quantos labores circa tuas inquiſitiones ſuſtinuerimus? Sed benè, quòd meas potiſſimùm manus incidiſti, & [1] inter Orci cancros jam ipſos adhæſiſti; datura ſcilicet actutùm contumaciæ tantæ pœnas. Et audaciter in capillos ejus immiſsâ manu, trahebat eam, nequaquàm renitentem. Quam ubi primùm inductam, oblatamque ſibi conſpexit Venus, [2] latiſſimum cachinnum extollit, & qualem ſolent furenter irati : caputque quatiens, & adſcalpens aurem dexteram, Tandem, inquit, dignata es ſocrum tuam ſalutare? An potiùs maritum, qui vulnere tuo periclitatur, interviſere veniſti? Sed eſto ſecura: jam enim excipiam te, ut bonam nurum condecet. &, Ubi ſunt, inquit, [3] Sollicitudo atque Triſtities ancillæ meæ? Quibus introvocatis torquendam tradidit eam. At illæ ſequentes herile præceptum, Pſychen miſellam flagellis afflictam, & cæteris tormentis excruciatam, iterùm dominæ conſpectui reddunt. Tunc rurſus ſublato riſu Venus, Et ecce, inquit, nobis [4] turgidi ventris ſui lenocinio commovet miſerationem; unde me

INTERPRETATIO.

illicò exclamat totis viribus : Tandem ergo, *peſſima famula, incipis nôſſe te habere heram? An ex impudentiâ tuorum morum ſimulas te hoc quoque ignorare, quantum laborum toleravimus in te inveſtigandâ? Sed benè* factum, *quòd delapſa ſis præſertim in meas manus, & intercepta inter ipſos cancellos Plutonis; paſſura nimirùm protinus ſupplicium debitum tantæ pertinaciæ. Et injectâ audacter manu in ejus crines, trahebat ipſam nullatenus reluctantem. Quam ſtatim atque Venus vidit introductam, & conſtitutam coram ſe, erumpit in ſolutiſſimum riſum, quemadmodum conſueverunt qui præ irâ furioſi ſunt. Et concutiens caput, fricanſque auriculam dexteram : Tandem, ait, dignata es ſalutare tuam ſocrum? An potiùs* huc *veniſti viſum tuum conjugem, qui in periculo verſatur, propter vulnus quo eum affeciſti? Sed bono animo es. mox enim te habebo, ut par eſt bonam nurum. Et : Ubi ſunt, inquit, meæ famulæ Anxietas, & Mœſtitia? Quibus intrò accerſitis eam dedit cruciandam. Illæ verò parentes imperio dominæ, cædunt flagris infortunatam Pſychen, & torquent reliquis cruciatibus, & rurſus reducunt ante oculos ſuæ heræ. Tum iterum effuſa in cachinnum, atque en, aic, excitat nos ad miſericordiam blandimento ſui uteri prægnantis, quo nempe factura eſt me aviam*

NOTÆ.

1. *Inter Orci cancros.*] *Cancri*, inquit Feſtus, *dicebantur ab antiquis qui nunc, per diminutionem, cancelli.* In Gloſſis Iſidori *cancer, forceps.* Utrolibet modo intelligas commodus reſultat ſenſus.

2. *Latiſſimum cachinnum extollit, & qualem ſolent furenter irati.*] Mamertinus in Panegyrico : *quis neſcit aliorum Imperatorum hilarem diritatem, cachinnantemque ſævitiam?*

3 *Sollicitudo atque Triſtities ancillæ meæ.*] Plaut. Ciſtellaria :

Amor & melle & felle fœcundiſſimus,
Guſtu dat dulce, amarum uſque ad
ſatietatem oggerit.

4 *Turgidi ventris ſui lenocinio commovet miſerationem.*] Ironicè. Nam

præclarâ ſobole aviam beatam ſcilicet faciat. Felix verò ego; quæ in ipſo ætatis meæ flore vocabor avia: & vilis ancillæ filius nepos Veneris audiet. quanquam inepta ego, fruſtrà filium dicam. Impares enim nuptiæ, & præterea [1] in villâ [2] ſine teſtibus, & patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſunt videri: ac per hoc ſpurius ille naſcetur; ſi tamen partum omninò proferre te patiemur. His editis, involat in eam, veſtemque plurifariam [3] diloricat; capilloque diſcisſo, & capite conquaſſato, graviter affligit. &, accepto frumento & hordeo, & milio, & papavere, & cicere, & lente, & fabâ, commixtiſque acervatim confuſiſque [4] in unum grumulum, ſic ad illam: Videris enim mihi tam deformis ancilla, nullo alio, ſed tantùm ſedulo miniſterio amatores tuos promereri: jam ego & ipſa [5] frugem tuam

INTERPRETATIO.

fortunatam pulchrâ prole. Ego autem beata ero, *quæ nominabor avia in ipſo flore mei ævi, & filius ſervæ ignobilis dicetur nepos Veneris. Sed ſtulta ego nequicquam eum voco filium. Matrimonium enim inæquale, inſuperque contractum in prædio ruſticano abſque ullo teſte, & abſque conſenſu patris, non poteſt cenſeri validum: propterea que hic naſcetur nothus; ſi tamen ſinamus te ullo modo edere* tuum *fœtum. His verbis prolatis irruit in ipſam, & diſcindit ejus veſtem multis locis, laniatâque ejus comâ, & contuſo capite, allidit* ipſam *graviter* ſolo. *& ſumptis frumento, hordeo, milio*, ſeminibus *papaveris, cicere, lente, & fabâ, iiſquè permixtis congeſtim & confuſis in unum acervum, ſic* affatur *ipſam: Atenim* cùm ſis *ancilla adeò turpis, videris mihi nullâ aliâ re conciliare* tibi *tuos amatores, niſi tantùm diligenti ſervitio: ego ipſa mox experiar quàm ſis*

NOTÆ.

contrà juſtior inde Veneri excandeſcendi cauſa. Juno ad Calliſtum, apud Ovid. Metamorphoſ. lib. 2.

Scilicet hoc etiam reſtabat, adultera, dixit,
Ut fœcunda fores, fieretque injuria partu
Nota, Joviſque mei teſtatum dedecus eſſet?

1. *In villâ.*] Ubi clandeſtinæ, non celebres eſſe potuerunt. Contrà, Noſter in Apologiâ nuptias ſuas cum Pudentillâ in villâ contractas tuetur. *Lex quidem Julia*, inquit, *de maritandis ordinibus nunquam ſcilicet ad hunc modum interdixit: uxorem in villâ ne ducito. Immò, ſi verum velis, uxor ad prolem multò auſpicatiùs in villâ, quàm in oppido ducitur: in ſolo uberi, quàm in loco ſterili: in agri ceſpite, quàm in fori ſilice, &c.*

2. *Sine teſtibus, & patre non conſentiente.*] Quod tamen neceſſarium eſt, niſi filius fuerit emancipatus, ut videre eſt Legg. 2. & 25. ff. *de Ritu Nuptiarum.*

3. *Diloricat.*] M. Tull. de Oratore, *non dubitavit excitare reum Conſularem, & ejus diloricare tunicam, & Judicibus cicatrices adverſas ſenis Imperatoris oſtendere.* Infrà, lib. 7. *& diloricatis ſtatim pannulis in medium profudit duo millia aureorum.* Tranſlatio eſt à *loricâ* pectoris tegmine ferreo ad veſtimenta alia pectus ambientia. *Diloricare* enim propriè eſt *loricam detrahere.*

4. *In unum grumulum.*] Beroald. legit, *in unum glomulum.* Quid, ſi legas *cumulum?* quanquam *grumulus* ſæpè pro *cumulo* accipitur.

5. *Frugem tuam periclitabor.*] Quia bonæ ſunt fruges & utiles, bonitatem uniuſcujuſque *frugem*, & *frugi virum* dixerunt eum, qui bonus eſſet & utilis.

periclitabor. Diſcerne ſeminum iſtorum [1] paſſivam congeriem: ſinguliſque granis ritè diſpoſitis, atque ſejugatis, ante ipſam veſperam [2] opus expeditum approbato mihi. Sic aſſignato tantorum ſeminum cumulo, ipſa cœnæ nuptiali conceſſit. Nec Pſyche manus admolitur inconditæ illi & inextricabili moli; ſed immanitate præcepti conſternata, ſilens obſtupeſcit. Tunc formicula illa parvula, atque ruricola, certatim difficultatis tantæ laboriſque miſerta contubernalis [3] magni Dei, ſocrûſque ſævitiam execrata, diſcurrens gnaviter convocat, corrogatque cunctam formicarum accolarum claſſem: Miſeremini [4] terræ omniparentis agiles alumnæ, miſeremini: & Amoris uxori, puellæ lepidæ, periclitanti promptâ velocitate ſuccurrite. Ruunt aliæ, ſuperque aliæ [5] ſepedum populorum undæ, ſummoque ſtudio granatim ſingulæ totum digerunt acervum: ſeparatimque diſtributis, diſſitiſque generibus, è conſpectu perniciter abeunt. Sed initio noctis è convivio nuptiali vino madens & fragrans balſama Venus remeat, totumque revincta corpus roſis micantibus, visâque diligentiâ miri laboris;

INTERPRETATIO.

frugi. Separa hunc promiſcuum cumulum granorum: & ordinatis rectè, atque ſeparatis ſingulis ſeminibus, exhibe mihi opus abſolutum priuſquàm nox adventet. Sic deſignato acervo tot ſeminum, ipſa confert ſe ad epulas nuptiales. Neque Pſyche admovet manus huic congeriei indigeſtæ, & inexplicabili; verùm deſpondens animum, ob enormitatem juſſorum, ſtupet muta. Tunc formica illa exigua, & ruſtica, certatim miſerata tantam difficultatem, & tantum *laborem uxoris magni Dei, & deteſtata crudelitatem ejus ſocrûs, currens huc illuc ſtrenuè, conciet omnem populum vicinarum formicarum: Miſereat vos,* ait, *ô celeres alumnæ telluris matris omnium* rerum, *miſereat; & auxiliamini celeri agilitate conjugi Cupidinis, formoſæ juveni poſitæ in diſcrimine. Agglomerantur alii, atque alii fluctus* illius *gentis* inſtructæ *ſex pedibus. Et omnes miro fervore diſcernunt totam congeriem in* ſingula *ſemina, & ſepoſitis, ac ſeorſim remotis ſpeciebus, diſcedunt velociter ex oculis. At Venus ineunte nocte revertitur ex nuptialibus epulis temulenta, redolens balſama, & circumdata toto corpore roſis vividi coloris; videnſque quantâ celeritate illud opus admirandum confectum eſſet;*

NOTÆ.

1. *Paſſivam congeriem.*] *Promiſcuam* nomine inclinato ab adverbio *paſſim*, quod eſt à *pateo*.

2. *Opus expeditum approbato mihi.*] Opus approbare dicuntur artifices, quando illud tale exhibent factum, quale faciendum ſuſceperant. Phædrus de Simonide:

Opus approbavit, dein mercedem poſtulat.

3. *Magni Dei.*] Cupidinis, quem lib. 5. *Deorum maximum* dixit.

4. *Terræ omniparentis agiles alumnæ.*] Adumbratum eſt ex hoc Virgilii:

Necnon & Tytion Terræ omniparentis alumnum.

5. *Sepedum populorum undæ.*] Formicarum, quibus ſex pedes ſunt, ut & plurimis aliis inſectis. *Undæ* hîc metaphoricè pro *multitudine*. Sic Juvenalis Satyr. 3.

——— *nobis properantibus obſtat*
Unda prior.

Ad quem locum vetus Scholiaſtes: *unda prior; populi multitudo ſtantis ad officium.*

Non tuum, inquit, nequiſſima, nec tuarum manuum iſtud opus, ſed illius,cui tuo,immò,& ipſius malo, placuiſti. Et fruſto cibarii panis ei projecto, cubitum faceſſit. Interim Cupido ſolus interioris domus unici cubiculi cuſtodiâ clauſus, coërcebatur acriter: partim, ne petulanti luxurie vulnus gravaret; partim, ne cum ſuâ cupitâ conveniret. Sic ergo diſtinctis, & ſub uno tecto ſeparatis [1] amatoribus, tetra nox exantlata. Sed aurorâ commodùm inequitante, vocatæ Pſychæ Venus infit talia: Vides-ne illud nemus, quod fluvio præterluenti, rupique longæ attenditur: cujus imi gurgites vicinum fontem deſpiciunt? oves ibi nitentes, aurique colore florentes, incuſtodito paſtu vagantur. Inde de comâ pretioſi velleris floccum mihi confeſtim quoquomodo quæſitum afferas cenſeo. Perrexit Pſyche volenter, non obſequium quidem illa functura, ſed requiem malorum præcipitio fluvialis rupis habitura. Sed inde de fluvio Muſicæ ſuavis nutricula, leni crepitu dulcis auræ divinitùs inſpirata, ſic vaticinatur Arundo viridis: Pſyche, tantis ærumnis exercita, neque tuâ miſerrimâ morte meas ſanctas aquas polluas, nec verò contra formidabiles oves iſtius oræ feras aditum; quoad de Solis flagrantiâ mutuato calore, [2] truci rabie ſolent efferari, cornuque acuto, & fronte ſaxeâ, & nonnunquam venenatis morſibus in exitium ſævire mortalium. ſed dum meridies Solis ſedaverit vaporem, & pecua ſpiritûs fluvialis ſerenitate

INTERPRETATIO.

Hoc non factum eſt à te, inquit, neque tuis manibus, peſſima, ſed operâ *illius, cui placuiſti tuo damno, immò, & ſuo quoque. Et projecto ipſi fruſto panis atri, it dormitum. Intereà Cupido diligenter cuſtodiebatur, incluſus ſolus carcere unius cubiculi,* quod erat *in penitiore parte ædium: tum ne exaſperaret vulnus ſuum procaci laſciviâ;* tum etiam *ne poſſet adire ſuam dilectam. Igitur amatores ſic diviſi, atque disjuncti in eadem domo tranſegerunt diram noctem. Sed vix diluxerat, cùm Venus accerſit Pſychen,* eique *hæc dixit: Cernis-ne lucum illum, qui extenditur ſecundùm amnem præterlabentem, & longam rupem, cujus extremæ vorągines proſpectant fontem proximum? illic oves ſplendentes, & micantes fulgore aureo errant paſcentes ſine cuſtode. Volo ut illinc afferas mihi actutùm floccum ex illâ lanâ aureâ quocunque* tandem *pacto* eum poſſis *conſequi. Pſyche libenter ivit, non* eo *quidem* animo*, ut faceret imperata, ſed ut finem imponeret ſuis ærumnis, præcipitando ſe ex rupe fluvio proximâ. Verùm Canna virens jucunda nutrix Muſicæ, afflatâ divinitùs tenui ſuſurro lenis venti, ſic loquitur ex ipſo flumine: O Pſyche, jactata* tot *ac tantis calamitatibus, ne inquines meas puras undas tuâ nece infeliciſſimâ, neque tamen progrediaris adverſus oves metuendas hujus ripæ quandiu ſolent corripi furore crudeli, tracto æſtu ex Solis ardore, & graſſari in perniciem hominum acutis cornibus, & duro ſyncipite, atque aliquando morſibus viroſis. ſed poteris te occultare clanculùm ſub illa platano altiſſimâ, quæ alitur humore ejuſdem fluvii*

NOTÆ.

1. *Amatoribus.*] Pſychæ nimirùm, & Cupidini.

2 *Truci rabie ſolent efferri.*] Meliùs legas *efferari.*

conquieverint

conquieverint, poteris ſub illâ proceriſſimâ platano, quæ mecum ſimul unum fluentum bibit, latenter te abſcondere: &, cùm primùm mitigatâ furiâ laxaverint oves animum, percuſſis frondibus attigui nemoris, lanoſum aurum reperies, quod paſſim ſtirpibus connexum obhæreſcit. Sic Arundo ſimplex & humana Pſychen ægerrimam ſalutem ſuam docebat. Nec auſcultatu pœnitendo diligenter inſtructa illa, ceſſavit; ſed obſervatis omnibus, [1] furatrinâ facili, flaventis auri mollitie congeſtum gremium Veneri reportat. Nec tamen apud dominam ſaltem ſecundi laboris periculum, ſecundum teſtimonium meruit; ſed contortis ſuperciliis ſubridens amarum, ſic inquit: Nec me præterit hujus quoque facti auctor adulterinus. Sed jam nunc ego ſedulò periclitabor, an oppidò forti animo ſingularique prudentiâ ſis prædita. Vides-ne inſiſtentem celſiſſimæ illi rupi montis ardui verticem, de quo fontis atri fuſcæ defluunt undæ, proximæque conceptaculo vallis incluſæ [2] Stygias irrigant paludes, & rauca [3] Cocyti fluenta nutriunt? Indidem mihi de ſummi fontis penitâ ſcaturigine rorem rigentem hauritum iſtà confeſtim deferto urnulâ. Sic aiens, cryſtallo dedolatum vaſculum; inſuper ei graviora comminata tradidit. At illa ſtudioſè gradum celerans, montis extremum petit cumulum; certè

INTERPRETATIO.

ac ego, donec Solis ardor remiſſus fuerit poſt meridiem, & oves requieverint tranquillitate auræ fluminea: & ſtatim atque illæ *pecudes ſumpſerint mitiorem ſpiritum lenito furore, excuſſis foliis vicini luci invenies lanam auream, quæ adhæret hic illic implicata fruticibus. Sic Canna illa bona & miſericors monſtrabat mœſtiſſimæ Pſychæ quo pacto evaderet ſalva. Ipſa verò ſedulò erudita documento ſalutari, non remanſit otioſa; ſed exploratis ſingulis, facili furto refert ad Venerem ſinum plenum lanæ aureæ & mollis. Neque tamen labor hujus ſecundi diſcriminis promeritus eſt ullam laudem apud heram; ſed* ipſa *obliquatis ſuperciliis renidens indignanter, ſic loquuta eſt: Non mihi latet auctor diſſimulatus hujus facti. Sed mox experiar callidè utrum polleas animo valdè conſtanti, & eximiâ prudentiâ. Cernis-ne acumen excelſi montis impoſitum huic altiſſimo colli, ex quo atri fluctus nigræ ſcaturiginis emanant, & concluſi alveo vallis viciniæ ſuppeditant aquam ſtagnis Stygiis, & alunt undas murmurantes Cocyti? Hauri inde hoc urceolo aquam gelidam ex intimo capite ſupremi fontis, & affer ad me actutùm. Et cum dicto dat ei urnulam cryſtallinam egregiè politam, additis minis aſperioribus. Illa autem diligenter feſtinans contendit ad ſupremum verticem montis, ibi repertu-*

NOTÆ.

1. *Furatrina facili.*] *Furto.* Eodem ſignificatu lib. 8. *furatrinæ conjugalis incommodaret rudimentum.*

2. *Stygias irrigans paludes.*] ἀπὸ τοῦ ϛυγεῖν, quod eſt *odiſſe* dictas exiſtimant. Fuit Styx fons ad Nonacrin Arcadiæ è ſaxis profluens, exitialis omnibus animalibus, atque adeo frigidus, ut aqua ejus pota enecaret, ferrum ac æs roderet, ſolâque mulæ ungulâ contineri poſſe crederetur, cùm cætera vaſa rumperet.

3. *Cocyti fluenta.*] *Cocytus* fluvius Inferorum à κώκυτος, *luctus*, *ululatus*,

Apul. Aa

vel illic inventura vitæ peſſimæ finem. Sed cùm primùm prædicti jugi conterminos locos appulit: videt rei vaſtæ lethalem difficultatem. Namque ſaxum immani magnitudine procerum, & inacceſsâ ſalebritate lubricum, mediis è faucibus lapidis fontes horridos evomebat: qui ſtatim proni foraminis lacunis educti, perque proclive delapſi, & anguſti canalis exerto contecti tramite, proximam convallem latenter incidebant. dexterâ lævâque cotibus cavatis proſerpunt, & longa colla porrecti ſævi dracones, inconnivæ vigiliæ luminibus addictis, & in perpetuam lucem pupulis excubantibus. Jamque & ipſæ ſemet muniebant vocales aquæ. nam &, Diſcede, Quid facis? &, Vide, &, Quid agis? Cave, &, Fuge, &, Peribis, ſubinde clamant. Sic impoſſibilitate ipsâ mutata in lapidem Pſyche, quamvis præſenti corpore, ſenſibus tamen aberat: & inextricabilis periculi mole prorſus obruta, lacrymarum etiam extremo ſolatio carebat. Nec Providentiæ bonæ graves oculos innocentis animæ latuit ærumna. Nam ſupremi Jovis regalis ales illa, repentè, propanſis utrimque pinnis affuit rapax aquila: memorque veteris obſequii, quo, ductu Cupidinis, Jovi [1] pocillatorem Phrygium ſuſtulerat, opportunam ferens opem, Deique numen in uxoris laboribus percolens, [2] alti culminis Diales vias de-

INTERPRETATIO.

ra ſaltem finem ſuæ *miſerrimæ vitæ. Sed ſtatim atque pervenit ad loca vicina ſupradicti verticis, cernit mortale periculum immanis rei. Saxum enim altum mole enormi, & periculoſum ob aſperitatem inacceſſibilem, ructabat ex medio hiatu lapidis latices horrendos, qui illicò ejecti alveis foraminis declivis, & fluentes per devexa, & cooperti porrectâ ſemitâ arcti alvei, delabebantur clanculùm in proximam vallem. A dextrâ etiam ſiniſtrâque* parte *ſeri dracones reptant in ſaxis excavatis promoventes longas cervices, oculis mancipatis vigiliæ indefeſſæ, pupilliſque nulla unquam nocte clauſis. Ipſæ quoque undæ perſtrepentes jam ſeipſæ defendebant. identidem enim clamant:* Recede, *&, quid facis? &, Conſidera, &, Quid agis? Cave, &, Fuge, &, Te is perditum. Sic Pſyche* videns *fieri non poſſe* quod ſibi fuerat imperatum, *ſtupefacta inſtar ſaxi, licet præſens corpore, erat tamen abſens animo. Et oppreſſa penitus magnitudine periculi, ex quo non poterat ſe expedire, deſtituta etiam erat ultimâ conſolatione lacrymarum. At labor inſontis animi* ejus *non fugit oculos perſpicaces benignæ Providentiæ. Illa enim prædatrix Aquila, avis regia ſummi Jovis ſtatim præſtò adfuit expanſis ambabus alis, & recordata antiqui miniſterii, quo rapuerat Jovi pincernam Troianum auſpiciis Cupidinis auxilians tempeſtivè, & colens Deum in ærumnis conjugis ejus, relinquit æthereos tramites ex*

NOTÆ.

1. *Pocillatorem Phrygium.*] Ganymedem Troianum & Phrygem.

2. *Alti culminis Diales vias deſerit.*] *Diales* ἀπὸ τοῦ Διος *ethereas.* De Aquilâ Noſter in Floridis: *aquila, cùm ſe nubium tenùs altiſſimè ſublimavit, evecta alis totum illud ſpatium quà pluitur, & ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini, nec fulguri locus eſt, in ipſo (ut ita dixerim) ſolo ætheris, & faſtigio hyemis, &c.*

ferit, & ob os puellæ prævolans, incipit: At tu ſimplex alioquin, & expers rerum talium, ſperas-ne te ſanctiſſimi nec minùs truculenti fontis vel unam ſtillam poſſe furari, vel omninò contingere? Diis etiam, ipſique Jovi formidabiles aquas iſtas Stygias vel fando comperiſti? quodque vos dejeratis per numina Deorum, Deos per Stygiam majeſtatem ſolere? Sed cedo iſtam urnulam. Et protinus arreptam, completamque feſtinanter, libratiſque pinnarum nutantium molibus, inter genas ſævientium dentium, & triſulca vibramina draconum remigium dextrâ lævâque porrigens, nolentes aquas, [1] &, ut abiret innoxius præmonentes, excipit: commentus ob juſſum Veneris petere, eique ſe præminiſtrare. quare pauló facilior adeundi fuit copia. Sic acceptam cum gaudio plenam urnulam Pſyche Veneri citata retulit. Nec tamen nutum Deæ ſævientis vel tunc expiare potuit: nam ſic eam, [2] majora atque pejora flagitia comminans, appellat renidens exitiabile: Jam tu quidem videris maga quædam mihi [3] & altè prorſus malefica, quæ talibus præceptis meis obtemperâſti gnaviter. Sed adhuc iſtud, mea pupula, miniſtrare debebis. Sume iſtam pyxidem (& de-

Interpretatio.

celſi cœli, & volitans ante puellam, ſic fatur: Tu verò rudis alioquin, & ignara hujuſcemodi rerum, confidis-ne te poſſe ſubripere, aut etiam tangere vel unam guttam hujus ſacratiſſimi, pariterque horrendi laticis? Audiviſti-ne unquam aliquid *de his aquis Stygiis, quæ metuendæ ſunt etiam Diis, & ipſi Jovi? Et* ſcis-ne *Deos ſolitos eſſe jurare per numen Stygis* ea, *quæ vos juratis per ipſos Deos? Sed da mihi iſtud vaſculum. Et ſtatim captum implevit, expansâque amplitudine alarum motitantium, dirigens volatum modò in dextram partem, modò in ſiniſtram inter ora draconum armatorum ſævis dentibus, & vibrantium linguas trifidas, haurit aquas licet invitas, & hortantes ut diſcederet illæſa: mentita ſe* eas *petere juſſu Veneris, ſeque eſſe ejus miniſtram. quapropter paulò facilior fuit* ipſi *venia accedendi. Itaque Pſyche gaudens accepit urceolum plenum, & reportavit ad Venerem feſtinans. Neque tamen potuit placare etiam tunc numen ſævæ Deæ; his enim verbis affatur ridens lethale* & *minitans majora gravioraque pericula. Jam tu mihi videris quidem aliqua ſaga, & planè magna venefica, quæ ſtrenuè obediviſti ejuſmodi juſſis meis. Verùm, ô puellula mea, oportet ut præſtes adhuc mihi hoc obſequium. Cape hanc pyxidem,*

Notæ.

1. *Et ut abiret innoxius præmonentes.*] *Innoxius* hîc an *innocuus*, id eſt, *intactis aquis*? An verò *illæſus* à draconibus? Hoc poſterius magis placet. Itaque *innoxius* paſſivè pro eo, cui non eſt nocitum, ut vidimus ſuprà *neſcius* pro eo qui neſcitur. *Uteri neſcia rudimenta.* Obſerva hîc *innoxius*, & mox *commentus* maſculino genere cùm ſuprà dixerit *ales illa* fœminino, quæ omnia referuntur ad nomen *Aquilæ* generis epicœni.

2. *Majora atque pejora flagitia comminans.*] Nonius: *Flagitium, periculum. Lucilii teſtimonio, lib. 29. quiete poſcente minùs & præbent rectiùs multo, & ſine flagitio.* Idem Nonius: *flagitium veteres vitium, quod virgini infertur dici voluerunt.* Priori ſenſu hîc intellige *flagitia.*

3. *Et altè prorſus venefica.*] *Altè* ἄκρως, πάνυ.

dit protinus) uſque ad Inferos & ipſius Orci ferales Penates te dirige. tunc conferens pyxidem Proſerpinæ: Petit de te Venus, dicito, modicum de tuâ mittas ei formoſitate, vel ad unam ſaltem dieculam ſufficiens. nam quod habuit, dum filium curat ægrotum, conſumpſit atque contrivit omne. Sed haud immaturiùs redito; quia me neceſſe eſt indidem delinitam, theatrum Deorum frequentare. Tunc Pſyche vel maximè ſenſit ultimas fortunas ſuas; &, velamento rejecto, ad promptum exitium ſeſe compelli manifeſtè comperit. quidni? quæ ſuis pedibus ultrò ad Tartarum Maneſque demeare cogeretur. Nec contata diutiùs, pergit ad quampiam turrim præaltam, indidem ſeſe datura præcipitem: ſic enim rebatur, ad Inferos rectè atque pulcherrimè ſe poſſe deſcendere. Sed turris prorupit in vocem ſubitam: Et, Quid te, inquit, præcipitio, miſella, quæris extinguere? quidque jam noviſſimo periculo,[1] laborique iſto temerè ſuccumbis? Nam, ſi ſpiritus corpore tuo ſemel fuerit ſejugatus, ibis quidem profectò ad imum Tartarum, ſed inde nullo pacto redire poteris. Mihi auſcultа. [2] Lacedæmon Achaiæ nobilis civitas non longè ſita eſt. hujus conterminam, deviis abditam locis, quære Tænarum. inibi ſpiraculum Ditis, & per portas hiantes monſtratur iter invium: cujus te limite tranſmeato ſimul te commiſeris, jam canale directo pergis

INTERPRETATIO.

(& tradidit ſtatim ei) ito uſque ad Avernum, & funeſtas ſedes ipſius Ditis. ibi *tum exhibens pyxidem Proſerpinæ: dic ipſi, Venus te rogat, ut ad ſe mittas paululum de tuá pulchritudine, quod ſatis ei ſit ſaltem in unum diem. quidquid enim habebat, abſumpſit id omne atque detrivit interim dum curat filium ægrotantem. Verùm ne remees tardiùs; oportet enim ut me conferam in conſeſſum Deorum uncta illá. Tunc maximè Pſyche animadvertit ſe eſſe redactam ad extremas anguſtias, evidenterque agnovit ſe, remotá jam omni ſimulatione, trudi ad celerem perniciem. Cur non? ſiquidem jubebatur ipſa deſcendere ſuis pedibus ad Inferos, & umbras mortuorum. Nec ultrà morata, petit quandam turrim altiſſimam, præcipitatura ſe ex ipsâ: putabat enim ſe hac ratione poſſe facillimè, &, commodiſſimè demeare ad Erebum. Verùm turris cœpit repentè loqui, &, Quare, ait, ô infelix, tentas finire vitam præcipitio, & cur tam facilè vinceris hoc ultimo diſcrimine & labore? Si enim anima fuerit ſemel ſeparata à tuo corpore, deſcendes quidem certè ad infimum Avernum, ſed nullatenus poteris remeare illinc. Audi me. Sparta inclyta urbs Achaiæ haud procul* hinc *diſtat. inveſtiga Tænarum huic vicinam, abſtruſam locis inacceſſis. Illic oſtenditur ſpiraculum Plutonis, & via infrequens per hiatum patentem, cui ſtatim atque te credideris ſupergreſſa aditum ejus, jam tendes ad Palatium Plutonis rectè*

NOTÆ.

1. *Laborique iſto.*] ἀρχαϊκῶς, pro *iſti.* Sic Terent. Eunucho: *mihi ſolæ ridiculo fuit*, pro *mihi ſoli.*

2. *Lacedæmon Achaïæ.*] Vide Notas l. 1. p. 3. Achaïæ duæ fuerunt, una Macedoniam inter, & Peloponneſum, altera in ipſâ Peloponneſo, quæ vera & prima Achaia putatur. Hujus erat Lacedæmon.

ad ipſam Orci regiam. Sed non hactenus vacua debebis per illas tenebras incedere, ſed [1] offas polentæ mulſo concretas ambabus geſtare manibus, ac in ipſo ore duas ferre ſtipes. Jamque confectâ bonâ parte mortiferæ viæ, continuaberis [2] claudum aſinum lignorum gerulum, cum agaſone ſimili: qui te rogabit, decidentes ſarcinâ fuſticulos aliquot porrigas ei. ſed tu nullâ voce depromptâ, tacita prætcrito. Nec mora, cùm ad [3] flumen mortuum venies, cui præfectus [4] Charon protinus expetens portorium, ſic ad ripam ulteriorem [5] ſutili cymbâ ducit commeantes. Ergo & inter mortuos avaritia vivit? nec Charon ille, [6] & Ditis pater, tantus Deus, quidquam gratuitò facit; & pauper [7] moriens viaticum debet quærere; &, æs ſi fortè præ manu non fuerit, [8] nemo eum exſpirare patietur? Huic ſquallido ſeni dabis nauli nomine, de ſtipibus quas feres, alteram: ſic tamen, ut ipſe ſuâ manu de tuo ſumat ore. Nec ſeciùs tibi pigrum fluentum tranſmeanti, [9] quidam ſupernatans ſenex mortuus, putres attollens manus,

INTERPRETATIO.

tramite. Verùm oportebit ut non gradiaris inanis eò uſque per illam obſcuritatem, ſed tibi ferenda erunt utráque manu duo *liba ex farinâ hordeaceâ pinſita vino mellito, & geſtandi* erunt *duo nummuli ærei in ipſo ore. Et cùm emenſa fueris bonam partem itineris lethalis, aſſequeris aſinum claudicantem bajulantem ligna cum aſinario ſimili, qui orabit te ut ſibi tradas aliquot bacillos delapſos ex ſuo faſce. at tu tranſeas cum ſilentio nullo verbo prolato. Et paulò pòſt devenies ad letheum amnem, cui præpoſitus Charon continuò rogans naulum eâ* mercede *trajicit tranſeuntes ad marginem adverſum naviculâ textili. Igitur avaritia viget etiam inter defunctos? Et ille Charon & Pluto, tantus Deus, nihil faciunt abſque mercede; atque oportet ut inops moriens quærat viaticum; & ſi fortè non habuerit ſtipem ad manum, nemo ſinet eum mori? Dabis huic ſordido ſeni pro portorio unum ex nummulis, quos feres, ita tamen, ut ipſe capiat manu ſuâ ex tuo ore. Similiter dum trajicies tardum flumen, quidam ſenex mortuus ſupernatans, ſuſtollens manus putridas,*

NOTÆ.

1. *Offas polentæ mulſo concretas.*] Deſumpta hæc ex hoc Virgilii lib. 6. Æn.

Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam.

2. *Claudum aſinum lignorum gerulum, &c.*] Ad fabulam aliquam reſpicit ſuo ævo notam, cujus ad nos uſque memoria non pervenit.

3. *Flumen mortuum.*] Acherontem Inferorum fluvium, vel Cocytum.

4. *Charon*] Hujus deſcriptionem vide apud Virgil. lib. 6. Æneid.

5. *Sutili cymbâ.*] Virgil. ibidem.

——— *gemuit ſub pondere cymba*
Sutilis, & multam accepit rimoſa paludem.

6. *Et Ditis pater.*] *Ditis* hîc in recto caſu eſt, non in patrio.

7. *Moriens debet viaticum quærere.*] Plaut. in Prologo Pœnuli:

——— *ipſe abit ad Acherontem ſine viatico.*

8. *Nemo eum expirare patietur.*] Conſimile eſt apud Lucianum, Dialog. Mort. illud Menippi ad Charontem naulum poſcentem ᾔδειν μὲν, οὐκ εἶχον δέ· τί οὖν; ἐχρῆν διὰ τοῦτο μὴ ἀποθανεῖν; *ſciebam quidem* (quid apportandum fuit) *ſed non habebam: quid ergo? An propterea mori non oportuit!*

9. *Quidam ſupernatans ſenex.*] De hoc ſene nihil habemus apud Auctores, ſicut nec de agaſone & aſino, de quibus ſuprà.

orabit, ut eum intra navigium trahas. nec tu tamen illicitâ affectare pietate. Tranſito fluvio, modicùm te progreſſam [1] textrices orabunt anus telam ſtruentes, manus pauliſper accommodes. nec id tamen tibi contingere fas eſt. Nam hæc omnia tibi, & multa alia de Veneris inſidiis orientur, ut vel unam de manibus omittas offulam. Nec putes futile iſtud [2] polentarium damnum leve. alterâ enim perditâ, lux hæc tibi prorſùs denegabitur. [3] Canis namque pergrandis trijugo & ſatis amplo capite præditus, immanis & formidabilis, tonantibus oblatrans faucibus, mortuos, quibus jam nil mali poteſt facere, fruſtrà territando, ante ipſum limen & atra atria Proſerpinæ ſemper excubans, ſervat [4] vacuam Ditis domum. Hunc offrænatum unius offulæ prædâ, facilè præteribis: ad ipſamque protinus Proſerpinam introibis: quæ te comiter excipiet, ac benignè; ut & molliter aſſidere, & prandium opiparè ſuadeat ſumere. Sed tu & humi reſide, & panem ſordidum petitum eſto: deinde nuntiato quid adveneris, ſuſceptoque quod offeretur, rurſus remeans, canis ſævitiem offulâ reliquâ redime: ac deinde avaro navitæ datâ, quam reſervaveras, ſtipe, tranſitoque ejus fluvio, recalcans priora veſtigia, ad iſtum cœleſtium ſiderum [5] redies [6] chorum. Sed inter omnia hîc obſervandum

INTERPRETATIO.

rogabit te, *ut trahas ipſum intra cymbam. neque tu tamen commovearis miſeratione illegitimâ. Amne trajecto, cùm proceſſeris aliquantulùm, vetulæ textrices texentes telam rogabunt te, ut ſe juves tantillùm admotis manibus. neque tamen licet tibi hoc tangere. hæc enim omnia, & alia multa tibi ſuſcitabuntur inſidiis Veneris, ut vel unum libum dimittas è manibus. Neque exiſtimes jacturam illam* unius *offæ*, quæ aliàs *levis* eſt, tunc *eſſe parvi momenti. unâ enim amiſsâ omninò privaberis hac luce. Canis enim ingens inſtructus capite triplici, & vaſto, enormis, & terribilis allatrans faucibus reboantibus inſtar tonitru, incaſſum terrefaciendo defunctos, quos jam nullatenus poteſt lædere, agens perpetuas excubias ante fores, & nigra palatia Proſerpinæ, cuſtodit inanes ædes Plutonis. Facilè prætergredieris hunc coërcitum injecto uno ex libis* tuis *: & intrabis ſtatim ad ipſam Proſerpinam, quæ excipiet te blandè, atque amicè*, adeo *ut te hortetur ad ſedendum in mollibus ſedilibus, & ad prandendum lautè. Verùm tu ſede humi, & pete atrum panem*, illumque *comedito: dein memoratâ cauſâ tui adventûs, poſtquam acceperis quod tibi porrigetur, rediens iterùm, libera te libo reſiduo à rabie canis; & poſteà nummulo, quem reſervaveras, tradito avaro portitori, trajectoque amne ejus, reverteris in has luminis auras, remetiens priores greſſus. Verùm ſuadeo* ut *hoc caveas præ cæteris, ne*

NOTÆ.

1. *Textrices orabunt anus.*] Videtur Parcas innuere, quanquam hæ tamen vitam hominum nere dicuntur, non texere.

2. *Polentarium damnum.*] Jacturam offæ ex polentâ factæ.

3. *Canis.*] Cerberus.

4. *Servat vacuam Ditis domum.*] Virgil.

Perque domos Ditis vacuas, & inania regna

quippe quæ ſimulacris tantum mortuorum, & ſine corpore umbris plena ſunt.

5. *Redies.*] Archaïſmus, pro *redibis.*

6. *Chorum.*] *Chorus* propriè canen-

præcipuè tibi cenſeo, ne velis aperire, vel inſpicere illam, quam feres, pyxidem: vel omninò formoſitatis divinæ abditum cures theſaurum. 1 Sic turris illa proſpicua vaticinationis munus explicuit. Nec morata Pſyche, pergit Tænarum: ſumptiſque ritè ſtipibus illis, & offulis, infernum decurrit meatum: tranſitoque per ſilentium aſinario debili, & amnicâ ſtipe vectori datâ, neglecto ſupernatantis mortui deſiderio, & ſpretis textricum ſubdolis precibus, & offulæ cibo ſopitâ canis horrendi rabie, domum Proſerpinæ penetrat. Nec offerentis hoſpitæ ſedile delicatum, vel cibum beatum amplexa; ſed ante pedes ejus reſidens humilis, & cibario pane contenta, Veneream pertulit legationem. Statimque ſecretò repletam concluſamque pyxidem ſuſcipit, & offulæ ſequentis fraude caninis latratibus obſeratis, & reſiduâ navitæ redditâ ſtipe, longè vegetior ab Inferis recurrit. Repetitâ igitur atque adoratâ candidâ iſtâ luce, quanquam feſtinans obſequium terminare, mente capitur temerariâ curioſitate. Et: Ecce, inquit, inepta ego divinæ formoſitatis gerula, quæ nec tantillum quidem indidem mihi delibo, vel ſic illi amatori meo formoſo placitura. Et cum dicto reſerat pyxidem. nec quidquam ibi rerum, nec formoſitas ulla, ſed infernus ſomnus, ac verè Stygius: qui ſtatim cooperculo revelatus, invadit eam; craſſique ſoporis nebula cunctis ejus membris perfunditur,

INTERPRETATIO.

velis aperire, aut intueri pyxidem illam, quam geſtabis; ne ve ſollicita ſis ullatenus de illo theſauro occulto divinæ pulchritudinis. Sic illa provida turris pronuntiavit ſuam præmonitionem. Pſyche vero petit Tænarum abſque cunctatione: aſſumptiſque nummulis illis, & libis ex præſcripto, deſcendit per iter Averni: & prætirito tacitè agaſone claudo, & naulo perſoluto nautæ, ſpreto poſtulato mortui ſupernatantis, & ſubterhabitis fallacibus rogitationibus textricum, & ſedato furore canis formidandi eſcâ libi, ingreditur in ædes Proſerpinæ. Recuſatoque molli ſedili, & prandio opiparo hoſpitæ invitantis, ſedenſque humi ante ejus pedes, & contenta pane atro, expoſuit mandata Veneris. Protinuſque datur ei pyxis clam completa, & occluſa, ac latratibus caninis præcluſis dolo alterius libi, & nummulo, qui ſupererat, tradito portitori, revertitur ab Inferis multò alacrior. Recuperato igitur, & adorato claro lumine hujus mundi, tametſi properaret abſolvere mandata, corripitur tamen animo curioſitate imprudenti. Et: Sanè, inquit, ego ſtulta ſum, quæ fero pulchritudinem divinam, neque tamen ſumo mihi aliquantulum ex ipsâ, ſaltem ut hoc pacto placeam pulchro illi amatori meo. Et hoc dicens aperit pyxidem. neque res ulla, aut ulla pulchritudo inerat, ſed ſopor infernus, ac verè Lethæus, qui ſimul ac diſcoopertus eſt ſublato *operculo, occupat ipſam, & caligo denſi ſomni diffunditur in omnes artus ejus, & detinet lapſam*

NOTÆ.

tium eſt. Hîc pro aſtrorum *ἁρμονικῶς κινέντων* cœtu uſurpatur. Sic lib. de Deo Socratis: *Arcturum, pluviaſque hyadas, geminoſque Triones, alioſque itidem radiantes Deos, quibus cœli chorum comptum & coronatum ſudâ tempeſtate viſimus.*

1. *Sic turris illa proſpicua.*] Sic reſtituit Priçæus ex Mſs. Oxon. & Florent. aliàs legebatur *propitia.*

& in ipſo veſtigio, ipsâque ſemitâ collapſam poſſidet. & jacebat immobilis, & nihil aliud quàm dormiens cadaver. Sed Cupido jam cicatrice ſolidâ revaleſcens, nec diutinam ſuæ Pſyches abſentiam tolerans, per arctiſſimam cubiculi, quo cohibebatur, elapſus feneſtram refectiſque pinnis aliquantâ quiete, longè velociùs provolans, Pſychen accurrit ſuam: deterſoque ſomno curiosè, & rurſum in priſtinam pyxidis ſedem recondito, Pſychen innoxio punctulo ſuæ ſagittæ ſuſcitat. Et, Ecce, inquit, rurſum perieras, miſella, ſimili curioſitate. Sed interim quidem tu provinciam, quæ tibi matris meæ præcepto mandata eſt, exequere gnaviter: cætera egomet videro. His dictis amator levis in pinnas ſe dedit. Pſyche verò confeſtim Veneri munus reportat Proſerpinæ. Intereà Cupido [1] amore nimio pereſus, & ægrâ facie matris ſuæ repentinam Sobrietatem pertimeſcens, [2] ad armile redit: aliſque pernicibus cœli penetrato vertice, magno Jovi ſupplicat, ſuamque cauſam probat. Tunc Jupiter, [3] prehensâ Cupidinis bucculâ, manuque ad os ſuum relatâ, conſaviat, atque ſic ad illum:

INTERPRETATIO.

in ipſo loco, ipsâque viâ; & ipſa ſtrata erat immota, nihilque aliud videbatur, *quàm cadaver ſopitum. At Cupido jam convaleſcens obductâ cicatrice, & impatiens longæ abſentiæ ſuæ Pſyches, elapſus per anguſtiſſimam feneſtram cubiculi, in quo detinebatur, & volans multò celeriùs alis recreatis quiete ſat longâ, advolat ad ſuam Pſychen, & ſopore ſedulo abſterſo, iterumque retruſo in pyxidem ſuum priorem locum, expergefacit Pſychen levi punctiunculâ ſuæ ſagittæ. Et, Nunc, ait, perdideras te iterum, ô infelix, propter conſimilem curioſitatem, At tu interim ſtrenuè perfungere munus tibi injunctum juſſu meæ parentis. ego ipſe curabo reliqua. Poſt hæc verba volucris amator avolavit. Pſyche autem defert ſtatim ad Venerem donum Proſerpinæ. Cupido interim conſumptus vehementiâ amoris, & morbido vultu, metuens Sobrietatem ſubitò* accerſitam *à ſuâ matre, redit ad ingenium: & delatus ad ſupremum cacumen cœli pinnis celeribus, deprecatur ſummum Jovem, eique approbat ſuam cauſam. Tum Jupiter contrectans oſculum Cupidinis, & referens manum ad ſuum os, deoſculatur* eum, *& alloquitur his verbis:*

NOTÆ.

1. *Amore pereſus.*] Virgil. lib. 6. Æn. *Hîc quos durus amor crudeli tabe peredit.*

2. *Ad armile redit.*] *Ad ingenium, ad notas artes.* Infrà, lib. 9. *tamen altiùs commota atque exaſperata ad armillum revertit, & ad familiares fœminarum artes accenditur.* Hinc patet *ad armile, & ad armillum redire* eſſe idem. Proverbium eſt ab anuum bibacitate tractum, quæ ſicunde vini odor nares allatus eſt, eò ſtatim currunt. Eſt enim *armillum* Feſto *vas vinarium in ſacris: dictum, quòd armo; id eſt, humero deportetur,* Et Varroni, lib. 1. de Vita Populi Romani: *item armillum, quod eſt urceoli genus vinarii.* Unde Nonius ex Lucilio lib. 28. *hinc ad me hinc ilicet anus rurſum ad armillum.* Porrò *armile* ſicut *armillum* ab *armo* deduci, & pro ſimili vaſe uſurpare nil vetat. Sunt tamen qui *armile* hîc ab *armis* deducant, & interpretentur *inſtrumentum* ſeu *armamentarium fraudium ac verſutiarum.*

3. *Prehensâ Cupidinis bucculâ manuque ad os ſuum relatæ.*] Similiter Sueton. in Auguſto: *ejuſque oſculum de-*

Licet tu, inquit, [1] domine fili, nunquam mihi conceſſu Deûm decretum ſervâris honorem: ſed iſtud pectus meum, quo leges elementorum & vices ſiderum diſponuntur, convulneràris aſſiduis ictibus, crebriſque terrenæ libidinis fœdaveris caſibus, contráque leges, [2] & ipſam Juliam, diſciplinamque publicam turpibus adulteriis exiſtimationem famamque meam læſeris, [3] in ſerpentes, in ignes, in feras, in aves & gregalia pecua ſerenos vultus meos ſordidè reformando; attamen modeſtiæ meæ memor, quódque inter iſtas meas manus creveris, cuncta perficiam: dum tamen ſcias æmulos tuos cavere: ac, ſi qua nunc in terris puella præpollet pulchritudine, præſentis beneficii vicem per eam mihi repenſare te debere. Sic fatus, jubet Mercurium Deos omnes ad concionem protinus convocare, ac, ſi qui cœtu cœleſtium defuiſſet, in pœnam decem millium nummûm conventum iri pronuntiare. Quo metu ſtatim completo cœleſti theatro, pro ſede

INTERPRETATIO.

Domine fili, quamvis tu nunquam exhibueris mihi *reverentiam conceſſam mihi decreto Deorum: ſed percuſſeris perpetuis plagis, & inquinaveris frequentibus caſibus amorum terreſtrium hoc meum cor, quo leges Elementorum, & motus Aſtrorum ordinantur, &* quamvis *contra leges omnes, ipſamque* adeo *Juliam, contraque diſciplinam publicam violaveris honorem, & famam meam obſcœnis ſtupris, mutando turpiter meam tranquillam faciem in angues, in flammas, in belluas, in volucres, & pecora armentalia; ego tamen recordatus meæ manſuetudinis, & te adoleviſſe inter has manus meas, faciam omnia tuâ* causâ: *modò tamen noveris cavere tibi ab invidis, ac ſi aliqua virgo nunc excellit formâ in terris,* memineris *gratiam hujus benefacti eſſe mihi referendam* conciliando mihi *ipſam. Sic locutus, imperat Mercurio, ut vocet confeſtim Deos omnes ad concilium, edicatque ſi quis abfuiſſet à conventu cœlicolarum, ei indictum iri mulctam decem millium nummorum. Cujus* mulctæ *timore cùm cœleſtis conſeſſus illicò repletus eſſet, Jupiter ſedens ſubli-*

NOTÆ.

libatum digitis ad os ſuum retuliſſet. Fuit hoc inter blanditias apud veteres.

1. *Domine fili.*] Cujus ſcilicet imperio ſe ſubjectum noverat ipſe Divûm pater, atque hominum rex.

2. *Et ipſam Juliam.*] Ab Auguſto latam in adulteros. Vide Pandectas lib. 48. tit. 5. Hanc reſpicit Horat. Od. 5. lib. 4. ad Auguſtum.

Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
Mos & lex maculoſum edomuit nefas,
Laudantur ſimili prole puerpera,
Culpam pœna premit comes.

3. *In ſerpentes, in ignes, in feras, &c.*] Ovid. lib. 6. Metamorphoſ. in telâ Arachnes:

Mæonis eluſam deſignat imagine tauri
Europam, &c.
Fecit & Aſterien aquilâ luctante teneri,
Fecit olorinis Ledam recubare ſub alis:
Addidit ut Satyri celatus imagine pulchram
Juppiter implerit gemino Nycteïda fœtu;
Amphitryon fuerit, cùm te Tyrinthia cepit;
Aureus ut Danaën, Aſopida luſerit ignis,
Mnemoſynen paſtor, variuſque Deoïda Serpens.

ſublimi ſedens procerus Jupiter, ſic enuntiat: [1] Dei conſcripti Muſarum albo, adoleſcentem iſtum, quòd manibus meis alumnatus ſit, profectò ſcitis omnes: cujus [2] primæ juventutis caloratos impetus fræno quodam coërcendos exiſtimavi. Sat eſt quotidianis eum fabulis, ob adulteria, cunctaſque corruptelas, infamatum; tollenda eſt omnis occaſio, & luxuria puerilis [3] nuptialibus pedicis alliganda. Puellam elegit, virginitate privavit: teneat, poſſideat, amplexus Pſychen ſemper ſuis amoribus perfruatur. Et ad Venerem collatâ facie, Nec tu, inquit, filia, quidquam contriſtare: nec proſapiæ tantæ tuæ, ſtatuique de matrimonio mortali metuas. Jam faxo nuptias non impares, ſed legitimas, & [4] Jure Civili congruas. Et illicò per Mercurium arripi Pſychen; & in cœlum perduci jubet. Porrectò [5] ambroſiæ poculo, Sume, inquit, Pſyche, & immortalis eſto: nec unquam digredietur à tuo nexu Cupido, ſed [6] iſtæ vobis erunt perpetuæ nuptiæ. Nec mora,

INTERPRETATIO.

mis in alto ſolio, ſic fatur: Dii conſcripti in catalogo Muſarum, proculdubio noſtis omnes hunc juvenem educatum fuiſſe his manibus meis: cujus primæ juventæ motus fervidos putavi cohibendos eſſe quibuſdam habenis. Satis eſt quòd ejus exiſtimatiò violata ſit rumoribus, qui quotidie circumferuntur *de ipſo, propter ſtupra, & omne genus corruptionum; auferenda eſt ei omnis occaſio* peccandi, *& libido juvenilis conſtringenda eſt laqueis connubii. Selegit virginem, & imminuit ejus pudicitiam: habeat, potiatur, complexus Pſychen fruatur perpetuò ſuis amoribus. Et converſo vultu ad Venerem, Tu verò, ô nata, inſit, neque angaris ullo pacto, neque timeas tuo generi tam nobili, tuæque conditioni propter connubium* puellæ *mortalis. Mox* enim *efficiam* ut *matrimonium* hoc *non* ſit *inæquale, ſed legitimum, & conveniens legibus civilibus. Et confeſtim imperat Pſychen rapi à Mercurio, & aſportari in cœlum.* Tum *oblato ei calice ambroſiæ: Bibe, ait, ô Pſyche, atque eſto immortalis: neque Cupido diſcedet unquam à tuo conjugio, ſed hæ nuptiæ erunt vobis æternæ. Et ſtatim, nuptia-*

NOTÆ.

1. *Dei conſcripti Muſarum albo.*] *Album* tabula eſt albata, in quâ ſcribuntur nomina. Alludere videtur ad album Senatorum ab Auguſto inſtitutum, in quo Patrum Conſcriptorum deſcripta erant nomina, teſte Dione. Rectè *Muſarum albo*, Poëtarum enim præcipuè ſcriptis Dii celebrati.

2. *Primæ juventutis caloratos impetus.*] Fulgent. Mythol. lib. 3. de Hero & Leandro: *omnis enim calorata juventutis igniculus tepidæ veternoſitatis algeſcit ſenio.*

3. *Nuptialibus pedicis.*] Quas *vincla jugalia* Virgilius, *maritale capiſtrum* Juvenalis, δεσμὸς Nonnus appellant.

4. *Jure Civili.*] Quod parem pari, liberum cum liberâ, Civem Romanum cum Cive Romanâ jungi imperat, Legg. 16. 44. & 49. ff. *de Ritu Nuptiarum.* Ex impari matrimonio ſuſcepti non patrem ſequebantur, ſed matrem. Inſt. *de Ingenuis.*

5. *Ambroſiæ poculo.*] Sic & Philologia, apud Martianum Capellam, antequàm conveniat in manum Cyllenii, hauſto immortalitatis poculo Diva fit.

Continuoque novo ſolidantur membra vigore,
Et gracilenta perit macies: vis terrea cedit,
Æternumque venit ſine mortis legibus ævum.

6. *Iſtæ vobis erunt perpetuæ nuptiæ.*]

cùm cœna nuptialis affluens exhibetur. Accumbebat ſummum torum maritus, Pſychen gremio ſuo complexus. ſic & cum ſuâ Junone Jupiter, ac deinde per ordinem toti Dei. Tunc poculum nectaris, Jovi quidem [1] ſuus pocillator ille ruſticus puer, cæteris verò Liber miniſtrabat. Vulcanus cœnam coquebat: Horæ roſis & cæteris floribus purpurabant omnia: Gratiæ ſpargebant balſama: Muſæ voce canorâ perſonabant. Apollo cantavit ad cytharam: Venus ſuavi Muſicæ [2] ſuppari greſſu formosè ſaltavit: ſcena ibi ſic concinnata, ut Muſæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, & [3] Paniſcus [4] ad fiſtulam diceret. [5] Sic ritè Pſyche convenit in manum Cupidinis: &

INTERPRETATIO.

les epulæ abundantes apponuntur. Maritus diſcumbebat in supremâ parte lecti, tenens Pychen in ſuo gremio. Similiter etiam Jupiter cum Junone ſuâ, & dehinc Dii omnes ſuo quiſque *ordine. Tunc, Jovi quidem puer ille agreſtis pincerna ſuus exhibebat potionem nectaris, Bacchus verò* exhibebat *reliquis* Diis. *Vulcanus coquebat cœnam: Horæ pingebant cuncta roſis, aliiſque floribus: Gratiæ diffundebant unguenta, Muſæ canebant voce ſuavi. Apollo cecinit ad cytharam. Venus decorè ſaltavit paſſu compoſito ad numeros dulcis Muſicæ. Sic* omnis *apparatus ibi diſpoſitus eſt, ut Muſæ quidem facerent concentum, Satyrus inſpiraret tibias, & Paniſcus recitaret* carmen *ad* numeros *fiſtulæ, Sic Pſyche nubit legitimè*

NOTÆ.

Stabiles, nec ullo unquam divortio dirimendæ.

1. *Suus pocillator.*] Ganymedes.

2. *Suppari greſſu.*] Ad numeros modoſque cantilenæ conformato. Quanquam & *ſuperingreſſa* legi benè poteſt, ut eſt in veteribus editionibus. Noſter lib. 10. *uper has introceſſit alia, &c. gratia coloris ambroſii deſignans Venerem.*

3. *Paniſcus.*] Aliquis ex Paniſcorum turbâ. De Panibus, Paniſcis, Satyris, Satyriſcis, Sylvanis, Faunis, Fatuis, Fatuellis, aliiſque hujuſmodi Semi-Deis, ſeu Dæmonibus vide Lyl. Gyraldum, Syntagm. 15.

4. *Ad fiſtulam diceret.*] Brantius *hiſceret*, vel *hiaret*, & affert hunc locum Propert. lib. 3. Eleg. 17. ad Bacchum.

Capripedes calamo Panes hiante canent.

At nihil mutandum. *Ad fiſtulam diceret*, ut ſuprà, *ad cytharam canebat*, nempè ad numeros fiſtulæ, quam alius inflabat.

5. *Sic ritè Pſyche convenit in manum Cupidinis,*] Donatus ad hæc verba Andriæ: *hanc mihi in manum dat: Confirmatæ ſunt legitimè nuptiæ per in manum conventionem.* Servii Fragmentum in Excerptis â Pythœo, Lipſio laudatum ad l. 4. Annalium Taciti. *Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant: Uſu, ſi v. g. mulier anno uno cum viro, licet ſine legibus fuiſſet. Farre, cùm per Pontificem Maximum, & Dialem Flaminem, per fruges, & molam ſalſam conjungebantur: unde confarreatio appellatur, ex quibus patrimi & matrimi naſcebantur: Coëmptione verò, atque in manum conventione, cùm illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut ſi quis prior fuiſſet defunctus, locum hæreditatis juſtum alteri faceret.* Ex Ulpiano, & Boëthio, ſeſe coëmendo invicem interrogabant, vir ita: An mulier ſibi materfamilias eſſe vellet? Illa reſpondebat, Velle. Item mulier interrogabat, Utrum vir ſibi paterfamilias eſſe vellet? Ille reſpondebat, Velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, & vocabantur hæ nuptiæ *per coëmptionem.*

naſcitur illis maturo partu filia, quam Voluptatem nominamus. Sic captivæ puellæ delira & temulenta illa narrabat anicula. Sed aſtans ego non procul dolebam mehercules, quòd pugillares & ſtilum non habebam, qui tam bellam fabellam prænotarem. Ecce confecto neſcio quo gravi prœlio, latrones reveniunt onuſti: nonnulli tamen animo promptiores, vulneratis domi relictis, & plagas recurantibus, ipſi ad reliquas occultatas in quadam ſpeluncâ ſarcinas, ut aiebant, proficiſci geſtiunt. prandioque raptim [1] tuburcinato, me & equum vectores rerum illarum futuros fuſtibus exinde tundentes, producunt in viam: multiſque clivis & anfractibus fatigatos propè ipſam veſperam perducunt ad quampiam ſpeluncam: unde multis onuſtos rebus rurſum, ne breviculo quidem tempore refectos, [2] obiter reducunt: tantâque trepidatione feſtinabant, ut me plagis multis obtundentes, propellenteſque ſuper lapidem propter viam poſitum dejicerent. unde crebris æquè ingeſtis ictibus, dextero crure, & ungulâ ſiniſtrâ me debilitatum ægrè ad exurgendum compellunt. Et unus, Quouſque, inquit, ruptum iſtum aſellum nunc etiam claudum fruſtra paſcemus? Et alius: Quid quòd & peſſimo pede domum noſtram acceſſit, nec quidquam idonei lucri exinde cepimus, ſed vulnera, &

INTERPRETATIO.

Cupidini, & peractis menſibus filia naſcitur eis, quam appellamus Voluptatem. Vetula illa delirans atque ebria referebat hæc virgini captivæ. Verùm ego, qui ſtabam non longè ab ipsâ, moleſtè ferebam profectò, quòd codicilli non eſſent mihi ad manum cum ſtylo, ut deſcriberem fabulam tam elegantem. Tunc prædones redeunt onerati, depugnato neſcio quo acri certamine. Aliqui tamen alacriores animo relictis domi ſanciis, ut curarent vulnera, avent ipſi ire ad cæteras ſarcinas prædæ, *quas abſconderant, ut dicebant, in quodam antro. & prandio properè devorato, me & equum bajulaturos illas ſarcinas, propellunt illinc in viam, percutientes baculis: & laſſatos plurimis collibus ac flexibus* viarum *deducunt ſub noctem ad quandam cavernam, ex quâ è veſtigio reducunt* nos *oneratos multis rebus, ne minimo quidem temporis* ſpatio *recreatos: & properabant cum tantâ feſtinatione, ob metum, ut me percutientes crebris ictibus, & protrudentes ſternerent in lapidem adjacentem viæ, unde vix me cogunt reſurgere percuſſum iterum multis plagis, & graviter læſum dextrâ tibiâ, & ſiniſtrâ ungulâ. Atque unus ex* illis: *Quandiu, ait, inutiliter alemus hunc aſinum fractum, qui nunc quoque claudicat? Et alius: Quid quòd & malo omine venit in noſtras ædes, & tempore ab illo nullum lucrum opulentum percepimus, ſed tantùm plagas, & cædes fortiſſimo-*

NOTÆ.

1. *Tuburcinato.*] Nonius: *Tuburcinari ſignificat raptim manducare. Titin. Prœlia: tubucinari ſine me vultis reliquias. Plaut. Perſa: tuburcinari de ſuo, ſi quid domi ſit. Turpil. Boethontibus: Melixa intus ceſſat, credo herclè, helluo tuburcinatur.* A *tubâ* formatum verbum. Nam qui avidiùs edunt, buccas inflant inſtar tubicinum.

2. *Obiter reducunt.*] Lege unâ voce *obiter*, non *ob iter*. Hîc *obiter* eſt è *veſtigio*. Gloſſæ Pricæo laudatæ *obiter* ὁμοίως ἐν τῷ αὐτῷ.

fortiſſimorum occiſiones. Alius iterùm : Certè ego cùm primùm ſarcinas iſtas, quanquam invitus, pertulerit, protinus eum, vulturiis gratiſſimum pabulum futurum, præcipitabo. Dum ſecum [1] mitiſſimi homines altercantur de meâ nece, jam & domum perveneramus. nam timor ungulas mihi alas fecerat. Tum quæ ferebamus amoliti properiter, nullâ ſalutis noſtræ curâ [2] ac ne meæ quidem necis habitâ, comitibus adſcitis, qui vulnerati remanſerant, actutùm recurrunt: relaturi tædia, ut aiebant, noſtræ tarditatis. Nec me tamen mediocris carpebat ſcrupulus, contemplatione [3] comminatæ mihi mortis, & ipſe mecum: Quid ſtas, ô Luci, vel, quid jam noviſſimum expectas? Mors, & hæc acerbiſſima, decreto latronum tibi comparata eſt. nec magno conatu res indiget. Vides iſtas [4] rupinas proximas, & præacutas in his præminentes ſilices, quæ te penetrantes, [5] quaquà decideris, membratim diſſipabunt. Nam & illa ipſa præclara Magia tua, vultum, laboreſque tibi tantùm aſini, verùm corium, non aſini craſſum, [6] ſed hirudinis tenue membranulum circumdedit. Quin igitur maſculum

INTERPRETATIO.

rum ex nobis. *Et rurſus alius : Profectò ſtatim atque portaverit* domum, *quamvis ingratiis, hæc onera, illicò dabo eum præcipitem, futurum cibum jucundiſſimum vulturibus. Dum clementiſſimi illi viri differunt inter ſe de meâ morte, jam domum attigeramus. metus enim mutaverat mihi ungulas in alas. Tunc* ipſi *remotis feſtinanter* noſtris *ſarcinis, & nihil jam cogitantes de ſalute noſtrâ, ac ne de meâ quidem morte, aſſumptiſque ſecum ſociis, quos reliquerant* anteà domi *ſaucios, continuò revertuntur: reportaturi, ut dicebant, faſtidia noſtræ pigritiæ. Ego tamen non parùm angebar intuitu necis, quam mihi minitati fuerant. ſicque* dicebam *apud me : Quid ceſſas, ô Luci, quid ve jam extremum expectas? lethum tibi decretum eſt ſententiâ prædonum, & illud* quidem *crudeliſſimum. neque opus eſt magno molimine ad* hanc *rem. Cernisne hæc præcipitia vicina, atque in his acutas cautes extantes, quæ te perfodientes quocunque delapſus fueris, diſcerpent in artus* ſingulos. *Nam egregia illa tua Magia* dedit tibi *ſolùm faciem, & ærumnas aſini, verùm involvit te non ſpiſſâ pelle aſini, ſed delicatâ cuticulâ hirudinis, Quidni ergo induis tan-*

NOTÆ.

1\. *Mitiſſimi homines.*] Simili ironiâ infrà: *dum ſic mecum fuſtem quatiens benignus jocatur comes.*

2\. *Ac ne meæ quidem necis.*] Pricæus reponit: *at meæ quidem necis:* fruſtrà. Nihil enim aliud ſibi vult hoc loco Apuleius, niſi latrones tantâ feſtinatione recurriſſe, ut non modò ſalutem jumentorum laſſorum neglexerint, verùm etiam de aſino ſuo necando, ut comminati erant, ne cogitaverint quidem: quanquam minis faciliùs ſtent, quàm promiſſis homines id genus.

3\. *Comminatæ mihi mortis.*] Obſerva *comminatæ* paſſivè.

4\. *Rupinas.*] Lib. 7. *ipſos partim conſtrictos uti fuerant, provolutoſque in proximas rupinas præcipites dedère.* Gloſſæ Iſidori: *rupinas; abrupta montium.* Malè ergo hîc Beroald. legit *ruinas.*

5\. *Quaquà decideris.*] Florent. cod. referente Pricæo habet: *antequam decideris:* meliùs. Lib. 5. de ſorore Pſyches *nec tamen ad illum locum vel ſaltem mortua pervenire potuit: nam per ſaxa cautium membris jactatis atquè diſſipatis, &c.*

6\. *Sed hirudinis tenue membranu-*

tandem ſumis animum, tuæque ſaluti, dum licet, conſulis? Habes ſummam opportunitatem fugæ, dum latrones abſunt. An cuſtodiam anûs ſemimortuæ formidabis? quam, licet claudi [1] pedis tui, calce unicâ finire poteris. Sed quó gentium capeſſetur fuga, vel hoſpitium quis dabit? Hæc quidem inepta & prorſus aſinina cogitatio. quis enim viantium vectorem ſuum non libenter auferat ſecum? Et alacri ſtatim niſu lorum, quo fueram deſtinatus, abrumpo, meque quadrupedi curſu proripio. Nec tamen aſtutulæ anûs [2] milvinos oculos effugere potui. Nam, ubi me conſpexit abſolutum, captâ ſuper ſexum & ætatem audaciâ, lorum prehendit, ac me deducere ac revocare contendit. Nec tamen ego, memor exitiabilis propoſiti latronum, pietate ullâ commoveor. ſed incuſſis in eam poſteriorum pedum calcibus, protinus applodo terræ. At illa, quamvis humi proſtrata, loro tamen tenaciter inhærebat; ut me procurrentem aliquantiſper tractu ſui ſequeretur. & occipit ſtatim clamoſis ululatibus auxilium validioris manûs implorare. Sed fruſtrà fletibus caſſum tumultum commovebat: quippe cùm nullus adforet, qui ſuppetias ei ferre poſſet, niſi ſola illa virgo captiva: quæ vocis excitu procurrens, videt hercules me-

INTERPRETATIO.

dem virilem animum, & provides tuæ vitæ, dum ſpatium datur? Nactus es egregiam occaſionem fugiendi, per abſentiam prædonum. Metues-ne cuſtodiam vetulæ ſemianimis, quam poteris extinguere vel uno ictu tui infirmi pedis? Verùm quò fugiam, aut quis me tecto excipiet? Hæc ſanè cogitatio ſtulta eſt, & planè digna aſino. quis enim eſt *ex viatoribus*, qui *non abducat ſecum libenti animo* jumentum, *quo vehatur? Et protinus frango valido conatu lorum, quo fueram alligatus, atque aufugio curſu quadrupedante. attamen non potui devitare acres oculos callidæ vetulæ. Nam ſimul ac vidit me ſolutum, aſſumptâ majori audaciâ, quàm ſexus ejus atque ætas ferebat, arripit lorum, & conatur me reducere atque retrahere. Ego verò recordatus lethalis decreti prædonum, nullâ miſericordiâ afficior; ſed affligo eam ſtatim humi, impactis in ipſam ungulis poſteriorum pedum. Verùm illa, licet jacens humi, retinebat nihilominus pertinaciter lorum;* adeo *ut cùm progrederer currendo, ipſa à me tracta ſequeretur me per aliquod ſpatium. Et continuò incipit ululabili vociferatione poſcere opem manûs fortioris. At fruſtrà ciebat vanum ſtrepitum ſuis ejulatibus: quandoquidem nemo aderat, qui poſſet ei auxiliari, præter ſolam illam puellam captivam, quæ accurrens excitata clamore, videt ſcenam inſignis profectò*

NOTÆ.

lum.] *Hirudo* ſive *ſanguiſuga* cotio eſt adeo delicato, ut, ſi, dum alicui corporis parti ſanguinem ſugens adhæreſcit, eam incautiùs velis revellere, illicò rumpatur, caputque linquat in vulnere.

Membranulum.] Diminutivum, à *membranâ*, quod tamen primitivi ſui genus non ſervat, contra leges Grammaticorum.

1. *Pedis tui calce unicâ.*] Donat. ad Phorm. Act. 1. Scen. 2. *modò calces non partes plantæ, ſed percuſſiones pedum, plagaſque ſignificat.*

2. *Milvinos oculos.*] Acres, quales ſunt omnium avium rapacium.

morandi ſpectaculi ſcenam, [1] non tauro, ſed aſino dependentem Dircen aniculam: ſumptâque conſtantiâ virili, facinus audet pulcherrimum. Extorto etenim loro manibus ejus, me placitis gannitibus ab impetu revocatum gnaviter inſcendit, & ſic ad curſum rurſum incitat. Ego ſimûl voluntariæ fugæ voto, & liberandæ virginis ſtudio, ſed & plagarum ſuaſu, quæ me ſæpiculè commonebant, equeſtri celeritate, quadrupedi curſu ſolum replaudens, virginis delicatas voculas adhinnire tentabam. Sed & ſcalpendi dorſi mei ſimulatione, nonnunquam obliquatâ cervice pedes decoros puellæ baſiabam. Tunc illa ſuſpirans altiùs, cœlumque ſollicito nutu petens, Vos, inquit, Superi, tandem meis ſupremis periculis opem ferte: & tu, Fortuna durior, jam ſævire deſiſte. Sat tibi miſeris iſtis cruciatibus meis litatum eſt. Túque præſidium meæ libertatis, meæque ſalutis, ſi me domum pervexeris incolumem, parentibuſque & formoſo proco reddideris, quas tibi gratias perhibebo, quos honores habebo, quos cibos exhibebo? Jam primùm jubam iſtam tuam probè pectinatam meis [2] virginalibus monilibus adornabo: [3] frontem verò criſpatam priùs, decoriter diſcriminabo, caudæque ſetas incuriâ congeſtas & horridas,

INTERPRETATIO.

ſpectaculi, Dircen vetulam pendentem, non ex tauro, ſed ex aſino: & captâ maſculâ fortitudine, aggreditur egregium facinus. Erepto enim loro ex ejus manibus, retrahit me ab impetu blandis vocibus, & *conſcendit ſtrenuè. Quo facto inſtigat* me *iterùm ad currendum. Ego ſtudio ſimul fugæ ſpontaneæ, & deſiderio liberandæ puellæ, quin & incitamento quoque ictuum, quibus ſubinde admonebar, quatiens terram quadrupedante greſſu, equinâ pernicitate, conabar hinnitu reſpondere mollibus verbis puellæ. quin etiam aliquando inflexo collo, ſimulans ſcabere meas ſcapulas, oſculabar pulchros pedes virginis. Tum illa ducens profundum ſuſpirium, & convertens vultum anxium ad cœlum: Vos, ô Dii, inquit, auxiliamini tandem meis extremis periculis: tuque, ô Fortuna aſperior, jam deſine exercere in me tuam crudelitatem. Jam tibi ſatisfactum eſt ampliter his meis gravibus ærumnis. Et tu ſubſidium meæ libertatis, & meæ vitæ, ſi me ſalvam deportaveris domum, & reſtitueris parentibus* meis, & meo *pulchro amatori, quas grates tibi rependam, quibus honoribus te afficiam, quæ pabula* tibi *præbebo? Primùm quidem ſetas tuæ cervicis pulchrè pectam, & decorabo meis monilibus virginalibus: frontis verò* ſetas *cincinnabo primùm,* deinde *ſeparabo decenter, & comam omni ſtudio pilos tuæ caudæ intricatos & hiſpidos negligentiâ: & te*

NOTÆ.

1. *Non tauro, ſed aſino dependentem Dircen aniculam.*] Alludit ad Dircen Lyci Thebanorum regis uxorem, quam Zetus & Amphion Jovis ex Antiopâ filii ob malè habitam ab ipsâ maritoque Lyco matrem Antiopam, occiſo priùs ipſo Lyco, ad tauri indomiti caudam alligârunt. Huic comparat anum ſuam Apuleius, niſi quòd illa à tauro, hæc verò ab aſino raptaretur. Dirce illa, ſic raptata, Deorum miſeratione in fontem mutata eſt ſui nominis.

2. *Virginalibus monilibus.*] Quidam *manibus*, quod non improbandum.

3. *Frontem verò criſpatam.*] Hoc eſt, *ſetas in frontem devexas*, quas Feſtus *capronas* dictas fuiſſe ait, *quaſi à capite pronas.*

cunctâ diligentiâ pectinabo: bulliſque te multis aureis inoculatum, veluti ſtellis ſidereis relucentem, & gaudiis popularium pompatum ovantem, ſinu ſerico progeſtans nucleos, edulia mitiora, te meum ſoſpitatorem quotidie ſaginabo. Sed nec inter cibos delicatos, & otium profundum, vitæque totius beatitudinem, deerit tibi dignitas glorioſa. Nam memoriam præſentis Fortunæ meæ, divinæque Providentiæ, perpetuâ teſtatione ſignabo: & depictam in tabulâ fugæ præſentis imaginem meæ domûs atrio dedicabo. Viſetur, & in fabulis audietur, doctorumque ſtilis rudis perpetuabitur hiſtoria: ASINO VECTORE VIRGO REGIA FUGIENS CAPTIVITATEM. Accedes antiquis & ipſe miraculis. Credemus etiam exemplo tuæ veritatis, & [1] Phryxum arieti ſupernatâſſe, & [2] Arionem delphinum gubernâſſe, & Europam tauro ſupercubâſſe. Quòd ſi verè Jupiter mugivit in bovem; poteſt in aſino meo latêre aliquid, vel vultus hominis, vel facies Deorum. Dum hæc identidem puella replicat, votiſque crebros intermiſcet ſuſpiritus; ad quoddam pervenimus trivium: unde me arrepto capiſtro dirigere dextrorsùm

INTERPRETATIO.

meum conſervatorem ſtellatum plurimis bullis aureis, & reſplendentem tanquam aſtris cœleſtibus, ac triumphantem plebe proſequente cum lætitiâ, quotidie ſaturabo, ferens ad te nucleos, & dulciores cibos ſemicinctio ſerico. Sed & in illis dapibus ſuavioribus, & altâ quiete, ac felicitate totius vitæ, non carebis quoque dignitate honorificâ. Nam relinquam æternum monumentum hujus meæ ſortis præſentis, & providentiæ Deorum, & appendam in atrio mearum ædium imaginem hujus fugæ pictam in tabellâ. Atque hæc quamvis *inelegans hiſtoria videbitur* olim; *& narrabitur in fabulis, tradeturque poſteritati ſcriptis eruditorum.* FILIA REGIS EVADENS EX CAPTIVITATE VECTA ASINO. *Tu quoque recenſeberis inter miracula antiquitatis. Exemplo enim tuæ hiſtoriæ, quæ vera eſt, credemus & Phryxum natâſſe inſidentem arieti; Arionem rexiſſe delphinum, & Europam inſediſſe tauro. Quòd ſi Jupiter verè mugivit ſub formâ tauri, poteſt etiam fieri ut aliquid ſit abſconditum ſub fa*cie *mei aſini; aut forma humana, aut vultus divinus. Dum virgo iterat ſubinde iſta, & interſecat ſua vota frequentibus ſuſpiriis; devenimus ad quoddam trivium: ex quo* ipſa *apprehenſo meo capiſtro vehementer cupiebat me*

NOTÆ.

1. *Phryxum arieti ſupernatâſſe.*] *Phryxus* Athamantis Thebanorum Regis, & Nepheles filius, unà cum Helle ſorore patris ſævitiam fugiens, à quo neci ambo erant deſtinati novercæ anûs artibus, amiſsâ ſorore Helle in trajectu maris illius, quod poſteà dictum eſt ejus nomine *Helleſpontus*, in Colchos pervenit, ac theſauros, quos ſecum aſportaverat Æëtæ Colchorum regi reliquit. Hos theſauros Poëtæ finxerunt fuiſſe arietem aurei velleris, Phryxumque ipſo per mare vectum fuiſſe in Colchos, arietem Jovi immolâſſe, pellem ejus in templo fixiſſe, & arietis ipſius effigiem à Jove inter Zodiaci ſidera conſtitutam. Euſebius in Chronico affirmat ideo fingi Phryxum ariete vectum, quia navi, quâ fugit novercales inſidias, inſigne erat aries.

2. *Arionem delphinum gubernâſſe.*] Notiſſima eſt Arionis hiſtoria, ſeu potiùs fabula. Illam Gellius ex Herodoto fusè refert, lib. 16. Noct. Attic. cap. 19. huicque locum dediſſe ait, quòd ſimulacra duo ænea ad Tænarum viſerentur, delphinus vehens, & homo inſidens.

magnopere

magnoperè geſtiebat: quòd ad parentes ejus eâ ſcilicet iretur viâ. Sed ego, gnarus latrones illac ad reliquas commeâſſe prædas, renitebar fortiter: atque ſic in animo meo tacitus expoſtulabam: Quid facis, infelix puella? quid agis? cur feſtinas ad Orcum? quid meis pedibus facere contendis? Non enim te tantùm, verùm etiam me perditum ibis. Sic nos diverſa tendentes, & [1] in causâ finali, de proprietate ſoli, [2] immò viæ herciſcundæ contendentes, rapinis ſuis onuſti coràm deprehendunt ipſi latrones: & ad Lunæ ſplendorem jam inde longiùs cognitos, riſu maligno ſalutant. & unus è numero ſic appellat: Quorſum iſtam feſtinanti veſtigio [3] lucubratis viam, nec noctis intempeſtæ Manes Larvaſque formidatis? An tu, probiſſima puella, parentes tuos furtim interviſére properas? Sed nos & ſolitudini tuæ præſidium præbebimus, & compendioſum ad tuos iter monſtrabimus. Et verbum manu injectâ ſecutus, prenſo loro retrorſum me circumtorquet: nec baculi nodoſi, quem gerebat, ſævis ictibus temperat. Tunc ingratis ad promptum recurrens exitium, reminiſcor doloris

INTERPRETATIO.

ducere in dextram partem: quia nempe illac iter erat ad ejus parentes. At ego, qui ſciebam prædones iviſſe eâ parte ad reliquum ſuæ prædæ, validè reſiſtebam: & ſic increpabam eam *apud me ſilens: Quid agis, ò infortunata virgo? quid moliris? quare properas ad Inferos? quid conaris efficere meis pedibus? Nam non ſolùm conſciſces tibi exitium, ſed mihi quoque. Dum ſic cupimus ire in contrarias partes, & diſceptamus de dominio ſoli, immò ſemitæ dividendæ, tanquam in lite de finibus, ipſi prædones referentes ſuas prædas opprimunt nos: & ſalutant improbo cachinno agnitos eminùs ad lumen Lunæ. atque unus è turbâ ſic affatur nos: Quare conficitis noctu iſtud iter celeri greſſu? neque metuitis Umbras, & Lemures noctis provectioris? Tu-ne, optima virgo, feſtinas clàm viſitare tuos parentes? At nos dabimus comitatum ſolitudini tuæ, & oſtendemus tibi viam breviorem ad tuos. Et cum dicto extendens manum, & arripiens meas habenas convertit me retrò: nec parcit tundere me crudeliter nodoſo fuſte, quem geſtabat. Tunc ego remeans invitus ad mortem paratam, recordor me dolere ungulâ, & cœpi*

NOTÆ.

1. *In causâ finali.*] Cauſæ & quæſtiones finales apud Juriſconſultos ſunt, in quibus agitur de finibus, hoc eſt, limitibus agrorum.

2. *Immò viæ herciſcundæ.*] Alludit ad titulum Juris *familiæ herciſcundæ*, hoc eſt, *hæreditatis inter cohæredes dividendæ.* Sicut ergo inter litigatores de proprietate ſoli contenditur, ſicut quæſtiones finales exiſtunt inter cohæredes, de familiâ herciſcundâ; ita feſtivâ tranſlatione Apuleius dicit ſe contendiſſe cum puellâ de viâ herciſcundâ cùm illa dextrorsùm tenderet, ipſe verò ſiniſtrorsùm. *Herciſci*, & *herctum* dicta crediderim à nomine Græco ἕρκος, quod *ſeptum* ſignificat, eò quòd, cùm ſolum inter ſe dividerent cohæredes, unuſquiſque eam partem circumſepiret, quæ ſibi obtigerat.

3. *Lucubratis viam.*] *Lucubrare* eſt *opus facere noctu ad lucernam.* Lib. 9. Noſter: *nec die tantùm, verùm perpeti etiam nocte prorsùs inſtabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam.* Unde facetè *lucubrare viam* dicit, quam noctu ad Lunæ ſplendorem peragebant.

ungulæ, & occipio nutanti capite claudicare. Sed ecce, inquit ille qui me retraxerat, rurſum titubas, & vacillas? & putres iſti tui pedes fugere poſſunt, ambulare neſciunt? at paulò antè pinnatam Pegaſi vincebas celeritatem. Dum ſic mecum fuſtem quatiens benignus jocatur comes, jam [1] domûs eorum extremam loricam perveneramus. Et ecce de quodam ramo proceræ cupreſsûs induta laqueum anus illa pendebat. Quam quidem detractam protinus, cum ſuo ſibi funiculo devinctam, dedere præcipitem: puellâque ſtatim [2] deſtinatâ vinculis, cœnam, quam poſtumâ diligentiâ præparaverat infelix anicula, ferinis invadunt animis. Ac dum avidâ voracitate cuncta contruncant; jam incipiunt de noſtrâ pœnâ, ſuâque vindictâ ſecum conſiderare. &, utpote in cœtu turbulento, variæ fuere ſententiæ: ut primus vivam cremari cenſeret puellam, ſecundus beſtiis objici ſuaderet, tertius patibulo ſuffigi juberet, quartus tormentis excarnificari præciperet. certè [3] calculo cunctorum utcunque mors ei fuerat deſtinata. Tunc unus, omnium ſedato tumultu, placido ſermone ſic orſus eſt: Nec ſectæ collegii, nec manſuetudini ſingulorum, ac ne meæ quidem modeſtiæ congruit, pati vos ultra modum, delictíque ſævire terminum; nec feras, nec cruces, nec ignes, nec tormenta,

INTERPRETATIO.

claudicare capite nutanti. At ille, qui me reduxerat: En, inquit, iterùm nutas, & claudicas? & iſti tui putridi pedes poſſunt quidem *aufugere, at nequeunt incedere? atqui modò ſuperabas alatam pernicitatem Pegaſi ipſius. Dum mitis ille comes ſic cavillatur mecum tundens* me *baculo, jam attigeramus extimum ſeptum domûs eorum. Et ecce* offendimus *illam vetulam fune circumdatam* collo, *ſuſpenſam ex quodam ramo altæ cupreſsûs. Quam quidem* inde *amotam confeſtim præcipitavêre ligatam ſuâ ipſius reſte: & conjectâ virgine in vincula, irruunt belluinis animis in cœnam, quam illa miſera anus coxerat noviſſimâ curâ. Et dum comedunt omnia guloſitate voraci, cœperunt jam deliberare inter ſe de noſtro ſupplicio, & ſuâ ultione, ac diverſæ fuerunt opiniones, ut ſolet* fieri *in tumultuosâ turbâ:* adeo *ut primus arbitraretur virginem eſſe comburendam vivam, alter auctor eſſet ut exponeretur belluis, tertius præciperet eam affigi cruci, quartus cenſeret torquendam* eſſe *variis cruciatibus. certè, utut erat, damnata erat ad mortem ſuffragio omnium. Tunc unus, coërcito ſtrepitu cunctorum, ſic cœpit loqui placidâ oratione: Non eſt conſentaneum inſtituto cœtûs* noſtri, *neque clementiæ uniuſcujuſque* veſtrûm, *ac ne meæ quidem moderationi, ſinere ut pœnas ſumatis immodicas, & ſuprà magnitudinem criminis, neque ut* adhibeatis *belluas, neque patibula, neque flammas, neque cruciatus,*

NOTÆ.

1. *Domus eorum extremam loricam.*] Caulam illam intellige ex ſolidis cratibus, qua turris & caverna latronum ſepta erat & præmunita, ut habetur lib. 4.

2. *Deſtinatâ.*] *Ligatâ.* Vide Not. ſuprà, pag. 21.

3. *Calculo cunctorum.*] *Suffragio.* Calculis enim in urnam conjectis ſuffragium ferebatur in judiciis apud veteres, ut videbitur infrà lib. 10.

ac ne mortis quidem maturatæ feſtinas tenebras accerſere. Meis itaque conſiliis auſcultantes, vitam puellæ, ſed quam meretur, largimini. Nec vos memoria deſeruit utique quod jamdudum decreveritis de iſto aſino, ſemper pigro quidem, ſed manducone ſummo; nunc etiam mendaci fictæ debilitatis, & [1] virginalis fugæ ſequeſtro, miniſtróque. Hunc igitur jugulare craſtino placeat, totiſque vacuefacto præcordiis, per mediam alvum nudam virginem, quam prætulit nobis, inſuere: ut, ſolâ facie prominente, cæterum corpus puellæ nexu ferino coërceat; tunc ſuper aliquod ſaxum ſcrupoſum, [2] inſuticium & fartilem aſinum exponere, & Solis ardentis vaporibus tradere. ſic enim cuncta, quæ rectè ſtatuiſtis, ambo ſuſtinebunt: & mortem aſinus, quam pridem meruit; & illa morſus ferarum, cùm vermes membra laniabunt; & ignis flagrantiam, cùm Sol nimiis caloribus inflammârit uterum; & patibuli cruciatum, cùm canes & vultures intima protrahent viſcera. Sed & cæteras ejus ærumnas & tormenta numerate. Mortuæ beſtiæ ipſa vivens ventrem habitabit; tum fœtore nimio nares æſtuabunt: inediæ diutinæ lethali fame tabeſcet; nec ſuis ſaltem liberis manibus mortem ſibi fabricare poterit. Tali-

INTERPRETATIO.

nec denique ut acciatis celeriorem noctem necis deproperate. Igitur gerentes morem meis ſuaſionibus, concedite virgini vitam, ſed eam, quâ digna eſt: Atque, ut puto, non obliti eſtis quid ſtatueritis jam pridem de hoc aſino, ſemper quidem tardo, ſed maximo hellnone, qui modò etiam mentitus eſt falſam claudicationem, & fuit medius & miniſter fugæ virginis. Bonum ergo factu *vobis videatur jugulare ipſum cras, omnibuſque ejus inteſtinis detractis, inſuere ipſi in medio ventre puellam nudam, quam antepoſuit nobis: ita ut ſolo vultu virginis extrà apparente, cohibeat belluino complexu* ſui ventris *reliquum corpu* ejus; *tum collocare aſinum ſic conſutum & infertum in aliquâ rupe calculosâ, & exponere æſtibus Solis flagrantis. Sic enim ambo patientur ea omnia, quæ vos juſtè decrevistis;* nempè *aſinus mortem, quam dudum promeritus eſt; illa verò morſus bellnarum, cùm* ejus *artus rodentur à vermibus; & ardorem flammæ, cùm Sol accenderit ventrem* aſini *vehementioribus æſtibus; & tormentum crucis, quando canes & vultures extrahent penitiſſima* ejus *præcordia. Sed recenſete etiam reliquos ejus cruciatus & labores.* Primùm *ipſa manebit viva in alvo beſtiæ mortuæ; deinde naſus ejus perfundetur vapore teterrimi odoris:* prætereà *conſumetur fame mortali jejunii longioris; neque habebit quidem manus ſolutas, quibus poſſit conſciſcere ſibi mortem. Poſtquam*

NOTÆ.

1. *Virginalis fugæ ſequeſtro.*] Cujus fidei fugam ſuam virgo crediderat, ut ſequeſtri fidei litigantes rem permittunt, de qua lis inter eos. Similiter lib. 9. dicitur *anus ſtupri ſequeſtra.*

2. *Inſutitium.*] Cui virgo eſſet inſuta. Sic Scaliger repoſuit. Quædam exemplaria habent *inſititium*, quod ferri etiam poteſt, & exponi, *cui virgo eſſet implantata.*

bus dictis, [1] non pedibus, ſed totis animis latrones in ejus vadunt ſententiam. Quam meis tam magnis auribus accipiens, quid aliud quàm meum craſtinum deflebam cadaver?

INTERPRETATIO.

hæc dixit, prædones eunt in ejus ſententiam, non pedibus quidem, ſed totis ſtudiis. Quam ſententiam *cùm audirem meis auribus tam amplis, quid poteram aliud, quàm deplorare meum* corpus futurum *cadaver poſtero die?*

NOTÆ.

1. *Non pedibus, ſed totis animis latrones in ejus vadunt ſententiam.*] Lib. 2. *&, quod aiunt, pedibus in meam ſententiam vado.* Ad quem locum vide Not. pag. 42.

LUCII APULEII
MADAURENSIS PLATONICI
METAMORPHOSIS

LIBER SEPTIMUS.

UT primùm, tenebris abjectis, dies inalbebat, & candidum Solis curriculum cuncta colluſtrabat; quidam de numero latronum ſupervenit: [1] ſic enim mutuæ ſalutationis officium indicabat. Is in primo ſpeluncæ aditu reſidens, & ex anhelitu recepto ſpiritu, talem collegio ſuo nuntium fecit: Quod ad domum Milonis Hypatini, quam proximè diripuimus, pertinet, diſcuſsâ ſollicitudine jam poſſumus eſſe ſecuri. Poſtquam vos enim fortiſſimi viri, cunctis ablatis, caſtra noſtra remeâſtis: immixtus ego turbulis popularium, dolentique atque indignanti ſimilis, arbitrabar ſuper inveſtigatione facti cujuſmodi conſilium caperetur; & an, & quatenus latrones placeret inquiri: renuntiaturus vobis, uti mandaveratis, omnia. Nec argumentis dubiis, ſed rationibus probabilibus, congruo cunctæ mul-

INTERPRETATIO.

STATIM atque candor lucis apparuit, nocte diſſipatâ, & ſplendens currus Solis cœpit illuminare omnia; quidam acceſſit è numero prædonum: ita enim poterat conjici ex officio ſalutationis reciproca. Hic ſedens in ipſo ingreſſu cavernæ, animâque reſumptâ ex anhelatione, retulit hæc cœtui ſuorum: Quantum ſpectat ad domum Milonis Hypatini, quam expilavimus nuperrimè, jam poſſumus eſſe abſque metu remotâ anxietate. Nam poſtquam vos, ô viri ſtrenuiſſimi, reverſi fuiſtis in noſtra caſtra, omnibus cjus rebus *aſportatis: ego inſerens me turbis civium, & ſimulans me* id *dolere & indignè ferre, obſervabam quale conſilium iniretur circa inquiſitionem* illius *facinoris; atque utrum, & quouſque luberet inveſtigari latrones: relaturus* nimirùm *cuncta ad vos, quemadmodum præceperatis. Et neſcio quis Lucius accuſabatur conſenſu unanimi totius po-*

NOTÆ.

1. *SIc enim mutuæ ſalutationis officium indicabat.*] Lib. 4. *Apud notos & familiares latronibus ſenes divertimus: ſic enim primus a litus, & ſermo prolixus, & oſcula mutua, quamvis aſino ſentire præſtabant.*

titudinis conſenſu, neſcio qui Lucius auctor manifeſti facinoris poſtulabatur: qui proximis diebus, fictis commendatitiis litteris, Miloni ſeſe, virum commentitus bonum, arctiùs conciliaverat, ut etiam hoſpitio ſuſceptus, inter familiares intimos haberetur: pluſculiſque ibidem diebus demoratus, falſis amoribus ancillæ Milonis animum irretiens, januæ clauſtra ſedulò exploraverat, & ipſa membra, in quîs omne patrimonium condi ſolebat, curioſè perſpexerat. Nec exiguum ſcelerati monſtrabatur indicium. quippe cùm eâdem nocte, ſub ipſo flagitii momento, idem profugiſſet, nec exinde uſquam compareret. nam & præſidium fugæ, quò velociùs, fruſtratis inſecutoribus, procul ac procul abderet ſeſe, eidem facilè ſuppeditâſſe. equum namque illum ſuum candidum, vectorem futurum, duxiſſe ſecum. Planè ſervum ejus ibidem in hoſpitio repertum, ſcelerum conſiliorumque herilium futurum indicem, per magiſtratus in publicam cuſtodiam receptum, & altero die tormentis vexatum pluribus, ac penè ad ultimam mortem excarnificatum, nihil quidquam rerum talium eſſe confeſſum. miſſos tamen in patriam Lucii illius multos numero, qui reum pœnas daturum ſceleris inquirerent. Hæc eo narrante, veteris Fortunæ, & illius beati Lucii, præſentiſque ærumnæ & infelicis aſini factâ comparatione, medullitùs ingemebam. Subibatque me, non de nihilo veteris priſcæque doctrinæ viros finxiſſe, ac pronuntiâſſe, cæ-

Interpretatio.

puli auctor manifeſtus latrocinii non dubiis indiciis, ſed argumentis veriſimilibus; qui ſuperioribus diebus confictis litteris commendatitiis, ſimulans virum probum, devinxerat ſibi ſtrictiùs Milonem. adeo *ut, exceptus quoque hoſpitio, recenſeretur in numero intimorum amicorum: cumque manſiſſet ibidem per dies non paucos, illaqueans fictis amoribus animum famulæ Milonis, inſpexerat attentè ſeras & peſſulos oſtii, & exploraverat ſtudioſè ipſas partes ædium, in quibus gaza omnis ſolebat aſſervari. Et oſtendebatur argumentum non leve criminis ab eo perpetrati, nempè quod idem* ipſe *aufugiſſet eâdem nocte ipſo tempore latrocinii; atque ex illo tempore nuſquam appareret. præſto enim fuiſſe ipſi facilè auxilium fugæ, quò eluſis celeriùs* iis, *qui ſe perſequerentur, occultaret ſe longiùs ac longiùs. eum enim abduxiſſe ſecum illum ſuum equum album, quo veheretur. Porrò famulum ejus inventum in eâdem domo, compactum fuiſſe in publicum carcerem juſſu Magiſtratuum, ut pateſaceret crimina, & conſilia ſui heri, & die ſequenti affectum plurimis cruciatibus, & tortum ferè ad extremam mortem, nihil prorſus faſſum fuiſſe hujuſmodi rerum. permultos tamen delegatos fuiſſe in patriam illius Lucii, qui inveſtigarent nocentem ſubiturum ſupplicium* ſui *criminis. Dum ille refert hæc, ego ingemiſcebam ex inti*mis *medullis, conferens meam antiquam ſortem cum præſenti calamitate, & felicem illum Lucium cum miſero aſino. Mihique veniebat* in men*tem* *homines antiquæ ſapientiæ non abſque causâ repræſentâſſe. atque appella-*

Notæ.

1. *Litteris commendatitiis.*] Quas à Demeâ Corinthio attulerat ad Milonem, ut habetur lib. 1.

cam, & prorſus exoculatam eſſe Fortunam: quæ ſemper ſuas opes ad malos & indignos conferat; nec unquam judicio quemquam mortalium eligat: immò verò cum his potiſſimùm diverſetur, quos, procul ſi videret, fugere deberet: quodque cunctis eſt [1] extremius, varias opiniones, immò contrarias nobis attribuat; ut & malus boni viri famâ glorietur, & innocentiſſimus contrà noxiorum more plectatur. Ego denique, quem ſæviſſimus ejus impetus in beſtiam, & [2] extremæ ſortis quadrupedem deduxerat, cujuſque caſus etiam cuivis iniquiſſimo dolendus, atque miſerandus meritò videretur, crimine latrocinii in hoſpitem mihi cariſſimum poſtulabar. [3] Quod crimen non modò latrocinium, verùm etiam parricidium quiſque rectiùs nominaret. Nec mihi tamen licebat cauſam meam defendere, vel unico verbo ſaltem denegare. Denique, ne malâ conſcientiâ tam ſceleſto crimini præſens viderer conſentire; hoc tantùm, [4] impatientiâ perductus, volui dicere, Non feci. Et verbum quidem præcedens ſemel ac ſæpiùs immodicè clamitavi, ſequens verò nullo pacto diſſerere potui; ſed in primâ remanſi voce, [5] & identidem boavi, Non, Non: [6] quanquam

INTERPRETATIO.

viſſe Fortunam cæcam, & penitùs orbatam oculis: ſiquidem largitur ſuas divitias improbis, atque indignis, neque eligit unquam ullum hominem ex præſcripto rectæ *rationis: quinimmò degit cum ejuſmodi* hominibus, *à quibus longè fugiendum eſſet ipſi, ſi cerneret oculis: &, quod eſt omnium deterrimum, dat nobis famam diverſam aut potiùs contrariam* noſtræ vitæ; adeo *ut improbus ſuperbiat exiſtimatione viri probi, contrà verò vel maximè inſons puniatur quemadmodum ſontes ſolent. Poſtremò ego, quem crudeliſſimus ejus ictus mutaverat in viliſſimum animal quadrupes*, ego, inquam, *cujus infortunium cuilibet etiam malevolentiſſimo, jure videretur deplorandum, ac miſeratione dignum, accuſabar ſcelere latrocinii adverſus hoſpitem mihi valde dilectum. Quod ſcelus non latrocinium tantùm, ſed etiam parricidium meliùs appellaretur ab unoquoque. Nec poteram tamen tueri cauſam meam, aut certè inficiari* vel *unâ voce crimen mihi impoſitum. Poſtremò, ne ego præſens putarer ex pravitate conſcientiæ fateri me reum eſſe ſceleris tam nefandi, impulſus impatientiâ volui ſolùm hoc dicere, Non feci. Et rudivi quidem immaniter ſemel & pluries priorem vocem, alteram verò nullatenus potui pronuntiare; ſed hæſi in priore verbo, & clamavi ſæpiùs, Non, Non: quamvis*

NOTÆ.

1. *Extremius.*] Ex ſuperlativo comparativus, licentiâ Apuleianâ.

2. *Extremæ ſortis quadrupedem.*] Apud Phædrum, leo ſpiritum extremum trahens, ad aſinum calces in ſe jactantem: —— —— *fortes indignè tuli*
Mihi inſultare: te naturæ dedecus
Quod ferre cogor, certè bis videor mori.

3. *Quod crimen non modò latrocinium, verùm etiam parricidium quiſque rectiùs nominaverit.*] Petronius: *qui ignotos lædit, latro appellatur: qui amicos paulominùs quàm parricida.*

4. *Impatientiâ productus, &c.*] Quid eſt *impatientiâ productus*? Conjiciebat Pricæus *perditus*. Lege leviori mutatione *perductus*, hoc eſt, *permotus*.

5. *Et identidem boavi, Non, Non.*] Ad hanc quippe vocem ſæpiùs repetitam ſatis accedit aſini ruditus.

6. *Quanquam nimiâ rotunditate*

nimiâ rotunditate pendulas vibrâſſem labias. Sed quid ego pluribus de Fortunæ ſcævitate conqueror? quam quidem nec iſtud puduit, me cum meo famulo, meoque vectore illo equo factum [1] conſervum atque conjugem. Talibus cogitationibus fluctuantem, ſubiit me illa cura potior, quâ ſtatuto conſilio latronum, Manibus virginis decretam me victimam recordabar. Ventremque crebrò ſuſpiciens meum, jam miſellam puellam parturiebam. Sed ille, qui commodùm falſam de me [2] notoriam pertulerat, expromptis mille aureis, quos inſutos laciniæ contexerat, quoſque variis viatoribus detractos, ut aiebat, pro ſuâ frugalitate [3] communi conferebat arcæ: infit etiam de ſalute commilitonum ſollicitè ſciſcitari. Cognitoque quoſdam, immò verò fortiſſimum quemque variis quidem, ſed impigris caſibus oppetiiſſe; ſuadet tantiſper pacatis itineribus, omniumque præliorum ſervatis induciis, inquiſitioni commilitonum potiùs inſiſteretur, & tyrocinio novæ juventutis, ad priſtinæ manûs numerum, [4] Martiæ cohortis facies integraretur. Nam & invitos terrore compelli, & volentes præmio provocari

INTERPRETATIO.

retorſiſſem mirum in modum in orbem mea *labra pendentia. Sed quorſum ego ulteriùs conqueror de ſiniſteritate Fortunæ? quam ne puduit quidem feciſſe me conſervum illius equi mei ſervi, vectoriſque, &* ſubmiſiſſe me *eidem jugo* ac ipſum. *Dum diſtraherer huc illuc ejuſmodi cogitationibus, rediit mihi in mentem hæc ſollicitudo magis urgens, quâ memineram me deſtinatum eſſe decreto prædonum, hoſtiam Manibus virginis. Et reſpiciens ſæpè meam alvum, jam mihi videbar parere infelicem virginem. At ille, qui modò narraverat falſam accuſationem de me, extractis mille* nummis *aureis, quos abſconderat conſutos in veſte, quoſque ereptos, ut aiebat, diverſis viatoribus, afferebat in communes loculos, pro eâ quâ erat probitate: cœpit quoque anxiè inquirere de incolumitate ſociorum. Cumque audiviſſet quoſdam, immò verò fortiſſimos omnes cecidiſſe mortibus diverſis quidem, ſed ſtrenuis; hortatur, ut relictis viis pacatis in aliquod tempus, & obſervatâ ceſſatione omnium certaminum, incumberent potiùs inquirendis ſociis, & forma caterva bellicoſæ reſtitueretur uſque ad numerum prioris multitudinis, ſuffectis* novis *tyronibus ex juventute. Eos enim, qui nollent, poſſe adigi metu, qui autem non renuerent,*

NOTÆ.

pendulas vibraſſem labias.] Hoc eſt quod l. 10. dicit: *contortâ in modum linguæ poſtremâ labiâ.* Labiæ *enormia labia.*

1. *Servum atque conjugem.*] *Conjux* hîc eſt *jugum cum alio ferens.* Malebat Pricæus, *congregem.* & reverà nuſquam vidimus hactenus alligatum fuiſſe Lucium ad jugum unà cum equo ſuo. Et præterea vox *congregem* habetur infrà hoc ipſo libro: *equinis armentis me congregem, &c. permiſcuit.*

2. *Notoriam pertulerat.*] Vocabulum eſt Juris, ſignificans *delationem, accuſationem, indicium.*

3. *Communi conferebat arcæ.*] Arcæ collegii latronum. Inſcriptio vetus apud Gruterum, fol. 175.

EROGENTUR EX ARCA COLLEGII.

4. *Martiæ cohortis.*] Bellicoſæ latronum manûs, quorum Deus Mars eſt. Alludit ad Romanam Militiam, in quâ Legio Martia fuit exploratæ virtutis. De hac Cicero, Philipp. 4. *Quid legio Martia? quæ mihi videtur divinitùs ab ipſo Deo traxiſſe nomen, à quo Populum Romanum generatum accepimus.*

poſſe

poſſe: nec paucos humili ſervilique vitæ renuntiantes, ad inſtar tyrannicæ poteſtatis, ſectam ſuam conferre malle. Se quoque jamdudum pro ſuâ parte quemdam conveniſſe hominem & ſtaturâ procerum, & ætate juvenem, & corpore vaſtum, & manu ſtrenuum: eique ſuaſiſſe, ac denique perſuaſiſſe, ut manus hebetatas diutinâ pigritiâ, tandem referret ad frugem meliorem; bonoque ſecundæ, dum poſſet, frueretur valetudinis: nec manum validam erogandæ ſtipi porrigeret, ſed hauriendo potiùs exerceret auro. Talibus dictis univerſi omnes aſſenſère: & illum, qui jam comprobatus videretur, aſciſci, & alios ad ſupplendum numerum, veſtigare ſtatuunt. Tunc profectus, & paululùm commoratus ille, perducit immanem quemdam juvenem, uti fuerat pollicitus, neſcio an ulli præſentium comparandum. nam præter cæteram corporis molem, toto vertice cunctos antepollebat, & ei commodùm lanugo malis inſerpebat: ſed planè centunculis diſparibus & malè conſarcinatis ſemiamictum: inter quos pectus & venter cruſtatâ craſſitie reluctabant. Sic introgreſſus, Avete, inquit, fortiſſimo Deo Marti clientes, mihique jam fidi commilitones; & virum magnanimæ vivacitatis volentem volentes accipite, libentiùs vulnera corpore excipientem, quàm aurum manu ſuſcipientem: ipsâque [1] morte, quam formidant alii, meliorem. Nec me putetis egenum, vel abjectum, ne-ve de pannulis iſtis virtutes meas æſtimetis. Nam

INTERPRETATIO.

*poſſe incitari mercede: & multos qui*dem *malle amplecti vitam ſimilem dominationi regiæ, repudiatâ vitâ abjectâ & ſervili. Quantum etiam ad ſe pertineret, ſe jam pridem adiviſſe quemdam virum altæ ſtaturæ, juvenem, prægrandem corpore, & promptum manu: ſeque ei auctorem fuiſſe, ac demùm compuliſſe* ipſum, *ut admoveret tandem ad meliores uſus, manus torpentes longâ deſidiâ; & uteretur commodis proſperæ valetudinis, dum liceret: neque mendicandi gratiâ extenderet robuſtam dexteram, ſed uteretur potiùs eâ ad eruendum aurum.* Omnes *quotquot erant annuerunt his verbis: & decernunt in* ſuum cœtum *recipere eum cujus virtus videretur jam ſpectata, & inquirere alios ad complendum numerum. Tunc ille cùm exiviſſet, & manſiſſet tantiſper* foris, *adducit, ut promiſerat, quemdam juvenem procerum, cum quo neſcio an quiſquam eorum, qui aderant, potuiſſet conferri. nam præter reliquam amplitudinem corporis, ſuperabat omnes toto capite, & genæ ei tunc primulùm incipiebant veſtiri barbâ: ſed ſemicopertus erat tantùm pannis diſſimilibus & malè conſutis per quorum commiſſuras pectus & alvus ejus callosâ mole nitebantur* erumpere. *Sic ingreſſus, Salvete, ait, ô vos qui eſtis in tutelâ fortiſſimi Dei Martis & jam facti mei fideles ſocii; & benignè excipite* me *hominem fortiſſimi vigoris ſponte ve*nientem ad vos, *excipientem plagas corpore libentiori animo, quàm aurum manu, & contemnentem ipſam mortem, quam alii metuunt. Neque arbitremini me eſſe inopem aut vilem, ne-ve ex his centunculis judicetis de meis*

NOTÆ.

1. *Morte meliorem.*] *Superiorem. Morte melior* κρείττων θανάτου. Græca phraſis eſt: ſignificatque eum, qui θανάτου καταφρονεῖ. Abſurda & ἀπροσδιόνυσα ſunt, quæ hîc Beroaldus refert de mortis bonitate.

præfui validiſſimæ manui, totamque prorſus devaſtavi Macedoniam. Ego ſum prædo famoſus, [1] Hæmus ille Thracius, cujus totæ Provinciæ nomen horreſcunt: [2] patre Therone æquè latrone inclyto prognatus, humano ſanguine nutritus, interque ipſos manipulos factionis educatus, hæres & æmulus virtutis paternæ. Sed omnem priſtinam ſociorum fortium multitudinem, magnaſque illas opes exiguo temporis amiſi ſpatio. Nam [3] procuratorem Principis ducenariâ perfunctum, dehinc Fortunâ triſtiore decuſſum, [4] prætereuntem Orato

INTERPRETATIO.

virtutibus. Fui enim dux fortiſſimæ cohortis, & diripui omnem planè Macedoniam. Ego ſum inclytus ille latro Hæmus Thracius, cujus nomen provinciæ totæ reformidant: genitus patre Therone prædone ſimiliter famoſo, altus cruore humano. & nutritus in mediis cohortibus hujus *ſectæ, hæres & imitator fortitudinis paternæ. Verùm perdidi brevi intervallo temporis totum illum antiquum numerum ſtrenuorum commilitonum, & illas ingentes divitias. Adortus enim fueram procuratorem Cæſaris prætereuntem Orato, qui exercuerat procurationem ducenariam, & poſteà exciderat ex eâ malignitate*

NOTÆ.

1. *Hæmus ille Thracius.*] *Hæmus* hîc nomen eſt prædonis, fortaſſe ἀπὸ τοῦ αἵματος *à ſanguine*, quo latrones gaudent. Aliàs *Hæmus* mons eſt in Theſſaliâ.

2. *Patre Therone.*] Nomen Græco fonte cadens latroni congruum. Θὴρ enim Græcis *feram* ſonat.

3. *Procuratorem Principis ducenariâ perfunctum.*] Supple *procuratione*. Vetus Inſcriptio: PROCURATOR AUGUSTI PROVINCIÆ BŒTICÆ AD DUCENA ACCIPIENDA. Cujacius, ad Titul. 19. lib. 10. Cod. de Exactoribus tributorum: *Ducena, & Centena dignitates ſunt in ſcholâ agentium in rebus, & in officio ſacrarum largitionum, &c. exegiſſe eos fiſcales pecunias hac lex oſtendit, &c.* Procuratoris Ducenarii mentio eſt apud Cyprianum, epiſt. 68. *actis publicè habitis apud Procuratorem Ducenarium:* ad quem locum Rigaltius: *extra curas exercitûs & negotia belli, circa Principem Romanum fuit militia duplex: litterata, quæ ſcriniis operam dabat: actuoſa, quæ rebus agendis erat occupatiſſima. Hi Magiſtriani dicebantur, & ex eorum ſcholâ Ducenarii, & Centenarii, ſive Sexagenarii, qui fiſcales pecunias exigebant, à numero pecuniarum, quas in ſtipendium accipiebant, nuncupati.* Beroaldus hîc *Ducenariâ perfunctum* intelligit fuiſſe primum haſtatum, qui duas Centurias, id eſt, ducentos milites ducebat in acie ſecundâ. *Sicut enim*, inquit, *Centenarium dixere, quem nunc Centurionem nominant, ita & Ducenarium appellant Præfectum ducentis militibus.* Sed hoc nullâ auctoritate fultum, malè convenit Procuratori Principis.

4. *Prætereuntem Orato fueram aggreſſus.*] Beroaldo, *Prætereuntem coram fueram aggreſſus*, quem refellit Schoppius ex his, quæ ſequuntur, ex quibus paret Procuratorem illum non coràm & apertè, ſed noctu in tugurio fuiſſe à latronibus poſitum. Retinet igitur lectionem Mſs. & veterum editionum *Orato*, quam urbem Macedoniæ eſſe ait. Sed prætérquàm quòd nulla hujus urbis apud Strabonem, ac ne in theſauro quidem Ortelii ſit mentio: latrocinium illud non in Macedoniâ perpetratum, ſed in littore Actiaco fuit, ubi Macedoniâ delapſi graſſabantur, ut narratur infrà: quod quidem littus Acarniæ contribuitur, plurimumque à Macedoniâ diſtat. Aliud ergo quærendum, vel *Oratum* illud in Acarnaniâ collocandum.

fueram aggreſſus. Sed rei noſcendæ carpo ordinem. Fuit quidam multis officiis in aulâ Cæſaris clarus atque conſpicuus, ipſi etiam probè ſpectatus. Hunc inſimulatum quorumdam aſtu, projecit extorrem ſæviens Invidia. Sed uxor ejus Plotina quædam, raræ fidei, atque ſingularis pudicitiæ fœmina, quæ decimo partûs ſtipendio viri familiam fundaverat, ſpretis atque contemptis urbicæ luxuriæ deliciis, fugientis comes, & infortunii ſocia, tonſo capillo, in maſculinam faciem reformato habitu, pretioſiſſimis monilium & auro monetali zonis refertis incincta, inter ipſas cuſtodientium militum manus & gladios nudos intrepida, cunctorum periculorum particeps, & pro mariti ſalute pervigilem curam ſuſtinens, ærumnas aſſiduas ingenio maſculo ſuſtinebat. Jamque plurimis itineris difficultatibus, mariſque terroribus exantlatis, [1] Zacynthum petebat: quam Sors ei fatalis decreverat [2] temporariam ſedem. Sed cùm primùm [3] littus Actiacum, quò tunc Macedoniâ delapſi graſſabamur, appuliſſet; nocte promotâ tabernulam quamdam littori navique proximam, vitatis maris fluctibus, incubabat. Invadimus, & diripimus omnia. nec tamen periculo levi tentati diſceſſimus. Simul namque primum ſonum januæ matrona-

INTERPRETATIO.

fati. Sed reſumo ordine rem omnem, quò faciliùs intelligatur. Fuit quidam inclytus atque inſignis multis muneribus, quæ geſſerat in aulâ Cæſaris, egregiè quoque probatus ipſi Cæſari. *Crudelis Invidia coëgit hunc ire in exilium, accuſatum calliditate quorumdam. At Plotina quædam* nomine *ejus conjux. mulier ſingularis fidelitatis, & eximiæ caſtitatis, quæ ſtabiliverat familiam ſui mariti cenſu decem natorum, & neglectis ac ſubterhabitis voluptatibus urbani luxûs, comitata virum exulantem, &* facta *particeps ejus calamitatis, reſectâ comâ, mutatâ veſte & facie in ſpeciem viri, circumdata zonis, quas inferciverat monilibus maximi pretii & aureis nummis, interrita inter ipſos manipulos enſeſque diſtrictos militum cuſtodientium* ſuum maritum, *ſocia omnium periculorum, & invigilans perpetuâ curâ incolumitati conjugis, tolerabat continuos labores animo virili. Et jam ſuperatis permultis moleſtiis viarum, & periculis maris, ibat Zacynthum, ubi Fortuna iniqua conſtituerat ei habitationem ad tempus. Verùm ſtatim atque tetigit littus Actiacum, in quo tunc latrocinabamur digreſſi è Macedoniâ, cubabat nocte jam provectiore in quodam tugurio vicino littori & navi, ad evitandam jactationem maris. Irruimus & expilamus cuncta. non mediocri tamen diſcrimine abiimus. nam ſtatim atque illa materfamilias audivit primum ſtridorem*

NOTÆ.

1. *Zacynthum petebat.*] Inſulam maris Ionii, hodie *Zante* Veneticæ ditionis. In Inſulas porrò deportatos exules paſſim legas apud Hiſtoricos: Unde Cornel. Tacitus: *plenum exiliis mare.* Quin & exilium ipſum pœna inſularis dicitur apud Ammianum Marcellinum.

2. *Temporariam ſedem.*] Nimirùm non perpetuo exilio damnatus fuerat ille Procurator, ſed tantùm ad tempus, & relegatus erat, non exul.

3. *Littus Actiacum.*] Oram illam maris Ionii, quæ ab Ambracio Sinu Heracleam verſus extenditur. Ibi enim fuit Actium oppidum Colonia Auguſti.

percepit, procurrens in cubiculum, clamoribus inquietis cuncta miſcuit: milites, ſuoſque famulos nominatim, ſed & omnem viciniam ſuppetiatum convocans: niſi quod pavore cunctorum, cùm ſibi quiſque metuentes deliteſcebant, effectum eſt ut impunè diſcederemus. Sed protinus ſanctiſſima* (vera enim dicenda ſunt) & unicæ fidei fœmina, bonis artibus gratioſa, precibus ad Cæſaris numen porrectis, & marito reditum celerem, & aggreſſuræ plenam vindictam impetravit. Denique noluit eſſe Cæſar Hæmi latronis collegium; & confeſtim interiit. Tantum poteſt nutus etiam magni Principis. Totâ denique factione militarium [1] vexillationum indagatu confectâ atque conciſâ, ipſe me furatus ægrè, ſolus è mediis Orci faucibus ad hunc evaſi modum. Sumptâ veſte muliebri floridâ, [2] in ſinus flaccidos abundante, [3] mitellâque textili contecto capite, [4] calceis fœmineis albis illis & tenuibus indutus, & [5] in ſequiorem ſexum [6] inſertus atque abſconditus, aſello ſpicas hordeaceas gerenti reſidens, per medias acies infeſti militis tranſivi. Nam mulierem putantes aſinariam, concede-

INTERPRETATIO.

oſtii, currens in cubiculum turbavit omnia tumultuoſis vociferationibus: ciens in auxilium milites & ſervos ſuos quemque ſuo nomine, atque etiam omnes vicinos: ſed metu omnium evenit ut abiremus incolumes, cùm ſe abſconderent, ſibi quiſque timentes. Sed mulier caſtiſſima, ac probitatis ſingularis (nam verum fatendum eſt) quæ ſibi conciliaverat favorem ſuis virtutibus, fuſis ſtatim precibus ad majeſtatem Cæſaris, obtinuit ſimul promptum regreſſum ſuo conjugi, & perfectam ultionem hujus aggreſſionis. Poſtremò Cæſar voluit ut factio Hæmi prædonis interiret, & ipſa *periit illicò. Tantùm valet vel ipſa voluntas magni Imperatoris. Univerſo demùm collegio extincto atque deleto* ad internecionem *inquiſitione turmarum militarium, ego me vix proripui, & effugi ſolus ex mediis manibus Plutonis hoc pacto.* Ego *induto veſtimento fœmineo pulchro, & affluente in laxos ſinus, & operto capite parvâ mitrâ textili, calceatus calceis illis muliebribus candidis & tenuibus, &* velut *implantatus alteri ſexui, atque abditus* ſub eo, *evaſi per media agmina infenſorum militum, inequitans aſino bajulanti ſpicas hordei.* Illi *enim credentes* me eſſe *fœminam aſinariam, dabant mihi patentem tranſ-*

NOTÆ.

1. *Vexillationum.*] *Vexillationes* apud Vegetium ſunt alæ equitum. à *vexillo*, quo utebantur equites.

2. *In ſinus flaccidos abundante.*] Beroaldus, *undante.* Nihil mutandum. *Veſtis abundans in ſinus*, eſt *laxior & fluxa.*

3. *Mitellâque.*] Diminutivum à *mitra*, quæ fuit tegumentum muliebris capitis, ſeu potiùs tænia, quâ caput cingebant mulieres. Virgil in Copa.

Copa Syriſca caput Graiâ redimita mitellâ,

Quin & pro quâvis faſciâ ſumitur, ut apud Celſum, pro faſcia ad involvendum brachium fractum.

4. *Calceis fœmineis albis illis, &c.*] Tales erant Sicyonii, de quibus Cicero lib. 1. de Oratore: *ut ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quamvis eſſent habiles, & apti ad pedem, quia non eſſent viriles.*

5. *In ſequiorem ſexum.*] *Fœmineum,* qui *ſequior*, id eſt, *alius* eſt à virili.

6. *Inſertus.*] Quidam legunt *incertus*, quòd eſſet *ignotus, latens*, ἄδηλος. Mavult Pricæus *inſertus*, quod amplector.

bant liberos abitus: quippe cùm mihi etiam tunc depiles genæ lævi pueritiâ ſplendicarent. Nec ab illâ tamen paternâ gloriâ vel meâ virtute deſcivi, quanquam ſemitrepidus juxta mucrones Martios conſtitutus: ſed habitûs alieni fallaciâ tectus, villas ſeu caſtella ſolus aggrediens, viaticulum mihi corraſi. [1] Et diloricatis ſtatim pannulis, in medium profudit duo millia aureorum. &, En, inquit, iſtam [2] ſportulam, immò verò dotem [3] veſtro collegio libens, meque vobis ducem fidiſſimum, ſi tamen non recuſatis offero: brevi temporis ſpatio [4] lapideam iſtam domum veſtram facturus auream. Nec mora, nec contatio; ſed calculis omnibus ducatum latrones unanimes ei deferunt: veſtemque lautiuſculam proferunt, ſumeret abjecto centunculo divite. Sic reformatus, ſingulos exoſculatus, & in ſummo pulvinari locatus, [5] cœnâque poculiſque magnis inauguratur. Tunc ſermonibus mutuis

INTERPRETATIO.

itum, cùm nempè malæ mihi adhuc imberbes tunc temporis niterent glabrâ juventâ. Neque tamen degeneravi ab illâ laude patriâ, aut à meâ fortitudine, tametſi mihi timerem aliquantum, utpote collocatus prope gladios militares; verùm tutus dolo aſcititiæ veſtis, oppugnans villas ſive caſtella licet *ſolus, rapui mihi hoc parvum viaticum. Et confeſtim diſciſſis centonibus* ſuis *projecit in medium bis mille* nummos *aureos. &, Ecce, ait, libenter offero veſtro cœtui hanc largitionem, vel potiùs dotem, & me vobis tutiſſimum Imperatorem, (ſi tamen non reſpuitis* me *) reddituras exiguo intervallo temporis veſtram hanc domum auream, quæ* nunc *eſt ſaxea. Prædones univerſis ſuffragiis unanimi conſenſu eum ſibi præficiunt abſque ullâ morâ, aut dubitatione, depromuntque veſtimentum paulò elegantius,* quod ipſe *indueret, depoſitis ſuis pannis locupletibus. Ita mutato habitu amplexus unumquemque. & conſtitutus in ſupremâ parte lecti, conſecratur cœnâ, atque ingentibus crateribus. Tunc alternis col-*

NOTÆ.

1. *Et diloricatis pannulis.*] Lib. 6. *his editis involat in eam. veſtemque plurifariam diloricat.* Ubi vide notata, pag. 181.

2. *Sportulam.*] *Sportula* nomen erogationis, ſic dictæ, quòd in *ſportulâ*, id eſt, *caniſtro* darentur dapes clientibus, quam *ſportulam* ideo Græci dixerunt δεῖπνον ἐν σπυρίδι, *cœnam in ſportâ.* Pecunia etiam poſteà ciborum loco ſæpè erogata eſt, quæ & ipſa ſportulæ nomen retinuit. hoc poſteriore ſignificatu *hîc* accipiendum.

3. *Veſtro collegio.*] Ex veteri more. Solebant enim qui in collegium, curiam, aut corpus aliquod admitterentur, ob introitum aliquid largiri illi corpori. Plin. Secund. Epiſt. 39. lib. 10. quæ eſt de theatro Nicenſium. *Claudiopolitani quoque in depreſſo loco imminente etiam monte ingens balineum defodiunt potiùs, quàm ædificant. & quidem ex eâ pecuniâ, quàm* βουλευταὶ *addunt beneficio tuo, aut jam obtulerunt ob introitum, aut nobis exigentibus conferunt.* Sueton. in Claudio: *Poſtremò etiam HS octogies pro introitu novi ſacerdotii coactus impendere.*

4. *Lapideam iſtam domum veſtram facturus auream.*] Sic Auguſtus (ſi Romanum Imperatorem cum latrone conferre licet) apud Aurel. Victorem in Epitome, gloriatur hoc dicto: *urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream.*

5. *Cœnâque, poculiſque magnis inauguratur.*] Ex ritu Sacerdotum, quando enim Flamen, aut Augur, aut Pontifex cooptabatur in collegium (quod *inaugurari* eſt) ſolebant lautiore cœnâ ſacerdotalem dignitatem auſpicari.

de virginis fugâ, déque meâ vecturâ, & utrique deſtinatâ monſtruoſâ morte cognoſcit: & ubi locorum eſſet illa percontatus, deductuſque, visâ eâ, ut erat vinculis onuſta [1] contortâ & vituperanti nare diſceſſit. & , Non ſum quidem tam brutus, vel certè temerarius, inquit, ut [2] ſcitum veſtrum inhibeam; ſed malæ conſcientiæ reatum intra me ſuſtinebo, ſi, quod bonum mihi videtur, diſſimulavero. Sed priùs fiduciam, veſtri causâ ſollicito mihi tribuite; cùm præſertim vobis, ſi ſententia hæc mea diſplicuerit, liceat rurſus [3] ad aſinum redire. Nam ego arbitror latrones, quiqui eorum rectè ſapiunt, nihil anteferre lucro debere ſuo, ac ne ipſam quidem ſæpè ſibi & aliis damnoſam ultionem. Ergo igitur ſi perdideritis in aſino virginem, nihil amplius quàm ſine ullo compendio indignationem veſtram exercueritis. Quin ego cenſeo deducendam ad quampiam civitatem, ibique venundandam. nec enim levi pretio diſtrahi poterit talis ætatula. Nam & ipſe quoſdam lenones pridem cognitos habeo, quorum poterit unus magnis equidem talentis, ut arbitror, puellam iſtam præſtinare, condignè natalibus ſuis in fornicem proceſſuram, nec in ſimilem fugam diſcurſuram: nonnihil etiam, cùm lupanari ſervierit, vindictæ vobis depenſuram. Hanc ex animo quidem meo ſententiam

INTERPRETATIO.

loquiis latronum diſcit fugam virginis me vehente, & portentoſam necem decretam nobis ambobus: cúmque rogâſſet ubinam eſſet illa, atque eò deductus eam vidiſſet oneratam vinclis, ſicut erat, abiit diſtorto ac renuenti naſo. & : Haud equidem ſum adeo ſtupidus, inquit, aut ſaltem adeo *arrogans, ut obſtem veſtro decreto. Sed exiſtimarem me nullatenus vacare culpâ, ſi reticerem quod mihi videtur* eſſe *è re veſtrâ. Verùm mihi veſtrarum rerum ſatagenti date audacter loquendi locum, cùm præcipuè, ſi hoc meum conſilium non arriſerit vobis, poſſitis iterum reverti ad aſinum. Opinor enim cordatos quoſque prædones nihil debere præponere ſuo quæſtui, ac ne ipſam quidem vindictam, quæ ſæpè attulit jacturam ipſis, & aliis* quoque. *Si ergo interemeritis puellam in corpore aſini, nihil aliud niſi veſtram iram abſque omni lucro exercueritis. Ego auctor ſum vobis potiùs, ut eam ducatis ad aliquam urbem, atque ibi vendatis eam. nam* virgo *hujus ætatis poterit vendi pretio non parvo. Ego enim jam dudum novi quoſdam lenones, quorùm unùs, ut opinor, poterit emere ingentibus pecuniis hanc virginem, prodituram in lupanar, ut convenit nobilitati generis ejus, non autem erraturam hujuſmodi fugâ: perſoluturam etiam vobis aliquid ultionis, cum mancipata fuerit fornici. Expoſui ſincerè hoc conſilium* vobis

NOTÆ.

1. *Contortâ & vituperanti nare.*] Lib. 8. *nare detortâ magiſtrum ſuum variè cavillantur.*

2. *Scitum veſtrum.*] Decretum: à verbo *ſciſcere.* Propriè plebis decreta *plebiſcita* dicta ſunt. Cùm decreta Patrum *ſenatuſconſulta* dicerentur.

3. *Ad aſinum redire.*] Id eſt, *ad ſententiam veſtram*, quâ decreviſtis ut puella aſino inſuta perimatur. Videtur aliquid proverbiale latere ſub his verbis *ad aſinum redire.* Infrà idem repetit, ſed in aliam paulo ſententiam: *Quid ſi quoquo modo latrones perſenſerint, non rurſum recurres ad aſinum, & rurſum exitium mihi parabis?*

conducibilem protuli. ſed vos veſtrorum eſtis conſiliorum rerumque domini. Sic ille [1] latronum fiſci advocatus noſtram cauſam pertulerat, virginis & aſini ſoſpitator egregius. Sed in diutinâ deliberatione cæteri, cruciantes morâ conſilii mea præcordia, immò miſerum ſpiritum, libentes tandem novitii latronis accedunt ſententiæ: & protinus vinculis exolvunt virginem. Quæ quidem, ſimul viderat illum juvenem, fornicisque & lenonis audierat mentionem, cœpit riſu lætiſſimo geſtire: ut mihi meritò ſubiret vituperatio totius ſexûs: cùm viderem puellam proci juvenis amore nuptiarumque caſtarum deſiderio ſimulato, lupanaris ſpurci ſordidique ſubitò delectari nomine. & tunc quidem totarum mulierum ſecta moreſque de aſini pendebant judicio. Sed ille juvenis ſermone repetito: Quin igitur, inquit, ſupplicatum [2] Marti comiti pergimus, & puellam ſimul vendituri, & ſocios indagaturi? Sed, ut video, nullum uſpiam pecus ſacrificatui, ac ne vinum quidem potatui affatim vel ſufficiens habemus. Decem itaque mihi legate comites, quîs contentus proximum caſtellum petam, inde vobis [3] epulas Saliares comparaturus. Sic eo profecto, cæ-

INTERPRETATIO.

utile. at vos eſtis domini conſiliorum & rerum veſtrarum. Sic ille advocatus fiſci prædonum, eximius puellæ ſervator & aſini, ſuſtinuerat noſtram cauſam. Verùm reliqui torquentes mea viſcera, ſeu potiùs meam *infelicem animam in longâ conſultatione, cunctatione ſententiæ* dicendæ, *amplectuntur tandem ultrò conſilium novi prædonis: & ſtatim ſolvunt puellam. Quæ quidem, ubi primùm conſpexerat illum adoleſcentem, & audierat loquentem de lupanari ac lenone, cœperat efferri riſu hilariſſimo,* adeo *ut mihi jure veniret in mentem culpare univerſum ſexum: cùm cernerem virginem, quæ mentita fuerat ſe amare juvenem amatorem, & exoptare ſanctum connubium, repentè gaudere ad nomen proſtibuli impuri & immundi. Et tunc quidem totus ſexus & vita mulierum dependebant à ſententiâ aſini. At ille juvenis reſumptâ oratione: Quidni ergo, ait, imus oratum Martem adjutorem, venundaturi virginem, & ſimul inquiſituri commilitones? Sed, quantum video, nullum omninò pecus habemus quod immolemus, ac ne ſatis quidem vini ad bibendum. Mittite ergo mecum decem ſocios, quibus ego contentus ibo ad vicinum caſtellum, petiturus illinc vobis dapes opiparas. Cùm eſſet profectus hoc*

NOTÆ.

1. *Latronum fiſci advocatus.*] Quippe qui cavebat, ne quæſtus ex virginis venditione latronibus proventurus, inconſultâ illâ & damnoſâ ultione intervertteretur: quemadmodum fiſci advocatus cavet, ne damnatorum bona fiſco Principis debita, aliquâ fraude ipſi ſubtrahantur. Eſt autem fiſcus dictus quòd in fiſcis, hoc eſt, in caniſtris pecunia aſſervaretur.

2. *Marti comiti.*] Qui nos in noſtris expeditionibus ſequatur, comitetur, foveat, juvetque ſua præſentiâ. Infrà: *Marti Secutori Comitique.*

3. *Epulas Saltares.*] Malè Beroald. & Colvius: *epulas & altas res.* Noſter, lib. 4. *Saltares ſe cœnâſſe cœnas crederet.* Ad quæ verba vide quæ obſervavimus pag. 134.

teri copioſum inſtruunt ignem. [1] aramque ceſpite virenti Marti Deo faciunt. Nec multò pòſt adveniunt illi, vinarios utres ferentes, & gregatim [2] pecua comminantes: unde prælectum grandem hircum annoſum & horricomem Marti Secutori Comitique victimant. & illicò prandium fabricatur opiparè. Tunc hoſpes ille, Non modò, inquit, expeditionum prædarumque, verùm etiam voluptatum veſtrarum ducem me ſtrenuum ſentire debetis. Et aggreſſus inſigni facilitate gnaviter cuncta præminiſtrat. verrit, ſternit, coquit, tuceta concinnat: apponit ſcitulè: ſed præcipuè poculis crebris grandibuſque ſingulos ingurgitat. Interdum tamen, ſimulatione promendi quæ poſcebat uſus, ad puellam commeabat aſſiduè, parteſque ſubreptas clanculò, & præguſtatas à ſe potiones offerebat hilaris. At illa ſumebat appetenter: & nonnunquam baſiare volenti, promptis ſaviolis [3] adlubeſcebat. quæ res oppidò mihi diſplicebat. Hem oblita es nuptiarum, [4] tuique mutui cupitoris, puella virgo? & illi neſcio cui recenti marito, quem tibi parentes junxerant, hunc advenam cruentumque percuſſorem præponis? Nec te conſcientia ſtimulat; ſed affectione calcatâ, inter lanceas & gladios iſtos ſcortari tibi libet? Quid ſi quoquo modo cæteri latrones perſenſerint, [5] non rurſum recurres ad aſinum, & rurſum

INTERPRETATIO.

comitatu, *reliqui ſtruunt ignem luculentum, & erigunt aram Deo Marti ex viridi gramine. Et paulò pòſt illi redeunt geſtantes utres plenos vino, & agentes ante ſe gregem pecorum, ex quo immolant ingentem hircum electum* inter cæteros *grandævum & hirſutum Marti ſecutori, & ſocio. ſtatimque prandium lautum apparatur. Tunc ille novus advena, Non ſolùm, inquit, oportet vos agnoſcere me fortem anteſignanum veſtrarum incurſionum, & rapinarum, ſed etiam & voluptatum. Et* rem *adortus, exequitur ſtrenuè omnia cum mirâ facilitate. Verrit* ſolum, *ſternit* lectos, *coquit* cibos, *condit tuceta: miniſtrat eleganter: verùm inebriat præſertim unumquemque crateribus magnis & frequentibus* propinatis. *Nonnunquam tamen, fingens ſe depromere ea, quæ opus eſſent ſibi, veniebat ſæpiùs ad virginem, & exhibebat* ei *lætus fruſta clàm ſubtracta, & pocula à ſe prælibata. Ipſa verò avidè capiebat: & aliquando cùm vellet ipſam oſculari, illicò abblandiebatur* ei *baſiolis. quod diſplicebat mihi ſummoperè. Hem,* inquiebam apud me, *ô puella, ô virgo, jam facta es immemor connubii, & tui reciproci amatoris? & præfers hunc extraneum & crudelem homicidam juveni illi conjugi mihi ignoto, cui parentes tui te deſponderant? Neque conſcientia te urget; ſed ſubterhabito amore* conjugali *placet tibi libidinari inter haſtas atque enſes iſtos? Quid ſi reliqui prædones* id *animadverterint aliquo pacto, nonne redibis iterum ad aſinum, & mihi creabis iterùm per-*

NOTÆ.

1. *Aram ceſpite virenti.*] Ejuſmodi aras Virgilius *gramineas* vocat, lib. 12. Æneid.

2. *Pecua comminantes.*] Lib. 3. *nos duos aſinos minantes baculis exigunt.* Ubi vide Notas noſtras. pag. 98.

3. *Adlubeſcebat.*] *Reſpondebat lubens.*

4. *Tuique mutui cupitoris.*] *Voluntate mutuâ tibi mancipati,* ut loquitur, lib. 2.

5. *Non rurſum recurres ad aſinum, &c*] Suprà: *ad aſinum redire*, ubi vide notata, pag. 214.

exitium

exitium mihi parabis ? Reverà [1] ludis de alieno corio. Dùm iſta [2] ſycophanta ego mecum maximâ cum indignatione diſputo : de verbis eorum quibuſdam dubiis, ſed non obſcuris prudenti aſino, cognoſco, non Hæmum illum prædonem famoſum, ſed [3] Tlepolemum ſponſum puellæ ipſius. Nam procedente ſermone, pauló jam clariùs, contemptâ meâ præſentiâ : Bono animo es, inquit, [4] Charite dulciſſima. nam totos iſtos tuos hoſtes ſtatim captivos habebis. Et inſtantiâ validiore [5] vinum jam immixtum, ſed modico tepefactum vapore, ſauciis illis, & crapulâ vinolentiâque madidis, ipſe abſtemius, non ceſſat impingere. Et hercules ſuſpicionem mihi fecit quaſi ſoporiferum quoddam venenum cantharis immiſceret illis. Cuncti denique, ſed prorſus omnes [6] vino ſepulti jacebant, omnes paſſim parati morti. Tunc nullo negotio arctiſſimis vinculis impeditis, ac pro arbitrio ſuo conſtrictis illis, impoſitâ dorſo meo puellâ, dirigit greſſum ad ſuam patriam. Quam ſimul acceſſimus ; tota civitas ad votivum conſpectum effunditur.

INTERPRETATIO.

niciem ? Tu ſanè te oblectas periculo *alienæ pellis. Dum diſſero hæc apud me valdè iratus accuſans falso* puellam : *certior fio ex quibuſdam verbis eorum ambiguis, ſed quæ tamen nullatenus obſcura erant aſino ſolerti*, cum *non* eſſe *illum famoſum latronem Hæmum, ſed Tlepolemum ſponſum ipſius virginis. Nam in progreſſu orationis nihil timens de meâ præſentiâ, jam paulò apertiùs ait : Habe bonum animum, Charite ſuaviſſima: dabo enim tibi protinùs omnes iſtos tuos hoſtes vinctos. Et ipſe quidem ſobrius vini, non ceſſat illis jam affectis, & prolutis jam ebrietate ac temulentiâ, ingerere majori cum inſtantiâ vinum jam nullâ* aquâ *temperatum, ſed tepidum calore mediocri. Et certè injecit mihi ſuſpicionem quaſi admiſceret illis poculis aliquod medicamen ſomniferum. Omnes denique, ſed omnes ad unum ſtrati erant obruti vino, omnes hinc inde jam deſtinati neci, Tum illis facilè vinctis ſtrictiſſimè funibus, & colligatis ad ſuum libitum*, Tlepolemus, *virgine collocatâ in dorſo meo, tendit in ſuam patriam. Ad quam ubì pervenimus, omnes cives erumpunt ad exoptatum intuitum* noſtrum.

NOTÆ.

1. *Ludis de alieno corio.*] Eraſmus Chiliad. 2. Centur. 2. num. 88. *de alieno corio ludere proverbio dicuntur, qui ſecuriùs agunt, ſed alieno periculo. ſumpta allegoria vel à coriariis, vel ab Apologo quopiam, vel à ſervis, qui, ſi quid peccati ſit, tergo dant pœnas.*

2. *Sycophanta ego.*] Ego calumniator, leviori de causâ puellam accuſans. Feſtus & Paulus ejus Epitomator : *Sycophantas appellatos hac de causâ dicunt. Atticos quoſdam juvenes ſolitos aiunt in hortos irrumpere, ficoſque deligere,* (id eſt, *carpere*) *quam ob cauſam Lege eſt conſtitutum, ut, qui id feciſſet, capite truncaretur. quam pœnam qui perſequerentur ob parvula detrimenta, ſycophantas fuiſſe appellatos.* Hinc συκοφάντης *calumniator.*

3. *Tlepolemum.*] Nomen audaci & ſtrenuo juveni convenientiſſimum. τληπόλεμος *in bello fortis & tolerans.* ἀπὸ τοῦ τλῶ *à tolerando*, & πολέμου *bello.*

4. *Charite.*] A Græco χάρις *Gratia.*

5. *Vinum jam immixtum.*] Id eſt, *non mixtum, merum* ἄκρατον.

6. *Vino ſepulti.*] Virgilius lib. 2. Æneid.

Invadunt urbem ſomno, vinoque ſepultam.

Procurrunt parentes, affines, clientes, [1] alumni, famuli, læti, faciem gaudio delibuti. Pompam cerneres omnis ſexûs, & omnis ætatis, novumque & hercules memorandum ſpectamen, virginem aſino triumphantem. Denique ipſe etiam hilarior pro virili parte, ne præſenti negotio ut alienus diſcreparem: porrectis auribus, proflatiſque naribus, rudivi fortiter, immò tonanti clamore perſonui. Et illam thalamo receptam commodè parentes ſui fovebant: me verò cum ingenti jumentorum civiumque multitudine, confeſtim retrò Tlepolemus agebat, non invitum. nam & aliàs curioſus, & tunc latronum captivitatis ſpectator optabam fieri: quos quidem colligatos adhuc vino magis, quàm vinculis deprehendimus. Totis ergo prolatis erutiſque rebus, & nobis auro & argento cæteriſque onuſtis, ipſos partim conſtrictos, uti fuerant, provolutoſque in proximas rupinas præcipites dedere: alios verò [2] ſuis ſibi gladiis obtruncatos reliquêre. Tali vindictâ læti & gaudentes, civitatem revenimus. Et illas quidem divitias [3] publicâ cuſtodelâ commisêre; Tlepolemo puellam repetitam lege tradidêre. Exin me, ſuum ſoſpitatorem nuncupatum, matrona prolixè curitabat: ipsóque nuptiarum die præſepium meum hordeo paſſim repleri jubet, fœnumque, [4] camelo Bactrino ſufficiens, apponi. Sed quas ego con-

Interpretatio.

Parentes, affines, clientes, vernæ, ſervi currunt obviàm nobis *hilares, reſperſi vultum lætitiâ. Videres longum ordinem omnis ſexûs, atque omnis ætatis, & ſpectaculum inſolitum, & inſigne profectò,* nimirùm *puellam ovantem in aſino. Poſtremò ego quoque lætior* factus, *pro viribus, ne diſſentirem à re, quæ gerebatur, quaſi non* eſſem *particeps ejus, arrectis auribus, & afflatis naribus ſtrenuè rudivi, vel potiùs clamavi tonante voce. Atque ejus parentes lautè reficiebant ipſam receptam cubiculo: Tlepolemus autem ſtatim me reducebat unde veneramus unà cum magno numero jumentorum atque hominum, minimè reluctantem. ego enim,* qui *alioqui quoque* eram *curioſus, tunc etiam cupiebam videre captivitatem prædonum: quos quidem invenimus adhuc magis impeditos vino, quàm funibus. Depromptis ergo, atque productis* foras *rebus omnibus, nobiſque, ac reliquis oneratis auro & argento, deturbaverunt in proxima præcipitia aliquos eorum colligatos, quemadmodum fuerant, & volutos ante ſe, alios autem reliquerunt truncatos capite propriis enſibus eorum. Hac ultione exhilarati & ovantes rediimus in urbem. Et detulere quidem opes illas in gazophylacium publicum; Tlepolemo verò dedere ex præſcripto legis virginem recuperatam* ab ipſo. *Ex illo nobilis illa mulier magnam curam gerebat mei, quem vocabat ſuum ſervatorem: & ipſo die nuptiarum jubet meum præſepe omninò compleri hordeo, &* mihi *exhiberi tantum fœni, quantum ſatis eſſet camelo Bactriano. Verùm quas ego ſatis ma-*

Notæ.

1. *Alumni.*] Vernæ, qui domi aluntur. Gloſſæ Pricæo laudatæ: *alumnus* οἰκότροφος.

2. *Suis ſibi gladiis.*] Terent. Adelphis. *Suo ſibi gladio hominem jugulo.*

3. *Publicâ cuſtodelâ commisêre.*] Obſerva ablativum cum verbo *committere*, quod dativum poſtulat. Supplendum eſt aliquid, putà *aſſervandas*, ut ad communem ſyntaxin phraſis revocetur.

4. *Camelo Bactrino.*] Ex Bactriana

dignas Fotidi diras devotiones imprecer, quæ me formavit non canem, ſed aſinum? quippe cùm viderem largiſſimæ cœnæ reliquiis rapiniſque canes omnes ineſcatos atque diſtentos. Poſt unicam noctem, & rudimenta Veneris, recens nupta gratias ſummas apud ſuos parentes ac maritum mihi meminiſſe non deſtitit; [1] quoad ſummos illi promitterent honores habituri mihi. [2] Convocatis denique gravioribus amicis, conſilium datur, quo potiſſimùm facto dignè remunerarer. Placuerat uni, domi me concluſum, & otioſum, hordeo ſecto fabâque & viciâ ſaginari. Sed obtinuit alius, qui meæ libertati proſpexerat: ſuadens, ut rureſtribus potiùs campis in greges equinos laſciviens diſcurrerem, daturus dominis equarum inſcenſu generoſo multas mulas alumnas. Ergo igitur evocato ſtatim armentario equiſone, [3] magnâ cum præfatione deducendus aſſignor. Et ſanè gaudens lætuſque præcurrebam, ſarcinis & cæteris oneribus jam nunc renuntiaturus: nactâque libertate, veris initio pratis herbentibus, roſas utique reperturus aliquas. Subibat me tamen illa etiam frequens cogitatio: quòd tantis actis gratiis, [4] honoribuſque plurimis aſino modò tributis, hu-

INTERPRETATIO.

gnas execrationes poteram congerere in Fotidem, quæ me mutaverat non in canem, ſed in aſinum? cùm nempe viderem omnes canes ſaturatos, & turgidos reſiduis cœnæ lautiſſimæ, & cibis, *quos rapuerant. Poſt primam noctem & primam Venerem, nova nupta non ceſſavit commemorare parentibus & conjugi* ſuo *ſe debere mihi maximas grates, donec illi pollicerentur ſe affecturos me maximis honoribus. Denique, accerſitis intimis amicis, deliberatur, quo præſertim modo donarer mercede congruâ. Unus cenſuerat me includendum domi, ibique nihil laborantem pinguefaciendum ſelecto hordeo, fabâque & viciâ. Sed vicit alius, qui conſuluerat meæ libertati, auctor ut potiùs vagarer per rura & campos libidinans per armenta equorum, procreaturus dominis equarum meo generoſo congreſſu plurimas mulas alendas. Igitur accerſito præfecto armenti equorum, trador* ei *abducendus multis priùs* de me *dictis. Et certè præcurrebam hilaris atque ovans, ex illo vale dicturus clitellis & reliquis* hujuſmodi, *& libertate acceptâ, inventurus ſanè aliquas roſas vere ineunte, cùm pratis herbæ pullulant. Illa tamen cogitatio mihi etiam ſæpè veniebat* in mentem, *quandoquidem tantæ grates relatæ eſſent honoreſque permulti exhibiti* mihi *tum*

NOTÆ.

Provincia Perſidis, cujus caput Bactra. Bactrianorum camelorum meminit Plin. lib. 8. cap. 18. *Camelos*, inquit, *inter armenta paſcit Oriens, quorum duo genera, Bactriani, & Arabici: differunt, quòd illi bina habent tubera in dorſo, hi ſingula, & in pectore alterum, cui incumbant.*

1. *Quoad ſummos illi promitterent honores habituri mihi.*] Id eſt, *ſe habituros.* Simile eſt illud Virgilii:

——— *ſenſit medios delapſus in hoſtes.*

Et illud Catulli, de Phaſelo.

Ait fuiſſe navium celerrimus.

2. *Convocatis denique gravioribus amicis.*] Jocularitcr dictum, cùm de re ageretur leviſſimi momenti, nempe de remunerando aſino.

3. *Magnâ cum præfatione.*] Quâ jubebatur armentarius quam maximam poſſet de me curam habere.

4. *Honoribuſque plurimis aſino modò tributis.*] Quidam legunt *aſino meo.*

manâ facie receptâ, multò tantò pluribus beneficiis honeſtarer. Sed ubi me procul à civitate gregarius ille perduxerat: nullæ deliciæ, ac ne ulla quidem libertas excipit. Nam protinùs uxor ejus, avara quidem, nequiſſimaque illa mulier, [1] molæ machinariæ [2] ſubjugum me dedit: frondoſoque baculo ſubinde caſtigans, panem ſibi ſuiſque de meo parabat corio. Nec tantùm ſui cibi gratiâ me fatigare contenta, vicinorum etiam frumenta mercenariis diſcurſibus meis conterebat. Nec mihi miſero ſtatuta ſaltem cibaria pro tantis præſtabantur laboribus. Namque hordeum meum frictum, & ſub eâdem molâ meis quaſſatum ambagibus, colonis proximis venditabat: mihi verò per diem laborioſæ machinæ attento, ſub ipsâ veſperâ furfures apponebat [3] incretos ac ſordidos, multoque lapide ſalebroſos. Talibus ærumnis edomitum, novis Fortuna ſæva cruciatibus tradidit; ſcilicet, ut, quod aiunt, domi foriſque fortibus factis adoreæ plenæ gloriarer. Equinis armentis namque me congregem paſtor egregius, mandati dominici ſerus auſcultator, aliquando permiſit. At ego tandem liber aſinus, lætus & tripudians, gradúque molli geſtiens, equas opportuniſſimas jam mihi concubinas futuras deligebam. Sed hîc etiam ſpes hilarior in capitale proceſſit exitium. Mares enim, ob admiſſu-

INTERPRETATIO.

aſino, fore ut condecorarer longè pluribus beneficiis, cùm recuperâſſem formam humanam. Verùm ſimul atque armentarius ille me deduxit longè ab urbe, nullam ibi *voluptatem nactus ſum, ac ne ullam quidem libertatem. Statim enim ejus uxor*, quæ erat *fœmina avara & peſſima, alligavit me ad molam piſtrini: & me ſæpiùs percutiens fuſte folioſo, præparabat ſibi ac ſuis panem* damno *meæ cutis. Neque contenta me laſſare ſolummodò propter ſuum cibum, molebat etiam frumenta vicinorum meis circuitionibus*, quas locabat *mercede. Neque ſaltem cibus decretus exhibebatur mihi infortunato, pro tantis laboribus. Vendebat enim vicinis agricolis meum hordeum frictum, & tritum ſub eâdem molâ meis diſcurſibus: mihi autem, qui toto die incubueram moleſtæ illi machinæ, præbebat ineunte veſperâ viles furfures non cribratos, & aſperos plurimis lapillis. Ejuſmodi miſeriis ſubactum me ſors crudelis expoſuit novis tormentis; nempè, ut (quemadmodum dicitur* vulgò *) reportarem perfectam gloriam egregiis* meis *facinoribus fortiter geſtis domi foriſque. Nam præclarus* ille *equiſo exequens imperium herile*, ſed *tardiùs, immiſit me tandem ſocium gregibus equorum. Verùm ego demùm aſinus ſolutus, hilaris, & exultans, & laſciviens greſſu infracto jam eligebam ex equabus* illas, *quæ* mihi *videbantur futuræ aptiſſimæ uxores. Verùm in hac etiam re ſpes lætior ceſſit mihi in extremam perniciem. Equi enim largo ſatiati cibo inſcensûs*

NOTÆ.

1. *Molæ machinariæ, &c.*] Columella, lib. 7. cap. 1. de aſinis loquens: *jam verò molarum, & conficiendi frumenti penè ſolennis eſt hujus pecoris labor.*

2. *Subjugum.*] Unâ tantùm voce, *Subjugus* eſt *ſubjugalis, jugo ſubjacens*, ὑποζύγιος.

3. *Incretos.*] *Non purgatos, non cribratos.* Contrarium eſt *ſuccretos. Sæpiùs* tamen, particulâ *in* non negante, *incretus* eſt *cribratus: incernere, cribrare;* & *incerniculum, cribrum.*

cam Veneream paſti ſatianter, ac diu ſaginati, terribiles alioquin, & utique quovis aſino fortiores, de me metuentes ſibi, & [1] adulterio degeneri præcaventes, nec Hoſpitalis Jovis ſervato fœdere, rivalem ſummo furentes perſequuntur odio. Hic elatis in altum vaſtis pectoribus, arduus capite, & ſublimis vertice, [2] primoribus in me pugillatur ungulis: ille terga pulpoſis toris obeſa convertens, poſtremis velitatur calcibus: alius hinnitu maligno comminatus, [3] remiſſis auribus, dentiumque candentium renudatis haſtis, totum me commorſicat. Sic apud hiſtoriam [4] de rege Thracio legeram, qui miſeros hoſpites ferinis equis ſuis lacerandos devorandoſque porrigebat. Adeo præpotens ille tyrannus, ſic parcus hordei fuit, ut edacium jumentorum famem corporum humanorum largitione ſedaret. Ad eundem modum diſtractus & ipſe variis equorum incurſibus, rurſus molares illos circuitus requirebam. Verùm Fortuna meis cruciatibus inſatiabilis, aliam denuò mihi peſtem inſtruxit. Delegor enim ligno monte devehundo, puérque mihi præfectus imponitur, omnibus modis ille quidem puer deterrimus. Nec me montis excelſi tantùm arduum fatigabat jugum, [5] nec ſaxeas tantùm ſudes incurſando conterebam

Interpretatio.

Venerei cauſâ, & dudum pinguefacti, cæterùm formidabiles, & ſanè valentiores quàm quilibet aſinus, ſibi timentes à me, & caventes ab adulterio degeneri, contemnentes jura Jovis Hoſpitalis, inſequuntur furioſi maximo odio æmulum ſuæ libidinis. *Hic pugnat contra me anterioribus ungulis, ſublato in altum* ſuo *amplo pectore, capite ac cervicibus arrectis in ſublime: ille convertens tergum toroſum carnoſis muſculis, jaculatur* in me *poſteriores calces: alius minitatus hinnitu improbo, demittens aures, & reſtringens dentes albicantes*, acutos *inſtar haſtarum mordet me undique. Simile eſt quod legeram in hiſtoriâ de Rege Thraciæ, qui exhibebat ſuis feris equis infelices hoſpites dilaniandos, ac deglutiendos. Uſque adeo ille rex opulentiſſimus avarus hordei fuit, ut ſatiaret famem ſuorum equorum voracium appoſitis corporibus humanis. Ego quoque dilaceratus ſimili modo diverſis impugnationibus equorum, optabam iterùm illos gyros piſtrini. Sed fortuna inexplebilis meis tormentis, apparavit mihi rursùs aliam calamitatem. Deſtinor enim lignis deportandis ex monte, & puer præficitur mihi* regundo, *ille quidem puer omnibus modis nequiſſimus. Neque ſolùm excelſum cacumen alti montis laſſabat me, neque ſolùm comminuebam ungulas currendo ſuper lapides*

Notæ.

1. *Adulterio degeneri.*] Quod ſcilicet ab aſino, ignobiliori animali, perpetraretur, & ex quo, non equus, ſed mulus degener eſſet proditurus.

2. *Primoribus in me pugillatur ungulis.*] Tanquam pugnis. eſt enim *pugillari* pugnis certare.

3. *Remiſſis auribus.*] Pricæus mallebat, *remulſis*, ſed fruſtrà eſt: Noſter, lib. 3. *dejectis auribus jam furentes, infeſtis calcibus inſequuntur.*

4. *De Rege Thracio.*] Diomede. Vide Hygin. Fab. 30. Ovid. *in Ibin*, v. 381.

5. *Nec ſaxeas tantùm ſudes.*] *Sudes* propriè lignei ſunt fuſtes, craſſi, & acuminati. Hîc verò *ſaxeæ ſudes* nihil aliud eſſe poſſunt quàm cautes acutæ inſtar ſudium. Ms. Oxon. Pricæo laudatus habet *nec ſaxoſa tantùm incurſando.*

ungulas : verùm fuſtium quoque crebris ictibus perſæpè dedolabar : [1] ut uſque plagarum mihi medullaris inſideret dolor, coxæque dextræ ſemper ictus incutiens, & unum feriendo locum, diſſipato corio, & ulceris latiſſimi facto foramine, immò foveâ, vel etiam feneſtrâ; [2] nullus tamen deſinebat identidem vulnus ſanguine delibutum obtundere. Lignorum verò etiam tanto me premebat pondere, ut ſarcinæ molem elephanto, non aſino paratam putares. Ille verò, quoties in alterum latus præponderans declinârat ſarcina; cùm deberet potiùs gravantis ruinæ fuſtes demere, &, levatâ pauliſper preſſurâ, ſanare me, vel certè in alterum latus tranſlatis peræquare : contrà, lapidibus additis inſuper, ſic iniquitati ponderis medebatur. Nec tamen poſt tantas meas clades, immodico ſarcinæ pondere contentus, cùm fluvium tranſcenderemus, qui fortè præter viam defluebat, [3] pedibus ſuis ab aquæ madore conſulens, ipſe quoque inſuper lumbos meos inſiliens reſidebat : exiguum ſcilicet & illud tantæ molis ſuperpondium. At ſi quo caſu, [4] limo cœnoſo ripæ ſupercilium lubricante, oneris impatientiâ prolapſus deruiſſem; cùm deberet egregius agaſo manum porrigere, capiſtro ſuſpendere, caudâ ſublevare, certam partem tanti ponderis, quoad reſurgerem ſaltem, detrahere; nullum

Interpretatio.

acutos, ſed etiam ſæpiſſimè verberabar ſpiſſis ictibus baculorum : ita ut dolor ex ictibus mihi remaneret fixus in intimis medullis, & ille puer *ingerens perpetuò plagas femori dextro, & percutiens ſemper eumdem locum, diſruptâ cute, factoque hiatu patentiſſimi ulceris, vel potiùs ſcrobe, aut etiam feneſtrâ, nequaquam tamen ceſſabat ſubinde percutere vulnus perlitum cruore. Onerabat verò me quoque tanto onere lignorum, ut crederes eſſe ſtruem oneris deſtinatam elephanti, non aſino. Ille autem, quotieſcunque ſarcina gravior inclinabatur in alteram partem; cùm debuiſſet potiùs detrahere baculos ex parte graviore & ruente, & mihi opitulari, onere tantulùm ſublevato, aut ſaltem æquare* pondus*, iis tranſpoſitis in alteram partem : contrà, ſuperadjiciebat lapides, & ſic occurrebat inæqualitati oneris. Et tamen poſt tantas meas miſerias, non contentus enormi gravitate* mei *oneris, cùm trajiceremus amnem, qui fortè præterlabebatur viam, ipſe etiam proſpiciens ſuis pedibus adverſus humorem aquæ, inſultabat tergo meo, & mihi inſidebat,* futurus *nempè leve auctarium mei ponderis. Sed, ſi fortè* ego *nequiens ferre onus, cœno lutoſo reddente ſummitatem marginis lubricam, concidiſſem; præclarus ille aſinarius, cùm deberet mihi tendere manum, ſublevare* me *capiſtro, ſuſtollere caudâ, demere aliquam partem tanti oneris, ſaltem donec reſurgerem,*

Notæ.

1. *Ut uſque plagarum mihi medullaris inſideret dolor.*] Hypallage, pro : *ut medullas uſque plagarum dolor inſideret mihi.*

2. *Nullus tamen deſinebat, &c.*] Id eſt, *nullatenus.* Sic Terent. *memini, tametſi nullus moneas.*

3. *Pedibus ſuis.*] Florent. codex Elmenhorſtio laudatus, *peronibus ſuis.*

4. *Limo cœnoſo ripæ ſupercilio lubricante.*] Lege, *ripæ ſupercilium lubricante.* Juvenal. Sat. 11.

Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.

quidem defeſſo mihi ferebat auxilium : ſed occipiens à capite, immò verò & ipſis auribus, [1] totum me compilabat, cædens fuſte grandiſſimo; donec, fomenti vice, ipſæ me plagæ ſuſcitarent. Idem mihi talem etiam excogitavit perniciem. Spinas acerrimas, & punctu venenato viroſas, tortili nodo in faſcem conſtrictas, caudæ meæ penſilem deligavit cruciatum; ut inceſſu meo commotæ incitatæque, funeſtis aculeis infeſtè me convulnerarent. Ergo igitur ancipiti malo laborabam. nam cùm me curſu proripueram, fugiens acerbiſſimos incurſus, vehementiore niſu ſpinarum feriebar: ſi dolori parcens paululùm reſtitiſſem, plagis compellebat ad curſum. Nec quidquam videbatur aliud excogitare puer ille nequiſſimus, quàm ut me quoquomodo perditum iret. Idque jurans etiam nonnunquam comminabatur. Et planè fuit, quod ejus deteſtabilem malitiam ad pejores conatus ſtimularet. nam quâdam die, nimiâ ejus inſolentiâ expugnatâ patientiâ meâ, calces in eum validos extuleram. Denique tale facinus in me comminiſcitur. Stuppæ ſarcinâ me ſatis onuſtum, properéque funiculis conſtrictum, producit in viam : déque proximâ villulâ ſpirantem carbunculum furatus, oneris in ipſo meditullio reponit. Jamque fomento tenui caleſcens & enutritus ignis, ſurgebat in flammas,

INTERPRETATIO.

nullam quidem opem ferebat mihi defatigato, verùm feriens craſſiſſimo baculo, me omninò depilabat, incipiens à capite, vel potiùs auribus; quoad ictus excitaviſſent me, loco medicaminis. Ipſe commentus eſt in me hujuſmodi peſtem. Alligavit meæ caudæ ſpinas acutiſſimas & venenatas punctione viroſâ, compactas nexu flexili in faſciculum, futuras mihi *tormentum pendulum; ut agitatæ, & impulſæ meo inceſſu, pungerent me crudeliter ſtimulis exitialibus. Premebar itaque duplici malo. quando enim ſubduxeram me, currendo vitans ſæviſſimos* ejus *impetus, lædebar majore impreſſione ſpinarum: ſi tantillùm ſubſtitiſſem, volens evitare dolorem, incitabar ictibus ad currendum. Et peſſimus ille puer videbatur nihil aliud meditari, niſi ut me interimeret quâcumque tandem ratione. Atque id minabatur aliquandò* ſe facturum *addito ſacramento. Et certè aliquid contigit, quod inſtigaret execrandam ejus nequitiam ad deteriora incepta. Quodam enim die, cùm inſolentia ejus intoleranda viciſſet meam patientiam, jactaveram ſtrenuè calces* in eum. *Poſtremò excogitat adverſus me hujuſmodi ſcelus. Deducit me in viam, valdè oneratum faſce ſtuppæ, & colligatum celeriter funibus, & abſcondit in ipſo medio ſarcinæ prunam ardentem ſurreptam ex proximâ villâ. Et jam ignis conſiguratus, & ſuſtentatus parvo fomite, extollebatur in flammas, & exitiabile in-*

NOTÆ.

1. *Totum me compilabat.*] Tot ictus mihi incutiebat, ut pilos ex meâ cute excuteret. *Compilare enim*, teſte Aſconio Pediano, *eſt ita pervellere, & furari, ut ne pilos quidem in corpore compilatores relinquant.* Lib. 9. *me membratim compilâſſet.* Ubi Lipſ. Epiſt. quæſt. lib. 2. Epiſt. 22. reponendum putat *concipilâſſet*, juxta illud Plauti, Truculento: *quem ego offatim jamjam concipilabo.* Sed in idem recidit. Feſtus enim *compilâſti*, ait, *dictum à Nævio. pro, corripuiſti, & involâſti.* Ubi Scaliger: *concipilâſti idem ac compilâſti.*

& totum me funeſtus ardor invaſerat; nec ullum peſtis extremæ ſuffugium, nec ſalutis aliquod apparet ſolatium : & uſtrina talis moram non ſuſtinens meliora conſilia prævertitur. Sed in rebus ſcævis adfulſit Fortunæ nutus hilarior, neſcio an futuris periculis me reſervans, certè præſente ſtatutâque morte liberans. Nam fortè pluviæ pridianæ recens conceptaculum aquæ lutulentæ proximum conſpicatus : [1] ibi memet improvido ſaltu totum abjicio : flammâque prorsùs extinctâ tandem, & pondere levatus, & exitio liberatus evado. Sed ille deterrrimus ac temerarius puer hoc quoque ſuum nequiſſimum factum in me retorſit: gregariiſque omnibus affirmavit, me ſponte vicinorum foculos tranſeuntem, titubanti gradu prolapſum, ignem ultroneum arceſſiſſe. Mihi etiam arridens addidit: Quo uſque ergo fruſtrà paſcemus ignigenum iſtum? Nec multis interjectis diebus, longè pejoribus me dolis petivit. Ligno enim, quod gerebam, in proximam caſulam vendito, vacuum me ducens, jam ſe nequitiæ meæ proclamans imparem, miſerrimúmque iſtud magiſterium renuens, querelas hujuſmodi concinnat : Videtis iſtum pigrum tardiſſimumque, & nimis aſinum? Me præ cæteris flagitiis, nunc novis periculis etiam[2] angit. * * * * * * *

Deſunt hîc obſcœna.

INTERPRETATIO.

cendium occupaverat me totum; & nullus locus vitandæ illius perniciei extremæ, nulla ſpes vitæ videbatur. Atque incendium ejuſmodi non poterat ferre cunctationem, ſed neque dabat tempus benè conſulendi. At lætior aſpectus Fortunæ mihi illuxit in rebus adverſis, neſcio an reſervans me futuris periculis, at certè exolvens me *à nece inſtante, &* mihi *decretâ. Cùm enim forte fortunâ conſpexiſſem lacunam proximam, in quam cœnoſa aqua imbris prioris diei recenter confluxerat, conjicio me totum in eam impetu præcipiti: atque igne penitùs extincto, exeo tandem inde & ſublevatus onere, & ereptus morti. Verùm ille puer nequiſſimus & audaciſſimus, rejecit quoque in me hoc ſuum ſceleſtiſſimum facinus: & aſſeveravit cunctis paſtoribus, me, dum iter haberem juxta focos vicinorum, cecidiſſe greſſu vacillanti, attraxiſſe ſponte incendium. Adjecit etiam arridens mihi: Quandiu igitur alemus incaſſum hunc progenitorem flammarum? Et paucis diebus interpoſitis, aggreſſus eſt me fraudibus deterioribus multò. Nam, venditis in proximo tugurio lignis quæ portabam, ducens me inanem, & clamitans ſe jam non poſſe reſiſtere meæ improbitati, & repudians illum ærumnoſum ducatum, confingit has querelas* de me. *Videtis ne* aſinum *iſtum inertem & lentiſſimum, &* ingenio *nimis aſinino?* Hic, *ſupra reliqua pericula, me etiam ſollicitum habet novis diſcriminibus.* * * * * * * *

NOTÆ.

1. *Ibi, &c.*] Ex Grammaticæ legibus dicendum fuit *eò memet abjicio.*

2. *Me præ cæteris flagitiis, nunc novis etiam periculis angit.*] *Flagitiis* hîc intellige *periculis*, ſicut lib. 6. *nam ſic eam majora atque pejora flagitia comminans, appellat renidens exitiabile*: ad quem locum vide noſtras obſervationes, pag. 187.

Talibus

Talibus mendaciis admiſcendo ſermones alios; qui meum verecundùm ſilentium vehementiùs premerent, animos paſtorum in meam perniciem atrociter ſuſcitavit. Denique unus ex illis: Quin igitur publicum iſtum maritum, inquit, immò communem omnium adulterùm, illis ſuis monſtruoſis nuptiis condignam victimamus hoſtiam? &, Heus tu, puer, ait, obtruncato protinus eo, inteſtina quidem canibus noſtris jacta; cæteram verò carnem omnem operariorum cœnæ reſerva. Nam còrium [1] affirmatum cineris inſperſu dominis referemus: ejúſque mortem de lupo facilè mentiemur. Sublatâ contatione, accuſator ille meus noxius, ipſe etiam paſtoralis executor ſententiæ lætus, & meis inſultans malis, calciſque illius admonitus, quam inefficacem fuiſſe mehercules doleo, protinùs gladium cotis attritu parabat. Sed quidam de cœtu illo ruſticorum, Nefas, ait, tam bellum aſinum ſic enecare, & propter luxuriem laſciviamque amatoriam criminatum, operâ ſervitióque tam neceſſario carere; cùm alioquin, exſectis genitalibus, poſſit neque in Venerem ullo modo ſurgere, noſque omni metu periculi liberare, inſuper etiam longè craſſior atque corpulentior effici. Multos ego ſcio non modò aſinos inertes, verùm etiam ferociſſimos equos, nimio libidinis calore laborantes, atque ob id truces veſanoſque, adhibitâ tali [2] deteſtatione [3] manſuetos ac man-

INTERPRETATIO.

Interſerendo ejuſmodi mendaciis alia verba, quæ urgerent validiùs meam pudibundam taciturnitatem, concitavit trucem in modum animos paſtorum ad meum exitium. Poſtremò unus ex illis: Quidni ergo, ait, immolamus hunc communem maritum omnium, ſeu potiùs adulterum publicum, futurum *victimam congruentem* expiandis *illis ſuis amoribus prodigioſis? atque, Heus puer, inquit, amputa ipſi actutùm caput, & projice quidem* ejus *interanea noſtris canibus, ſerva autem reliquam omnem carnem in cœnam operarum. Referemus enim ad dominos pellem* ejus *induratam conſperſione cineris, & facilè confingemus ipſum fuiſſe interfectum à lupo. Abſque morâ ille accuſator meus, reus* ipſe quidem, *cui etiam incumbebat exequi decretum paſtorum, exacuebat illicò cultrum affrictu cotis, gaudens, & irridens meas calamitates, ac recordatus illius calcis, quam profectò me pœnitet* excuſſiſſe in eum *incasſùm. At quidam ex illâ turbâ ruſticorum: Scelus* eſt, *inquit, ſic interficere aſinum tam pulchrum, & quia accuſatus fuit luxuriæ ac libidinis Venereæ, privari miniſterio & ſervitio adeo neceſſario; cùm aliàs, amputatis teſtibus, poſſit & non ampliùs efferri in Venerem, & nos exolvere ab omni timore periculi. & prætereà fieri quoque multò obeſior & pinguior. Novi ego plurimos non ſolùm aſinos tardos, ſed etiam equos ferociſſimos æſtuantes nimio ardore libidinis, proptereáque feros & furioſos, qui peſtea fuerunt mitigati, & emolliti ope ejuſmodi caſtrationis, & facti non inepti ſarcinis*

NOTÆ.

1. *Affirmatum.*] *Induratum, firmiùs factum.* Pricæus habet *offirmatum*, eodem ſignificatu. Aliàs *affirmare* adſeverare eſt.

2. *Deteſtatione.*] *Teſtium amputatione*, non autem *execratione.*

3. *Manſuetos ac manſues.*] *Manſues* accuſat. plural. à *manſues is* ejuſdem ac *manſuetos* ſignificationis. Pricæus vitandæ illepidæ geminationis causâ, reponit *manſuetos ac mites.*

ſues exinde factos, & oneri ferundo non inhabiles, & cæteri miniſterii patientes. Denique, niſi vobis ſuadeo nolentibus, poſſum, ſpatio modico interjecto, quo mercatum proximum obire ſtatui, petitis è domo [1] ferramentis huic curæ præparatis, ad vos actutùm redire, trucemque amatorem iſtum atque inſuavem, diſſectis femoribus, emaſculare, & [2] quovis vervece mitiorem efficere. Tali ſententiâ mediis [3] Orci manibus extractus, ſed extremæ pœnæ reſervatus, mœrebam; & in noviſſimâ parte corporis totum me periturum deflebam. inediâ denique continuâ, vel præcipiti ruinâ memet ipſe quærebam extinguere: moriturus equidem nihilominus, ſed moriturus integer. Dúmque in iſtâ necis meæ decontor electione; matutino me rursùm puer ille peremptor meus, contra montis ſuetum ducit veſtigium. Jámque me de cujuſdam vaſtiſſimæ ilicis ramo pendulo deſtinato, paululùm viam ſupergreſſus ipſe, ſecuri lignum, quod deveheret, recidebat. Et ecce de proximo ſpecu vaſtum attollens caput funeſta proſerpit urſa Quam ſimul conſpexi: pavidus, & [4] repentinâ facie conterritus, totum corporis pondus in poſtremos poplites recello: arduâque cervice ſublimiter elevatâ, lorum, quo tenebar, rumpo: meque protinus pernici fugæ committo; pérque prona non tantùm pedibus, ve-

INTERPRETATIO.

portandis, & idonei reliquo ſervitio perferendo. Poſtremò, niſi ſentitis aliter ac vos moneo, interpoſito brevi intervallo temporis, per quod decrevi ire ad proximas nundinas, poſſum promere ex meis ædibus ferramenta deſtinata huic operationi, & continuò reverti ad vos, & evirare illum amatorem ferocem ac inamabilem, deductis ejus *coxis, & reddere placidiorem quolibet vervece.* Ego *hac ſententiâ ereptus ex mediis unguibus Plutonis, ſed reſervatus ad crudeliſſimum ſupplicium, lugebam; & plorabam me,* quaſi *omninò moriturum in extremâ illâ parte mei corporis. Denique meditabar meipſum interficere perpetuò abſtinendo à cibis, aut me dejiciendo in præcipitium:* quod faciens *moriturus equidem eram, ſed moriturus totus,* & non mutilatus. *Et dùm moror in eligendo genere mortis meæ; mane* facto, *puer ille interfector meus ducit me iterùm ad ſolitum iter montis, & , me jam alligato ad pendentem ramum ilicis latiſſimæ, ipſe tantillùm tranſgreſſus viam, cædebat bipenni ligna deportanda. Cùm ſubitò truculenta urſa prorumpit ex vicinâ ſpeluncâ erigens immane caput. Quam ubi vidi: trepidus, & perterritus ſubito ejus aſpectu, retraho totam molem mei corporis in poſteriores poplites, & capite ſursùm elato, abrumpo vinculum, quo eram alligatus: & ſtatim capeſſo fugam celerem; & velociter devolutus per declivia, non modò pedibus, ſed etiam*

NOTÆ.

1. *Ferramentis huic curæ præparatis.*] Quæ *caſtratoria ferramenta* Palladius appellat, ponitque inter inſtrumenta agreſtium.

2. *Quovis vervece mitiorem.*] Proverbiale eſt. Sic lib. 8. *vervecem, non aſinum vides.* Huc pertinet illud Terent. Adelphis: *tam placidum quam ovem reddo.*

3. *Orci manibus.*] Quas hîc vocat *Orci manus,* lib. 6. dixit *Orci cancros.*

4. *Repentinâ facie conterritus.*] Similiter lib. 4. *nam ei facies urſæ mediis ædibus diſcurrentis, ad proterrendos, ſi qui de familiâ fortè vigilâſſent, videbatur opportuna.*

rùm etiam toto projecto corpore properè devolutus, immitto me campis ſubpatentibus, ex ſummo ſtudio fugiens immanem urſam, urſâque pejorem illum puerum. Tunc quidam viator ſolitarium vagumque me reſpiciens, invadit: & properiter inſcenſum baculo, quem gerebat, obverberans, [1] per obliquam ignaramque me ducebat viam. Nec invitus ego curſui me commodabam, relinquens atrociſſimam virilitatis lanienam. Cæterùm plagis non magnoperè commovebar: quippe conſuetus ex fortunâ concidi fuſtibus. Sed illa Fortuna meis caſibus pervicax, tam opportunum latibulum miſerâ celeritate præverſa, novas inſtruxit inſidias. Paſtores enim mei, perditam ſibi requirentes vacculam, variaſque regiones peragrantes, occurrunt nobis fortuitò: ſtatimque me, cognito capiſtro prehenſum, attrahere geſtiunt. Sed audaciâ validâ reſiſtens ille, fidem hominum Deûmque teſtabatur. Quid me raptatis violenter, quid invaditis? [2] An te nos tractamus inciviliter, qui noſtrum aſinum furatus abducis? Quin potiùs effaris, ubi puerum ejuſdem agaſonem, necatum ſcilicet, occultaris? Et illicò detractus ad terram, pugniſque pulſatus, & calcibus contuſus, infit dejerans nullum ſemet vidiſſe ductorem, ſed planè concitatum, ſolutum, & ſolitarium, [3] ob indicinæ præmium occupâſſe,

INTERPRETATIO.

toto corpore projecto, curro in campos porrectos ſub monte, *fugiens maximo conatu urſam terribilem, & illum puerum crudeliorem urſâ. Tunc viator quidam videns me ſolum & errabundum, occupat* me, *& conſcendit celeriter, percutiens me fuſte, quem geſtabat, ducebat me per iter tortuoſum, & ignotum. Atque ego ſanè me permittebam libenter curſui, fugiens crudeliſſimam exſectionem* meorum *virilium. Porrò non valdè afficiebar ictibus, quia ſcilicet ſorte meâ aſſuefactus eram contundi baculis. Verùm illa fortuna obſtinata ad me cruciandum, præveniens infauſtâ velocitate latebram adeo tempeſtivam, paravit mihi novas inſidias. Nam paſtores mei inveſtigantes juvencam amiſſam, & percurrentes diverſa loca, incidunt fortè in nos: & conantur ſtatim me abducere arreptum meo capiſtro, quod agnoverant. Verùm ille repugnans ſtrenuâ audaciâ, implorabat fidem hominum & Deorum. Quare trahitis me vi?* (aiebat) *Quare me apprehenditis? Num te nos tractamus injuſtè,* reponebant illi, *qui abigis noſtrum aſinum ſurreptum à te? Quidni potiùs dicis quò abdideris puerum ductorem ejuſdem, quem proculdubio occidiſti? Et ſtatim deturbatus in terram, pugniſque percuſſus, & contuſus calcibus, cœpit jurare ſe nullum vidiſſe agaſonem, ſed tantùm ſe cepiſſe* aſinum *currentem, ſolutum, & ſolùm ad* conſequendam *mercedem indicii, animo*

NOTÆ.

1. *Per obliquam gravemque me ducebat viam.*] Benè Pricæus repoſuit ex Mſs. Florent. & Oxonienſi, *per obliquam ignaramque viam*, id eſt, *deviam, incognitam.* Gell. lib. 9. cap. 12. *Ignarum, utroqueverſum dicitur, non tantùm qui ignorat, ſed & qui ignoratur.*

2. *An te nos tractamus inciviliter. &c.*] Verba ſunt paſtorum ejus querelæ reſpondentium.

3. *Ob indicinæ præmium.*] Minucius in Octavio *gratiam indicii* vocat. Lib. 6. Noſter: *accepturus indicinæ nomine ab ipsâ Venere ſeptem ſavia ſuavia, &c.*

domino tamen ſuo reſtiturum. Atque utinam ipſe aſinus, inquit, quem nunquam profectò vidiſſem, vocem quiret humanam dare, meæque teſtimonium innocentiæ perhibere poſſet! profectò vos hujus omnis injuriæ pigeret. Sic adſeverans nihil quidquam promovebat. Nam collo conſtrictum reducunt eum paſtores moleſti contra montis illius ſylvoſa nemora, unde lignum puer ſolebat egerere. Nec uſpiam ruris reperitur ille, ſed planè corpus ejus membratim laceratum, multiſque diſperſum locis conſpicitur. Quam rem proculdubio ſentiebam ego illius urſæ dentibus eſſe perfectam. & hercules dicerem quod ſciebam, ſi loquendi copia ſuppeditaret. Sed quod ſolùm poteram, tacitus licet, feræ vindictæ gratulabar. Et cadaver quidem, disjectis partibus tandem totum repertum, ægréque concinnatum ibidem terræ dedêre: [1] meum verò Bellerophontem, [2] abactorem indubitatum cruentumque percuſſorem criminantes, ad caſas interim ſuas vinctum perducunt; quoad renaſcenti die ſequenti deductus ad Magiſtratum, ut aiebant, pœnæ redderetur. Interim dùm puerum illum parentes ſui plangoribus fletibuſque quærebant; adveniens ecce ruſticus, nequaquam promiſſum ſuum fruſtratus, deſtinatam ſectionem meam flagitat. Non eſt, inquit in his unus, indidem præſens

INTERPRETATIO.

tamen reddendi eum domino. Atque ô utinam, inquit, aſinus ipſe, quem ſanè vellem *nunquam vidiſſe, poſſet edere humanam vocem, & reddere teſtimonium meæ innocentiæ! certè pœniteret vos totius hujus injuriæ* mihi factæ. *Sic affirmans nihil omninò proficiebat. illi enim importuni paſtores reducunt illum vinctum collo verſus ſylvas illius montis, ex quibus puer conſueverat deferre ligna. Neque ille invenitur in ullâ parte ruris, ſed videtur tantùm ejus corpus dilaniatum in fruſta, & diſſipatum per varia loca. Quod ego agnoſcebam haud dubiè factum eſſe dentibus illius urſæ. & certè dixiſſem quod ſciebam, ſi fuiſſet mihi facultas loquendi. Verùm, quod unum poteram, gaudebam, quamvis ſilens, de illâ ultione tardiore* quidem meis votis. *Et cùm tandem inveniſſent totum corpus, cujus membra erant diſperſa, & coaptâſſent* illud *magno labore, ſepelierunt in eodem loco. Accuſantes autem meum ſeſſorem tanquam abigeum manifeſtarium & homicidam crudelem, deducunt* eum *interim ligatum in ſua tuguria, donec, die poſtero exoriente, perduceretur, ut aiebant, ad judicem, & traderetur ſupplicio. Dùm parentes illius pueri inveſtigabant eum planctibus, & ejulatibus, ecce ruſticus, ſtans ſuis promiſſis, accedit, & poſtulat,* ut ſibi liceat *me caſtrare, quemadmodum fuerat decretum. Damnum hoc noſtrum, inquit unus ex illis, non*

NOTÆ.

1. *Meum verò Bellerophontem.*] Novum illum ſeſſorem, quem non inficetè Bellerophontem appellat, cùm lib. 6. de ſeipſo dixerit: *at paulò antè pinnatam Pegaſi vincebas celeritatem.* Nota eſt Bellophorontis Pegaſo inequitantis adverſus Chimæram pugna, & in Solymos, Amazonaſque expeditio. Palæphatus ſcribit Pegaſum fuiſſe navem Bellerophontis velociſſimam, quæ locum dedit fabulæ de alato equo Pegaſo.

2. *Abactorem.*] *Abactor* & ſæpiùs *abigeus* is dicitur, qui aliena pecora *abigit*, id eſt, *abducit*, & ejuſmodi furtum, *abactus* & *abigeatus* vocatur.

jactura noſtra: ſed planè craſtino libet non tantùm naturam, verùm etiam caput quoque peſſimo iſti aſino demere. [1] Nec tibi miniſterium deerit iſtorum. Sic effectum eſt, ut in alterum diem clades differretur mea. At ego gratias agebam bono puero, quòd ſaltem mortuus unam carnificinæ meæ [2] dieculam donâſſet. Nec tamen tantillùm ſaltem gratulationi meæ, quieti-ve ſpatium datum. Nam mater pueri, mortem deplorans acerbam filii, [3] fleta & lacrymoſa, fuſcâque veſte contecta, ambabus manibus trahens cineroſam canitiem, ejulans, & [4] exinde proclamans, ſtabulum irrumpit meum, tunſiſque ac diverberatis vehementer uberibus, incipit: Et nunc iſte ſecurus incumbens præſepio voracitati ſuæ deſervit, & inſatiabilem profundúmque ventrem ſemper eſitando diſtendit: nec ærumnæ meæ miſeretur, vel deteſtabilem caſum [5] defuncti magiſtri recordatur; ſed ſcilicet ſenectam infirmitatemque meam contemnit ac deſpicit, & impunè ſe laturum tantum ſcelus credit? At utcumque præſumit innocentem. Eſt enim congruens peſſimis conatibus contra noxiam con-

INTERPRETATIO.

ortum eſt inde: ſed ſanè placet nobis *cras amputare huic nequiſſimo aſino non ſolùm virilia, ſed etiam caput ipſum. Et hi tibi commodabunt operam* ſuam *Sic factum eſt ut exitium meum proferretur in ſequentem diem. Ego verò agebam gratias illi probo puero, quòd ſaltem attuliſſet morte ſuâ unam diem* moræ *meæ laniationi. Neque tamen tantulum ſaltem temporis conceſſum eſt meæ gratiarum actioni, aut* meæ *quieti. Mater enim pueri lamentans necem immaturam ſui nati, accurrit in meum ſtabulum plorans & lacrymans, & amicta nigro veſtimento: utrâque manu vellens canos ſuos conſperſos cinere, ululans & clamitans eminùs, & percuſſis ac tunſis violenter mammis,* ſic *capit* loqui: *Et nunc iſte explet guloſitatem ſuam incubans præſepi abſque* ullâ *ſollicitudine, & infercit aſſiduo eſu ſuam alvum capaciſſimam, atque inſatiabilem: nec miſeret eum meæ calamitatis neque meminit infauſtæ ſortis ſui mortui ductoris; ſed nempè aſpernatur, ac contemnit meam ſenectutem, & meam debilitatem, & putat tantum crimen ſibi fore inultum? Sed forſitan confidit* ſe *eſſe innocentem. Nam conſentaneum eſt ſceleſtiſſimis inceptis ſperare impunitatem contra* ipſum di-

NOTÆ.

1. *Nec tibi miniſterium deerit iſtorum.*] Malè τὸ *iſtorum* deeſt in quibuſdam editionibus. Senſus loci hujus eſt: Et iſti famuli, qui nunc alio munere diſtinentur, quærendorum nempè membrorum miſeri hujus pueri, & lugendæ mortis illius, miniſterium ſuum cras tibi commodabunt ad caſtrandum, immò & obtruncandum, ſi vis, aſinum.

2. *Dieculam donâſſet.*] Terent. Andria, Act. 4. Scen. *Eho tu impudens, non ſatis habes, quod tibi dieculam addo, quantum huic promoveo nuptias?*

3. *Fleta.*] *Fletu madens.* Alio paulò ſenſu, lib. 1 dixit *difletis pene ad extremam captivitatem oculis.*

4. *Exinde, &c.*] Ab oſtio, ſcilicet; lib. 5. *jam inde à foribus, &c. boans.*

5. *Defuncti magiſtri.*] Servius ad Æneid. lib. 12. *propriè magiſtri ſunt militum, paſtores, pecorum: ſed reciprocæ ſunt iſtæ tranſlationes. nam, & ductor, paſtor vocatur, & magiſtros pecorum dicimus.* Virgil. Eclog. 2.

——— *Pan curat oves oviumque magiſtros.*

ſcientiam ſperare ſecuritatem. Nam proh Deûm fidem, quadrupes nequiſſime! licet precariam vocis uſuram ſumeres, cui tandem vel ineptiſſimo perſuadere poſſis, atrocitatem iſtam culpâ vacare, cùm propugnare pedibus, & arcere morſibus miſello puero potueris? An ipſum quidem ſæpiùs incurſare calcibus potuiſti, moriturum verò defendere alacritate ſimili nequiſti? Certè dorſo receptum auferres protinùs, & infeſti latronis cruentis manibus eriperes: poſtremùm, deſerto dejectóque illo conſervo, magiſtro, comite, paſtore, non ſolus aufugeres. An ignoras, eos etiam, qui morituris auxilium ſalutare denegârint, quòd contra bonos mores idipſum fecerint, ſolere puniri? Sed non diutiùs meis cladibus lætaberis, homicida. ſenties, efficiam, miſero dolori naturales vires adeſſe. Et cum dicto [1] ſubſertis manibus exolvit ſuam ſibi faſciam, pedeſque meos ſigillatim illigans, indidem conſtringit arctiſſimè; ſcilicet, ne quod vindictæ meæ ſupereſſet præſidium. & perticâ, quâ ſtabuli fores offirmari ſolebant, arreptâ, non priùs me deſiit obtundere, quàm victis feſſiſque viribus, ſuopte pondere degravatis manibus, ejus fuſtis eſſet elapſus. Tunc de brachiorum ſuorum citâ fatigatione conqueſta, procurrit ad focum: ardentemque titionem gerens, mediis inguinibus obtrudit; donec ſolo, quod reſtabat, præſidio niſus, liquido ſtercore [2] ſtrictim ege-

INTERPRETATIO.

ctamen *malæ conſcientiæ. Nam Proh Deûm fidem, ſceleſtiſſime quadrupedum, tametſi uſus loquelæ concederetur tibi ad tempus, cui tandem etiam ſtultiſſimo poſſes perſuadere tam atrox facinus* fuiſſe commiſſum *abſque* tuâ *culpâ, cùm potueris defendere* eum *pedibus, & propulſare morſibus homicidam ab infelici puero? Num potuiſti ſæpè quidem petere ipſum calcibus, non autem potuiſti propugnare ipſum ſimili vigore, dum mors intentaretur ei? Debebas ſaltem eum ſtatim aſportare levatum dorſo tuo, & extrahere ex manibus ſanguinolentis latronis aggredientis eum: denique non debebas aufugere ſolus, derelicto & excuſſo ipſo*, qui erat tuus *conſervus*, tuus *ductor*, tuus *comes*, tuus *paſtor. An neſcis illos quoque ſolere plecti, qui recuſaverint perituris opem ſalutiferam, quoniam id fecerint adverſus fas & æquum? At non ampliùs gaudebis de meis calamitatibus, ô homicida. jam curabo ſentias robur naturale non deeſſe infelici dolori. Cúmque hoc dixiſſet, manibus ſubinſertis ſolvit ſuam inſtitam, & vinciens ſeorſim meos pedes colligat ipſos eâdem ſtrictiſſimè; nimirùm ne reſtaret ullum ſubſidium meæ ultioni. Et apprehenſo longurio, quo janua ſtabuli ſolebat occludi, non ceſſavit me percutere, donec fractis laſſatiſque ejus viribus baculus excidiſſet ex ejus manibus degravatis pondere proprio. Tum conqueſta, quòd brachia ſua celeriùs laſſata fuiſſent, provolat ad focum, & afferens torrem accenſum, immittit mihi* eum *inter femora; donec confugiens ad unicum ſubſidium, quod mihi ſupererat, coinqui-*

NOTÆ.

1. *Subſertis manibus exolvit*, &c.] Intellige anum inſeruiſſe manus ſub faſciam illam, atque eam quaſi vi exolviſſe. Quæ verò fuerit illa faſcia, an pectoralis, quæ *ſtrophium* etiam dicta eſt, an cruralis, aut etiam crinalis, non eſt in proclivi dicere.

2. *Strictim egeſto.*] Lib. 4. *fimo fiſtu-*

ſto, faciem, atque oculos ejus confœdâſſem. 1 quâ cœcitate, atque fœtore tandem fugata eſt à me pernicies. 2 Cæterùm titione delirantis Altheæ Meleager aſinus interiſſet.

INTERPRETATIO.

nâſſem ejus vultum, atque oculos ſtercore ejaculato preſsè. quâ cœcitate, & putore illud exitium abactum eſt tandem à me. Aliàs aſinus, tanquam alter *Meleager, periiſſet torre illius Altheæ inſanientis.*

NOTÆ.

latim excuſſo. Conſtricto ſcilicet, & coarctato podice, quo liquidum ſtercus longiùs & quaſi per fiſtulam prorumperet.

1. *Quâ cœcitate.*] Anui repentè objectâ effuſo in oculos ſtercore.

2. *Cæterùm titione delirantis Altheæ Meleager aſinus interiſſet.*] Hæc eſſe à manu Gloſſatoris facetias Apuleianas imitari volentis, probat vel hoc vocabulum *interiſſet*, quod omnia exemplaria conſtanter habent. Hæc enim ſi ipſius Apuleii eſſent, non *interiſſet* legeretur, ſed *interiſſem*, ut orationis poſtulat ſeries. Notiſſima Meleagri & fatalis ejus titionis fabula fusè habetur apud Ovid. Metamorphoſ. lib. 8.

LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI METAMORPHOSIS.

LIBER OCTAVUS.

NOCTIS gallicinio, venit quidam juvenis ex [1] proximâ civitate, ut quidem mihi videbatur, unus ex famulis Charites, puellæ illius, quæ mecum apud latrones pares ærumnas exantlaverat. Is de ejus exitio, & domûs totius infortunio mira ac nefanda, ignem propter aſſidens inter conſervorum frequentiam, ſic annuntiabat: Equiſones, opilioneſque & bubſequæ, fuit Charite nobis quàm miſella, & quidem caſu graviſſimo. nec verò incomitata Manes adivit. Sed, ut cuncta nôritis, referam vobis à capite, quæ geſta ſunt, quæque poſſent meritò doctiores, quibus ſtilum Fortuna ſubminiſtrat, in hiſtoriæ ſpecimen chartis involvere. Erat in proximâ civitate juvenis natalibus prænobilis, [2] equo clarus, & pecuniæ ſimul ſatis locuples: ſed luxuriæ popinalis, ſcortiſque & diurnis potationibus exercitatus, at-

INTERPRETATIO.

EO tempore noctis, quo galli canunt, quidam juvenis venit è proximâ urbe, qui, *ut mihi quidem videbatur; erat unus ex ſervis Charites illius virginis, quæ pertulerat eoſdem labores atque ego apud prædones. Is narrabat admiranda, & execranda de ejus morte, & clade totius domûs, ſedens prope ignem in cœtu* ſuorum *conſervorum, his verbis: Equitarii, upilioneſque, & bubulci, amiſimus infeliciſſimam Chariten, & caſu quidem acerbiſſimo. Neque tamen petiit Inferos ſola. Verùm, ut ſciatis omnia, narrabo vobis ab initio, quæ contigerunt, & quæ jure poſſent referri in chartas tanquam* rarum *hiſtoriæ exemplum, à viris doctioribus, quibus Fortuna tribuit facilitatem ſcribendi. Erat in proximâ urbe juvenis, nomine Thraſyllus, nobiliſſimo loco natus, inſignitus equo* publico, *ſimulque multùm abundans divitiis; ſed vir luxûs cauponarii, dedituſque meretricibus & compotationibus de die faciendis,*

NOTÆ.

1. *PRoximâ civitate.*] Ex illâ nempè civitate, in quá habitabant Tlepolemus & Charite. Lib. 7. *impoſitâ dorſo meo puellá dirigit greſſum ad ſuam patriam. quam ſimul acceſſimus; tota civitas ad votivum conſpectum effunditur.* Fruſtrà ſunt ergo, qui reponere geſtiunt: *proximá villulá.*

2. *Equo clarus.*] Colvius (cui hîc accedo libens) intelligit *equo publico do-*

que

que ob id [1] factionibus latronum malè ſociatus, nec-non etiam manus infectus humano cruore, Thraſyllus nomine. Idque ſic erat: & fama dicebat. Hic, cùm primùm Charite nubendo maturuiſſet, inter præcipuos procos, ſummo ſtudio petitionis ejus munus obierat. Et quanquam cæteris omnibus is genere viris antiſtaret, eximiiſque muneribus parentes invitaret; judicio morum tamen improbatus, repulſæ contumeliâ fuerat aſperſus. Ac dùm herilis puella [2] in boni Tlepolemi manum convenerat; firmiter deorſus delapſum nutriens amorem, & denegati thalami permiſcens indignationem, cruento facinori quærebat acceſſum. Nactus denique præſentiæ ſuæ tempeſtivam occaſionem, ſceleri, quod diu cogitârat, accingitur. Ac die, quo prædonum infeſtis mucronibus puella fuerat aſtu virtutibuſque ſponſi ſui liberata, turbæ gratulantium, exultans inſigniter, permiſcuit ſeſe: ſalutique præſenti ac futuræ ſoboli novorum maritorum [3] gaudibundus, ad honorem [4] ſplendidæ proſapiæ, inter præcipuos hoſpites domum noſtram

INTERPRETATIO.

propterea nequiter conjunctus cum catervis prædonum, & qui ſæpè tinxerat ſuas *manus ſanguine humano. Atque hoc ſic ſe habebat: ſicque ferebatur rumoribus. Hic, ſtatim atque Charite facta eſt matura nuptiis, petierat ipſam maximo conatu, inter præcipuos ejus amatores. Et quamvis ipſe nobilitate ſuperaret reliquos omnes viros, & ſollicitaret parentes* virginis *egregiis donis; repudiatus tamen cenſurâ morum* ipſius factâ, *paſſus fuerat dedecus repulſæ. Cúmque filia* mei *heri probo Tlepolemo nupſiſſet;* ipſe *conſtanter fovens amorem ſuum de ſpe dejectum, & admiſcens ei iram,* quam conceperat *ob negatum ſibi matrimonium, inquirebat aditum ad* perpetrandum *dirum ſcelus. Oblatâ demùm opportunâ occaſione ſuæ præſentiæ. aggreditur facinus, quod meditatus fuerat diu. Et die, quo virgo fuerat erepta ſævis gladiis latronum calliditate, & fortitudine ſui ſponſi, immiſcuit ſe multitudini gratulantium, geſtiens ſingulari gaudio, & gratulabundus præſenti incolumitati novorum conjugum, & venturæ proli* eorum, *receptus in noſtras ædes inter præci-*

NOTÆ.

natum, & laudat Ulpianum in Fragmentis: *hoc ampliùs principalibus conſtitutionibus conceſſum eſt mulieri, in hoc donare viro ſuo, ut is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico, ſimili ve honore honoretur.*

1. *Factionibus latronum.*] Inter bonos amicitia, inter malos factio eſt. Tertull. *His nomen factionum accommodatum eſt, qui in odium bonorum, & proborum conſpirant.*

2. *In boni Tlepolemi manum convenerat.*] De hac formulâ: *in manum venire*, vel *convenire*, dixi, lib. 6. p. 195. Hoc addam: nuptiarum illarum, quibus uxor in mariti manum per coëmptionem conveniebat, hunc fuiſſe ritum apud veteres, ex Varrone, lib. 1. de Vitâ Populi Romani, *Nubentes ex veteri Lege Romanâ, aſſes tres ad maritum venientes afferre ſolebant, atque unum, quem in manu tenebant, tanquam emendi causâ marito dare: alium, quem in pede habebant, in foco larium ponere: tertium in ſacciperone, quem in compito vicinali certo tempore ſolebant reſignare.*

3. *Gaudibundus.*] Suſpicatur Pricæus *gratulabundus*. Ego congruum Apuleianæ licentiæ vocabulum non repudiaverim. Sic apud eundem legas non ſemel *gaudialis*.

4. *Splendidæ proſapiæ.*] Thraſylli ipſius, non Tlepolemi.

receptus, occultato conſilio ſceleris, amici fideliſſimi perſonam mentiebatur. Jamque ſermonibus aſſiduis, & converſatione frequenti, nonnunquam etiam cœnâ poculóque communi carior cariorque factus, in profundam [1] ruinam Cupidinis ſeſe paulatim neſcius præcipitaverat. Quidni? cùm flamma ſævi amoris, parva quidem primo vapore delectet; ſed fomento conſuetudinis exæſtuans, immodicis ardoribus totos adurat homines. Diù denique deliberaverat ſecum Thraſyllus, quó vel clandeſtinis colloquiis opportunum reperiret locum, cùm & adulterinæ Veneris magis magiſque præcluſos aditus copiâ cuſtodientium cerneret, novæque atque gliſcentis affectionis firmiſſimum vinculum non poſſe diſſociari perſpiceret, & [2] puellæ, ſi vellet, quanquam velle non poſſet, furatrinæ conjugalis incommodaret rudimentum: & tamen ad hoc ipſum, quod non poteſt, contentioſâ pernicie, quaſi poſſet, impellitur. Quod nunc arduum factu putatur, amore per dies roborato, facile videtur effectu. Spectate denique, ſed, oro, ſollicitis animis intendite, quorsùm furioſæ libidinis proruperit impetus. Die quâdam venatum Tlepolemus, aſſumpto Thraſyllo, petebat,

INTERPRETATIO.

ſuos hoſpites, ut nobilitas generis ejus *poſtulabat, præ ſe ferebat vultum amici fideliſſimi, diſſimulans propoſitum* patrandi *criminis. Et jam magis magiſque amicus factus aſſiduis colloquiis, & crebris converſationibus, aliquando etiam communicatione cibi & potûs, paulatim dejecerat ſe ignorans in altam voraginem amoris. Nec mirum. ignis enim violenti Cupidinis, primò quidem exiguus oblectat tepido calore; ſed* poſteà *exardeſcens fomite converſationis, urit omninò homines æſtibus vehementiſſimis. Denique Thraſyllus diù deliberaverat apud ſe, quomodo inveniret commodam occaſionem alloquendi ſaltem eam ſecretò, cùm videret vias ſtupri* ipſi inferendi *ſibi magis ac magis intercluſas multitudine obſervantium, & cerneret arctiſſimum nexum amoris novi & creſcentis non poſſe abrumpi, atque imperitiæ fallendi maritum obſtaret puellæ, etiamſi vellet* annuere ejus votis, *quamvis non poterat velle: & tamen impellitur pernicioſâ obſtinatione ad illud ipſum, quod non poteſt, perinde ac ſi* illud *poſſet. Quod nunc creditur difficile factu,* poſteà *videtur facile, cùm amor confirmatus eſt tempore. Conſiderate denique, ſed conſiderate, quæſo, attentis mentibus, quouſque proceſſerit violentia veſani amoris. Quodam die Tlepolemus ibat venatum unà cum Thraſyllo, in-*

NOTÆ.

1. *Ruinam Cupidinis.*] Vulgatæ editiones pleræque *romam cupidinis*, pro quo Gaſp. Barthius adverſ. lib. 33 c. 2. ſubdit ex veteri exemplari *rogmam Cupidinis*. Græcum eſt ῥωγμὴ & ῥωγμὸς *fiſſura. hiatus terræ, vorago.* Qui ſenſus eſt hujus loci. Lipſ. legebat *Æromnam*, Brantius *roïnam*, unde *ruinam*.

2. *Et puellæ, ſi vellet, quanquam velle non poſſet, furatrinæ conjugalis incommodaret rudimentum.*] Intricatus locus, quem à ſe non intelligi fatetur Pricæus, neque emendari poſſe in tranſitu. Beroaldus conatur explicare: ſed infelici eventu. Ego, ſi quid ultrà tantorum virorum conatus ſapio, ſenſum in interpretatione expreſſi non incongruum, *Rudimentum* hìc non eſt *tyrocinium*, aut *primitiæ*, ut vertit Beroaldus; ſed *ignorantia* & *imperitia*. ut *rudis* eſt *imperitus*. *Furatrina conjugalis* eſt adulterium.

indagaturus feras, ſi quid tamen in capreis feritatis eſt. [1] nec enim Charite maritum ſuum quærere patiebatur beſtias armatas dente vel cornu. Jámque apud frondoſum tumulum, ramorumque denſis tegminibus umbroſum, proſpectu veſtigatorum obſeptis campis, [2] canes venationis indagini generoſæ mandatæ, cubili reſidentes invadere beſtias immittuntur: ſtatimque, ſolertis diſciplinæ memores, partitæ totos præcingunt aditus: tacitâque priùs ſervatâ muſſitatione, ſigno ſibi repentino reddito, latratibus fervidis diſſoniſque miſcent omnia. Nec ulla capra, nec pavens damula, nec præ cæteris feris mitior cerva, ſed aper immanis atque inviſitatus exurgit, [3] toris calloſæ cutis obeſus, pilis inhorrentibus corio ſquallidus, ſetis inſurgentibus ſpinæ hiſpidus, dentibus attritu ſonaci ſpumeus, oculis aſpectu minaci flammeus, [4] impetu ſævo frementis oris totus fulmineus. Et primùm quidem canum procaciores, quæ cominùs contulerant veſtigium,

Interpretatio.

veſtigaturus feras, ſi tamen capreæ habent ullam feritatem. nam Charite non ſinebat ſuum conjugem venari feras armatas dentibus, aut cornibus. Et jam circa collem folioſum, & obumbratum opaco operimento ramorum, præcluſo retibus exitu *in campos curâ venatorum. canes deſtinati ad ſagacem inveſtigationem ferarum immittuntur ad irruendum in belluas, quæ* ibi ſortè *ſtabularentur in latibulis* ſuis: *& ſtatim recordati ſuæ ſagacis artis, partiuntur* inter ſe *univerſos aditus*, & *occupant* eos: *ac primùm obſervato ſilentio, ſimul ac ſubitum ſignum fuit ipſis datum, implent omnia latratibus acribus & diſſonantibus. Neque ulla caprea inde exurgit, neque dama timidus, aut etiam cerva leniſſima cæterarum beſtiarum, ſed aper ingens, &* qualis *nunquam anteà viſus* fuerat, *pulpis calloſæ cutis præpinguis, ſquallens villis rigentibus in pelle, horridus ſetis erectis in* ejus *ſpinâ, ſpumans* ore, & *atterens dentes* inter ſe *cum ſtridore, emittens ignem oculis truci aſpectu,* proterens omnia *inſtar fulminis vehementi percuſſione ſui roſtri. Ac primùm quidem occidit acerrimos canum, qui ad ſe propiùs acceſſerant,*

Notæ.

1. *Nec enim Charite maritum ſuum quærere patiebatur beſtias armatas dente vel cornu.*] Sic Venus Metamorph. lib. 10. Adonidem dehortatur:

> ——— *fortiſque fugacibus eſto,*
> *Inquit, in audaces non eſt audacia tuta.*
> *Parce meo, juvenis, temerarius eſſe periclo:*
> *Ne-ve feras, quibus arma dedit natura, laceſſe. &c.*

2. *Canes venationis indagini generoſæ, mandato cubili reſidentes*] Lego cum Pricæo: *canes venationis indagini generoſæ mandatæ, cubili reſidentes, &c.* ut ordo verborum ſit, *canes mandatæ* id eſt, deſtinatæ, immiſſæ, *generoſæ indagini venationis, &c.* ut, *venationis,* per metonymiam ſumatur pro re per venationem quæſitâ, id eſt, pro feris. quo ſenſu uſurpatur apud idoneos ſcriptores, & infra, hoc ipſo libro: *partem venationis, immanis cervi pinguiſſimum femur, &c.*

3. *Toris calloſæ cutis obeſus.*] *Tori, muſuli* ſunt, *lacerti* etiam dicti. *Calloſa cutis* eſt, quæ ſub ſe habet *callum,* hoc eſt, *carnem compactâ teneritudine,* vel, ut ita dicam, *tenerâ duritie commendabilem*, qualis eſt aprugna caro.

4. *Impetu ſævo frementis oris totus fulmineus.*] Duo illi dentes ex aprorum ore prominentes *fulmina* vulgò dicuntur. Ovid. lib. 10. Metamorph.

> *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.*

genis hac illac jactatis, [1] conſectas interficit: dein calcata retiola, quâ primos impetus [2] reduxerat, tranſabiit. Et nos quidem cuncti pavore deterriti, & alioquin innoxiis venationibus conſueti, tunc etiam inermes atque immuniti, tegumentis frondis vel arboribus latenter abſcondimur. Thraſyllus verò nactus fraudium opportunum [3] decipulum, ſic Tlepolemum captiosè compellat: Quid ſtupore confuſi, vel etiam caſsâ formidine ſimiles humilitati ſervorum iſtorum, vel in modum pavoris fœminei dejecti, tam opimam prædam mediis manibus amittimus? Quin equos inſcendimus? quin ocyùs indipiſcimur? & cape venabulum, & ego ſumo lanceam. Nec tantillum morati, protinùs inſiliunt equos, ex ſummo ſtudio belluam inſequentes. Nec tamen illa genuini vigoris oblita, retorquet impetum, & incendio feritatis ardeſcens, dentium compulſu, quem primum inſiliat, contabunda rimatur. Sed prior Tlepolemus jaculum, quod gerebat, inſuper dorſum beſtiæ contorſit. At Thraſyllus, feræ quidem parcens, ſed equi, quo vehebatur Tlepolemus, poſtremos poplites, lanceâ feriens, amputat. Quadrupes reſidens, quà ſanguis effluxerat, toto tergo ſupinatus, invitus dominum ſuum devolvit ad terram. Nec diù, & furens aper eum invadit jacentem, ac primò lacinias ejus, mox ipſum reſurgentem multo dente laniavit. Nec cœpti nefarii bonum

INTERPRETATIO.

lacerans eos maxillis ſuis, quas intentat huc atque illuc. Deinde proculcavit, & prætergreſſus eſt retia, quâ parte *intenderat primum curſum. Et nos quidem correpti timore, quippe qui aſſuefacti eramus venatibus innocuis, atque etiam tunc carebamus armis atque omni munimine, occultavimus nos clanculùm ſub tegminibus foliorum, & ponè arbores. At Thraſyllus, oblatâ occaſione commodâ moliendi dolos, ſic alloquitur fraudulenter Tlepolemum: Quare ſinimus elabi tam pinguem prædam è mediis* noſtris *manibus, ſtupentes & perturbati, aut etiam inani metu ſimiles his ſervis puſillanimis, vel conſternati timore, veluti fœminæ. Quidni inſilimus in equos? quidni aſſequimur* feram *ocyùs? & ſume venabulum, ego verò capio lanceam. Et ſtatim, abſque ullâ morâ conſcendunt equos, perſequentes feram maximo ardore. Illa autem non immemor roboris* ſibi *ingeniti, reflectit curſum, & accenſa ardore ſuæ feritatis, terens inter ſe dentes, inſpicit dubia, in quem primùm irruat. At Tlepolemus miſit prior telum, quod geſtabat, in dorſum belluæ. Sed Thraſyllus parcens quidem beſtiæ, percutit lanceâ, & abſcindit poſteriores poplites equi, cui Tlepolemus inſidebat, equus reclinatus in eam partem, quâ ſanguis ipſi manaverat,* & *omninò ſtratus in tergum, invitus dejicit humi ſuum dominum. Nec ita multo poſt aper furioſus irruit in eum* adhuc *ſtratum* humi, *& primò veſtes ejus, deinde ipſum laceravit crebris* ictibus *dentium, dum reſurgeret. Neque pœnituit*

NOTÆ.

1. *Conſectas.*] A verbo *conſecare*. Editio Scriverii habet *confectas*, quod mihi placeret magis.

2. *Reduxerat.*] Pricæus; *direxerat*, rectè.

3. *Decipulum.*] Et frequentiùs *decipula*, utrumque à *decipiendo*, eſt propriè inſtrumentum, ad decipiendas aves, & feras, comparatum. Hîc ſumitur pro occaſione ſtruendi dolos.

piguit amicum, vel ſuæ ſævitiæ litatum ſaltem tanto periculo cernens, potuit expleri; ſed percito, atque plagoſa crura contegenti, ſuumque auxilium [1] miſeriter roganti, per femur dextrum lanceam immiſit: tantò ille quidem fidentiùs, quantò crederet ferri vulnera ſimilia futura [2] profectu dentium. Nec-non tamen ipſam quoque beſtiam facili manu tranſadigit. Ad hunc modum [3] definito juvene, exciti latibulo ſuo quiſque familia mœſta concurrimus. At ille, quanquam perfecto voto, proſtrato inimico [4] lætus ageret; vultu tamen gaudium tegit, & frontem [5] aſſeverat, & dolorem ſimulat: & [6] cadaver, quod ipſe fecerat, avidè circumplexus, omnia quidem lugentium officia ſolerter affinxit; ſed ſolæ lacrymæ procedere noluerunt. Sic ad noſtri ſimilitudinem, qui verè lamentabamur, conformatus, culpam manûs ſuæ, mentiens, beſtiæ dabat. Nec dùm ſatis ſcelere tranſacto, Fama dilabitur, & curſus primos ad domum Tlepolemi detorquet, & aures infelicis nuptæ percutit. Quæ quidem ſimul percepit talem nuntium, qualem non audiet alium; amens, & vecordiâ percita, curſúque bacchata furibundo, per plateas populoſas, & arva rureſtria

INTERPRETATIO.

egregium illum *amicum ſui nefandi incepti, neque potuit ſatiari, tametſi videret ſatisfactum eſſe ſuæ crudelitati tanto diſcrimine; ſed dum ille perturbatus operiret ſua crura vulnerata, atque imploraret miſerabiliter* ejus *opem, adegit* ipſi *lanceam per coxam dextram: idque fecit eò quidem audaciùs, quod arbitraretur plagas ferro fa*ctas *fore ſimiles ſciſſuræ dentium. Perforat tamen quoque facilè ipſam feram. Juvene ſic interfecto, nos omnes ſervi evocati ſinguli ex noſtris latebris, currimus ad ipſum lugentes. Ille autem voti compos, quamvis eſſet hilaris interfecto* ſuo *inimico, celat tamen lætitiam vultu, & corrugat frontem, fingit mœrorem, & amplectens cupidè corpus, quod ipſe privaverat vitâ, ſimulavit quidem callidè univerſa munia mœrentium; at lacrymæ ſolæ renuerunt prodire. Sic compoſitus ad noſtrum exemplum, qui verè plorabamus, attribuebat mendaciter belluæ, crimen ſuæ manûs. Vix facinus illud erat omninò peractum, cùm divulgatur rumor, & deflectit primum curſum ad domum Tlepolemi, & verberat aures infortunatæ conjugis* ejus. *Quæ quidem ubi accepit hunc nuntium, cui nunquam audiet alium ſimilem; rapitur per vicos populoſos, & agros ſolitarios demens, exſtimulata veſaniâ, & currens inſtar*

NOTÆ.

1. *Miſeriter.*] Vox infrequens. Laberius apud Nonium, *mens incorrupta miſeriter corrumpitur.*

2. *Profectu.*] Dativus antiquus. Sic Virgil.

——— *teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro.*

Et infrà, Noſter, *luctu legitimo*, pro *luctui.*

3. *Definito.*] Beroaldus reponebat *defuncto*, fruſtrà. Repone potiùs *finito*, id eſt, *interfecto.* Noſter, lib. 6. *quam* (vetulam) *licet claudi pedis tui calce unicâ finire poteris.*

4. *Lætus ageret.*] Subintellige, *vitam.*

5. *Aſſeverat.*] *ſeveram reddit, exaſperat.* De hoc verbo jam libro ſuperiore, & lib. 3. Vide Not pag. 83.

6. *Cadaver, quod ipſe fecerat.*] Ex corpore vivo, quod erat priùs.

fertur, inſanâ voce caſum mariti quiritans. Confluunt civium mœſtæ catervæ: ſequuntur obvii dolore ſociato; civitas cuncta vacuatur, ſtudio viſionis. Et ecce mariti cadaver accurrit, labantíque ſpiritu totam ſe ſuper corpus effudit: ac peniſſimè ibidem, quam devoverat ei, reddidit animam. Sed ægrè manibus [1] erepta ſuorum, invita remanſit in vitâ. Funus veró, toto feralem pompam proſequente populo, deducitur ad ſepulturam. Sed Thraſyllus nimiùm clamare, plangere: &, quas primo mœrore lacrymas non habebat, jam, ſcilicet creſcente gaudio, reddere, & multis charitatis nominibus veritatem ipſam fallere. illum amicum, coætaneum, contubernalem, fratrem denique, addito nomine, lugubriter ciere: nec-non interdum manus Charites à pulſandis uberibus amovere, luctum ſedare, ejulatum coërcere, verbis palpantibus ſtimulum doloris obtundere, [2] variis exemplis multivagi casûs ſolatia nectere: cunctis tamen mentitæ pietatis officiis ſtudium contrectandæ mulieris adhibere, odioſumque amorem ſuum perperàm delectando nutrire. Sed officiis inferialibus ſtatim exactis, puella protinùs feſtinat ad maritum ſuum demeare: cunctaſque prorsùs pertentat vias. Certè [3] illam lenem otioſamque, nec

INTERPRETATIO.

Bacchæ furentis, veſano clamore ejulans fatum ſui mariti. Triſtes turmæ civium concurrunt; quotquot occurrunt ipſi. *ſequuntur* eam, *conjungentes dolorem ſuum* cum ejus dolore. *Omnes deſerunt urbem deſiderio viſendi.* Ipſa *autem ſtatim cucurrit ad corpus exanimum ſui viri, &, deficiente animâ, proſtravit ſe totam ſuper cadaver: nihilque propius factum eſt, quàm ut efflaret ibidem ſpiritum, quem ipſi conſecraverat. Verùm extracta inde difficulter manibus ſuorum, remanſit in vitâ, quamvis nolens. Exequiæ autem procedunt ad rogum, univerſâ plebe comitante pompam lugubrem. At Thraſyllus cœpit ſuprà modum vociferari, tundere pectus; & jam, lætitiâ nimirùm creſcente, fundere lacrymas, quibus fuerat deſtitutus initio ſui* ficti *doloris, & fucum facere ipſi veritati multis nominibus amicitiæ. flebiliter appellare ipſum amicum, æqualem, convictorem, ac poſtremò, fratrem, adjecto* etiam *nomine* ejus. *Nec deſinebat interim tamen arcere manus Charites à percutiendis papillis, compeſcere* ejus *mœrorem, cohibere lamenta, retundere aculeum doloris verbis blandientibus, contexere conſolationes ex diverſis exemplis fortunæ inſtabilis: adjungebat tamen omnibus muniis* ſuæ *pietatis ſimulatæ, curam palpandæ mulieris, & alebat ſuum execrandum amorem oblectando* eum *nefariè. At ſtatim atque exequiæ fuerunt factæ, mulier conatur illicò deſcendere ad ſuum conjugem: & explorat omnes omninò rationes* id faciendi. *Certè* tentat rationem *illam placidam & tranquillam.*

NOTÆ.

1. *Erepta.*] Meliùs legas cum Mſ. Palat. *erecta*; ſe totam enim ſuper corpus effuderat.

2. *Variis exemplis multivagi casûs*, &c.] Petron. ubi de Matronâ Epheſi: *Cœpit* (miles) *hortari lugentem, ne perſeveraret in dolore ſupervacuo, &c. omnium eundem exitum eſſe, ſed & idem domicilium: & cætera, quibus exulceratæ mentes ad ſanitatem revocantur.*

Multivagi.] A *vagando. Multivagus,* quaſi per multos, & per multa vagans.

3. *Illam lenem.*] Inediâ ſcilicet ac-

telis ullis indigentem, ſed placidæ quieti conſimilem; [1] inediâ denique miſerâ, & incuriâ ſquallidâ, tenebris imis abſcondita cum luce jam tranſegerat. Sed Thraſyllus inſtantiâ pervicaci, partim per ſemetipſum, partim per cæteros familiares ac neceſſarios, ipſos denique puellæ parentes, extorquet tandem, jam lurore & illuvie penè collapſa membra lavacro, cibo denique confoveret. At illa parentum ſuorum alioquin reverens, invita quidem, verùm religioſæ neceſſitati ſuccumbens, vultu, non quidem hilaro, verùm paulò ſereniore, obiens, ut jubebatur, viventium munia, prorsùs in pectore, ſed immò verò penitis in medullis, luctu ac mœrore carpebat animum: & dies totos, totaſque noctes inſumebat luctuoſo deſiderio: [2] & imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formârat, [3] affixo ſervitio divinis percolens honoribus, ipſo ſeſe ſolatio cruciabat. Thraſyllus verò,

INTERPRETATIO.

quæ nullis armis opus habet, ſed ſimilis eſt leni ſomno; poſtremò, jam abdita obſcuro loco, pepigerat cum vitâ ſe exceſſuram ex câ *funeſtâ abſtinentiâ ciborum, & negligentiâ ſordidâ. At Thraſyllus urgens pertinaciter, tum per ſeipſum, tum per reliquos amicos atque neceſſarios puellæ, tum etiam per parentes* ejus, *impetrat tandem, ut reficeret balneo, ac demùm etiam cibo, artus ſuos jam ferè defectos pallore, & ſordibus. Illa autem, quæ cæteroqui reverebatur ſuos parentes, non ſponte quidem, ſed victa ſanctâ neceſſitate peragens officia vivorum, vultu, non læto quidem, ſed aliquantò tranquilliore, ut videbatur, conficiebat animum fletu ac triſtitiâ* ſitâ *in imo corde, ſeu potiùs in intimis medullis: & impendebat dies perpetuos, & noctes ſolidas flebili deſiderio: & divinis honoribus colens cultu aſſiduo ſimulachrum mortui* mariti, *quod effinxerat ad inſtar Dei Bacchi, torquebat ſe ipſo ſolamine. At Thraſyllus, nimis properans,*

NOTÆ.

cerſitam, ut mox ſubjungit. In contrariam ſententiam Græcus Poëta dixit *οἴκτιστον λιμῷ θανέειν*, *miſerrimum eſſe fame mori.*

Illam lenem.] Pronomen *ille* ſæpiùs uſurpat Apuleius hac formâ & ſignificatione. Lib. 6. *tunc formicula illa parvula, & ruricola, &c.* & lib. 5. *ipſum illum Cupidinem formoſum Deum.*

1. *Inediâ denique miſerâ, & incuriâ ſquallidâ.*] Quibus mox opponit *cibum & lavacrum. Incuria* itaque hîc eſt præſertim abſtinentia balnearum, quibus, ubi aſſueverant corpora, non ſine gravi valetudinis diſpendio poterant carere.

2. *Et imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formârat, &c.*] Polla Lucani conjux maritum ſimiliter adorat: ſed non ſub emendicatâ Bacchi, alterius-ve numinis figurâ, apud Statium, lib. 2. *Sylv.* in Genethliaco Lucani.

Hæc te non thyaſis procax doloſis
Falſi numinis induit figurâ.
Ipſum ſed colit, & frequentat ipſum
Imis altiùs inſitum medullis:
Ac ſolatia vana ſubminiſtrat
Vultus, qui ſimili notatus auro
Stratis prænitet, incubatque ſomno
&c.

——— ——— dolorque feſſus
Quidquid fleverat antè, nunc adoret.

3. *Affixo ſervitio.*] Sic Editiones vulgatæ. Pricæus, quem ſecutus ſum in interpretatione, mavult *affixa.* Si magis placuerit *affixo*, expone, *aſſiduo & diligenti.*

præceps, & temerarius, priuſquàm dolorem lacrymæ ſatiarent, & percitæ mentis reſideret furor, & in ſeſe nimietatis ſenio faceſſeret luctus; adhuc flentem maritum, adhuc veſtes lacerantem, adhuc capillos diſtrahentem, non dubitavit de nuptiis convenire, & impudentiæ labe tacita pectoris ſui ſecreta, fraudeſque ineffabiles detegere. Sed Charite vocem nefandam & horruit, & deteſtata eſt: & velut gravi tonitru, [1] procellâque ſideris, vel etiam ipſo Diali fulmine percuſſa, corruit corpus, & [2] obnubilavit animam. ſed intervallo revaleſcente paulatim ſpiritu, ferinos mugitus reïterans, etiam ſcenam peſſimi Thraſylli perſpiciens, [3] ad limam conſilii deſiderium petitoris diſtulit. Tunc inter moras, umbra illa miſerè trucidati Tlepolemi, ſanie cruentam & pallore deformem attollens faciem, quietem pudicam interpellat uxoris: Mi conjux, quod tibi prorsùs ab alio dici non licebit, ſi pectori tuo jam permanet noſtri memoria: vel, ſi acerbæ mortis meæ caſus fœdus caritatis intercîdit, [4] quoivis alio feliciùs maritare: modo ne in Thraſylli manum ſacrilegam convenias: néve ſermonem conferas, nec menſam accumbas, nec toro acquieſ-

INTERPRETATIO.

& inconſultus, antequàm dolor illius *expleretur flendo, & furor perturbati animi ſedaretur, & dolor evaneſceret longâ duratione ſuæ vehementiæ, auſus eſt adire* eam *de matrimonio, dum lugeret conjugem, dum adhuc diſcinderet* ſua *veſtimenta, dum velleret adhuc* ſuos *crines: &* ſic *revelare culpâ ſuæ petulantiæ occulta arcana ſui cordis, & dolos non patefaciendos. Verùm Charite excepit illa verba ſceleſta cum horrore, & execratione, & collapſa eſt corpore, & amiſit omnem ſenſum,* perinde *ac ſi* fuiſſet *percuſſa vehementi tonitru, & afflatu aſtri* peſtiferi, *aut etiam ipſo fulmine Jovis. Sed poſtquàm,* interjecto *ſpatio* temporis, *paulatim reſumpſit animum, renovavit clamores horrendos, cùm videret quoque quid nequiſſimus Thraſyllus ſtruxiſſet, rejecit cupiditatem poſtulantis ad examen conſilii. Tunc per intervallum* illius dilationis *ſimulachrum illud Tlepolemi* tam *miſerandum in modum occiſi attollens vultum ſanguinolentum tabo & deturpatum pallore, interrumpit caſtum ſomnum* ſuæ *conjugis,* his verbis: *Mea uxor, quo nomine non permittes omninò te vocari ab* ullo *alio, ſi recordatio noſtri manet adhuc in tuo animo: aut* ſi *calamitas mea duræ necis diſſolvit pactum noſtri amoris, nube auſpicatiùs cuilibet alii: dummodò non nubas ſacrilego Thraſyllo: neque colloquaris* cum ipſo, *nec accumbas* eidem *menſæ, nec cubes in* eodem

NOTÆ.

1. *Procellâque ſideris.*] Sideratione, ἀστροβολισμῷ, ſeu potiùs, juxta Galenum, σφακελισμῷ, cùm ſcilicet pars aliqua corporis peſtifero ſidere afflata ſubitò marceſſit, oſsáque ipſa computreſcunt.

2. *Obnubilavit animam.*] Helleniſmus, id eſt, *ſecundùm animam.* Obſerva, *obnubilavit* neutraliter ſumptum, & eâdem planè vi, quâ modò *corruit corpus.*

3. *Ad limam conſilii.*] Metaphora à fabris ferrariis. Incepta enim expolit maturum conſilium, ut lima fabrile opus.

4. *Quovis alio.*] Lege *quoivis alio,* id eſt, *cuivis alii.* Dativus eſt antiquus *alio.*

cas.

cas. Fuge mei percuſſoris cruentam dexteram, [1] noli parricidio nuptias auſpicari. Vulnera illa, quorum ſanguinem hæ lacrymæ proluerunt, non ſunt tota dentium vulnera, ſed lancea mali Thraſylli me tibi fecit alienum. Et addidit cætera, omnemque ſcenam ſceleris illuminat. At illa, utprimùm mœſta conniverat, toro faciem impreſſa, etiamnunc dormiens, lacrymis emanantibus decoras genas cohumidat; & velut quodam tormento inquietâ quiete excuſſa, luctu redintegrato, prolixum ejulat; diſciſsâque interulâ, decora brachia ſævientibus palmulis converberat. Nec tamen cum quoquam participatis nocturnis imaginibus, ſed indicio facinoris prorsùs diſſimulato, & nequiſſimum percuſſorem punire, & ærumnabili vitæ ſeſe ſubtrahere tacita decernit. Ecce rursùs improvidæ voluptatis deteſtabilis petitor, aures obſeratas de nuptiis obtundens, aderat. Sed illa clementer aſpernata ſermonem Thraſylli, aſtúque miro perſonata, inſtanter garrienti ſummiſſéque deprecanti: Adhuc, inquit, [2] tui fratris, meique chariſſimi mariti facies pulchra illa in meis diverſatur oculis: adhuc odor cinnameus ambroſii corporis per nares meas percurrit: adhuc formoſus Tlepolemus in meo vivit pectore. Boni ergo & optimi conſules, ſi luctui legitimo miſerrimæ fœminæ neceſſarium conceſſeris tem-

INTERPRETATIO.

lecto. Fuge manum mei interfectoris tinctam meo ſanguine. ne inchoa connubium tuum à parricidio. Illæ plagæ, quarum abluiſti cruorem tuis iſtis lacrymis, non ſunt omnes factæ dentibus apri, verùm lancea ſceleſti Thraſylli ſeparavit me à te. Et adjecit reliqua, revelavitque omnem faciem criminis. Illa verò, ſtatim atque ſopita fuerat adhuc mœrens, applicato ore ad lectum, madefacit pulchras malas lacrymis, quæ ipſi effluebant inter dormiendum; & excitata hac viſione tanquam machinâ aliquâ bellicâ à ſomno ſuo turbulento, renovat fletum, & ejulat diu; laceratóque induſio, ferit ſua brachia formoſa manibus infeſtis. Nemini tamen communicatis iis, quæ viderat noctu in ſomnis, ſed omninò celans ſibi eſſe manifeſtatum auctorem ſceleris, ſtatuit apud ſe, & ſumere ſupplicium de peſſimo homicidâ, & ſe eripere vitæ calamitoſæ. Ecce iterum execrandus poſtulator voluptatis temerariæ venit inſtanter interpellatum de nuptiis aures ejus occluſas talibus petitionibus. At illa, repudiatâ leniter oratione Thraſylli, & diſſimulato conſilio ſuo calliditate mirabili, reſpondit ipſi urgenti, & ſuppliciter roganti: Formoſus ille vultus tui fratris, meique dilectiſſimi conjugis eſt adhuc præſens meis oculis: fragrans odor corporis ejus ſuaveolentis obverſatur adhuc meis naribus: pulcher Tlepolemus vivit adhuc in meo corde. Ne graveris igitur concedere infeliciſſimæ mulieri ſpatium neceſſarium juſto

NOTÆ.

1. Noli parricidio, &c.] Cæde nimirùm Tlepolemi, quæ & Thraſylli reſpectu parricidium dici poterat, utpote amici cædes, & potiori jure reſpectu Charites uxoris, ſi nupſiſſet mariti ſui interfectori, ſicque in partem ejus ſceleris quodammodò veniſſet.

2. Tui fratris.] Quem tu fratrem vocabas.

pus : quoad reſiduis menſibus [1] ſpatium reliquum compleatur anni. Quæ res cùm meum pudorem, tùm etiam tuum ſalutare commodum reſpicit: ne fortè immaturitate nuptiarum, indignatione juſtâ [2] Manes acerbos mariti ad exitium ſalutis tuæ ſuſcitemus. Nec iſto ſermone Thraſyllus ſobriefactus, vel ſaltem tempeſtivâ pollicitatione recreatus, identidem pergit linguæ ſauciantis ſuſurros improbos [3] inurguere; quoad ſimulanter revicta Charite ſuſcipit: Iſtud equidem certè magnoperè deprecanti concedas neceſſe eſt, mi Thraſylle, ut interdùm taciti clandeſtinos coïtus obeamus; nec quiſquam perſentiſcat familiarium, quoad dies reliquos metiatur annus. Promiſſioni fallacioſæ mulieris oppreſſus ſuccubuit Thraſyllus: & prolixè conſentit de furtivo concubitu, & opertas exoptat ultrò tenebras, uno potiundi ſtudio poſtponens omnia. Sed, heus tu, inquit Charite, quàm probè veſte contectus, omníque comite viduatus, primâ vigiliâ fores meas tacitus accedas, unóque ſibilo contentus, nutricem iſtam meam op-

INTERPRETATIO.

luctui, donec annus impleatur peractis *menſibus, qui ſuperſunt. Quod quidem ſpectat tum ad meam verecundiam, tum etiam ad bonum tuæ ſalutis; ne fortè nimiâ acceleratione noſtri connubii accendamus juſtâ irâ ſævam umbram* mei *mariti ad perniciem tuæ vitæ. Thraſyllus non revocatus ad moderationem illâ oratione, neque ſaltem refectus promiſſione* nuptiarum *poſt* aliquod *tempus* celebrandarum, *non deſinit aggredi ſæpè Chariten malis gannitibus linguæ peſtiferæ; donec* ipſa, *fingens ſe victam, ait: Saltem, mi Thraſylle, oportet ut* mihi *inſtanter roganti annuas, ut interim concumbamus clanculùm & tacitè; neque ullus ex domeſticis id animadvertat, donec reliqui dies anni elabantur. Thraſyllus victus promiſſis frudulentæ fœminæ manus dedit: & libentiſſimè annuit ipſi* proponenti *clandeſtinum concubitum, cupitque ultrò ut nox & tenebræ obſcuræ adveniant, præferens deſiderium potiendi* Charite *omnibus rebus, Verùm (inquit Charite)* veni *optimè velatus veſtimento, & deſtitutus omni comite, initio noctis accede cum ſilentio ad meum oſtium, & contentus* ſignificâſſe adventum tuum *uno tantùm ſibilo, expecta hanc meam nutricem,*

NOTÆ.

1 *Spatium reliquum compleatur anni.*] Hoc erat legitimum luctûs ſpatium, nec ante illud licebat mulieri ſecundas nuptias obire abſque infamiâ. Sed annus ille luctûs ad Theodoſii uſque tempora, intelligendus eſt decem tantùm menſium, qualem Romulus conſtituerat, juxtà Ovidium, lib. 1. Faſt

——— ——— ——— *Romulus anno*
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.
Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet in viduâ triſtia ſigna domo.

Gratianus, Valerianus, & Theodoſius Imperatores, reliquos duos anni menſes luctui adjecerunt conſtitutione ſuâ, quæ extat lib. 5. Cod. Tit. 9. *de Secundis nuptiis.*

2. *Manes acerbos mariti.*] Id eſt, *Manes mariti violentâ & immaturâ morte perempti.* Virgil.

——— *& funere immerſit acerbo.*

Ubi Servius: *immaturo: à pomis tranſlatione factâ.*

3. *Invergere.*] Emendat Pricæus ex vett. editt. & Codice Oxonienſi *inurguere*, hoc eſt, *inurgere.*

periare: quæ clauſtris adhærens excubabit adventui tuo, nec ſeciùs, patefactis ædibus, acceptum te nullo lumine conſcio, ad meum perducet cubiculum. Placuit Thraſyllo [1] ſcena feralium nuptiarum. nec ſequius aliquid ſuſpicatus, ſed expectatione turbidus, de diei tantùm ſpatio & veſperæ morâ querebatur. Sed ubi Sol tandem nocti deceſſit, ex imperio Charites adornatus, & nutricis captioſâ vigiliâ deceptus, irrepit cubiculum, pronus ſpei. Tunc [2] anus, de juſſu dominæ blandiens ei, furtim depromptis calicibus, & œnophoro, quod immixtum vino ſoporiferum gerebat venenum, crebris potionibus avidè & ſecurè haurientem, mentita dominæ tarditatem, quaſi parentem adſideret ægrotum, facilè ſepelivit ad ſomnum. Jámque eo ad omnes injurias expoſito, ac ſupinato, introvocata Charite, maſculis animis, impetúque diro fremens invadit, ac ſuperſiſtit ſicarium. En, inquit, fidus conjugis mei comes, en venator egregius, [3] en carus maritus. hæc eſt illa dextra, quæ meum ſanguinem fudit: hoc pectus, quod fraudulentas ambages in meum concinnavit exitium: oculi iſti, quibus malè placui: qui quodammodo tamen jam futuras tenebras auſpicantes, [4] venientes pœnas antecedunt. Quieſce ſecurus, beatè ſomnia: non ego te gladio, non ferro petam. Abſit, ut velim ſimili mortis genere cum marito meo coæqueris. Vivo tibi morientur oculi, nec

INTERPRETATIO.

quæ opperietur acceſſum tuum vigilans ad peſſulos oſtii, & apertâ domo excipiet te, & deducet in meum cubiculum nullâ luce teſte. Thraſyllus approbavit apparatum funeſti illius connubii. & nihil aliud ſuſpicans, ſed perturbatus expectatione, conquerebatur tantùm de longitudine diei, & retardatione veſperæ. Verùm poſtquam Sol occidens *dedit tandem locum nocti, ipſe veſtitus ut Charite juſſerat, & deceptus fraudulentis excubiis nutricis, penetrat ſe in cubiculum, proclivis in ſpem. Tum vetula excipiens eum comiter, quemadmodum hera præceperat, prolatis clanculùm poculis, & vaſe vinario, cui inerat medicamen ſomniferum infuſum vino, & ſimulans ſuam heram ideò tardare, quia aderat patri ægrotanti, facilè demerſit eum ſopori* ingeſtis *frequentibus poculis,* quæ *ipſe ſorbebat cupidè, & abſque metu. Cúmque jam jaceret ſupinus patens omnibus injuriis, Charite vocata intrat, & fremens irruit animo virili, atque impetu ſævo in percuſſorem* ſui mariti, *eique ſuperimminet. Ecce, ait, fidelis ſocius mei mariti, ecce præclarus venator, ecce dilectus conjux* meus. *hæc manus illa eſt, quæ effudit meum ſanguinem: hoc pectus* eſt, *quod ſtruxit doloſas inſidias in meam perniciem: iſti* ſunt *oculi, quibus placui malo* meo *fato: qui tamen incipientes aliquatenùs* ſubire *futuram cæcitatem, præveniunt ſupplicium* ſibi *impendens. Dormi abſque timore, perfruere jucundis ſomniis: ego non te percutiam enſe, aut* ullo alio *ferro. Prohibeant Dii, ut velim te æquari cum meo viro pari genere necis.* Tui *oculi extinguentur te vi-*

NOTÆ.

1. *Scena feralium nuptiarum.*] Ornatus nempè ille, quo jubebat eum Charite venire ad furtivos ſuos amplexus, exitio ipſi futuros.

2. *Anus.*] Nutrix.

3. *En carus maritus.*] εἰρωνικῶς. Legit VVovver. *carus mariti.*

4. *Venientes pœnas antecedunt.*] Dormiendo ſcilicet. Sic enim futuram cæcitatem præveniebant.

quidquam videbis niſi dormiens.. Faxo[1] feliciorem necem inimici tui, quàm vitam tuam ſentias. Lumen certè non videbis; manu comitis indigebis: Chariten non tenebis; nuptiis non fruêris: nec mortis quiete recreaberis, nec vitæ voluptate lætaberis; ſed incertum ſimulachrum errabis inter Orcum & Solem: diù quæres dexteram, quæ tuas expugnavit pupulas; quódque eſt in ærumnâ miſerrimum, neſcies de quo queraris. Ego ad ſepulchrum mei Tlepolemi tuo luminum cruore libabo: & ſanctis Manibus ejus, iſtis oculis parentabo. Sed quid morâ temporis dignum cruciatum lucraris, & meos forſitan tibi peſtiferos imaginaris amplexus? Relictis ſomnolentis tenebris[2] ad aliam pœnalem evigila caliginem. attolle vacuam faciem: vindictam recognoſce: infortunium intellige: ærumnas computa. Sic pudicæ mulieri tui placuere oculi, ſic faces nuptiales tuos illuminârunt thalamos,[3] Ultrices habebis pronubas, & Orbitatem comitem, & perpetuæ conſcientiæ ſtimulum. Ad hunc modum vaticinata mulier, [4] acu crinali capite deprompta, Thraſylli convulnerat tota lumina:

INTERPRETATIO.

vente, & nihil videbis niſi in ſomnis. Curabo ut exiſtimes mortem tui inimici beatiorem, quàm tuam vitam. Non aſpicies lucem; habebis opus manu comitis, quæ te ducat: *non amplecteris Chariten; non fies compos ejus connubii: neque reficieris quiete,* quam *mors* affert. *neque gaudebis jucunditate vitæ; ſed vagaberis inter Infernum & lucem* veluti *aliquod phantaſma ambiguum: diù quæritabis manum, quæ effoderit tuos oculos; &, quod graviſſimum eſt in calamitate, ignorabis de quo debeas expoſtulare. Ego effundam ſanguinem tuorum oculorum ſuper tumulum mei Tlepolemi, & iſtos oculos mittam inferias ſanctæ ipſius Umbræ. Sed quare dilatione meâ* aliquid *lucri facis debiti ſupplicii, & fortaſſè ſomnias nunc* te frui *meis complexibus,* qui *tibi exitiales* erunt? *Relinque caliginem ſomni, & expergiſcere ad aliam obſcuritatem cruciabilem. Erige vultum* tuum *orbatum* luminibus: *agnoſce ultionem* meam: *perſentiſce calamitatem* tuam: *numera tuas miſerias. Sic tui oculi placuerunt caſtæ fœminæ, ſic tædæ jugales illuſtraverunt tuum torum. Furiæ præibunt in tuis nuptiis: Cæcitas, & æternus aculeus conſcientiæ te comitabuntur. Charite ſic prolocuta ſumit ex capite* ſuo *acum diſcriminalem, & perfodit penitùs oculos Thraſylli; & re-*

NOTÆ.

1. *Feliciorem necem inimici tui, quàm vitam tuam.*] Vita excæcati morte durior atque infelicior eſt. *Stat.* Theb.

Ejectúſque die, (id eſt, *privatus luce*) *ſors letho durior omni.*

2. *Ad aliam pœnalem evigila caliginem.*] Ad cæcitatem nimirùm.

3. *Ultrices habebis pronubas.*] *Ultrices* ſunt Furiæ, quæ ſontes punire dicuntur in Inferis. Similiter Seneca, in Oedip.

Et mecum Erinnes pronubas thalami trahám.

Et Ovid.

Pronuba Tiſiphone thalamis ululavit in illis,
Et cecinit mæſtum devia carmen avis.

Pronubæ παράνυμφοι, teſte Donato, dicuntur, quæ nubentes in domum mariti deducunt, ac comitantur, & quæ in obſequio nubentis ſunt.

4. *Acu crinali.*] Quâ capillos diſcriminare ſolebat, & in nodum coërcitos retinere.

eumque prorsus exoculatum relinquens, dum [1] dolore neſcio crapulam cum ſomno diſcutit; arrepto nudo gladio, quo ſe Tlepolemus ſolebat incingere, per mediam civitatem curſu furioſo proripit ſe. proculdubio neſcio quod ſcelus geſtiens [2] rectà monumentum mariti contendit. At nos, & omnis populus, viduatis totis ædibus, ſtudioſè conſequimur: hortati mutuò ferrum veſanis extorquere manibus. Sed Charite capulum Tlepolemi propè aſſiſtens, gladioque fulgenti ſingulos abigens, ubi fletus uberes & lamentationes varias cunctorum intuetur: Abjicite, inquit, importunas lacrymas, abjicite luctum meis virtutibus alienum. Vindicavi mei mariti cruentum peremptorem: [3] punita ſum funeſtum nuptiarum mearum prædonem: jam tempus eſt uti iſto gladio deorſus ad meum Tlepolemum viam quæram. Et enarratis ordine ſingulis, quæ ſibi per ſomnium [4] nuntiaverat maritus, quoque aſtu Thraſyllum inductum petiſſet, ferro ſub papillam dexteram tranſadacto corruit: & in ſuo ſibi pervoluta ſanguine, poſtremò balbutiens incerto ſermone, perefflavit animam virilem. Tunc properè

INTERPRETATIO.

licto eo penitùs excæcato, interim dum percitus *dolore incognito excutit ebrietatem unà cum ſopore ;* ipſa *capto nudo enſe, quem Tlepolemus ſolebat aptare* ſuo lateri, *fugit veſano curſu per mediam urbem. & rectà petit ſepulchrum ſui conjugis, moliens haud dubiè aliquod nefas. Nos verò, & plebs tota, vacuatis omnibus domibus, anxiè inſequimur* ipſam, *exhortantes nos invicem ad eripiendum gladium ex furioſis manibus* ejus. *Verùm Charite ſtans propè ſandapilam Tlepolemi, & arcens cunctos enſe coruſcanti, cùm vidit copioſas lacrymas, & diverſos ejulatus omnium: Mittite, ait, moleſtos fletus, deponite mœrorem non convenientem meæ fortitudini. Ulta ſum crudelem interfectorem mei conjugis: punivi exitiabilem latronem*, qui diſturbavit *meum connubium: jam tempus eſt, ut hoc enſe quæram iter inferos versùs ad meum Tlepolemum. Cùmque retuliſſet ordine omnia, quæ fuerant ſibi ſignificata à conjuge* ſuo *in ſomnis, & quâ calliditate deceptum Thraſyllum fuiſſet aggreſſa, gladio condito ſub papillam dexteram, collapſa eſt: & cùm pervolviſſet ſe in ſuo ipſius cruore, ac denique proferens verba imperfecta, exhalavit fortem ſpiritum. Tunc ſtatim amici miſeræ*

NOTÆ.

1. *Dolore neſcio.*] *Incognito*, cujus cauſa ignorabatur. Sic lib. 5. *& ſarcinæ neſcia rudimenta miratur.* A. Gellius Noct. Attic. lib. 9. cap. 12 *Neſcius quoque dicitur tam is qui neſcitur, quàm qui neſcit, &c.* Plautus in Rudente: *Quæ in locis neſciis neſciâ ſpe ſumus.*

2. *Monumentum mariti contendit.*] Reſtituenda vox *rectà*, ex cod. Fulvii.

3. *Punita ſum funeſtum nuptiarum mearum prædonem.*] Quintil. lib. 9. cap. 3. *Eſt, & in verbis* (figura) *ut fabricatus eſt gladium: &, inimicos punitus eſt: quod mirum minus eſt, quod in naturâ verborum eſt, &, quæ facimus, patiendi modo ſæpè dicere: & contrà, faciendi, quæ patimur: ut, vapulo; ideòque frequens permutatio eſt, & pleraque utroque modo efferuntur.*

4. *Nuntiaverat maritus.*] De ſuâ cæde, quæ non dentibus apri tantùm, ut credebatur, ſed lanceâ Thraſylli fuerat perpetrata.

familiares, miſeræ Charites [1] corpus ablutum, unitâ ſepulturâ ibidem marito perpetuam conjugem reddidere. Thraſyllus verò, cognitis omnibus, nequiens idoneum exitium præſenti cladi reddere, certuſque tanto facinori nec gladium ſufficere, ſponte delatus ibidem ad ſepulchrum: Ultronea vobis, [2] infeſti Manes, en adeſt victima, ſæpè clamitans: [3] valvis ſuper ſeſe diligenter obſeratis, [4] inediâ ſtatuit elidere ſuâ ſententiâ [5] damnatum ſpiritum. Hæc [6] ille longos trahens ſpiritus, & nonnunquam illacrymans, graviter affectis ruſticis annuntiabat. Tunc illi, mutati dominii novitatem metuentes, & infortunium domûs herilis altiùs miſerantes, fugere comparant. Sed equorum magiſter, qui me curandum magnâ ille quidem commendatione ſuſceperat, pervolat quidquid in caſulâ pretioſum conditumque ſervabat, meóque atque aliorum jumentorum dorſo repoſitum aſportans, ſedes priſtinas deſerit. Gerebamus infantulos & mulieres: gerebamus pullos, anſeres, hœdos, catellos: & quidquid infirmo gradu fu-

INTERPRETATIO.

Charites laverunt ſedulò ejus *corpus, &* condentes *in idem ſepulchrum, reſtituerunt* ipſam *marito æternam uxorem* futuram. *Thraſyllus autem*, his *omnibus auditis, cùm non poſſet rependere mortem congruam huic ſtragi* à ſe excitatæ, *ſciretque enſem non ſufficere ad tantum ſcelus* expiandum, *curavit ultrò ſe deferri ad idem monumentum:* atque ibi *clamans ſæpè:* O *Umbræ* mihi *infenſæ, ecce me vobis hoſtiam ſpontaneam: occluſis ſedulò foribus ſuper ſe, decrevit finire abſtinentiâ cibi vitam jam condemnatam ſuo* ipſius *judicio. Ille longùm ſuſpirans, atque interdum plorans referebat hæc ruſticis valdè commotis* ejus oratione. *Tum illi timentes mutationem novi dominatûs, & dolentes profundiùs calamitatem domûs* ſui *domini, moliuntur fugam. At præfectus equorum, cujus curæ commiſſus fueram, ac ſummopere commendatus, expilat quidquid aſſervabat pretioſi conditum in illâ domunculâ: &, impoſitum dorſo meo, atque cæterorum jumentorum avehens, relinquit* ſuam *antiquam habitationem. Portabamus parvos infantes, & mulieres; portabamus pullos, anſeres, hœdos, catulos:* denique *quæcumque retardabant* noſtram *fugam de-*

NOTÆ.

1. *Corpus ablutum.*] Ex more veterum. Virgil. lib. 6. Æneid.

Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis, & ungunt.

2. *Infeſti Manes.*] Umbras Charites & Tlepolemi affatur.

3. *Valvis.*] Oſtio ſepulchri, quo Tlepolemus, & Charite conditi erant.

4. *Inediâ ſtatuit elidere ſuâ ſententiâ damnatum ſpiritum.*] Adumbrata hæc videntur ex Petronio, ubi de matronâ Epheſi: *Quid proderit hoc tibi, ſi ſoluta inediâ fueris? ſi te vivam ſepelieris? ſi antequam fata poſcant, indemnatum ſpiritum effuderis?*

5. *Damnatum ſpiritum.*] Vetus Inſcriptio à Pricæo laudata: INFERNO PLOTONI TRICORPORIQUE OXORI CARISS. TRICIPITIQUE CERBERO MUNUS MEUM FERENS DAMNATAM DEDO ANIMAM, VIVAMQUE ME HOC CONDO MONIMENTO, &c.

6. *Ille.*] Servus Charites, qui noctis gallicinio venerat ex proximâ civitate, ut habetur initio libri hujus.

gam morabatur, [1] noſtris quoque pedibus ambulabat. Nec me pondus ſarcinæ, quanquam enormis, urgebat; quippe gaudiali fugâ deteſtabilem illum exſectorem virilitatis meæ relinquentem. Sylvoſi montis aſperum permenſi jugum, rurſúſque repoſita camporum ad ſpatia pervecti, jam veſperâ ſemitam tenebrante, pervenimus ad quoddam caſtellum frequens & opulens: unde nos incolæ nocturnâ, immò verò matutinâ etiam prohibebant egreſſione. Lupos enim numeroſos, grandes, & vaſtis corporibus ſarcinoſos, ac nimiâ ferocitate ſævientes, paſſim rapinis adſuetos infeſtare cunctam illam regionem: jámque ipſas vias obſidere, & in modum latronum prætereuntes aggredi; immò verò veſanâ fame rabidos finitimas expugnare villas, exitiumque inertiſſimorum pecudum ipſis jam humanis capitibus imminere. denique, ob iter illud, qua nobis erat commeandum, jacere ſemeſa hominum corpora, ſuiſque viſceribus nudatis oſſibus cuncta candere: ac per hoc nos quoque cautione ſummâ viæ reddi debere: idque vel in primis obſervitare, ut luce clarâ, & die jam provecto, & Sole florido, vitantes undique latentes inſidias, cùm & ipſo lumine dirarum beſtiarum repigratur impetus, [2] non laciniatim diſperſo,

INTERPRETATIO.

bili greſſu, ea *etiam incedebant ope noſtrorum pedum. Neque gravitas* mei *oneris me premebat, quamvis* illud eſſet *immane; quia deſerebam hilari fugâ execrabilem illum amputatorem meorum virilium. Cùm ſuperaviſſemus arduum cacumen montis nemoroſi, ac deinde deſcendiſſemus in ſubjectam planitiem camporum, veſpere jam obſcurante viam noſtram, devenimus ad quoddam caſtellum populoſum & opulentum: ex quo incolæ diſſuadebant nos ne exiremus nocte, aut etiam manè.* cauſati *nimirùm permultos lupos ingentes, & graves mole corporum, ac furentes maximâ ſævitiâ ſolitos rapere* omnia *undique, graſſari per totam illam regionem, jamque obſidere ipſa itinera, & adoriri tranſeuntes inſtar prædonum: quinimmò correptos rabidâ fame adoriri proximas villas, &* illud *mortis* genus conveniens tantùm *pecoribus ignaviſſimis, jam impendere capitibus hominum. Poſtremò* addebant *cadavera hominum ſemeſa jacere in illâ viâ, per quam nobis erat tranſeundum, & omnia albere oſſibus ſpoliatis ſuis carnibus: proptereáque nos debere ingredi iter cum maximâ cautelâ; atque hoc nobis eſſe præſertim obſervandum, ut, ad effugiendas inſidias abditas paſſim, præteriremus loca illa periculoſa agmine non diſſipato in particulas, ſed conferto in unum cuneum,* & quidem *clarâ luce, & die jam promoto, & Sole fulgente, quando furor*

NOTÆ.

1. *Noſtris quoque pedibus ambulabat.*] Lib. 6. *quid meis pedibus facere contendis?* & lib. 11. *nec mora, cùm Dei dignati pedibus humanis incedere, prodeunt.*

2. *Non laciniatim.*] In lacinias. Sunt autem *laciniæ* apud Columellam particulæ diſperſi ovium gregis. Sic enim ille, lib. 7. cap. 5. *Cum dehinc grex ad locum fuerit perductus, in lacinias colonis diſtribuatur: nam particulatim faciliùs, quàm univerſus convaleſcit, ſive quia ipſius morbi halitus minor eſt in exiguo numero, ſeu quia expeditiùs cura major adhibetur paucioribus.* Aliàs *lacinia* eſt pars extrema & fluxa veſtis & pallii.

ſed cuneatim ſtipato commeatu difficultates illas tranſabiremus. Sed nequiſſimi fugitivi ductores illi noſtri, cæcæ feſtinationis temeritate, ac metu incertæ inſecutionis, ſpretâ ſalubri monitione, nec exſpectatâ luce proximâ, circa tertiam fermè vigiliam noctis, onuſtos nos ad viam propellunt. Tunc ego non inſcius prædicti periculi, quàm potui turbæ medius, & inter conferta jumenta latenter abſconditus, clunibus meis ab aggreſſionibus ferinis conſulebam: Jámque me curſu celeri cæteros equos antecellentem mirabantur omnes. Sed illa pernicitas non erat alacritatis meæ, ſed formidinis indicium. Denique, mecum ipſe reputabam, Pegaſum inclytum illum metu magis volaticum fuiſſe, ac per hoc meritò pennatum proditum, dum in altum, & adusque cœlum ſubſilit, ac reſultat: formidans ſcilicet igniferæ morſum Chimæræ. Nam & illi paſtores, qui nos agebant, in ſpeciem prælii manus obarmaverant. Hic lanceam, ille venabulum, alius gerebat ſpicula, fuſtem alius: ſed & ſaxa quæ ſalebroſa ſemita largiter ſubminiſtrabat. Erant qui ſudes præacutas attollerent, plerique tamen ardentibus facibus proterrebant feras, nec quidquam præter unicam tubam deerat, quin acies eſſet præliaris. Sed nequidquam fruſtrà timorem illum ſatis inanem perfuncti, longè pejores inhæſimus laqueos. Nam lupi, forſitan confertæ juventutis ſtrepitu, vel certè nimiâ luce flammarum deterriti, vel etiam aliorsùm graſſantes, nulli contra nos aditum tulerunt: ac ne procul ſaltem ulli comparuerant. Villæ verò quam fortè tunc præteribamus coloni, multitudinem noſtram latrones rati, ſatis agentes rerum ſuarum, eximiéque trepidi,

INTERPRETATIO.

harum crudelium belluarum hebetatur ipsâ luce. Verùm peſſimi illi fugitivi, qui ducebant nos, aſpernati illa *monita ſalutaria temeritate feſtinationis improvidæ, & timore perſecutionis dubia; ne expectatâ quidem luce propinquâ, producunt nos oneratos ad* carpendum *iter circà mediam noctem. Ego tum non ignarus diſcriminis ſuprà memorati, cavebam meo tergo ab impetu* illarum *belluarum*, incedens, *quantum poteram, in medio agminis, & delitescens inter jumenta ſtipata* inter ſe. *& jam cuncti admirabantur me ſuperantem velocitate cursûs reliquos equos. Verùm illa velocitas non erat ſignum mei vigoris, ſed* mei *timoris. Ego demùm cogitabam apud me celebrem illum Pegaſum fuiſſe perniciorem ob timorem, proptereáque meritò dictum* fuiſſe *alatum, dum ſalit ſurſum, & reſilit uſque ad excelſum cœlum: metuens nempè morſum Chimæræ vomentis ignem. Etenim illi paſtores, qui ducebant nos, armaverant manus ſuas perinde ac ſi fuiſſent obituri certamen. Hic ferebat lanceam, ille venabulum, alius pila, alius baculum: quin etiam geſtabant quoque lapides, quos aſpera via ſuppeditabat* ipſis *abundè. Quidam geſtabant paxillos acuminatos, maxima pars tamen terrebant belluas tædis accenſis, & nihil aliud niſi ſola buccina deerat* ad hoc, *ut eſſet acies* instructa *ad certamen. Verùm cùm fruſtrà ſuſtinuiſſemus illum metum admodùm vanum, incidimus in anguſtias multò pejores. Nulli enim lupi venerunt adverſus nos, forſan* quia *exterriti* erant *ſtrepitu denſæ* multitudinis *juvenum, vel certè nimio fulgore ignium, aut etiam, quia iverant prædatum in aliam partem: & ne eminus quidem ulli viſi fuerant. At ruſtici villæ, juxtà quam tunc fortè tranſibamus, arbitrati noſtrum agmen eſſe turbam latronum, conſulentes fortunis ſuis, & timentes mir-*

canes

canes rabidos & immanes, & quibuſvis lupis & urſis ſæviores, quos ad tutelæ præſidia curioſè fuerant alumnati, [1] jubilationibus ſolitis, & cujuſcemodi vocibus nobis inhortantur. Qui, præter genuinam ferocitatem, tumultu ſuorum exaſperati contra nos ruunt; & undique laterum circumfuſi paſſim inſiliunt, &, ſine ullo delectu, jumenta ſimul & homines lacerant: diúque graſſati, pleroſque proſternunt. Cerneres non tam hercules memorandum, quàm miſerandum ſpectaculum, cànes copioſos ardentibus animis alios fugientes arripere, alios ſtantibus inhærere, [2] quoſdam jacentes inſcendere, & per omnem noſtrum commeatum morſibus ambulare. Ecce tanto periculo malum majus inſequitur. De ſummis enim tectis, ac de proximo colle ruſticani illi ſaxa ſuper nos raptim devolvunt: ut diſcernere prorſus nequiremus, quâ potiſſimùm caveremus clade, cominùs canum, an eminùs lapidum. Quorum quidem unus caput mulieris, [3] quæ meum dorſum reſidebat, repentè percuſſit. Quo dolore commota, ſtatim fletu cum clamore ſublato, maritum ſuum [4] paſtorem illum ſuppetiatum ciet. At ille Deûm fidem clamitans, & cruorem uxoris abſtergens,

INTERPRETATIO.

rum in modum, concitant adverſus nos clamoribus conſuetis, & vocibus omnimodis canes furioſos & prægrandes, crudelioreſque quibuſcunque lupis & urſis, quos ſtudioſè aluerant, ut præſtò eſſent ſuæ *defenſioni. Qui* quidem *præter naturalem* ſuam *feritatem irritati* adhuc *clamoribus ſuorum* dominorum, *accurrunt adverſus nos, & undique diſpoſiti circa* noſtra *latera irruunt in nos ex omnibus partibus, & promiſcuè dilaniant jumenta, & homines ſimul: & cùm diù ſævìiſſent, dejiciunt quamplurimos. Videres ſpectaculum non tam memorabile profectò, quàm miſerabile, magnum ſcilicet numerum canum,* quorum *alii magno furore arripiebant fugientes, alii applicabant ſe ad ſtantes, quidam inſiliebant in proſtratos, & percurrebant noſtrum agmen mordendo. Hoc tantum diſcrimen excipitur repentè majori malo. Illi enim ruſtici properè dejiciunt ſuper nos lapides ex culmine tectorum, atque ex colle vicino; adeo ut nullatenus poſſemus dijudicare ab utrâ ſtrage nobis maximè conſulere* deberemus, *an canum*, qui irruebant in nos *è proximo, an ſaxorum*, quæ jaciebantur in nos *è longinquo: quorum unum quidem ſubitò feriit caput mulieris, quæ inſidebat meo dorſo. Cujus* plagæ *dolore percita, extollens repentè clamorem & ejulatum, implorat opem paſtoris illius ſui conjugis. Ille verò obteſtans fidem Deorum, & detergens ſanguinem*

NOTÆ.

1. *Jubilationibus ſolitis,*] Alii legunt *ſibilationibus. Jubilationes,* & *jubila*, ſunt inclamationes ruſticorum. Feſtus: *jubilare, eſt ruſticâ voce inclamare.* Varro, lib. 5. de Linguâ Latinâ: *ut quiritare urbanorum, ſic jubilare ruſticorum.* Virgil. Eclog.

Et tuæ mœrentes expectant jubila tauri.

2. *Quoſdam jacentes inſcendere.*] Alii *inſcindere*, quod eſt, *ſcindere, laniare.*

3. *Quæ meum dorſum reſidebat.*] Sic lib. 10. *conſueta loca reſidentibus.*

4. *Paſtorem illum.*] Ducem fugitivi illius agminis, illum nempè equorum magiſtrum, de quo ſuprà.

altiùs quiritabat : Quid miſeros homines , & laborioſos viatores tam crudelibus animis invaditis , atque obteritis ? [1] quas prædas metuitis ? quæ damna vindicatis ? At non ſpeluncas ferarum , vel cautes incolitis barbarorum , ut humano ſanguine profuſo gaudeatis. Vix hæc dicta : & ſtatim lapidum congeſtus ceſſavit imber, & infeſtorum canum revocata conquievit procella. Unus illinc denique de ſummo cupreſsûs cacumine , At nos , inquit , non veſtrorum ſpoliorum cupidine latrocinamur , ſed [2] hanc ipſam cladem de veſtris protelamus manibus. jam denique pace tranquillâ ſecuri poteſtis incedere. Sic ille. Sed nos plurifariàm vulnerati reliquam viam capeſſimus , alius lapidis , alius morsûs vulnera referentes ; univerſi tamen ſaucii. Aliquanto denique viæ permenſo ſpatio , pervenimus ad nemus quoddam proceris arboribus conſitum , & patentibus viretis amœnum. ubi placuit illis ductoribus noſtris refectui paululùm conquieſcere , corporaque ſua diversè laniata ſeduló recurare. Ergo paſſim proſtrati ſolo primùm fatigatos animos recuperare , ac dehinc vulneribus medelas varias adhibere feſtinant. hic cruorem præterfluentis aquæ rore diluere ; ille [3] ſpongiis madidatis tumores comprimere ; alius faſciolis hiantes vincire plagas. Ad iſtum modum ſaluti ſuæ quiſque conſulebat. Intereà

INTERPRETATIO.

ſuæ uxoris clamabat altiori voce : Quare irruitis tam ſævo impetu in nos *miſeros homines , & viatores ærumnoſos , & quare opprimitis* nos ? *quænam furta timetis ? Num* intulimus vobis aliqua *damna , quæ ſic ulciſcamini ? At non habitatis in cavernis belluarum , neque in rupibus barbarorum , ut delectemini effundere humanum ſanguinem. Vix ea dixerat , cùm repentè denſa grando ſaxorum ceſſavit , & canes revocati repreſſerunt ſævum impetum. Poſtremò unus ex* illâ turbâ ruſticorum *hæc ait ex ſupremo faſtigio cupreſsûs : Nos verò* non facimus hæc *prædandi causâ , & deſiderio veſtrorum ſpoliorum, verùm propulſamus* à nobis *hanc ipſam ſtragem ,* quam metuebamus *à veſtris manibus. Poſtremo , poteſtis nunc abire tuti , & in pace quietâ. Ille hæc dixit. nos verò ingredimur reliquum iter , læſi in variis* partibus *corporis , reportantes* nobiſcum *alii plagas ſaxorum , alii morſionum , omnes tamen vulnerati. Aliquo demùm ſpatio itineris decurſo , devenimus ad quemdam lucum complantatum altis arboribus , & gratum ob viridaria latè aperta. in quo placuit illis noſtris ductoribus tantiſper quieſcere ſumendi cibi causâ , & reficere quàm optimè poſſent corpora ſua lacerata variis partibus. Jacentes igitur humi hinc inde ,* incipiunt *primò reſumere ſpiritus feſſos , deinde verò properant applicare diverſa remedia ſuis plagis. hic abluebat ſanguinem liquore aquæ præterlabentis ; ille comprimebat tubera* ſua *ſpongiis madefactis ; alius colligabat tæniis vulnera aperta. Sic unuſquiſque providebat ſuæ ſaluti. Inte-*

NOTÆ.

1. *Quas prædas metuitis ?*] Alii , *quas prædas munitis*, quod eſſet *deffenditis , propulſatis. Præda* non rem modò prædatione raptam , ſed & ipſam prædationem ſignificat , ut hîc.

2. *Hanc ipſam cladem*] Latrocinium.

3. *Spongiis madidatis.*] *Spongia* (inquit Celſus) *quocumque modo impoſita eſt dum madet , prodeſt.* Schopp. legit *inacidatis*, quod exponit *aceto tinctis.* Sed placet magis ſcripta lectio. Ad flumen enim ſedebant , ubi aqua madefaciendis ſpongiis ſuppetebat , at non item acetum.

quidam ſenex de ſummo colle proſpectat, quem circùm capellæ paſcentes opilionem eſſe, profectò clamabant. Eum rogavit unus è noſtris, haberétne vænui [1] lacte, vel adhuc liquidum, vel in caſeum recentem incoactum? At ille, diu capite quaſſanti, Vos autem, inquit, de cibo, vel poculo, vel omninò ullâ refectione nunc cogitatis? an nulli ſcitis [2] quo loco conſederitis? Et cum dicto, conductis oviculis, converſus longè receſſit. Quæ vox ejus & fuga paſtoribus noſtris non mediocrem pavorem incuſſit. Ac dum perterriti de loci qualitate ſciſcitari geſtiunt, nec eſt qui doceat; ſenex alius, magnus ille quidem, gravatus annis, totuſque in baculum pronus, & laſſum trahens veſtigium, ubertim lacrymans, per viam proximat: viſiſque nobis, cum fletu maximo ſingulorum juvenum genua contingens, ſic adorat: Per Fortunas, veſtroſque Genios, ſic ad meæ ſenectutis ſpatia validi lætique veniatis, [3] decepto ſeni ſubſiſtite, meumque parvulum ab Inferis ereptum canis meis reddite. Nepos namque meus, & itineris hujus ſuavis comes, dum fortè paſſerem incantantem ſepiculæ conſectatur arripere; delapſus in proximam foveam, quæ fruticibus imis ſub-

INTERPRETATIO.

rim ſenex quidam (quem capræ circà ipſum paſcentes manifeſtè profectò indicabant eſſe paſtorem) proſpicit ex jugo collis. Unus ex noſtris quæſivit ab ipſo an haberet lac venale, ſive liquidum, ſive etiam coagulatum in caſeum recentem? Sed ille, diu concutiens caput, ait: Vos verò nunc cogitatis de cibo, aut potu, aut de ullâ prorſus recreatione? An ignoratis penitùs in quem locum deveneritis? Et, hoc dicto, avertit ſe, & procul abſceſſit agens oves ſuas. Quæ verba & diſceſſio ejus injecerunt noſtris paſtoribus metum non parvum. Et dum ipſi *paventes cupiunt inquirere qualis eſſet ille locus, neque ullus eſt qui doceat; alius ſenex procerus quidem, confectus ſenio, totus incumbens ſcipioni, trahenſque feſſum gradum, accedit ad nos per iter, plorans abundanter: & conſpicatus nos, prehendit genua uniuſcujuſque ex illis juvenibus cum uberibus lacrymis, & ſic affatur* eos: *Oro vos per* veſtras *Fortunas, & veſtros Genios, ſic perveniatis firmi atque hilares uſque ad annos meæ ſenectæ, ſuccurrite ſeni debili, & retrahite ex Averno meum parvulum, ac reſtituite* eum *meæ ſenectæ. Namque meus nepos & dulcis ſocius in hoc itinere, dum fortè conatur capere paſſerem canentem in parvâ ſepe, cecidit in ſtrobem proximam, quæ ſubja-*

NOTÆ.

1. *Lacte.*] Veteres *hoc lacte* dixerunt in recto caſu, proindéque in quarto. Plaut. Menæchmis, Act. 5. Scen. 9.

Neque aqua aquæ, neque lacte eſt lacti, crede mihi,
Uſquam ſimilius, &c.

2. *Quo loco conſederitis.*] Virgil.

——— *an neſcis quorum conſederis arvis.*

3. *Decepto ſeni.*] Non *deluſo*, aut *falſo*, ſed *orbato*. Auſonius;

Torqueo deceptos ego vitâ cælibe canos.

Virgil. Æneid. 4.

Poſtquam primus amor deceptam morte fefellit.

In quibuſdam legitur *decrepito*, quod ferri poteſt. Magis placet Brantii conjectura *defecto ſeni*. Mox enim: *ſed per corporis, ut videtis, mei defectam valetudinem opitulari nequeam.*

patet, in extremo jam vitæ conſiſtit periculo: quippe cùm de fletu ac voce ipſius, avum ſibi ſæpiculè clamitantis, vivere illum quidem ſentiam, ſed per corporis, ut videtis, mei defectam valetudinem opitulari nequeam. At vobis ætatis & roboris beneficio facile eſt ſuppetiari miſerrimo ſeni, puerumque illum noviſſimum ſucceſſionis meæ, atque unicam ſtirpem, ſoſpitem mihi facere. Sic deprecantis, ſuamque canitiem diſtrahentis, totos quidem miſeruit. Sed unus, præ cæteris & animo fortior, & ætate juvenior, & corpore validior, quique ſolus præter alios incolumis prœlium ſuperius evaſerat, exurgit alacer: & percontatus quonam loci puer ille decidiſſet, monſtrantem digito non longè frutices horridos ſenem illum impigrè comitatur. Ac dum pabulo noſtro, ſuâque curâ refecti, ſarcinulis quiſque ſumptis ſuis viam capeſſunt; clamore primùm nominatim cientes illum juvenem frequenter inclamant: mox morâ diutinâ commoti, mittunt è ſuis arceſſitorem unum, qui requiſitum comitem tempeſtivæ viæ commonefactum reduceret. At ille modicùm commoratus, refert ſeſe: buxanti pallore trepidus, mira ſuper conſervo ſuo renuntiat. Conſpicatum ſe quippe, ſupinato illi, & jam ex maximâ parte conſumpto immanem draconem mandentem inſiſtere: nec ullum uſquam miſerrimum ſenem comparere illum. Quâ re cognitâ, & cum [1] paſtoris ſermone collatâ, qui eum prorsùs [2] hunc illum, nec alium locorum inquilinum

INTERPRETATIO.

cet arbuſtis infimis, & jam poſitus eſt in ultimo diſcrimine vitæ: cùm nempè cognoſcam equidem *ex ejulatu & clamore ipſius, ſæpius vocantis avum, eum* adhuc *vivere, ſed non poſſim* ei *auxiliari propter infirmam valetudinem mei corporis, quemadmodum cernitis. Vobis verò facile eſt propter juventutem & vigorem veſtrum, opem ferre ſeni infeliciſſimo, & mihi ſervare illum puerum, ultimum meum ſucceſſorem, & unicam meam prolem. Omnes quidem miſeriti ſunt ipſius ſupplicantis, & vellentis ſuos canos. At unus animo audacior cæteris, & junior ætate, & robuſtior corpore, & qui unus ex omnibus exceſſerat illæſus ex pugnâ præcedenti, ſurgit promptus: & ſciſcitatus in quem locum ille puer eſſet delapſus, comitatur alacriter ſenem illum, qui digito oſtendebat non procul* inde *dumos horrentes* ſpinis. *Cúmque* nos *noſtro pabulo*, illi verò *ſuâ curâ refocillati, captis quiſque ſuis ſarcinis, reſumeremus iter; primò vocant ſæpiùs ſuis clamoribus illum juvenem, appellantes eum nomine proprio: deinde territi longiori retardatione ipſius, mittunt ad eum evocandum unum ex ſuis, qui inveſtigaret illum ſocium, moneretque* ipſum *tempus eſſe proficiſcendi, & reduceret* eum ſecum. *Ille verò revertitur poſt brevem moram:* & *trepidans ac pallidus inſtar buxi, refert admiranda de ſuo conſervo. Se nimirùm vidiſſe enormem draconem illi proſtrato, & jam comeſo maximâ ſui parte, incumbentem, & depaſcentem* eum; *neque miſerrimum illum ſenem apparere ullo in loco. Quo audito, & collato cum verbis upilionis, qui proculdubio minis* ſuis *præmonebat* eos *de illo ipſo incolâ ejus regionis, non de alio; auſu-*

NOTÆ.

1. *Paſtoris.* Senis illius de ſummo colle proſpectantis, quem circùm capellæ paſcentes opilionem eſſe clamabant.

2. *Hunc, &c. locorum inquilinum.*] Draconem illum.

[1] præminabatur, peſtilenti deſertâ regione, velociori ſe fugâ proripiunt: noſque pellunt, crebris tundentes fuſtibus. Celerrimè denique longo itinere confecto, pagum quemdam accedimus: ibíque totam perquieſcimus noctem. Ubi compertum facinus, oppidò memorabile, narrare cupido. Servus quidam, cui cunctam familiæ tutelam dominus commiſerat ſuus, quique poſſeſſionem maximam, illam in quam diverteramus, villicabat, habens ex eodem famulitio conſervam conjugem, liberæ cujuſdam extraneæque mulieris flagrabat cupidine. Quo dolore pellicatûs uxor ejus inſtricta, cunctas mariti rationes, & quidquid horreo reconditum continebatur, admoto combuſſit igne. Nec tali damno tori ſui contumeliam vindicâſſe contenta, [2] jam contra ſua ſæviens viſcera, laqueum ſibi nectit, infantulumque, quem de eodem marito jam dudum ſuſceperat, eodem funiculo nectit: ſéque in præaltiſſimum puteum, appendicem parvulum trahens, præcipitat. Quam mortem dominus eorum ægerrimè ſuſtinens, arreptum ſervulum, qui cauſam tanti ſceleris uxori ſuæ præſtiterat, nudum, ac totum melle perlitum, firmiter alligavit arbori ficulneæ: cujus in ipſo carioſo ſti-

Interpretatio.

giunt quàm celerrimè, deſerentes illa loca mortifera: & agunt nos, pulſantes ictibus baculorum ſæpiùs repetitis. Peragratâ demùm velociſſimè longâ viâ, venimus ad quemdam vicum, ubi requieſcimus per totam noctem. Animus mihi eſt *referre ſcelus valdè memorandum, quod illic audivi. Quidam ſervus, cui herus ſuus crediderat cuſtodiam totius familiæ, quique erat villicus illius ampliſſimæ villæ, in quam nos receperamus, cùm haberet uxorem conſervam ex eodem ſervitio, ardebat amore cujuſdam fœminæ liberæ, & extraneæ. Ob quem adulterinum amorem uxor ejus ſtimulata zelotypiâ, ſuppoſitis flammis cremavit omnes* tabulas *rationum ſui mariti, & omnia quæ condita aſſervabantur in apothecâ. Neque contenta ſe ultam eſſe illâ jacturâ injuriam ſui thalami, jam armata in propria viſcera, alligat ſibi funiculum, & alligat eodem funiculo parvum infantem, quem pepererat jam pridem ex eodem viro; & dat ſe præcipitem in puteum profundiſſimum, trahens* ſecum *puerum* ſibi *appenſum. Quam mortem cùm herus eorum graviſſimè ferret, apprehendit ſervum, qui præbuerat ſuæ conjugi cauſam* perpetrandi *tam diri facinoris, & firmiter alligavit* eum *nudum, ac totum unctum melle, ad ficum arborem, in cujus caudice putrido ni-*

Notæ.

1. *Præminabatur.*] Cùm rogantibus an lac haberet vænale, reſpondit, *an nulli ſcitis quo loco conſederitis?*

2. *Jam contra ſua ſæviens viſcera.*] Filii paſſim dicuntur parentum viſcera. Ovid. Metamorphoſ. lib. 6. de Tereo filii artus comedente.

——— *inque ſuam ſua viſcera congerit alvum.*

Sæviens.] Ex zelotypiâ, quæ affectio impotentiſſima eſt in muliere. Seneca, in Hercule furente:

O quàm cruentus fœminas ſtimulat dolor,
Cùm patuit una pellici & nupta domus!
Scylla, aut Charybdis Sicula contorquens freta
Minùs timenda eſt: nulla non melior fera.

pite inhabitantium formicarum nidificia [1] burriebant, & ultrò citróque commeabant [2] multijugâ ſcaturigine. Quæ ſimul dulcem ac mellitum corporis nidorem perſentiſcunt, parvis quidem, ſed numeroſis & continuis morſiunculis penitùs inhærentes, per longi temporis cruciatum ita, carnibus atque ipſis viſceribus adeſis, homine conſumpto, membra nudârunt: [3] ut oſſa tamen viduata pulpis, nitore nimio candentia, funeſtæ cohærerent arbori. Hac quoque deteſtabili deſertâ manſione, paganos in ſummo luctu relinquentes, rursùm pergimus: diéque toto campeſtres emenſi vias, civitatem quamdam populoſam & nobilem jam feſſi pervenimus. Inibi Larem ſedeſque perpetuas paſtores illi ſtatuere decernunt, quòd & longè quæſituris firmæ latebræ viderentur, & annonæ copioſæ [4] beata celebritas invitabat. Triduo denique jumentorum refectis corporibus, quo [5] vendibiliores videremur, ad mercatum producimur: magnâque voce præconis pretia ſingulis nuntiantis, equi atque alii aſini opulentis emptoribus præſtinantur. At me relictum ſolum ac ſubſicivum cum faſtidio plerique præteribant.

INTERPRETATIO.

di formicarum inhabitantium fervebant, quæ *huc illuc ibant & redibant prodeuntes ex multis locis. Quæ ubi primùm ſenſerunt dulcem & mellitum odorem corporis* ſervi illius, *affixæ prorsùs* in ipſum *morſibus exiguis quidem, ſed plurimis, & aſſiduis, ita ſpoliârunt* ejus *artus per tormentum diutini temporis, comeſis carnibus, ipſiſque viſceribus, perеſoque toto homine; ut tamen oſſa adhærerent* adhuc *infauſtæ arbori, nudata, & albicantia magno candore. Relictâ quoque hac execrandâ habitatione, damus nos iterùm viæ, relictis ruſticis in maximo mœrore. Cúmque toto die inceſſiſſemus per itinera plana, devenimus jam laſſi in quamdam urbem frequentem incolis, & inclytam. Illi paſtores ſtatuunt figere in eâ domicilium ſuum, habitationemque ſempiternam, quoniam* ea urbs *videbatur* futura ipſis *tutum latibulum adverſus* eos, qui *inveſtigaturi* eſſent ipſos, *ex remotâ regione, & felix copia rei frumentariæ* in eâ *abundantis alliciebat* ipſos. *Denique recreatis corporibus jumentorum per tres dies, ut videremur faciliùs vendendi, deducimur ad forum: &, præcone indicante pretium uniuſcujuſque vaſto clamore, equi & aſini reliqui emuntur à divitibus mercatoribus. Ego verò ſolus relictus ac reſiduus prætermittebar à pleriſque cum contemptu.*

NOTÆ.

1. *Burriebant.*] Vocabulum (ſi ſincera ſit lectio) inſolens, & novè fictum ad exprimendam trepidationem illam, & concurſationem, quæ videtur in formicarum nidificiis. Beroaldus ſcriptum vult *bulliebant.* In Ms. Oxon. Pricæus legi ait *aberrabant*: unde conjicit *oberrabant*: quòd in *burriebant* corruptum fuerit.

2. *Multijugâ ſcaturigine.*] *Scaturiginem* de formicis è terrâ erumpentibus dicit eâdem metaphorâ, quâ lib. 6. de iiſdem dixit: *ruunt aliæ, ſuperque aliæ ſepedum populorum undæ.*

3. *Ut oſſa tamen.*] Meliùs legas, *ut oſſa tantùm*, quam lectionem firmat Pricæus duobus Mſs. Codd.

4. *Beata celebritas.*] *Celebritatem* interpretor hîc *frequentiam & copiam.* Pricæus & VVovver. habent *crebritas*, quod in idem recidit.

5. *Vendibiliores.*] Sic Florent. VVov. *vanui cariores.*

Jámque tædio contrectationis eorum, qui [1] de dentibus meis ætatem computabant, manum cujuſdam fœtore ſordentem, qui gingivas identidem meas putridis ſcalpebat digitis, mordicùs arreptam peniſſimè contrivi. Quæ res circumſtantium ab emptione meâ, utpote ferociſſimi, deterruit animos. Tunc præco diruptis faucibus, & raucâ voce ſaucius, in meas fortunas ridiculos conſtruebat jocos: Quem ad finem cantherium iſtum vænui fruſtrà ſubjiciemus, & vetulum, extritis ungulis debilem, & colore deformem, & in hebeti pigritiâ ferocem, nec quidquam ampliùs quàm [2] ruderarium cribrum? Quare vel donemus eum cuipiam, ſi qui tamen fœnum ſuum perdere non gravatur. Ad iſtum modum præco ille cachinnos circumſtantibus commovebat. Sed illa Fortuna mea ſæviſſima, quam per tot regiones jam fugiens effugere, vel præcedentibus malis placare non potui, rurſùm in me [3] cæcos detorſit oculos: & emptorem aptiſſimum duris meis caſibus mirè repertum objecit. ſcitote qualem. cinædum ſenem; calvum quidem, ſed cincinnis ſemicanis & pendulis capillatum: unum de

Interpretatio.

*Cúmque jam me tæderet contrectari ab illis, qui numerabant meos annos in*ſpectione *dentium, apprehendi dentibus manum putentem & ſordidam cujuſdam, qui frequenter ſcabebat meas gingivas ſuis putribus digitis; & eam ferè omninò comminui. Quod factum avertit animos adſtantium à me emendo, quippe qui eſſem nimis ferus. Tunc ille præco ægrè rupto gutture & raucâ voce, jactabat ridiculas cavillationes in meam ſortem: Quouſque* (aiebat) *exponemus incaſsùm venditioni aſinum hunc vilem, & veterem, infirmum detritis ungulis, & turpem colore, & ferocientem etiam in ſegnitie ſuâ ſtupidâ, quique jam* idoneus eſt *ſolùm* faciendo *cribro rudeario? Quapropter demus certè eum alicui, ſi quis tamen* eſt, qui *velit perdere ſuum fœnum. Sic ille præco excitabat riſum circumſtantibus. Verùm illa crudeliſſima Fortuna mea, quam non potueram evitare, tametſi jam fugiſſem per tot loca, neque reddere mitiorem meis prioribus ærumnis, deflexit iterùm in me ſuos oculos cæcos, & obtulit emptorem miro caſu inventum, maximè congruentem meis calamitatibus. Audite qualis* erat. *Cinædus vetulus; calvus quidem, ſed comatus tantùm* aliquot *dependentibus capillis criſpis ex parte caneſcentibus;*

Notæ.

1. De *dentibus noſtris ætatem, &c.*] Plin. lib. 11. cap. 37. *Ætas veterinorum dentibus indicatur. Equo ſunt numero XL. Amittit triceſimo menſe primores utrinque binos: ſequenti anno totidem proximos, cùm ſubeunt dicti columellares. Quinto anno incipiente binos amittit, qui ſexto anno renaſcuntur. Septimo omnes habet & renatos, & immutabiles. Equo caſtrato priùs, non decidunt dentes. Aſinorum genus triceſimo menſe ſimiliter amittit, deinde ſenis menſibus, &c.*

2. *Ruderarium cribrum.*] Cujus corium tot ac tam latis foraminibus hiat, ut cribrum duntaxat ex eo fieri poſſit, illudque non frumentarium, ſed ruderarium, quo rudus atque arena cribrentur. Ad hunc uſum fabri noſtri hodie vimineas crates ſæpiùs quàm cribra adhibent.

3. *Cæcos detorſit oculos.*] Quibus aut nihil videt, aut tam perverſè videt, ut bona malis, bonis mala decernat.

[1] triviali popularium fæce, qui per plateas & oppida cymbalis [2] & crotalis perſonantes, [3] Deamque Syriam circumferentes [4] mendicare compellunt. Is, nimio præſtinandi ſtudio, præconem rogat cujatis eſſem? At ille [5] Cappadocum me, & ſatis forticulum denuntiat. Rurſùm requirit annos ætatis meæ. Sed præco laſciviens; [6] Mathematicus quidam, qui ſtellas ejus diſpoſuit, quintum ei numeravit annum. Sed ipſe ſcilicet meliùs iſtud [7] de ſuâ novit profeſſione. Quanquam

Interpretatio.

unus ex viliſſimis illis hominibus, qui cogunt Deam Syriam mendicare, circumgeſtantes eam *per vicos & urbes, ſtrepentes cymbalis & crotalis. Ille mirè cupiens me emere, quærit ex præcone ex quâ regione eſſem? Ille verò dicit me eſſe ex Cappadociâ, & ſatis validum. Rogat iterùm quot annos natus eſſem. Verùm præco cavillans* reſpondet: *Quidam Genethliacus, qui compoſuit thema ejus nativitatis, dixit eum habere quinque annos. Sed ipſe ſcilicet ſcit hoc meliùs ex tabulis ſuorum natalium.*

Notæ.

1. *De triviali popularium fæce, qui per plateas, &c.*] Gallos intelligit, Deæ Syriæ, ſive Cybeles Sacerdotes, viliſſima hominum mendicabula. μηβαγύρ. à Græcis dicuntur.

2. *Et crotalis.*] ἀπὸ τοῦ κρότου, quod plauſum & ſtrepitum ſignificat, κρόταλον *crepitaculum*, de cujus formâ variæ ſunt ſententiæ. Vide Cœl. Rhodig. lib. 10. cap. 44.

3. *Deamque Syriam.*] Unam eamdemque fuiſſe Rheam, Cybelen, & Deam Syriam probat tum ritus Sacrorum idem, tùm etiam quæ de Deæ Syriæ ſimulachro, turritoque ejus capite Lucianus refert in *de Deâ Syriâ*, quem vide. Libro tamen ſequente Deam Syriam matris Deûm ſororem facit Noſter. Sed vero ſimilius eſt eamdem eſſe quæ diuerſis locis ſub diverſis nominibus coleretur.

4. *Mendicare compellunt.*] Lucianus: καὶ τὴν θεὸν ἐπαιτεῖν ἀναγκαζόντων, ex quo hæc ad verbum deſumpta ſunt. Tertullianus, in Apologet. *circuit cauponas mendicans religio.* Minutius, in Octavio: *mendicantes vicatim Deos ducunt.*

5. *Cappadocum me.*] *Cappadocus* etiam apud Martialem, lib. 10.

Nec de Cappadocis eques cataſtis.

Varro lib. 2. *de re ruſticâ*, ait, nobiles eſſe in Græciâ aſinos Arcadicos, in Italiâ Reatinos: aſinorum verò Cappadociæ nulla præter cæteros fama. Equorum quidem ante alias altricem, & proventui equino accommodatiſſimam Cappadociam ait Solinus *in Polyhiſtore*, cap. 47. Sed præco jocans Cappadocem dixit, de eo loquens, ut de mancipio, non ut de aſino. Mox enim: *quin emis bonum & frugi mancipium.* Porrò inter mancipia celebrati fuere ſervi Cappadoces. Unde Perſius, Sat. 6.

——— ——— *ne ſit præſtantior alter*
Cappadocas rigida pingues plauſiſſe cataſta.

Et Juvenalis, Sat. 7.

Quanquam & Cappadoces faciunt, equiteſque Bithyni
Altera quos nudo traducit Galliæ (Gallogræcia) *talo.*

6. *Mathematicus quidam.*] Hæc omnia, & quæ ſequuntur, per jocum, tanquam de homine dicuntur.

7. *De ſuâ novit profeſſione.*] Profeſſione natali, id eſt, tabulis, quibus natum eum ſibi profeſſus eſt ejus pater apud acta. Vel etiam profeſſione cenſuali, quâ ipſe cenſum, patrimonium, & ætatem ſuam apud Cenſores fuerat profeſſus. Leg. 6. Cod. *de Fide inſtrumentorum, & amiſſione eorum*, &c. *ſtatum tuum natali profeſſione perditâ mutilatum non eſſe certi juris eſt.* Ad quam legem vide Gothofredi Notas.

enim

enim prudens crimen [1] Corneliæ legis incurram, [2] ſi civem Romanum pro ſervo tibi vendidero; quin emis bonum & frugi mancipium, quod te & foris & domi poterit juvare? Sed exinde, odioſus emptor, aliud de alio non deſinit quærere. denique de manſuetudine etiam meâ percontatur anxiè. At præco, Vervecem, inquit, non aſinum vides, ad uſus omnes quietum, non mordacem, nec calcitronem quidem; ſed prorsùs ut in aſini corio modeſtum hominem inhabitare credas. Quæ res cognitu non ardua. nam ſi faciem tuam mediis ejus feminibus immiſeris, facilè periclitaberis, videns quàm grandem tibi demonſtret patientiam. Sic præco [3] lurconem [4] tractabat dicaculè. Sed ille, cognito cavillatu, ſimilis indignanti: At te, inquit, cadaver ſurdum & mutum, delirumque præconem, omnipotens & [5] omniparens Dea Syria, [6] & ſanctus Sabazius, & [7] Bellona, & [8] mater Idæa, cum ſuo

INTERPRETATIO.

Quamvis enim ſciens committam ſcelus adverſus legem Corneliam, ſi tibi vendam civem Romanum pro mancipio; eme tamen, meo periculo, *ſervum bonum & frugi qui poterit eſſe tibi utilis & foris & domi. Verùm moleſtus ille emptor non ceſſat rogare aliud ex alio. Poſtremò inquirit etiam ſollicitè an eſſem mitis. Præco autem: Vides, inquit, non aſinum, ſed vervecem placidum ad qualibet munia, non petentem morſibus, neque calcitrantem; ſed* talem *planè, ut putes moderatum hominem latere ſub pelle aſininâ. Quod non eſt difficile compertu. facilè enim experieris, ſi interpoſueris vultum tuum inter medias coxas ejus;* quo facto, *cernes quantam exhibebit tibi patientiam. Sic ille præco cavillabatur helluonem illum. At ipſe, agnito joco, indignabundus ait: At Dea Syria omnipotens, & mater omnium* rerum. *Deuſque Sabazius, & Bellona, &* Magna *mater Idæ* montis, *& Domina Venus cum ſuo Adonide te exoculent, cada-*

NOTÆ.

1. *Corneliæ legis.*] Meminerunt Juriſconſulti legum Corneliarum de Falſis, de Sicariis, & Veneficis, &c. quæ omnes à latore ſuo Cornelio Syllâ, Corneliæ dictæ ſunt. Sed legis Corneliæ pœnam in illum ſancientis, qui liberum hominem pro ſervo vendiderit, nulla apud eos mentio. Eſt quidem Lex Fabia, de Plagiariis, de quâ jam lib. 6. ſed Cornelia nulla hujus argumenti: niſi dicamus reſpexiſſe Apuleium ad Legem Corneliam de Falſis, quatenus agit de partu ſuppoſito. Extat hæc lib. 9. Cod. Tit. 22. cujus Tituli prima Lex huc facit, quemadmodum & L. 30. §. 1. ff. *ad Legem Corneliam de Falſis.*

2. *Si civem Romanum.*] Eodem joco quo ſuprà: *de ſuâ novit profeſſione.* Natalium enim profeſſione probatur ingenuitas.

3. *Lurconem.*] Nonius: *Lurcones dicti ſunt à lurcando. Lurcare eſt cum aviditate cibum ſumere. Pomponius, Syris: lapatium nullum veſcebatur, lardum vorabat libens. Lucil. Satyr. lib. 5.*

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres.

4. *Tractabat dicaculè.*] Appoſitè *tractabat.* Sic Terent. Heautontim. Act. 2. Scen. 3. *hac arte tractabat virum.*

5. *Omniparens Dea Syria.*] Vel hinc patet Deam Syriam eamdem eſſe quæ Cybele & Tellus, quam omniparentem dixerunt, quòd omnia gignat producatque.

6. *Et ſanctus Sabacius.*] Seu potiùs *Sabazius.* Σαβάζιος, ut legitur apud Suidam, & alios, Bacchus eſt. Sic dictus

Adone Venus domina, cæcum reddant: qui ſcurrilibus jam dudum contra me velitaris jocis. An me putas, inepte, jumento fero poſſe Deam committere, ut turbatum repentè divinum dejiciat ſimulachrum, egóque miſer cogar crinibus diſſolutis diſcurrere, & Deæ meæ humi jacenti [1] aliquem medicum quærere? Accepto tali ſermone cogitabam ſubitò velut lymphaticus exilire; ut, me ferocitate cernens exaſperatum, emptionem deſineret. Sed prævenit cogitatum meum emptor anxius, pretio depenſo ſtatim, quod quidem gaudens dominus, ſcilicet tædio mei, facilè ſuſcepit, ſeptemdecim denariûm: & illicò me [2] tumiclâ ſparteâ deligatum tradidit Philebo. hoc enim nomine cenſebatur jam meus dominus. At ille ſuſceptum novitium famulum trahebat ad domum, ſtatimque illinc de primo limine proclamat:

INTERPRETATIO.

ver ſurdum ac mutum, præco inſane, qui jam dudum jactas in me ridicula dicta. Credis-ne, ô ſtulte, me poſſe imponere Deam aſino feroci, qui commotus deturbet ſubitò imaginem divinam, atque ego infelix cogar diſcurrere paſſis capillis, & quærere qui medeatur meæ Deæ ſtratæ humi? Ego, auditâ illâ oratione, meditabar ſaltare repentè tanquam furibundus; ut ipſe videns me exacerbatum feritate, deſiſteret ab emendo. Sed emptor ille mihi *inhians antevertit meum conſilium perſoluto ſtatim pretio ſeptemdecim denariorum, quod dominus meus gaudens accepit libenter, nimirùm faſtidio mei: & è veſtigio ligatum me funiculo junceo dat Philebo, namque hoc erat nomen mei novi domini. Ille verò accipiens me novum mancipium ducebat in* ſuas *ædes, & ſtatim exclamat exinde ab ipſo oſtio:*

NOTÆ.

ἀπὸ τοῦ σαβάζειν, quod eſt *bacchari.* Quanquam non deſunt qui ipſum Bacchi filium faciant. Quin & Orpheus, in Hymno in Sabazium, dicit eum Saturni filium fuiſſe, ejuſque operâ Bacchum, incensâ Semele, Jovis femori fuiſſe inſutum. Strabo lib. 10. ſacra ejus Magnæ Matris ſacris ſimilia fuiſſe ait, atque eaſdem acclamationes in iis adhiberi ſolitas. Καὶ ἐπιφθεγγόμενον εὐοῖ, σαβοῖ, ὕης, ἄττης, καὶ ἄττης ὕης, ταῦτα γάρ ἐστι σαβάζια, καὶ μητρῷα. *Et clamantem evoë, ſaboë, hyes, attes, & attes hyes: eadem enim Sabazii, & Magnæ Matris ſacra ſunt.*

7. *Bellona.*] Cujus Sacra & Sacerdotes eoſdem fuiſſe qui Matris Deorum innuit Juvenalis Sat. 6.

Bellonæ Matriſque Deûm chorus intrat, & ingens
Semivir, &c.

Itaque Bellona, & Mater Idæa, & Venus Domina, de quâ mox, & Dea Syria cognata ſunt Numina, vel potiùs varia unius ejuſdemque Deæ nomina.

8. *Mater Idæa.*] Cybele. Ab Idâ monte Phrygiæ, in quo præcipuè colebatur.

1. *Aliquem medicum quærere.*] Qui ipſam erigat, aut fractam reparet.

2. *Tumiclâ ſparteâ.*] Funiculo junceo. Spartum junci genus eſt reſtibus conficiendis, aliiſque operibus permultis aptum. Hiſpanicum præſtat cæteris apud Vitruv. *Tumicla* porrò pro *tumicula*, ſeu *thomicula*, diminutivum eſt à *thomice*. Feſtus: *Thomices Græco nomine appellantur cannabi impoſito & ſparto leniter tortæ reſtes, ex quibus funes fiunt. Pulvilli quoque quos in collo habent* (jumenta ſcilicet) *ne à reſtibus lædantur thomices vocantur.* Poſſet etiam hîc legi *tomicâ ſparteâ.* Vitruv. lib. 7. cap. 3. *Mataxa, & tomica ex ſparto Hiſpanico.*

Puellæ, ſervum vobis pulcellum en ecce mercatus perduxi. Sed illæ puellæ chorus erat cinædorum, quæ ſtatim exultantes in gaudium, fractâ, raucâ, & effœminatâ voce clamores abſonos intollunt: ratæ ſcilicet verè quempiam hominem ſervulum miniſterio ſuo paratum. Sed poſtquàm non [1] cervam pro virgine, ſed aſinum pro homine [2] ſuccidaneum vidêre; nare detortâ magiſtrum ſuum variè cavillantur. * * * * * * * * * * * * * * * * * *

Hæc & hujuſmodi mutuò blatterantes, præſepio me proximo deligant. Erat quidam juvenis ſatis corpulentus, [3] ceraula doctiſſimus, [4] collatitiâ ſtipe [5] de mensâ paratus: qui foris quidem circumgeſtantibus Deam [6] cornu canens adambulabat. * * * * * * * * * * *

INTERPRETATIO.

Heus, puellæ, emi vobis bellum famulum, quem huc *adduxi. Verùm illæ puellæ nihil aliud erant quàm turba cinædorum, qui repentè geſtientes lætitiâ, extollunt clamores incompoſitos voce infractâ, raucâ, & effœminatâ, credentes nempè reverà eſſe aliquem hominem ſervum deſtinatum ſuo famulatui. Sed ubi viderunt non cervam pro puellâ, ſed aſinum ſuppoſitum pro homine, torquentes naſum, laceſſunt magiſtrum ſuum variis jocis,* * * * * * * * * * * * * * * *

* * * * * * * * * * * * * * *

Clamitantes inter ſe hæc, & ſimilia, alligant me ad præſepe proximum. Erat quidam juvenis corpore admodum vaſto peritiſſimus cornicen, quem pecuniâ ſibi *erogatâ emerant de lapide. Hic antecedebat eos, canens lituo corneo, dum circumferrent Deam foris.* * * * * * * * * * * * * * * * * *

NOTÆ.

1. *Non cervam pro virgine.*] Ut in Græcorum ſacrificio, apud Aulidem, in quo Diana cervam pro Iphigeniâ ſuppoſuit.

2. *Succidaneum.*] *Subditum.* Succidaneæ hoſtiæ, quæ ſuccedebant primis, & cædebantur, cùm illis non fuerat litatum.

3. *Ceraula.*] Polluci κεραύλης, *cornicen.* Noſter, lib. 1. Florid. *nihil æquè ſe laborare, & animo angi & mente dicebat, quàm quod monumentarii ceraulæ tibicines dicerentur.*

4. *Collatitiâ ſtipe.*] An quam Galli ſinguli ex ſuo peculio in commune contulerant? An, verò quam contulerant ipſis populi? hoc placet magis.

5. *De mensâ paratus.*] An emptus apud menſularium? Hujuſmodi enim trapezitis non pecuniam modò ſuam locandam, ſed & res ſuas vendendas dabant. An qui ad menſam eſſet τῆς πόσεως περὶ τὰ συμπόσια παρασκευῆς ἐπιμελούμενος, ut interpretatur Scieke-rardus? An verò de lapide emptus, ut apud Ciceronem, Orat. in Piſonem: *duos de lapide emptos?* Certè πρατὴρ λίθος, lapis, in quo vænales proſtabant *menſa* etiam dicebatur.

6. *Cornu canens adambulabat.*] Ovid. de Ponto:

Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco
Cùm canit, exiguæ quis ſtipis æra neget?

Hic me, ſimul domi conſpexit, libenter appoſitis largiter cibariis gaudens alloquitur: Veniſti tandem miſerrimi laboris vicarius. ſed diu vivas, & dominis placeas, & meis defectis jam lateribus conſulas. Hæc audiens, jam meas futuras novas cogitabam ærumnas. Die ſequenti variis coloribus induſiati, & deformiter quiſque formati, facie cœnoſo pigmento delitâ, & [1] oculis obunctis graphicè, prodeunt: [2] mitellis, [3] & crocotis, & [4] carbaſinis & bombycinis injecti. Quidam tunicas albas, [5] in modum lanciolarum quoquò verſùm fluente purpurâ depictas cingulo ſubligati, pedes luteis induti calceis, Deamque ſerico contectam amiculo mihi gerendam imponunt: brachiiſque ſuis humero tenùs renudatis, attollentes immanes gladios ac ſecures [6] evantes exſiliunt, incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudium. Nec paucis pererratis caſulis, ad quamdam villam [7] poſſeſſoris beati perveniunt, & ab ingreſſu primo ſtatim abſonis ululatibus conſtrepentes, [8] fanaticè

Interpretatio.

Statim atque ille vidit me domi, apponit mihi ultrò cibos copioſos, & ſic *compellat me lætus: Tandem adveniſti, qui expleres vicem* meam *in obeundo labore ærumnoſiſſimo. At vivas longo tempore, & placeas* noſtris *heris, & provideas meis viribus jam fractis. Dum audirem iſta, jam recogitabam novas miſerias, quas deinceps eram paſſurus. Poſtero die egrediuntur induti veſtibus multorum colorum, & ſinguli reformati in turpes formas, facie oblitâ fuco lutoſo, & oculis pictis eleganter, amicti parvis mitris, &* veſtibus *croceis, & lineis, & ſericis. Quidam* habentes *tunicas candidas pictas purpurâ procurrente in omnes partes inſtar parvarum lancearum, ſubſtrictas zonâ, & pedes indutos calceis crocei coloris, & imponunt mihi Deam ferendam opertam velamine ſerico, & deſpoliatis brachiis ſuis uſque ad humerum, extollenteſque cultros permagnos, & bipennes, ſaltant* quaſi *bacchantes, cantu tibiæ excitante veſanam choream. Et cùm jam circumiviſſent multa tuguria, accedunt ad villam opulenti domini, & vociferantes clamoribus incompoſitis, ſtatim à primo limine, irrumpunt fu-*

Notæ.

1. *Oculis obunctis graphicè.*] Palpebris pictis. *Graphicè* γραφικῶς, *accuratè, & ad unguem. Graphicus homo* in jocularibus.

2. *Mitellis.*] Servius ad Æneid. 4. *Quibus effœminatio crimini dabatur, etiam mitra iis adſcribebatur.*

3. *Et crocotis.*] *Crocota* ſunt tunicæ infectæ croceo colore. *Crocotarii* apud Plautum, Aulularia, Infectores, qui veſtes tingunt colore croceo.

4. *Carbaſinis.*] *Carbaſus* genus eſt lini præcipuæ tenuitatis.

5. *In modum lanciolarum.*] ῥαβδωτοὺς χιτῶνας intelligit. Veſtes erant albæ quidem, ſed diſtinctæ purpurâ in modum lancearum aut virgarum ducta, unde *virgatæ veſtes* dictæ ſunt. Virgil.

Virgatis lucent ſagulis.

6. *Evantes.*] Servius ad Æneid. lib. 6. *Evantes; Bacchantes, à Libero, qui Evan dicitur.*

7. *Poſſeſſoris beati.*] Sic Beroald. & Pricæus ex Mſ. Fux. & Oxon. Vulgò legitur *poſſeſſoris Britini*, nullo ſenſu.

8. *Fanaticè pervolant.*] Ne petitâ quidem domini veniâ, quæ hujuſmodi hominum fuit impudentia vanæ religionis metu nixa. Ovid. lib. 1. de Ponto:

Ecquis ita eſt audax, ut limine cogat abire
Jactantem Phariâ tinnula ſiſtra manu?

pervolant. Diúque capite demiſſo, cervices lubricis intorquentes motibus, [1] crineſque pendulos rotantes in circulum, & nonnunquam morſibus ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferro, quod gerebant, [2] ſua quiſque brachia diſſecant. Inter hæc unus ex illis bacchatur effuſiùs, ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens, velut numinis divino ſpiritu repletus, ſimulabat ſauciam vecordiam; prorsùs [3] quaſi Deûm præſentiâ ſoleant homines [4] non ſui fieri meliores, ſed debiles effici vel ægroti. Specta denique quale cœleſti Providentiâ [5] meritum reportaverit. Infit vaticinatione clamosâ, conficto mendacio, ſemetipſum inceſſere atque criminari, quaſi contra fas ſanctæ religionis [6] deſignâſſet aliquid: & inſuper juſtas pœnas noxii facinoris ipſe de ſuis manibus expoſcere. Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis tæniis lanoſi velleris

Interpretatio.

renter, inclinatoque diu capite, inflectentes collum motibus laſcivis, & agitantes in gyrum capillos pendentes, & aliquando morſibus petentes ſuos lacertos, denique ſinguli diſcindunt ſua brachia gladio utrimque acuto, quem geſtabant. Intereà unus ex illis furit vehementiùs, trahenſque frequentia ſuſpiria ex intimo pectore, quaſi fuiſſet plenus divino afflatu Deæ, fingebat ſe correptum inſaniâ: planè quaſi homines non ſoleant effici meliores ſcipſis præſentiâ Deorum, ſed fieri infirmi, aut ægri. Conſidera demùm qualem mercedem acceperit providentiâ Deorum. Incipit mendacio ficto culpare, & accuſare ſeipſum ſtrepero vaticinio, quaſi commiſiſſet aliquid adverſus leges ſanctæ religionis: & prætereà cœpit *poſtulare à ſuis manibus ſupplicium debitum ſuo ſceleri. Poſtremò ſumpto flagello, quod eſt peculiare geſtamen ejuſmodi effœminatorum hominum, quódque conſtat ex vittis laneis contortis*, pendentibus

Notæ.

Fanaticè.] A *fano*, fanatici qui circa fana, hoc eſt, templa furentes & bacchantes vaticinabantur. ἔνθεοι Græcis, & Cybele ipſa à Catullo *Enthea ta Domina* appellatur, quòd Sacerdotes ſuos ἐνθουσιασμῷ afflet.

1. *Crineſque pendulos rotantes.*] Lucan. lib. 1.

> ——— ——— *crinemque rotantes*
> *Sanguinei populis cecinerunt triſtia Galli.*

Servius, ad lib. 10. Æneid. *Mater Deûm dicta Cybele* ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, *quòd ſemper Galli motu capitis per furorem comam rotantes, ululatu futura pronuntiabant.*

2. *Sua quiſque brachia diſſecant.*] Prudentius, in Romani paſſione:

> *Cultrum in lacertos exerit fanaticus,*
> *Sectiſque Matrem brachiis placat Deum.*

Sed hoc fictè magis, & cute tantùm tenùs faciebant, ut innuunt hæc Lampridii in Commodo: *Bellonæ ſervientes verè exſecare brachium præcepit ſtudio crudelitatis*, aliàs ergò fictè exſecabant.

3. *Quaſi Deûm præſentia.*] Ex aliâ lectione *domini præſentia.* Reponebat Pricæus *divini præſentia*, hoc eſt, *præſentia*, τοῦ θείου, *numinis.*

4. *Non ſui fieri meliores.*] Commodior ſenſus elici nequit, quam ſi *ſui* pro *ſeipſis* poſitum dicatur. Græciſſat Apuleius. *Sui meliores* ἑαυτῶν κρείττονες.

5. *Meritum.*] Paſſivè intellige, pro eo quod quis meritus eſt: id eſt, pro *mercede*, ut interpretatus ſum.

6. *Deſignâſſet.*] *Perpetrâſſet.* Terent. Adelphis: *Quæ antehac facta ſunt omitto. modò quid deſignavit?*

prolixè fimbriatum, & [1] multijugis talis ovium teſſellatum, indidem ſeſe [2] multinodis commulcat ictibus: mirâ contra plagarum dolores præſumptione munitus. Cerneres, proſectu gladiorum, ictuque flagrorum ſolum ſpurcitie ſanguinis effœminati madeſcere. Quæ res incutiebat mihi non parvam ſollicitudinem, videnti tot vulneribus largiter profuſum cruorem, ne quo caſu [3] Deæ peregrinæ ſtomachus, ut quorumdam hominum [4] lactem, ſic illa [5] ſanguinem concupiſceret aſininum. Sed ubi tandem fatigati, vel certè ſuo laniatu ſatiati, pauſam carnificinæ dedêre; ſtipes æreas, immò verò & argenteas, multis certatim offerentibus, ſinu recepêre patulo: nec-non & vini cadum, & lactem, & caſeos, & farris & ſiliginis aliquid, & nonnullis hordeum Deæ gerulo donantibus, avidis animis corradentes omnia, & in ſacculos huic quæſtui de induſtriâ præparatos farcientes, dorſo meo congerunt: ut duplici ſcilicet ſarcinæ pondere gravatus, &

INTERPRETATIO.

in longas fimbrias, eſtque diſtinctum plurimis aſtragalis ovillis, ipſo incutit ſibi plagas aſperas *ob multos nodos,* quibus flagellum erat diſtinctum, *præmunitus mirâ conſtantiâ adverſus dolorem ictuum. Videres humum tingi cruore ſordido atque effœminato* fluente *ex inciſuris gladiorum, & plagis flagellorum. Quod injiciebat mihi anxietatem non mediocrem, cùm cernerem ſanguinem copiosè effuſum ex tot plagis, ne* ſcilicet *ſtomachus Deæ extraneæ fortè appeteret aſininum ſanguinem, ſicut* ſtomachus *quorumdam hominum* appetit *lac* aſininum. *At poſtquàm feſſi tandem, aut ſaltem ſatiati ſuâ laceratione, finem fecerunt ſuæ laniena; acceperunt expanſo ſinu nummos æreos, atque etiam argenteos, quos multi offerebant ipſis certatim: quinetiam & cadum vini, & lac, & caſeos, & aliquid farinæ hordeaceæ, & triticeæ, cùm aliqui etiam darent hordeum pro vectore Deæ, colligunt omnia cupidiſſimè, & condentes in ſaccos deditâ operâ deſtinatos ejuſmodi mendicationi, imponunt* ea *meo dorſo, adeò ut ego ambularem hor*r*ei ſimul, & fæni* vicem gerens, cùm *nempè* eſſem

NOTÆ.

1. *Multijugis talis ovium teſſelatum.*] ἀστραγαλωτὴ μάστιξ dicitur Plutarcho flagellum illud talis ovium veluti teſſellis diſtinctum. Sic Plutarch. adverſus Colotem: καὶ οὐδ' μάστιγος ἐλευθέρας δεόμενος, ἀλλὰ τῆς ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης ᾗ τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσιν. *& opus habens flagro, non illo quidem quo ingenui caſtigari ſolent, ſed illo talis teſſellato, quo peccantes in Cybeles ſacris Gallos, puniunt.*

2. *Multinodis commulcat ictibus.*] Gloſſæ veteres Pricæo laudatæ: *commulcat, collidit conculcat. Ictibus multinodis,* inflictis nempè flagro ovium talis multis nodoſo. Eſt qui legat *multimodis,* quod ferri etiam poteſt.

3. *Deæ peregrinæ.*] Syriæ, quæ in Græciâ, ubi hæc geſta narrantur, peregrina erat.

4. *Lactem.*] Ex veterum declinatione, apud quos, *hic lactis,* & *hoc lacte* in recto caſu dicebatur. Sunt porro quibus lac aſininum valdè conducit, & ex Medicorum præſcripto datur. Nihil ad rem faciunt quæ hîc de lacte humano & bubulo Beroaldus, qui certè locum hunc parùm intellexit.

5. *Sanguinem concupiſceret aſininum.*] Expreſſa hæc è Luciano: ἐγὼ δὲ ταῦτα ὁρῶν τὰ πρῶτα ἔτρεμον ἑστὼς μήποτε χρεία τῇ θεῷ καὶ ὀνείου αἵματος γένοιτο.

[1] horreum ſimul & templum incederem. Ad iſtum modum palantes, omnem illam deprædabantur regionem. Sed in quodam caſtello, copiâ lætati largioris quæſticuli, gaudiales inſtruunt dapes. A quodam colono [2] fictæ vaticinationis mendacio pinguiſſimum depoſcunt arietem, qui Deam Syriam eſurientem ſuo ſatiaret ſacrificio: probéque diſpoſitâ cœnulâ balneas obeunt, * * * *

* * * * * * * *

* * * * * * * *

* * * * * * * *

Nec diù tale facinus meis oculis tolerantibus, [3] PORRÒ QUIRITES exclamare geſtivi. ſed viduatum cæteris ſyllabis ac litteris proceſſit O tantùm, ſanè clarum ac validum, & aſino proprium, ſed inopportuno planè tempore. Namque de pago proximo complures juvenes, abactum ſibi noctu perquirentes aſellum, nimióque ſtudio cuncta di-

INTERPRETATIO.

onuſtus onere duarum ſarcinarum. Sic errantes graſſabantur per totam illam regionem. Sed exhilarati abundantiâ lucelli uberioris, apparant epulas geniales in quodam caſtello. Conficto falſo oraculo petunt à quodam villico arietem pinguiſſimum, ad ſaturandam ejus immolatione Deam Syriam eſurientem, & cœnâ rectè præparatâ, eunt ad balneum. * * *

* * * * *

* * * * *

* * * *

* * * * *

* * * * *

* * * *

Cúmque mei oculi non poſſent diutiùs ferre tantum flagitium, conatus ſum exclamare! O CIVES! *Verum pronuntiavi tantùm O deſtitutum reliquis ſyllabis ac litteris, ſonorum profectò, & forte, & congruum aſino, ſed tempore omninò incommodo. Multi enim juvenes ex proximo pago, qui inveſtigabant aſinum ſibi* furto *abductum nocte, & rimabantur ſtabula omnia mire deſi-*

NOTÆ.

1. *Horreum ſimul & templum.*] *Horreum* quidem, quia gerebat ſiliginem, & hordeum: *templum* vero, quia Deæ ſimulachrum portabat.

2. *Fictæ vaticinationis mendacio pinguiſſimum depoſcunt arietem.*] Vaticinatione, quâ vel bonum eventum pollicebantur, vel malum comminabantur. Sic ille ſemivir μητραγύρτης apud Juvenalem, Satyr. 6.

Grande ſonat, metuique jubet Septembris & Auſtri
Adventum, niſi ſe centum luſtraverit ovis,
Et Xerampelinas veteres donaverit ipſi:
Ut quidquid ſubiti, & magni diſcriminis inſtat,
In tunicas eat, & totum ſemel expiet annum.

3. *Porrò Quirites.*] Solemnis exclamationis formula. Tertullian. adverſus Valentinianos: *ut etiam inclamaverit in eum* ἰὼ, ἰὼ, *quaſi porrò Quirites, aut fidem Cæſaris.*

verſoria ſcrutantes, [1] intùs ædium: audito ruditu meo, prædam abſconditam latibulis ædium rati, coràm rem invaſuri ſuam, improviſi conferto gradu ſe penetrant: palamque illos, execrandas fœditates obeuntes deprehendunt. Jamjamque vicinos undique percientes, turpiſſimam ſcenam patefaciunt: inſuper ridiculè ſacerdotum puriſſimam laudantes caſtimoniam. Hac infamiâ conſternati, quæ per ora populi facilè dilapſa, meritò inviſos ac deteſtabiles eos cunctis effecerat, noctem fermè circà mediam collectis omnibus, furtim caſtello faceſſunt. bonâque itineris parte ante jubaris ortum tranſactâ, jam die claro ſolitudines avias nacti, multa ſecum priùs collocuti, accingunt ſe meo funeri: Deâque vehiculo meo ſublatâ, & humi repoſitâ, cunctis ſtramentis me renudatum, ac de quâdam quercu deſtinatum flagro illo pecuinis oſſibus catenato verberantes, penè ad extremam confecerant mortem. Fuit unus, qui poplites meos enervare ſecuri ſævâ comminaretur, quòd de pudore illo candido ſcilicet ſuo [2] triumphâſſem. Sed & cæteri, non meæ ſalutis, ſed ſimulachri jacentis contemplatione, in vitâ me retinendùm cenſuêre. Rursùm itaque me refertum ſarcinis, [3] planis gladiis minantes, perveniunt ad quamdam nobilem civitatem. Inibi vir principalis, & aliàs religioſus, & eximiè Deûm re-

INTERPRETATIO.

derio recuperandi ipſum, *cùm audiviſſent me rudentem in illâ domo, arbitrati* eſſe aſinum ſibi *ſubreptum, qui occultaretur latebris domûs, irrumpunt de improviſo feſtinanti greſſu, occupaturi palàm rem ſuam: & opprimunt eos manifeſtò perpetrantes ſpurcitias abominandas. Statimque convocantes undique vicinos, revelant illud ſpectaculum fœdiſſimum: laudantes præterea joculariter ſanctiſſimam caſtitatem Sacerdotum.* Illi *afflicti hac ſiniſtrâ famâ, quæ facilè diffuſa per ora plebis jure reddiderat eos odioſos, atque execrabiles omnibus, colligunt omnia ſua, & clanculùm exeunt è caſtello circiter mediam noctem. Confectâque viâ ſatis longâ ante exortum Solis, luce jam clarâ devenerunt in deſerta inacceſſa; multiſque inter ſe diſputatis, præparunt ſe ad meam necem: Deâque depoſitâ ex meo* dorſo, *quo vehebatur, & poſitâ humi, ſpoliant me ephippiis omnibus, & alligant ad quamdam quercum, ferientesque illo flagello* armato *oſſibus ovillis in catenæ modum, redegerunt me ferè ad ultimam necem. Fuit unus, qui minaretur ſe abſciſſurum nervos meorum poplitum dirâ bipenni, quia nimirùm tam turpiter triumphaveram de purâ illâ pudicitiâ ejus. Verùm reliqui cenſuerunt conſervandam mihi eſſe vitam, non intuitu* quidem *meæ incolumitatis, ſed imaginis, quæ jacebat humi. Agentes igitur me iterùm oneratum ſarcinis,* feriendo *planis enſibus, deveniunt in quamdam celebrem urbem. In eâ quidàm vir primarius, religioſus etiam, & mirè timens*

NOTÆ.

1. *Intus ædium:*] Archaïſmus, pro *intra ædes,*

2. *Triumphâſſem.*] Revelando nimirùm execrandas ejus libidines meo ruditu.

3. *Planis gladiis.*] Non acie cæſim, neque mucrone punctim, ne eum occiderent, ſed planis gladiis ferientes.

verens,

verens, tinnitu cymbalorum, & ſonitu tympanorum, [1] cantuſque Phrygii mulcentibus modulis excitus, procurrit obviam; Deamque votivo ſuſcipiens hoſpitio, nos omnes intra conſeptum domûs ampliſſimæ conſtituit: numenque ſummâ veneratione, atque hoſtiis opimis placare contendit. Hîc ego me potiſſimùm capitis periclitatum memini. Nam quidam colonus, partem venationis, immanis cervi pinguiſſimum femur, domino illi ſuo muneri miſerat. quod incuriosè ponè culinæ fores non altiuſculè ſuſpenſum, canis adæquè venaticus latenter invaſerat, lætuſque prædâ, properè cuſtodientes oculos evaſerat. Quo damno cognito, ſuâque reprehensâ negligentiâ, coquus diu lamentatus lacrymis ineffıcacibus, jamjamque domino cœnam flagitante mœrens, & utcunque metuens, [2] arctiùs filio ſuo parvulo conſalutato, arreptoque funiculo, [3] mortem ſibi nexu laquei comparabat. Nec tamen latuit fidam uxorem ejus caſus extremus mariti. ſed funeſtum nodum violenter invadens manibus ambabus, Adeó-ne, inquit, præſenti malo perterritus, mente excidiſti tuâ? nec fortuitum iſtud remedium, quod Deûm providentia ſubminiſtrat, intueris? Nam, ſi quid in ultimo Fortunæ turbine reſpicis, expergitè mî auſculta: &

INTERPRETATIO.

Deos occurrit obviam nobis, *excitatus ſtrepitu cymbalorum, & ſono tympanorum, ac ſuavibus modulationibus muſicæ Phrygiæ; excipienſque Deam devoto hoſpitio, collocat nos omnes intra ſeptum latiſſimarum ædium & enititur propitiari ejus numen maximâ reverentiâ, & pinguibus victimis. Recordor me illic præſertim ſubiiſſe diſcrimen vitæ. Quidam enim ruſticus miſerat muneri ſuo illi domino pinguiſſimam coxam cervi prægrandis, partem venationis* ſuæ, *quam negligenter ſuſpenſam non admodùm altè poſt januam culinæ, canis etiam ipſe venaticus clàm arripuerat, & celeriter effugerat conſpectum obſervantium gaudens* ſuâ *rapinâ. Quam jacturam cùm coquus animadvertiſſet, damnâſſetque ſuam incuriam, & diù conqueſtus eſſet vano fletu, at doleret, ſilique timeret, eo quòd herus brevi petiturus eſſet cœnam: filio ſuo parvulo ſalutato arctiori* complexu, *reſtim ſumens, meditabatur ſe extinguere obſtrictis* faucibus *laqueo. Sed fidelis ejus uxor non ignoravit ultimum infortunium ſui mariti, at violenter irruens utrâque manu in nexum feralem, Tantum-ne, ait, exterritus es malo præſenti, ut mentem amiſeris, neque conſideres hoc fortuitum remedium, quod providentia Deûm* tibi *ſuppeditat? Si enim rationem habes* adhuc *alicujus rei in hac extremâ procellâ fortunæ, audi me attentè: duc*

NOTÆ.

1. *Cantuſque Phrygii.*] Qui religioſus erat. Noſter, in Floridis: *ſeu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.* Ubi vide Notas noſtras. Videtur in ſacris Magnæ Matris primùm adhibitus. Ea enim ex Phrygiâ in alias regiones delata ſunt per Gallos ſacerdotes ejus, Phrygas & ipſos.

2. *Arctiùs filio ſuo parvulo conſalutato.*] Mos eſt petituris, aut peregrè proficiſcentibus complecti, & oſculari ſuos.

3. *Mortem ſibi nexu laquei comparabat.*] Ut vel ſic domini ſævitiam evitaret. Seneca: *Iracundus dominus quoſdam ad fugam coegit, quoſdam ad mortem.*

Apul. Ll

advenam iſtum aſinum remoto quodam loco deductum jugula, femurque ejus ad ſimilitudinem perditi detractum, & accuratiùs [1] in protrimentis ſapidiſſimè percoctum, appone domino, cervini vice. Nequiſſimo verberoni ſua placuit ſalus de meâ morte. [2] & multùm conſervæ ſagacitate laudatâ, deſtinatæ etiam lanienæ cultros acuebat,

INTERPRETATIO.

aſinum illum peregrinum in aliquem locum diſſitum, atque eum *jugula* ibi, *& amputa ipſi coxam ad formam illius, quam perdidiſti, & loco cervinæ appone eam hero ſtudioſiùs coctam, & conditam in minutalibus. Placuit peſſimo illi maſtigiæ* quærere *vitam* ſibi *meâ nece, & valdè laudato ingenio ſuæ conjugis, acuebat quoque cultros ad me interficiendum ut decreverat.*

NOTÆ.

1. *In protrimentis.*] Edulia ſunt minutatim trita & conciſa.

2. *Et multùm conſervæ ſagacitate laudata.*] *Conſervæ* uxoris. Suprà; *habens ex eodem famulitio conſervam conjugem.*

LUCII APULEII
MADAURENSIS PLATONICI
METAMORPHOSIS

LIBER NONUS.

SIC ille nequiſſimus carnifex contra me manus impias obarmabat. At ego, præcipitante conſilium periculi tanti præſentiâ, nec expectatâ diutinâ cogitatione, lanienam imminentem fugâ vitare ſtatui. protinúſque vinculo, quo fueram delıgatus, abrupto, curſu me proripio totis pedibus, ad tutelam ſalubrem crebris calcibus velitatus: illicóque me, raptim tranſcursâ primâ porticu, triclinio, in quo dominus ædium ſacrificales epulas cum ſacerdotibus Deæ cœnitabat, incontanter immitto. nec pauca rerum apparatûs cibarii, menſas etiam, & id genus impetu meo collido, atque diſturbo. Quâ rerum deformi ſtrage pater-familias commotus, ut importunum atque laſcivum, me cuidam famulo curiosè traditum, certo aliquo loco clauſum juſſit cohiberi: ne rursùm convivium placidum ſimili petulantiâ diſſiparem. Hìc aſtuto commento ſcitulè munitus, & mediis lanii manibus ereptus, cuſtodelâ ſalutaris mihi gaudebam carceris. Sed

INTERPRETATIO.

SIc ille ſceleſtiſſimus tortor inſtruebat nefarias manus adverſus me. Verùm ego decrevi abſque morâ longæ deliberationis, declinare fugiendo carnificinam mihi impendentem, quia inſtantia tanti diſcriminis cogebat me è veſtigio ſumere conſilium. Et rupio ſtatim loro, quo alligatus fueram, aufugio toto pedum conatu, calces frequenter jactans ad defenſionem meæ *ſalutis: decursáque celerrimè proximâ porticu, ſtatim irrumpo abſque cunctatione in cœnaculum, in quo dominus domûs cum Deæ ſacerdotibus epulabatur carnibus victimarum,* quas immolaverat; *& irruendo frango, atque ſub verto multa ex ferculis,* ipſaſque *adeo menſas &* alia *hujuſmodi. Quâ fœdâ rerum ſubverſione percitus pater-familias, tradidit me ſervo cuidam, & præcepit, ut me diligenter includeret in certo quodam loco, veluti moleſtum & petulantem, atque* ibi me *coërceret, ne iterùm diſturbarem tranquillas epulas tali procacitate. Ibi, callidè defenſus meo ſolerti conſilio, & extractus ex mediis manibus carnificis, lætabar quod cuſtodirer illo ſalutari carcere. Verùm, certè nihil*

nimirum nihil Fortunâ renuente licet [1] homini nato dexterum provenire : nec conſilio prudenti, vel remedio ſagaci, Divinæ Providentiæ fatalis diſpoſitio ſubverti vel reformari poteſt. Mihi denique idipſum commentum, quod momentariam ſalutem reperiſſe videbatur, periculum grande, immò exitium præſens conflavit aliud. Nam quidam ſubitò puer, mobili ac trepidâ facie percitus, ut familiares inter ſe ſuſurrabant, irrumpit triclinium : ſuóque annuntiat domino, de proximo angiportu canem rabidam paulò antè per poſticam impetu miro ſeſe direxiſſe : ardentique prorsùs furore venaticos canes invaſiſſe : ac dehinc proximum petiiſſe ſtabulum, atque ibi pleraque jumenta incurriſſe pari ſævitiâ ; nec poſtremùm ſaltem ipſis hominibus pepercíſſe. nam [2] Myrtilum mulionem, & [3] Hephæſtionem coquum, & [4] Hypatium cubicularium, & Apollonium Medicum, immò verò & plures alios ex familiâ, abigere tentantes, variis morſibus quemque laceráſſe : certè venenatis morſibus contacta nonnulla jumenta efferari jam ſimili rabie. Quæ res omnium ſtatim percuſſit animos. Ratique me etiam eâdem peſte infectum ferocire, arreptis cujuſce-

INTERPRETATIO.

fauſti mortalibus poteſt contingere contra Fortunæ voluntatem : neque ordo immutabilis Providentiæ Divinæ poteſt mutari, aut inflecti conſilio ſolerti, vel medelâ callida. Denique illud ipſum conſilium, quo videbar incolumitatem inveniſſe repentinam, creavit mihi aliud ingens periculum, vel potiùs mortem ipſam. Quidam enim ſervulus (ut poſteà audivi *domeſticos inter ſe demiſsâ voce narrantes) immittit ſe in cœnaculum, perturbatus, vultu inſtabili, ac trepidanti, refertque ſuo hero canem furioſam ex proximo vico paulò antè accurriſſe mirâ celeritate per poſteriorem* januam, *atque irruiſſe in canes venaticos fervidâ prorsùs rabie : deinde verò iviſſe in proximum ſtabulum, ibique invaſiſſe maximam jumentorum partem ſimili furore ; nec denique abſtinuiſſe ſaltem ab ipſis hominibus. Myrtilum enim Mulionem, & Hephæſtionem coquum, & Hypatium cubicularium, & Apollonium Medicum, atque etiam plures alios familiares, dum conantur eam fugare, fuiſſe demorſos ab ipsâ ſingulos variis morſibus: aliqua ſanè jumenta,* quæ *lacerata* fuerant *morſibus viroſis, jam corripi ſimili furore. Quæ res perculit cunctorum mentes, &* ipſi *putantes me correptum eodem morbo, ſumptis armis*

NOTÆ.

1. *Homini nato.*] Sic in Apologiâ, Noſter : *An tu ignoras nihil eſſe aſpectabilius homini nato, quàm formam ſuam?* Eodem ſenſu Catullus dixit :

Unicuique dedit vitium natura creato.

2. *Myrtilum Mulionem.*] *Myrtilus* nomen eſt aurigæ Oenomani, cujus fraude Oenomanus, diſſoluto curru, excuſſus in curuli certamine, cervicem ſibi fregit, fuitque à Pelope victus. qui mercedis loco perfidum Myrtilum in mare projecit, Myrtoüm poſteà dictum, ab illius nomine. Huic cognominem facit Mulionem hunc Apuleius.

2. *Hephæſtionem coquum.*] Nomen coquo accommodatum. Ἥφαιστος enim Græcis *Vulcanus* eſt, ignis, fabrorum, & culinæ Deus.

4. *Hypatium.*] Sic Pricæus habet, & Elmenhorſtius. Alii *Hypatanium.* Mſ. Oxon. & Colvius *Hyſpaſium.*

modi telis, mutuóque ut [1] exitium commune protelarent cohortati, ipſi potiùs eodem veſaniæ morbo laborantes, perſequuntur. Nec dubio me lanceis illis & venabulis, immò verò & bipennibus, quæ facilè famuli ſubminiſtrabant membratim compilâſſent; nî reſpecto ſubiti periculi turbine, cubiculum, in quo mei domini divertebant, protinùs irrupiſſem. Tunc clauſis, obſeratiſque ſuper me foribus, obſidebant locum; quoad, ſine ullo [2] conceſſionis ſuæ periculo, peſtilentiæ lethalis pervicaci rabie poſſeſſus, ac pereſus, abſumerer. Quo facto, tandem libertatem nactus, ſolitariæ Fortunæ munus amplexus, ſuper conſtratum lectum abjectus, poſt multùm equidem temporis ſomnum humanum quievi. Jámque clarâ die, mollitie cubiculi refotâ laſſitudine, vegetus exſurgo: atque illos, qui meæ tutelæ pervigiles excubias agitaverant, auſculto de meis ſic altercare fortunis: At hunccine miſerum iſtum aſinum jugi furore jactari credimus? immò verò jam virus, [3] inquieſcente ſævitiâ, prorsùs extinctum. Sic opinionis variæ terminum ad explorationem conferunt: ac de rimâ quadam proſpiciunt ſanum me atque ſobrium otiosè conſiſtere. Jámque ultrò foribus patefactis, pleniùs, an ſim manſuefactus, periclitantur. Sed unus ex his, de cœlo ſcilicet miſſus mihi ſoſ-

INTERPRETATIO.

omnis generis inſequuntur me, hortantes ſe invicem ad propulſandam communem peſtem, at *ipſi potiùs* quàm ego, *correpti* erant *eodem morbo furoris. Atque haud dubiè me diſcerpſiſſent in fruſta illis haſtis, & ſpiculis, atque etiam ſecuribus, quæ* arma *ſervi facilè ſuppeditabant; niſi ego conſiderans repentini diſcriminis procellam, ſtatim irruiſſem in cubiculum, in quod mei domini ſe recipiebant. Tunc, januâ ſuper me clauſâ, atque obſeratâ, cingebant cubiculum; donec ego conſumerer, occupatus atque correſus contumaci furore illius mortiferæ peſtis, ſine ullo congreſsûs ſui periculo. Quo facto, repertâ tandem libertate, utens beneficio ſolitudinis*, quod mihi *ſors offerebat, méque reclinans in torum*, qui ibi *ſtratus* erat, *dormivi humano ſomno*, quod *quidem jamdudum* mihi non evenerat. *Diſcuſsâque fatigatione molli lecto, ſurgo alacris die jam provecto: & audio eos, qui invigilaverant totâ nocte meæ cuſtodiæ, ſic inter ſe diſputantes de meâ ſorte: Sed putamus-ne hunc miſerum aſinum agitari perpetuâ rabie? Imò ſanè venenum penitùs extinctum eſt furore requieſcente. Sic ſententiarum diverſitas eò conſpiravit*, ut dicerent *faciendum eſſe periculum: &* aſpicientes *per fiſſuram quandam, vident me tranquillè ſtare ſanum, atque ſobrium. Jamque apertâ ultrò januâ, explorant ampliùs utrum jam eſſem mitigatus. At unus inter illos miſſus nempè de cœlo, qui me ſervaret,*

NOTÆ.

1. *Exitium commune protelarent.*] Nempè occidendo me, à quo timebant ne morderentur, ſimilique corriperentur rabie.

2. *Conceſſionis.*] Beroaldus exponit *ingreſſionis* & *introitûs*. Lipſius *congreſſionis*, quod magis placet, ut enim *incedere pedibus* & *ingredi pedibus* unum idemque ſignificant, quidni etiam *concedere* aliquando idem ſonet, ac *congredi*?

3. *Inquieſcente.*] Pro *quieſcente*, ut *incognoſcere*, *inconcupiſcere*, & talia apud hunc ſcriptorem.

pitator, argumentum explorandæ ſanitatis meæ tale commonſtrat cæteris: ut aquæ recentis completam pelvem offerrent potui meo. ac ſi intrepidus, & more ſolito ſumens, aquis allubeſcerem; ſanum me, atque omni morbo ſcirent expeditum: contrà verò, [1] ſi viſum contactumque laticis vitarem ac perhorreſcerem; pro comperto, noxiam rabiem pertinaciter durare. Hoc enim libris etiam priſtinis proditum, obſervari ſolere. Iſto placito, vas immane confeſtim aquæ perlucidæ de proximo petitæ fonte, cunctantes adhuc, offerunt mihi. At ego ſine ullâ morâ progreſſus, etiam obvio gradu ſatis ſitienter, pronus, & totum caput immergens, ſalutares verè equidem illas aquas hauriebam. Jámque & plauſus manuum, & aurium flexus, & ductum capiſtri, & quidvis aliud periclitantium, placidè patiebar; quoad contra veſanam eorum præſumptionem, modeſtiam meam liquidò cunctis approbarem. Ad iſtum modum vitato [2] duplici periculo, die ſequenti rursùm divinis exuviis onuſtus, cum crotalis, & cymbalis circumforaneum mendicabulum producor ad viam. Nec paucis caſulis, atque caſtellis oberratis, divertimus ad quempiam pagum urbis opulentæ quondam, ut memorabant incolæ, inter ſemiruta veſtigia conditum. Et hoſpitio proximi ſtabuli recepti, cognoſcimus lepidam [3] de adulterio cujuſdam pauperis fabulam: quam vos

INTERPRETATIO.

indicat reliquis hujuſmodi rationem obſervandi an ſanus eſſem: ut nimirùm offerrent mihi ad bibendum vas plenum aquæ recenter hauſtæ. & ſi libens accederem ad aquas abſque timore, biberemque ſecundum meam conſuetudinem; agnoſcerent me eſſe ſanum, atque liberatum ab omni ægritudine. Contrà verò, ſi fugerem, ac reformidarem aſpectum, & tactum liquoris illius; *manifeſtum* eſſe *nocuum furorem* adhuc *conſtanter durare. Id quippe ſcriptum* eſſe *in antiquis libris*, & *experientiâ comprobari. Probato hoc* conſilio, *objiciunt mihi ſtatim, adhuc dubitantes, vas ingens* plenum *aquâ limpidiſſimâ hauſta ex proximo fonte. Ego verò, cùm protinùs proceſſiſſem ipſis obviàm cum ſat magnâ ſiti, bibebam illas aquas. mihi quidem reverà ſalutares, inclinans me, & intingens totum caput. Jamque tranquillè ferebam & palpari* me eorum *manibus, & remulceri* mihi *aures, &* me *duci capiſtro, & quidquid aliud* faciebant *experiendi gratiâ; donec manifeſtè probarem omnibus meam manſuetudinem, contra inſanam opinionem*, quam *de me præconceperant. Sic elapſus è gemino diſcrimine, poſtero die iterùm educor ad iter, oneratus ſpoliis Deæ, cum crotalis, & cymbalis mendicaturus per vicos. Multiſque pererratis domunculis* ruſticorum, *& caſtellis, venimus in vicum quemdam exſtructum inter ruinas urbis, quæ dives olim fuerat, ut incolæ referebant. Cúmque nos recepiſſemus in proximum diverſorium, audivimus facetam narrationem de adulterio cujuſdam pauperis: quam volo*

NOTÆ.

1. *Si viſum contactumque laticis vitarem, &c.*] *In morſis* (inquit Plinius) *lethalis aquæ metus eſt.* Unde etiam hic morbus Græcis ὑδροφοβία dicitur.

2. *Duplici periculo.*] Illo namque, quod à coquo ipſi impenderat, ſecandæ coxæ; & hoc, quod propter veſanam opinionem furoris ſubiverat.

3. *De adulterio cujuſdam pauperis.*] Obſerva hîc *adulterium* pro contumeliâ illatâ viro per uxoris adulterium.

etiam cognoſcatis volo. Is gracili pauperie laborans, fabriles operas præbendo, parvis illis mercedibus vitam tenebat. Erat ei tamen uxorcula etiam ſatis quidem tenuis & ipſa, verumtamen poſtremâ laſciviâ famigerabilis. Sed die quâdam, dum matutino ille ad opus ſuſceptum proficiſcitur, ſtatim latenter irrepit ejus hoſpitium temerarius adulter. Ac, dum Veneris colluctationibus ſecuriùs operantur: maritus ignarus rerum, ac nihil etiam tunc tale ſuſpicans, improviſus hoſpitium repetit. Jámque clauſis & obſeratis foribus, uxoris laudatâ continentiâ, januam pulſat, ſibilo etiam præſentiam ſuam denuntiante. Tunc mulier callida, & ad hujuſmodi flagitia peraſtutula, tenaciſſimis amplexibus expeditum hominem, dolio, quod erat [1] in angulo ſemiobrutum, ſed alias vacuum, diſſimulanter abſcondit: & patefactis ædibus, adhuc introeuntem maritum aſpero ſermone accipit: Siccine, vacuus & otioſus, inſinuatis manibus ambulabis mihi, nec, obito conſueto labore, vitæ noſtræ proſpicies, & aliquid cibatui parabis? at ego miſera [2] & pernox & perdia lanificio nervos meos contorqueo, [3] ut intra cellulam noſtram ſaltem lucerna luceat. Quantò

Interpretatio.

vos etiam ſcire. Ille anguſtiâ admodum egeſtate preſſus, locando operas ſuas ad fabricandum, ſuſtentabat vitam ſuam mercedulis, quas inde percipiebat. *Habebat tamen ille uxorem, & ipſam quidem etiam pauperculam, ſed tamen famoſam ob ſummam impudicitiam. At, quodam die, dum ille ibat manè ad opus, quod ſuſceperat, adulter valdè audax protinùs ſe penetrat clanculùm in ejus domum. Dumque Veneri dant operam abſque metu, maritus de improviſo revertitur domum, neſciens quid gereretur, nihilque ſuſpicans ſimile. Laudanſque continentiam* ſuæ *uxoris*, eò quòd videret *fores jam clauſas atque obſeratas, pulſat oſtium, ſibilo etiam ſignificans ſe adeſſe. Tunc mulier aſtuta, & ſolertiſſima ad talia crimina, explicat hominem ex ſuis arctiſſimis complexibus, & eum clàm occultat ſub dolio, quod erat mediâ ſui parte defoſſum in angulo, ſed tamen inane: &, apertâ domo, objurgat etiam intrantem virum verbis gravioribus: Ita-ne* (inquit) *incedes mihi inanis, & otioſus, manibus in ſinum conditis, neque incumbes ſolito operi*, ut *provideas noſtro victui, & aliquid nobis emas quod edamus. At ego infelix digitos meos nocte atque exerceo nendâ lanâ, ut ſaltem lampas luceat in noſtrâ domunculâ. Quantò fortunatior me eſt*

Notæ.

1. *In angulo ſemiobrutum.*] Plin. lib. 14. cap. 21. *Mitiores plagæ doliis condunt* (vinum) *infodiuntque terræ tota, aut ad portionem ſitus.* Et paulò infrà: *Imbecilla vina demiſſis in terram doliis ſervanda, valida expoſitis.* Paulus Lege 76. ff. de contrahendâ emptione & venditione: *Dolia in horreis defoſſa, ſi non ſunt nominatim in venditione excepta, horreorum venditioni ceſſiſſe videri.*

2. *Et pernox & perdia.*] Sic lib. 5. *Et perdia, & pernox, nec inter amplexus conjugales deſinis crucians.* Ad quem locum vide quæ notavimus pag. 146.

3. *Ut intrà cellulam*, &c.] Id eſt, ut habeamus unde emamus oleum alendæ lucernæ.

me felicior [1] Daphne vicina, quæ [2] mero & prandio matutino ſaucia cum ſuis adulteris [3] volutatur! Sic [4] confutatus maritus, Et quid iſtuc eſt? ait. Nam, licet forenſi negotio officinator noſter attentus ferias nobis fecerit, tamen hodiernæ cœnulæ noſtræ proſpexi. Vides iſtud dolium, quod ſupervacuum, fruſtrà locum detinet tantum, & reverà præter impedimentum converſationis noſtræ, nihil præſtat ampliùs? iſtud ego quinque denariis cuidam venditavi: & adeſt, ut, dato pretio, ſecum rem ſuam ferat. Quin itaque præcingeris, mihique manum tantiſper accommodas, ut exobrutum protinùs tradatur emptori. [5] E re natâ fallacioſa mulier temerarium tollens cachinnum, Magnum, inquit, ac ſtrenuum negotiatorem nacta ſum, qui rem, quam ego mulier, & intra hoſpitium contenta, jamdudum ſeptem denariis vendidi, minoris diſtraxit. Additamento pretii lætus maritus, Et, quis eſt ille, ait, qui tanto pretio præſtinavit? At illa: Olim, inepte, inquit, deſcendit in dolium, ſedulò ſoliditatem ejus probaturus. Nec

INTERPRETATIO.

Daphne noſtra *vicina, à primo mane ingurgitata vino, atque cibis ſe pervolvit cum ſuis mœchis! Maritus ſic objurgatus, Quidnam tibi vis? inquit. Quamvis enim magiſter noſtræ officinæ occupatus negotio forenſi, coëgerit nos otiari, nihilominus providi noſtræ cœnulæ hodiernæ. Vides-ne dolium hoc, quod perpetuò inane, fruſtrà occupat tantùm loci? nihilque certè ampliùs præbet, niſi impedimentum noſtræ habitationis? Vendidi illud quinque denariis cuidam: atque hic mecum venit, ut perſoluto pretio auferat ſecum rem ſuam. Præpara ergo te, & me tantillùm adjuva, ut eruamus ipſum, & demus emptori. Doloſa mulier erumpens illicò in audacem riſum, Hic certè maritus, inquit, cui nupſi, prædarus vir eſt, & ſolers mercator, qui, quam ego rem jam pridem vendidi ſeptem denariis*, tametſi *ſim tantùm mulier, & concluſa intra domum*, eam *vendidit viliori pretio. Maritus hilaris propter auctarium pretii, Quiſ-nam ille eſt, inquit, qui tanti emit? Illa autem, Jamdudum, ait, ô ſtulte, deſcendit in dolium, ut diligenter exploraret ejus ſoliditatem. Nec ille malè re-*

NOTÆ.

1. *Daphne.*] Nomen proprium vicinæ δάφνη Græcis *laurus* eſt, ſed nihil ad mores hujus mulieris hoc etymon. Oxon. Mſ. habet *Daſyrie*: ſub quo (inquit Pricæus) fortaſſe nomen nondum erutum delitefcit.

2. *Mero, & prandio ſaucia.*] Vera eſt hæc lectio. Neque reponas *ſatiata* pro *ſaucia*: Ennius in Alceſtide laudatus à Fulgentio in verbo *friguttit*: *Hæc anus admodùm friguttit, nimirùm ſe ſauciavit flore Liberi.* Et Noſter, lib. 7. *ſaucium vinolentiâ* dixit, pro *ebrium.* Prandium matutinum videtur eſſe, quod infrà, hoc lib. *jentaculum* vocat.

3. *Volutatur.*] Hæc lectio eſt Florent. Cod. quam Pricæus pluribus tuetur.

4. *Confutatus maritus.*] Simili ſenſu Terent. Phorm. Act. 3. Scen. 1. *Confutavit verbis admodùm iratum ſenem.* id eſt, *convicit, exagitavit, objurgavit.*

5. *E re natâ fallacioſa mulier, &c.*] Sic legit Pricæus, quanquam alii habeant, *è re nata fallacia*, &c. Commodus ex utrâque lectione ſenſus poteſt elici: ſed commodior tamen ex illâ priore, quam ſervavi. *E rè natâ* ſonat hìc *ſubitò.* Donatus ad Adelph. Actu 5. Scen. 3. *Natum de rebus repentinis dicimus: ut ſuprà: è re natâ*

ille

ille ſermoni mulieris defuit : ſed exurgens alacriter, Vis, inquit, verum ſcire mater-familias ? hoc tibi dolium nimis vetuſtum eſt, & multifariàm rimis hiantibus quaſſum. Ad maritumque ejus diſſimulanter converſus : Quin tu, quicunque es, homuncio, lucernam, ait, actutùm mihi expedis : ut eraſis intrinſecus ſordibus, diligenter aptum uſui poſſim dinoſcere. [1] niſi nos putas æs de malo habere. Nec quidquam moratus ac ſuſpicatus acer & egregius ille maritus, accensâ lucernâ : Diſcede, inquit, [2] frater, & otioſus adſiſte, donec probè procuratum iſtud tibi repræſentem. Et cum dicto nudatus ipſe, delato lumine, [3] ſcabiem vetuſtam carioſæ teſtæ occipit exſculpere. * * *
* * * * * * * *
At illa, capite in dolium demiſſo, maritum ſuum aſtu meretricio tractabat ludicrè. Hoc, & illud, & aliud, & rursùs aliud purgandum, digito demonſtrat ſuo : donec * * opere perfecto, acceptis ſeptem denariis, calamitoſus faber collo ſuo gerens dolium coactus eſt ad hoſpitium adulteri perferre. Pauculis ibi diebus commorati, & munificentiâ publicâ ſaginati, vaticinationiſque crebris mercedibus, [4] ſuf-

INTERPRETATIO.

ſpondit verbis mulieris, ſed ſurgens inde promptè, Vin' tibi verum dicam, ait, ô mater-familias ? tuum hoc dolium eſt nimis vetuſtum, & fractum fiſſuris patentibus multis in locis. Convertenſque ſe ficto vultu ad maritum ejus : Quin tu, inquit, ô homuncio, quiſquis es, protinùs mihi affers lampadem, ut interiùs abradam fæces, & poſſim ſedulò explorare an queat eſſe utile. Niſi fortè credis nos habere pecuniam malis artibus partam. *Atque ſagax ille & præclarus vir nullatenùs cunctatus, neque quidquam ſuſpicans, accensâ lampade : Abi iſtinc, inquit, ô frater, & adſta otioſus, quouſque exhibeam tibi hoc* dolium *benè purgatum. Cúmque hoc dixiſſet, exuit ſe, & delatâ ſecum lampade, cœpit deradere antiquam fæcem putreſcentis dolii.*
* * * * * *
*Illa verò demittens caput in dolium deludebat maritum ſuum calliditate meretriciâ. Oſtendit digito ſuo hoc, & illud, & aliud, atque iterùm aliud defæcandum, quouſque abſoluto * * * opere, miſer ille faber coactus eſt, acceptis ſeptem denariis, geſtare dolium collo ſuo ad ædes mœchi. Cùm devoti illi Sacerdotes ibi manſiſſent per aliquot dies, pinguefactique eſſent largitionibus populi, & onuſti plurimis præ-*

NOTÆ.

melius fieri haud potuit, quàm factum eſt, hera.

1. *Niſi nos putas æs de malo habere.*] Ideoque illud prodigè effuſuros, & empturos dolium fiſſum, & nullius pretii : *de malo habere*, pro *habere ex illicito lucro*, Græcum eſt ἐκ κακοῦ πορίζειν. Sapient. cap. 15. v. 12. ἐξ ἀδικίας κερδαίνειν. Iſocrates ad Dæmonicum.

2. *Frater.*] Ignoti hominis compellatio.

3. *Scabiem vetuſtam carioſæ teſtæ.*] Fæcem induratam, quæ doliis adhæreſcit, quemadmodum ſcabies cuti. Dolia porrò antiquitùs erant plerumque fictilia, ideoque dicit *teſtæ*. *Carioſam* verò dixit *teſtam*, impropriè. Nam caries eſt ligni, & oſſium putredo, quæ teſtæ non convenit. Cùm ergo *carioſam*, legis, intellige *fæcibus induratis aſperam, & ſcabram*, quæ ſcabrities ligni cariem non malè refert.

4. *Suffarcinati.*] Pleni, repleti, inſtructi. Terent. in Andriâ : *Verùm vidi Cantharam ſuffarcinatam.* Et Plaut.

farcinati, piiſſimi illi ſacerdotes, novum quæſtûs genus ſibi comminiſcuntur. [1] Sorte unicâ caſibus pluribus enotatâ, conſulentes de rebus variis plurimos, ad hunc modum cavillantur. Sors hæc erat:

Ideò conjuncti terram proſcindunt boves,
Ut in futurum læta germinent ſata.

Tum ſi qui, matrimonium ſorte captantes, interrogarent; rem ipſam reſponderi aiebant: Jungendos connubio, [2] & ſatis liberûm procreandis. Si poſſeſſiones præſtinaturus quæreret; meritò boves, ut & jugum, & arva ſementis florentia, pronuntiari. Si quis de profectione ſollicitus, divinum caperet auſpicium: junctos jam paratoſque quadrupedum cunctorum manſuetiſſimos: [3] & lucrum promitti de glebæ germine. Si prælium capeſſiturus, vel latronum factionem perſequu-

INTERPRETATIO.

miis ſuarum *divinationum, excogitant novum genus lucri. Commenti unum oraculum permultis caſibus conveniens, ſic deludunt plurimos, qui conſulebant eos de variis negotiis. Oraculum* autem *erat ejuſmodi:*

Idcircò boves juncti ſulcant humum,
Ut poſteà copioſæ ſegetes pullulent.

Tum ſi aliqui, volentes matrimonium ex ſortium monitu *inire, eos conſulerent; dicebant idipſum reſponderi*, quod quærebatur: *copulandos eſſe matrimonio, ut producerent ſegetes liberorum. Si aliquis empturus agros* eos *interrogaret, dicebant jure* ſortem *loqui de bobus, ſicut & de jugo, & de arvis ſegete virentibus. Si aliquis anxius de itinere* ſuſcipiendo, *conſuleret divinam ſortem: dicebant quadrupedum omnium mitiſſimos jam eſſe, conjunctos, & paratos* ad proficiſcendum, *& per germen terræ promitti quæſtum. Si aliquis commiſſurus pugnam, aut inſecuturus prædo-*

NOTÆ.

Curcul. *qui incedunt ſuffarcinati cum libris cum ſportulis.*

1. *Sorte unicâ pro caſibus pluribus enotatâ.*] Huic lectioni, omiſſis aliis, inhæreo. Hic locus patefacit artes ejuſmodi vaticinatorum, quas perſtringit Quintilianus, Declamatione 4. his verbis: *Tota in eo fallendi ratio eſt, non dare conſulentibus, quod depoſcunt, ſed caligine, magnâque promiſſorum varietate ſuſpenſos ſic dimittere, ut, quidquid caſus attulerit, putent prædictum eſſe.* Tale eſt oraculum, quod refert Cicero, lib. 2. de divinatione ab Apolline editum Crœſo Lydorum Regi:

Crœſus Halym penetrans magnam
pervertet opum vim.

Hoſtium vim (inquit Cicero) *ſeſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam. Utrum igitur horum accidiſſet verum oraculum fuiſſet.* Sors, quæ hîc ab Apuleio refertur, non ad utrumlibet quidem eventum facta eſt, ut oraculum Crœſi, ſed ad bonum exitum promittendum quibuſlibet, de quacumque re interrogantibus.

2. *Et ſatis.*] Non eſt hîc adverbium *ſatis*, ſed dativus pluralis à recto plurali *ſata.* Congruunt porrò hæc cum iis, quæ habet Artemidorus de ſomniis, lib. 1. cap. 53. Ἄρουρα οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ γυνὴ, σπέρματα δὲ καὶ φυτὰ οἱ παῖδες. *arvum nihil aliud eſt, quàm uxor, ſemina verò, & plantæ ſunt liberi.*

3. *Et lucrum promitti de glebæ germine.*] Id eſt, *per germen glebæ*, de quo oraculum loquitur, *promitti lucrum* ex itinere, quod ſuſcipietur. Nec puto, quidquid dicat Pricæus, hæc verba ſuo loco movenda eſſe, at referenda ad emptionem poſſeſſionum, de quâ præceſſit ſermo.

turus, utiles nec ne proceſſus ſciſcitaretur; [1] addictam victoriam ſortis præſagio contendebant; [2] quippe cervices hoſtium jugo ſubactum iri, & prædam de rapinis uberrimam fructuoſamque captum iri. Ad iſtum modum, divinationis aſtu captioſo contraxerant non parvas pecunias. Sed aſſiduis interrogationibus, [3] argumenti jam ſatietate defecti, rurſùm ad viam prodeunt, viâ totâ, quam nocte confeceramus, longè pejorem. quidni? [4] lacunoſis incilibus voraginoſam, partim ſtagnanti palude fluidam, & alibi ſubluvie cœnoſâ lubricam. Crebris denique offenſaculis, & aſſiduis lapſibus jam contuſis cruribus meis, vix tandem ad campeſtres ſemitas feſſus evadere potui. Et ecce, nobis

INTERPRETATIO.

num turmam, interrogaret an eſſet habiturus *felicem eventum, vel non; affirmabant, promiſſam eſſe victoriam prædictione ſortis, colla nempè hoſtium miſſum iri ſub jugum, & optimam prædam reportatum iri ex latrocinis* prædonum devictorum. *Hoc modo corraſerant pecuniæ non parùm doloſâ aſtutiâ illius vaticinationis. Sed exhauſti perpetuis quæſtionibus, & eodem ſemper reſponſo* dando, *ſeſe iterùm committunt viæ multò deteriori totâ* illâ *viâ, quam emenſi fueramus nocte.* Erat *enim foſſis profundis & voraginibus interrupta, partim repleta aquis ſtagnantibus, & aliis in locis lubrica luti illuvie. Denique, ægrè tandem potui pervenire ad planos calles fatigatus tibiis meis, tritis crebrò impingendo* ad ſalebroſa viæ, *& aſſiduè cadendo: cùm ſu-*

NOTÆ.

1. *Addictam victoriam ſortis præſagio.*] Habebant pleræque Editiones *additam ſorti præſagio*, rectè à Stevvechio, & Colvio emendatum eſt, ut excudi curavimus. *Addico* eſt *attribuo*

2. *Quippe cervices hoſtium jugo ſubacturi, &c.*] Ad quid referri poſſint hæc verba *ſubacturi* & *capturi*? Puto non eſſe ſinceram lectionem, ſed primò ſcriptum eſſe *ſubactũ iri*, & *captũ iri*, titulis ſupra *u* loco litteræ *m* poſitis, ut ſæpè fit compendii causâ. Poſtea ignari exſcriptores omiſſis titulis ſcripſerunt *ſubactuiri*, & *captuiri*, quæ verba ſcioli aliqui emendare cupientes, utpote non latina, ſublato *i*, repoſuerunt *ſubacturi* & *capturi*. Hæc mea conjectura eſt, quam in interpretatione ſecutus ſum, nec dubitavi inſerere textui, quòd ſenſum planiſſimum efficiat.

3. *Argumenti jam ſatietate defecti.*] Senſum hujus lectionis expreſſi in interpretatione. At in Bertin. Codice, & vetere Vicentinâ editione legitur *argenti ſatietate*, non *argumenti*, quam lectionem ſi ſequi velimus, pro *defecti* legendum *defeſſi*, ut ſenſus ſit, eos argenti tantum corraſiſſe ſuis vaticinationibus, ut jam illud faſtidirent. Sic lib. 3. de latronibus dixit: *Opulentiæ nimiæ nimio ad extremas metas redacti.*

4. *Lacunoſis incilibus voraginoſam.*] *Incilia* foſſæ dicuntur, quæ fiunt ad aquam ex agris in vias deducendam. Cato, de Re Ruſticâ, cap. 55. *Incilia aperire, aquam deducere in vias, & ſegetem curare oportet, uti fluat. Incillas* habet Feſtus. *Incillæ*, inquit, *foſſæ ſunt, quæ in viis fiunt ad deducendam aquam, ſive derivationes de rivo communi factæ.* Apud eumdem: *Inlices canales, in quos aqua confluit in viis lapide ſtratis, ab inliciendo dicti.* Et: *elices ſulci aquarii, per quos aqua collecta educitur è liris.* Horum meminit Columella, lib. 2. cap. 8. Eſt etiam adjectivum nomen *incilis*. Cato, loco ſuprà laudato: *In monte foſſas inciles plures habere oportet.*

repentè de tergo manipulus armati ſupercurrit equitis : ægréque cohibitâ equorum curruli rabie, Philebum cæteroſque comites ejus involant avidi: collóque conſtricto, & ſacrilegos impuroſque compellantes, interdum pugnis obverberant: nec-non manicis etiam vinctos coarctant : & identidem urgenti ſermone comprimunt, promerent ocyùs aureum cantharum, promerent [1] auctoramentum illud ſui ſceleris, quod ſimulatione ſolemnium, [2] quæ in operto factitaverant, ab ipſis pulvinaribus Matris Deûm clanculò furati, prorsùs quaſi poſſent tanti facinoris evadere ſupplicium, tacitâ profectione adhuc luce dubiâ pomerium pervaſerint. Nec defuit, qui, manu ſuper dorſum meum injectâ, in ipſo Deæ, quam gerebam, gremio ſcrutatus, reperiret, atque incoràm omnium aureum depromeret cantharum. Nec iſto ſaltem tam nefario ſcelere impuratiſſima illa capita confutari terreri-ve potuere: [3] ſed mendaci riſu cavillantes : En, inquiunt, indignæ rei ſcævitatem! quam plerique inſontes periclitantur homines! propter unicum cantharum, quem Deûm mater ſorori ſuæ Deæ Syriæ hoſpitale munus obtulit, innoxios religionis antiſtites ad diſcrimen vocari capitis. His & aliis ſimilibus [4] affaniis fruſtra obblatteratis, eos retror-

INTERPRETATIO.

bitò turma equitum armatorum involat in nos à tergo; & difficulter repreſſo impetu currentium equorum, irruunt avidè in Philebum, reliquoſque ejus ſocios, conſtringenteſque ipſis collum, & appellantes eos ſacrilegos, atque impudicos, identidem percutiunt pugnis, & conſtringunt ligatos vinculis, & urgent eos verbis inſtantibus, ut quamprimùm proferrent cantharum aureum, depromerent illud pignus ſui criminis, quod furtim ſubripuerant ex lectis ipſis Matris Deorum, ſub oſtentu ſacrorum, quæ ſecretò celebraverant, & clàm proficiſcentes egreſſi erant urbis finibus primo diluculo, perinde ſanè ac ſi poſſent effugere pœnam tanti ſceleris. Fuit etiam aliquis ex illis, *qui manum mittens ſuper dorſum meum, & quærens in ſinu ipſo Deæ, quam portabam, invenit cantharum aureum, & protulit in conſpectum omnium. Neque impuriſſimi illi homines potuerunt frangi aut terrefieri hoc ſaltem tam nefando crimine* patefacto; *ſed ficto riſu jocantes: Ecce, aiunt, infelicitatem, & indignitatem* magnam! *quam multi homines innocentes in diſcrimen vocantur. Sacerdotes inſontes adduci in periculum capitis, ob unicum vas, quod Mater Deorum dedit germanæ ſuæ Deæ Syriæ xeniorum nomine. His, atque aliis ejuſmodi nugis incaſsùm decantatis, ruſtici eos*

NOTÆ.

1. *Auctoramentum illud.*] Pignus, ac vinculum, quod illos furti alligabat. Vide quæ diximus lib. 2. ad vocem *auctoratus.* Poſſet tamen etiam hîc *auctoramentum* intelligi *invitamentum ſceleris.*

2. *Quæ in operto factitaverant.*] Ejuſmodi ſacra *opertanea* appellabantur, fiebantque ſecretò, & nemine, præter ſacrificantes, præſente, ne profanorum oculis polluerentur, ut aiebant illi; reverà ne execrandæ eorum abominationes oculis paterent, & omnium excitarent indignationem.

3. *Mendaci riſu.*] Editiones omnes habent *mendoſo.* Sed legendum eſſe *mendaci* quis non videt? Accedit præterea auctoritas Codicis Fulvii à Pricæo laudati.

4. *Affaniis fruſtrà obblatteratis.*] *Af:*

ſum abducunt pagani, ſtatimque vinctos [1] in Tullianum compingunt: cantharoque, & ipſo ſimulachro, quod gerebam, apud fani [2] donarium redditis ac conſecratis, alterâ die productum me rursùm voce præconis vænui ſubjiciunt, ſeptemque nummis cariùs, quam priùs me comparaverat Philebus, quidam piſtor de proximo caſtello præſtinavit. protinuſque frumento etiam coëmpto affatim onuſtum, per iter arduum ſcrupis, & cujuſcemodi ſtirpibus infeſtum, ad piſtrinum, quod exercebat, perducit. Ibi complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage variâ. nec die tantùm, verùm perpeti etiam nocte, prorsùs inſtabili machinarum vertigine lucubrabant [3] pervigilem farinam. Sed mihi, ne rudimentum ſervitii perhorreſcerem, novus dominus [4] loca ac lautia prolixè præbuit. Nam & diem illum primum feriatum dedit, & cibariis abundanter inſtruxit præſepium.

INTERPRETATIO.

abducunt retrò, protinuſque eos vinciunt, & conjiciunt in carcerem, cantharoque, & ipsâ imagine Deæ, *quam portabam, depoſitis, ac conſecratis in donario templi, die ſequenti producunt me, atque iterùm voce præconis venalem pronuntiant. Et quidam piſtor ex proximo caſtello me emit ſeptem nummis cariùs, quàm Philebus anteà me emerat. Statimque me probè oneratum frumento, quod etiam comparaverat, deducit per viam ſalebroſam, & ſcabram omnis generis radicibus, ad molendinum, cui operam dabat. Illic plurima jumenta per multos gyros incedendo circumagebant molas diverſis circuitibus. Neque ſolùm de die, ſed per totam etiam noctem vigilantes conficiebant farinam ad lucernam perpetuâ rotatione molarum. Sed novus* ille *dominus me lautiſſimè excepit, ne reformidarem tyrocinium ſervitii illius. Permiſit enim mihi vacare ab opere per primum illum diem, & implevit meum præſepe largo cibo.*

NOTÆ.

fania nugæ ſunt, futilia verba, ac mera mendacia. Vox eſt à verbo *fari* inclinata. *Blatterare*, inquit Feſtus, eſt *ſtultè & percupidè loqui*, quod à Græco βλάξ originem ducit.

1. *In Tullianum.*] In carcere Romano pars ſubterranea dicta fuit *Tullianum*, à Servio Tullio Rege, à quo ædificatum fuiſſe traditur. Salluſtius, in Catilin Tullianum ſic deſcribit. *Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paulùm aſcenderis ad lævam, circiter quindecim pedes humi depreſſus. eum muniunt undique parietes, atque inſuper camera lapideis fornicibus juncta, ſed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies eſt.* Hujus carceris Romani nomine quemlibet alium carcerem vocat hîc Apuleius. Fuit prætereà in Romano carcere alia pars *Robur* dicta, unde præcipitabatur maleficorum genus, quod antè arcis robuſteis includebatur. Strangulatio fiebat in *Tulliano*, præcipitatio de *Robore*; fiebat quoque è rupe Tarpeiâ, hoc eſt, è Capitolio.

2. *Donarium.*] Hîc non donum ſignificat, ſed locum, in quo dona reponebantur.

3. *Pervigilem farinam.*] Metonymicè dictum, *lucubrabant pervigilem farinam*, pro *pervigiles lucubrabant farinam*. Eſt autem *lucubrare* ad lucernam aliquid facere.

4. *Loca, ac lautia.*] Sic legendum eſt, non *loca lautia*. Vide quæ diximus ad eadem verba, in Notis lib. 3. p. 96.

Nec tamen illa otii ſaginæque beatitudo duravit ulteriùs. Sed die ſequenti, molæ, quæ maxima videbatur, matutinus adſtituor: & illicò [1] velatâ facie, propellor ad incurva ſpatia [2] flexuoſi canalis; ut in orbe [3] termini circumfluentis reciproco greſſu, mea recalcans veſtigia, vagarer [4] errore certo. Nec tamen ſagacitatis ac prudentiæ meæ prorsùs oblitus facilem me tyrocinio diſciplinæ præbui. Sed quanquam frequenter, cùm inter homines agerem, machinas ſimiliter circumrotari vidiſſem; tamen ut expers & ignarus operis, [5] ſtupore mentito defixus hærebam. quod enim rebar, ut minùs aptum, & hujuſcemodi miniſterio ſatis inutilem, me ad quempiam alium utique leviorem laborem legatum iri, vel otioſum certè cibatum iri. Sed fruſtrà [6] ſolertiam damnoſam exercui. Complures enim protinùs baculis armati me circumſteterunt: atque, ut eram luminibus obtectis ſecurus etiamnunc, repentè ſigno dato, & clamore conferto, plagas ingerentes acervatim, adeò me ſtrepitu turbulentant; ut cunctis conſiliis abjectis, illicò ſcitiſſimè [7] tæniæ ſparteæ totus innixus, diſcurſus

INTERPRETATIO.

Verùm illa felicitas otii, & cibi largioris non duravit diutiùs. Sed poſtero mane alligor ad eam *molam, quæ videbatur maxima* omnium *: & protinùs velatis oculis, impellor in ſpatium curvum orbitæ rotundæ, ut vagarer errore certo in gyro termini ambientis, relegens meos greſſus. Ego tamen aſtutiæ ac ſolertiæ meæ memor, non me exhibui facilem rudimento* illius *diſciplinæ: ſed quamvis ſæpè vidiſſem verſari ejuſmodi molas, dum viverem inter homines, nihilominùs hærebam immotus ſimulans me ſtupere, tanquam ignarus* eſſem*, & prorsùs rudis ejuſmodi laboris. quia nimirùm putabam me, quaſi parùm idoneum, ac minùs utilem tali labori, applicatum iri ad aliquod aliud opus facilius, aut ſaltem fore ut alerer in otio. Verùm, nequicquam uſus ſum aſtutiâ perniciosâ. Multi enim me illicò circumdederunt inſtructi fuſtibus: cúmque nihil hactenùs timerem, quippe qui habebam oculos velatos, ſigno ſubitò dato, denſiſque clamoribus* ſublatis*, incutientes creberrimos ictus, ita me perturbant ſuo ſtrepitu, ut depoſitis omnibus meis fraudibus continuò alacriter diſcurrerem, incumbens totus faſciæ junceæ ma-*

NOTÆ.

1 *Velatâ facie.*] Ne ſcilicet ex gyrationibus illis in vertiginem incideret.

2. *Flexuoſi canalis.*] Semitæ circularis in modum canalis excavatæ, quo tutiùs, & cum minore aberrandi periculo jumenta illa velatis oculis in orbem incederent.

3. *Termini circumfluentis.*] Per terminum circumfluentem intelligo exterius latus illius ſemitæ cavæ, quod altiùs aſſurgens cohibebat jumentorum pedes, ne extra ipſam vagarentur.

4. *Errore certo.*] Acutè dictum. Errabant enim jumenta illa, quia jugiter incedebant in orbem: error verò ille certus erat, quia in eodem ſemper orbe fiebat.

5. *Stupore mentito.*] Obſerva *mentito* in paſſivâ ſignificatione, quod ſæpiùs apud hunc Auctorem reperias: infrà, hoc libro, *mentitâ ſacrilegâ præſumptione*, &c. *Stuporis* vocabulum propriè hîc, & omninò latinè poſitum eſt. In Fragmentis veterum Poëtarum:

Quid tenerum currere cogis equum
Dum ſtupet ac novus eſt?

6. *Solertiam damnoſam.*] Quippe quæ fuſtium ictus ipſi accerſivit.

7. *Tæniæ ſparteæ.*] Vinculo, quod ipſe pectore trudens molam diſcurren-

alacres obirem. [1]Hac ſubitâ ſectæ commutatione riſum toto cœtu commoveram. Jamquè maximâ diei parte tranſactâ, defectum alioquin me, [2]helcio ſparteo dimoto, nexu machinæ liberatum applicant præſepio. At ego, quanquam eximiè fatigatus, & refectione virium vehementer indigus, & prorsùs fame perditus; tamen familiari curioſitate attonitus, & ſatis anxius, poſtpoſito cibo, qui copioſus aderat, inoptabilis officinæ diſciplinam cum delectatione quâdam [3] arbitrabar. Dii boni! quales illic homunculi, [4] vibicibus livedinis totam cutem [5] depicti, dorſumque plagoſum, [6] ſciſſili centunculo magis inumbrati, quàm obtecti; nonnulli exiguo [7] tegili tantummodò pubem injecti, cuncti tamen ſic tunicati, [8] ut eſſent per pannulos manifeſti; [9] fron-

INTERPRETATIO.

gnâ ſolertiâ. Riſum excitaveram in toto cœtu hac repentinâ mutatione conſilii. Jamque elapsâ maximâ parte diei, me cæteroqui valdè fatigatum ſolvunt à machinâ, ſublatâ tæniâ junceâ, quâ eram alligatus, *& adducunt ad præſepe. Ego verò, quamvis defeſſus* eſſem *& valdè egerem recreatione virium, ac penitùs fame perirem; tamen ſolitâ meâ curioſitate ſuſpenſus, & valdè ſollicitus obſervabam cum quâdam voluptate diſciplinam officinæ illius inamabilis, neglecto cibo, qui* mihi *fuerat* exhibitus *magnâ copiâ. Proh ſuperi! quales ibi* erant *homunciones, ſignati totam cutem notis lividis, & habentes tergum* ſuum *cicatricoſum obumbratum potiùs, quàm contectum centone lacero; aliqui velati tantùm pudenda parvo tegmine, omnes tamen ſic veſtiti, ut eſſent conſpicui per centonum* foramina; *ba-*

NOTÆ.

do circumagebat. Hoc vinculum planum fuiſſe patet ex eo quòd ipſum vocet *tæniam. Spartum*, ut jam dictum lib. 8. junci genus eſt.

1. *Hac ſubitâ ſectæ mutatione.*] *Sententiæ.* Tranſlatio à Philoſophis.

2. *Helcio ſparteo*] *Helcium* vinculum eſt tractorium, quod ſuprà appellavit *tæniam ſparteam.* Formata vox eſt à verbo Græco ἕλκειν, quod eſt *trahere.* Inde *helciarii* dicti, qui funibus navigia trahunt adverſo amne.

3. *Arbitrabar.*] *Arbitrari* non tantùm ſignificat *exiſtimare*, & *æſtimare*, ſed etiam *oculis contemplari*, ut hoc loco, & *auribus auſcultare*, ut apud Plautum, & Terentium multis in locis.

4. *Vibicibus livedinis*, &c] Hypallage, pro *livedine vibicum.*

5. *Depicti.*] Venuſtè. Sic apud Plautum:

——— *meum futurum corium pulchrum prædicas.*
Quem Apelles, atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis.

6. *Sciſſili centunculo.*] Lib. 1. *ſciſſili palliaſtro*, & *ſutili centunculo*, dixit pag. 11. & 12.

7. *Tegili.*] Vox ab Apuleio novè ficta, pro *tegmine*, id eſt, *ſubligaculo.*

8 *Ut eſſent per pannulos manifeſti*] Id eſt, ut videretur eorum cutis per foramina centonis laceri, & intervalla pannorum.

9. *Frontes litterati.*] Malis, ac ſceleratis ſervis litteræ ab heris, imò & aliquando plura verba, fronti, ac vultui inuri ſolebant, quæ crimen continerent, cauſamque notæ, putà, *cave a fure*, aut *a fugitivo.* Sæpè etiam plurium verſuum fuit illa inſcriptio. Ratio autem inſcribendi ita habuit, ut primùm litteræ inurerentur candenti ferro; deinde atramentum infunderetur, quò apparerent magis litteræ, & præberent ſe lectui. Macrob. Saturnal. 1. 11. *Servus compeditus, inſcriptâ fronte.* Ejuſmodi litteræ inuſtæ *ſtigmata* dicta ſunt, & ſervi, quibus erant inuſtæ, *ſtigmatiæ*, & *ſtigmatici.*

tes litterati, & capillum ſemiraſi, & [1] pedes annulati, tum lurore deformes, & [2] fumoſis tenebris vaporoſæ caliginis palpebras adeſi, atque adeò malè luminati: & in modum pugilum, qui pulviſculo perſperſi dimicant, farinulento cinere [3] ſordidè candidati. Jam de meo jumentario contubernio, quid, vel ad quem modum memorem? Quales illi muli ſenes, vel cantherii debiles? circa præſepium [4] capita demerſi contruncabant moles palearum: cervice carioſâ vulnerum putredine, [5] follicantes nares languidas aſſiduo pulſu [6] tuſſedinis hiulci, pectora [7] copulæ ſparteæ triturâ continuâ exulcerati, coſtas perpetuâ caſtigatione oſſium tenùs renudati, ungulas multijugâ [8] circumcurſione in enorme veſtigium porrecti, totumque corium veternâ atque ſcabioſâ

INTERPRETATIO.

bebant frontes characteribus exaratas, & crines ex parte raſos, & compedes in pedibus, erant *prætereà deformes ob pallorem, & habebant palpebras corroſas nigro fumo, ac vapore* furni, *ideoque minùs valebant oculis: erant quoque toti albi immundo farinæ polline, inſtar athletarum, qui pugnant conſperſi minuto pulvere. Quid autem, & quomodo jam referam de jumentis, meis contubernalibus? quales* erant *illi veteres muli, & infirmi equi? demiſſis capitibus circa præſepe avidè comminuebant acervos palearum: collum habebant putridum plagis, nares anhelantes, & languidas, patentes continuo tuſſis impetu, pectora exulcerata aſſiduo frictu vinculi juncei, coſtas nudatas uſque ad oſſa continuis verberibus, ungulas extenſas in veſtigia prægrandia ex multiplici circumcurſatione, cutemque omnem ſcabram macrore, &*

NOTÆ.

1. *Pedes annulati.*] Annulis ferreis: hoc eſt, *compedibus revincti.* Martialis.

Has cum geminâ compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoïlus annulos priores.

2. *Fumoſis tenebris vaporoſæ caliginis*, &c.] Piſtores non tantùm molebant frumentum, ſed panem etiam coquebant. Et Apuleius hîc de fumo ac vapore, qui ex furno exit, dum lignis injectis calefit, loqui videtur, qui fumus valdè nocet oculis, ciliaque nonnunquam adurit, ſi præſertim ad præfurnium propiùs & incautiùs quis accedat. Nam ſi de caligine illâ eum loqui velis, quæ fiebat in piſtrino ex fumo & fuligine lucernarum, ad quas farinam lucubrabant, non videtur veriſimile palpebras caligine ejuſmodi adedi potuiſſe.

3. *Sordidè candidati.*] Sic lib. 8. *deformiter formati.* Eſt figura Rhetoribus *oxymoron* dicta. Alludit autem hîc jo-cùlariter ad morem veterum, qui togâ candidâ induti magiſtratus petebant.

4. *Capita demerſi.*] Hac voce *demerſi* ſumma ingluvies denotatur. In veteri Epigrammate.

Cerne ut demerſo torridus ore bibat.

5. *Follicantes.*] Crebris anhelitibus auras accipientes, reddenteſque inſtar follium.

6. *Tuſſedinis.*] Vocabulum ab Apuleio fictum, pro *tuſſi.*

7. *Copulæ ſparteæ.*] Suprà, *helcium* & *tæniam ſparteam*, dixit, quam nunc *copulam.*

8. *Circumcurſione.*] Sic emendo cum Pricæo, & Colvio. Pleræque editiones habent *circumciſione.* Stevvechius reponit *circumitione*, quod congruit etiam. Vult autem hîc ungulas jumentorum illorum multiviis circumcurſionibus humum pulſando exporrectas fuiſſe, & dilatatas, neque enim ferreis ſoleis in piſtrino munitæ erant.

macie

macie exaſperati. Talis familiæ funeſtum mihi etiam metuens exemplum, veteriſque Lucii Fortunam recordatus, & [1] ad ultimam ſalutis metam detruſus, ſummiſſo capite mœrebam. Nec ullum uſpiàm cruciabilis vitæ ſolatium aderat, niſi quod ingenitâ mihi curioſitate recreabar, dum præſentiam meam parvi facientes, liberè quæ volunt omnes & agunt & loquuntur. Nec immeritò [2] priſcæ poeticæ divinus auctor apud Graios, ſummæ prudentiæ virum monſtrare cupiens, multarum civitatum obitu, & variorum populorum cognitu, ſummas adeptum virtutes cecinit. Nam & ipſe gratas gratias Aſino meo memini, quòd me ſuo celatum tegmine, variiſque fortunis exercitatum, etſi minùs prudentem, multiſcium certè reddidit. Fabulam denique bonam, præ cæteris [3] ſuavem compertam, ad aures veſtras afferre decrevi. & en, occipio. Piſtor ille, qui me pretio ſuum fecerat, bonus alioquin vir, & apprimè modeſtus, peſſimam & ante cunctas mulieres longè deterrimam ſortitus conjugem, [4] pœnas extremas

INTERPRETATIO.

ſcabie inveteratâ. Ego eamdem miſeriam mihi timens, qua videbam illam familiam affectam, memorque meæ priſtinæ fortunæ dum eram Lucius, videnſque me redactum ad extremum terminum meæ vitæ, lugebam demiſſo capite: neque ullum prorſus habebam ſolamen vitæ illius ærumnoſæ, niſi quòd exhilarabar curioſitate mihi innatâ, cùm ſcilicet omnes facerent, & dicerent liberè coràm me *quidquid volebant, contempta meâ præſentiâ. Et jure quidem meritòque divinus auctor antiquæ poëſeos inter Græcos, volens oſtendere hominum prudentiſſimum, dixit eum acquiſiviſſe maximas virtutes circuitione multarum urbium, & cognitione diverſarum nationum. Fateor enim me multùm debere meæ* formæ *aſininæ, quia velans me ſuo tegumento, exercenſque variis caſibus, effecit, ut ſi non adeò ſaperem, eſſem tamen peritus multarum rerum. Denique, ſtatui vobis narrare optimam hiſtoriam, quæ mihi viſa eſt in primis jucunda. atque ecce, incipio. Ille piſtor, qui me emerat, vir alioqui bonus, & valdè moderatus, patiebatur ſummum ſupplicium thalami jugalis & familiæ,* quippe qui *nactus* erat *uxorem nequiſſimam, & multò ſceleſtiſſimam om-*

NOTÆ.

1. *Ad ultimam ſalutis metam detruſus.*] Sic lego, Stevvechii emendationem ſecutus. In Beroaldi Editione, *ad ultima ſalutis me tandem truſum.* Lipſius, Cœlius Rhodiginus, & alii malunt pro *detruſus*, *detrux*, abſque ullo tamen exemplo hujus vocabuli.

2. *Priſcæ poeticæ divinus auctor*, &c.] Homerum intelligit, qui Ulyſſem prudentiſſimum oſtendere cupiens, Odyſſeam ſic auſpicatur:

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, &c.

Horatius vertit in Arte Poëticâ:

Muſa virum memora, captæ poſt tempora Trojæ
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

3. *Suavem compertam.*] Sic emendat Pricæus ex *ſuave comptam.* Sic lib. 1. *Me vera comperta memorare.* Adſtipulatur Codex Mſ. à Beroaldo laudatus.

4. *Pœnas extremas thori, lariſque ſuſtinebat.*] *Tori*, quia conjugem habebat adulteram: *laris*, quia ipſa eum oderat, adeoque domi omnia obnuxè faciebat, ut ipſi adverſaretur.

tori Lariſque ſuſtinebat: ut hercules! ejus vicem ego quoque tacitus frequenter ingemiſcerem. Nec enim ullum vitium nequiſſimæ illi fœminæ deerat; ſed omnia prorsùs, ut in quamdam cœnoſam latrinam, in ejus animum flagitia confluxerant. [1] ſcæva, ſæva, virioſa, ebrioſa, pervicax, pertinax, in rapinis turpibus avara, in ſumptibus fœdis profuſa, inimica fidei, hoſtis pudicitiæ. Tunc ſpretis, atque calcatis divinis numinibus, in vicem certæ religionis, [2] mentitâ ſacrilegâ præſumptione Dei, quem prædicaret unicum, [3] confictis obſervationibus vacuis, fallens omnes homines, & miſerum maritum decipiens, matutino mero, & continuo ſtupro corpus mancipârat. Talis illa mulier miro me perſequebatur odio: nam & antelucio recubans adhuc, ſubjungi machinæ novitium clamabat aſinum: & ſtatim ut cubiculo primùm proceſſerat, inſiſtens jubebat incoràm ſui plagas mihi quamplurimas irrogari. &, cùm tempeſtivo prandio laxarentur jumenta cæte-

INTERPRETATIO.

nium fœminarum : adeo *ut certè ego etiam ſæpè dolerem apud me ejus ſortem. Nam ne ullum quidem vitium deerat illi peſſimæ mulieri ; ſed omnia omninò ſcelera concurrerant in ejus mentem, veluti in aliquam cloacam lutoſam.* Erat *ominoſa, crudelis, virorum & vini appetens, obſtinata, contumax, avara in fœdâ rapacitate, prodiga in turpibus impenſis, adverſaria fidelitatis, inimica caſtitatis. Tum contemptis, atque ſubterhabitis Diis immortalibus, loco veræ religionis, confingens nefariam opinionem de Deo, quem dicebat unicum eſſe, mentita inanes cærimonias, & decipiens omnes homines, atque infelicem ſuum virum, devoverat ſuum corpus ebrietati, ab ipſo mane incipienti, & aſſiduo adulterio. Illa mulier ſic morata oderat me mirum in modum. nam ante lucem adhuc in lecto jacens,* magno *clamore præcipiebat, ut aſinus recens emptus molæ alligaretur : & cùm primùm egreſſa erat ex cubiculo, ſtatim imperabat, ut quamplurima verbera mihi coràm ſe congererentur,* ipſa *inſtans* cædentibus; *Cúmque reliqua jumenta ſolvebantur*

NOTÆ.

1. *Scæva.*] *Ominoſa, ſiniſtra, ſiniſteritatis plena.* Plin. in Epiſt. *Plerique dum verentur, ne gratiæ potentium impartiri videantur, ſiniſteritatis, atque etiam malignitatis famam conſequuntur.* Obſerva paronomaſiam in vocibus *ſcæva, ſæva, virioſa, ebrioſa, pervicax, pertinax.*

2. *Mentitâ ſacrilegâ præſumptione Dei, quem prædicaret unicum,* &c.] His verbis indicat mulierem illam Chriſtianam fuiſſe, idque præſertim apparet ex hac voce, *præſumptione*, ita enim ſanam, ac veram Chriſtianorum fidem Pagani illudentes appellabant. Tertull. in Apologetico : *hæc ſunt, quæ in nobis ſolis præſumptiones vocantur.* Idem in Montani & ſociorum paſſione; *Condiſcipuli ejus ſuadebant, ut, præſumptione depoſitâ, ſacrificaret.*

3. *Confictis obſervationibus vacuis, &c. matutino mero, & continuo ſtupro corpus mancipârat.*] *Vacuis*, pro *vanis*, Græcum eſt. Κενὸν enim & μάταιον ſæpè ſunt ſynonyma. Videtur autem per *vanas obſervationes* hîc intelligere Hymnos, preces, & pia convivia ſeu ἀγάπας, quas matutinis horis celebrabant veteres Chriſtiani, quæ convivia diffamabant Idololatræ illi, dicebantque, non tam religioſos ritus eſſe, quàm crapulæ, libidiniſque auctoramenta. Tertull. ad uxorem : *Quis conjugem ſuam ad convivium Dominicum illud, quod infamant, ſine ſcævâ ſuſpicione dimittet?*

ta, longè tardiùs applicari præſepio jubebar. Quâ ſævitiâ multò mihi magis genuinam curioſitatem in ſuos mores ampliaverat. Nam & aſſiduò planè commeantem in ejus cubiculum quemdam ſentiebam juvenem, cujus & faciem videre cupiebam ex ſummo ſtudio: ſi tamen velamentum capitis libertatem tribuiſſet meis alioquin luminibus: nec enim mihi ſolertia defuiſſet ad detegenda quoquo modo peſſimæ fœminæ flagitia. Sed anus quædam [1] ſtupri ſequeſtra, & adulterorum internuntia, de die quotidie inſeparabilis aderat. cum quâ protinùs jentaculo, ac dehinc vino mero mutuis vicibus velitata, [2] ſcenas fraudulentas, in exitium miſerrimi mariti ſubdolis ambagibus conſtruebat. At ego, quanquam graviter ſuccenſens errori Fotidis, quæ me dum avem [3] Fabricat, perficit aſinum, iſto tamen vel unico ſolatio ærumnabilis deformitatis meæ recreabar, quòd auribus grandiſſimis præditus, cuncta longulè etiam diſſita facillimè ſentiebam. Denique, die quâdam timidæ illius aniculæ ſermo talis meas defertur aures: De iſto quidem, [4] mi herilis, tecum ipſa videris, quæ ſine meo conſilio pigrum & formidoloſum familiarem iſtum ſortita es: qui inſuavis & odioſi mariti [5] tui caperatum ſupercilium ignaviter perhor-

INTERPRETATIO.

tempore prandii, jubebat me multò tardiùs duci ad præſepe. Quâ crudelitate multò magis auxerat ingenitam mihi curioſitatem ad ipſius mores obſervandos. Sentiebam enim quemdam juvenem quotidie prorſùs tranſeuntem in ejus cubiculum, cujus etiam vultum cupidiſſimè optabam inſpicere; ſi tamen faſciâ, quâ velatum erat meum caput, præbuiſſet alioqui meis oculis libertatem ipſius videndi. *Nam ſatis habuiſſem ſagacitatis ad crimina nequiſſimæ mulieris quomodocumque detegenda. At vetula quædam conciliatrix adulterii, & internuncia mœchorum, ſingulis diebus ipſi adſtabat* comes *individua per diem. cum quâ primùm jentans, ac deinde alternis vicibus vinum merum certatim potans, fraudulentis ambagibus concinnabat doloſos apparatus in perniciem infortunatiſſimi mariti. At ego, quamvis valdè iratus eſſem adverſus Fotidem, quòd errore ſuo me feciſſet aſinum, dum vellet in avem mutare; percipiebam tamen vel hoc unum ſolamen meæ cruciabilis deformitatis, quòd facillimè audiebam omnia etiam longiuſculè remota, utpote inſtructus longiſſimis auribus. Denique, quâdam die ejuſmodi oratio meticuloſæ illius anûs pervenit ad meas aures: Hera mea, delibera quidem apud te* quid ſtatuas *de illo pigro amico, quem tibi cepiſti me inconſultâ, qui trepidè reformidat ſeverum ſupercilium tui injucundi ata*

NOTÆ.

1. *Stupri ſequeſtra.*] *Intermedia.* Sic ſuprà, lib. 6. p. 203. *de Aſino virginalis fugæ ſequeſtro* ubi vide Not.

2. *Scenas fraudulentas.*] Apparatus doloſos, inſidioſaſque machinationes. Ita prorsùs legendum eſt, poſthabitis quæ hîc habet Colvius.

3. *Fabricat.*] Id eſt, *fabricare vult, molitur.*

4. *Mi herilis.*] Vide Not. 1. pag. 131. ſuprà.

5. *Caperatum ſupercilium.*] Feſtus: *Caperatum, rugoſum, à cornuum caprinorum ſimilitudine dicitur.* Varro de Linguâ Latinâ lib. 6. non à caprarum cornibus deducit, ſed ab earum fron-

reſcit ; ac per hoc amoris languidi deſidiâ tuos volentes amplexus diſcruciat. Quantò melior Phileſietærus, adoleſcens & formoſus, & liberalis, & ſtrenuus, & contra maritorum inefficaces diligentias conſtantiſſimus! dignus hercules ſolus omnium matronarum perfrui deliciis: dignus ſolus coronam auream capite geſtare, vel ob unicum iſtud, quod nunc nuper in quemdam zelotypum maritum eximio ſtudio commentus eſt. Audi denique, & [1] amatorum diverſum ingenium compara. Noſti quemdam Barbarum, noſtræ civitatis [2] decurionem, [3] quem ſcorpionem præ morum acritudine vulgus appellat. hic uxorem generoſam, & eximiâ formoſitate præditam, mirâ cuſtodelâ munitam, domi ſuæ quàm cautiſſimè cohibebat. Ad hæc, ultima piſtoris illa uxor, ſubjiciens: Quidni? inquit, novi diligenter. Areten meam condiſcipulam memoras. Ergo, inquit anus, noſti totam Phileſietæri etiam ipſius fabulam? Minimè gentium, inquit: ſed nôſſe valdè cupio, & oro, mater, ordine mihi ſingula retexe. Nec commorata illa ſermocinatrix immodica, ſic anus incipit. Barbarus iſte, cùm neceſſariam profectionem pararet, pudicitiamque caræ conjugis con-

INTERPRETATIO.

que inviſi conjugis, ideoque excruciat te ſegnitie ſui *languentis amoris, cùm* avidiſſimè *cupis eum amplecti. Quantum ipſi præſtat Phileſietærus juvenis & pulcher, & liberalis, & fortis, & ſummæ audaciæ adverſus inutilem vigilantiam maritorum! Certè ſolus meretur potiri amplexibus omnium matrum-familias: ſolus meretur ferre in capite coronam auream, vel propter hoc unum, quod nuperrimè excogitavit mirâ calliditate contra quemdam maritum zelotypum. Auſculta demùm, & confer* inter ſe *diverſam indolem* horum amborum *amatorum. Noſti quemdam* nomine *Barbarum, Senatorem noſtræ urbis, quem populus vocat ſcorpionem, propter aſperitatem morum. Hic vigilantiſſimè coërcebat domi uxorem nobilem, & præſtanti pulchritudine dotatam, muniens eam egregiâ cuſtodiâ. Ad ea reſpondens illa deterrima conjux piſtoris: Cur non? ait, Apprimè novi.* Nempè *Areten meam condiſcipulam dicis. Scis ergo (inquit vetula) totam hiſtoriam Phileſietæri? Nequaquam, ait: ſed vehementer opto ſcire, & precor te, ô parens, ut mihi omnia narres ordine. Et abſque morâ illa vetula loquaciſſima narratrix ſic exorditur. Barbarus ille, cùm jamjam ſuſcepturus eſſet iter neceſſariâ de causâ, & vellet diligentiſſimè conſervare ca-*

NOTÆ.

te rugosâ: *Caperatâ fronte à capræ fronte.* Et Nonius, cap. 1. *Caperare eſt rugis frontem contrahere, & aſperare. tractum à caprorum frontibus criſpis.*

1. *Amatorum.*] Tui nimirùm illius ſegnis ac meticuloſi, & hujus ſtrenui & conſtantiſſimi Phileſietæri.

2. *Decurionem.*] In municipiis, & coloniis Decuriones dicuntur, qui Romæ Senatores. Decreta Decurionum ſæpè citantur à ſcriptoribus. In re autem militari *Decuriones*, inquit Feſtus, *appellantur, qui præſunt denis equitibus.* Erant terni in ſingulis turmis, quæ duobus & triginta hominibus conſtabant auctore Vegetio.

3. *Quem ſcorpionem*, &c.] D. Hieronymus in Apocalypſin 1 *ſcorpiones vocantur, qui ſunt corde indomabili.*

ſervare ſummâ diligentiâ cuperet; ſervulum ſuum [1] Myrmecem, fidelitate præcipuâ cognitum, ſecretò commonet, ſuæque dominæ cuſtodelam omnem permittit: carcerem, & perpetua vincula, [2] mortem denique violentam & famem comminatus, ſi quiſquam hominum vel in tranſitu digito tenùs eam contigiſſet. idque dejerans etiam confirmat per omnia divina numina. Ergo igitur ſummo pavore perculſum Myrmecem acerrimum relinquens uxori [3] ſecutorem, ſecuram dirigit profectionem. Tunc obſtinato animo vehementer anxius Myrmex, nec uſquam dominam ſuam progredi ſinebat, & lanificio domeſtico deſtrictam inſeparabilis adſidebat. ac tantùm neceſſario [4] veſpertini lavacri progreſſu, affixus atque conglutinatus, extremas manu prehendens lacinias, mirâ ſagacitate commiſſæ provinciæ fidem tuebatur. Sed ardentem Phileſietæri vigilantiam matronæ nobilis pulchritudo latere non potuit. Atque hac ipſâ potiſſimùm famoſâ caſtitate, & inſignis

INTERPRETATIO.

ſtitatem ſuæ *dilectæ uxoris; commonefacit ſecretò ſervulum ſuum Myrmecem, quem noverat ſibi eſſe in primis fidelem, creditque* ejus fidei *totam cuſtodiam heræ ipſius, interminatus ei carcerem, atque æternas compedes, denique necem crudelem, & eſuritionem, ſi ullus vir eam tetigiſſet vel extremo digito, etiam tranſeundo. atque hoc affirmat jurans per omnes Deos. Relinquens igitur vigilantiſſimum comitem ſuæ conjugi Myrmecem perculſum maximo terrore, iter ingreditur depoſitâ ſollicitudine. Tunc Myrmex obfirmatâ mente valdè ſollicitus, nuſquam permittebat ire ſuam heram, &* detinens *eam domi occupatam lanæ nendæ aſſidebat* ipſi comes *individuus. & dum neceſſe erat eam exire,* quod *veſpere tantùm* contingebat *balnei* petendi *causâ, adhærens ipſi, & agglutinatus tenenſque manu oram* veſtis ejus, *officio ſibi injuncto fungebatur egregiâ ſolertiâ ac fidelitate. Sed forma nobilis illius matronæ non potuit occultari ardenti vigilantiæ Phileſietæri. Et irretitus atque accenſus hac ipſâ præſertim pudicitiâ tam celebri, & nimiâ* vigilantiâ *exi-*

NOTÆ.

1. *Myrmecem.*] μύρμηξ *formica* Græcis eſt. hinc appoſitè *Myrmecis* nomen laborioſo, fideli, & frugi ſervo inditum.

2. *Mortem violentam & famem.*] Elmenhorſtius tuetur ſcriptam in Mſs. quibuſdam lectionem *mortem violentam & defamem*, fruſtrà. Nihil hîc ſollicitandum. Notum eſt herilis in ſervos ſævitiæ fuiſſe, eos macerare fame. In Epiſtolâ Divi Antonini Pii ad Ælium Marcianum Proconſulem Bœticæ relatâ leg. 2. ff. *de his, qui ſui, vel alieni juris ſunt. Sed dominorum intereſt,* inquit Imperator, *ne auxilium contra ſævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur his, qui juſtè deprecantur, &c.* Apud Plautum, in Menæchmis Act. 5. Scen. 6. Meſſenio ſervus.

—— Verbera, compedes, molæ, magna
Laſſitudo, fames, frigus durum,
Hæc pretia ſunt ignaviæ.
Id ego malum metuo, &c.

Si quid ergo mutandum hîc eſſet, legerem: *mortem lentam de fame*, id eſt, *fame accerſitam.*

3. *Secutorem.*] Comitem individuum. De ſecutoribus in re gladiatoriâ dixi lib. 4. pag. 115.

4. *Veſpertini lavacri.*] Quod mulieri prohiberi inhumanum fuiſſet, ex moribus præſertim illorum temporum quibus non erant lintea in uſu familiari.

tutelæ nimietate [1] inſtrictus atque inflammatus, quidvis facere & quidvis pati paratus, ad expugnandam tenacem domûs diſciplinam totis accingitur viribus. certuſque fragilitatis humanæ fidei, & quòd pecuniæ cunctæ ſint difficultates perviæ, auroque ſoleant adamantinæ etiam perfringi fores; opportunè nactus Myrmecis ſolitatem, ei amorem ſuum aperit: & ſupplex eum medelam cruciatui deprecatur. nam ſibi ſtatutam decretamque mortem proximare, nî maturiùs cupito potiatur. Nec eum tamen quidquam in re facili formidare debere. quippe cùm veſperâ ſolus, fide tenebrarum contectus atque abſconditus introrepere, & intra momentum temporis remeare poſſet. His & hujuſcemodi ſuadelis [2] validum addens cuneum, qui rigentem prorsùs ſervi tenacitatem violenter diffinderet. porrectâ enim manu ſuâ, demonſtrat ei novitate nimiâ [3] candentes ſolidos aureos: quorum viginti quidem puellæ deſtinâſſet; ipſi verò decem libenter offerret. Exhorruit Myrmex inauditum facinus, & occluſis auribus effugit protinùs. Nec auri tamen ſplendor flammeus oculos ipſius exire potuit: ſed quanquam procul ſemotus, & domum celeri gradu provectus, videbat tamen decôra illa monetæ lumina, & opulentam

INTERPRETATIO.

nimiæ illius *cuſtodiæ, comparat ſe toto niſu ad corrumpendam ſeveram diſciplinam* illius *domûs, certus omnia & exequi, & tolerare. Et cùm certò ſciret humanam fidem eſſe fragilem, & omnes difficultates planas eſſe pecuniæ, januaſque etiam duriſſimas ſolere diffringi auro; invento opportunè Myrmece ſolitario, declarat ei ſuum amorem, & petit ab eo ſuppliciter remedium ſuo angori ſe enim ſtatuiſſe, & decreviſſe brevi mori, niſi quamprimùm fieret voti ſui compos. Ei tamen nihil in re facili eſſe timendum, cùm nempè poſſet ipſe veſpere penetrare intra ædes ſolus, velatus atque occultatus beneficio obſcuritatis, & momento pòſt exire. Adjungens his, & ſimilibus perſuaſionibus validum cuneum, qui violenter diffinderet obſtinationem planè rigidam ſervi. Apertâ enim ſuâ manu, oſtendit ei ſolidos aureos ſplendentes (quod* ipſi *valdè novum* viſu erat*) ex quibus aiebat ſe deſtinâſſe viginti quidem mulieri, decem verò ei libenter offerre. Myrmex audivit cum horrore ſcelus* ſibi anteà *inauditum, & obturatis auribus confeſtim aufugit. Neque tamen igneus fulgor auri potuit excedere ex ejus oculis, ſed quamvis procul receſſiſſet, & citato greſſu domum perveniſſet* ſibi *tamen* videbatur *intueri pulcros illos pecuniæ fulgores, & jam mente poſſide-*

NOTÆ.

1. *Inſtrictus.*] Meliùs ex Vicentinâ editione & Mſ. Oxon. reponas *inſtinctus.*

2. *Validum addens cuneum.*] Legebat Beroaldus *aculeum.* Sed optimè Stevvechius *cuneum* repoſuit. Metaphoricè ſcilicet indicat Apuleius, quemadmodum adacto ferreo cuneo diffinduntur ligna, ſic oblatâ pecuniâ diffiſſam fuiſſe fidem ac tenacitatem Myrmecis.

3. *Candentes ſolidos aureos.*] *Candentes* hìc ne intelligas albicantes, ſed fulgentes, & quaſi ignitos. Sic paulò infrà: *nec auri tamen ſplendor flammeus oculos ipſius exire potuit.*

prædam jam tenebat animo: miroque [1] mentis ſalo & cogitationum diſſenſione, miſellus in diverſas ſententias carpebatur, ac diſtrahebatur. Illic fides, hîc lucrum; [2] illic cruciatus, [3] hîc voluptas. Ad poſtremum tamen, formidinem mortis vicit aurum. Nec ſaltem ſpatio cupido formoſæ pecuniæ leniebatur. ſed nocturnas etiam curas invaſerat peſtilens avaritia, ut, quamvis herilis eum comminatio domi cohiberet, aurum tamen foras evocaret. Tunc, devorato pudore, & dimotâ contatione, ſic ad aures dominæ [4] mandatum perfert. Nec à genuinâ levitate deſcivit mulier, ſed execrando metallo pudicitiam ſuam protinùs [5] auctorata eſt. Ita gaudio perfuſus, ad ſuæ fidei præcipitium; Myrmex non modò capere, verùm ſaltem contingere, quam exitio ſuo viderat, pecuniam cupiens, & magnis ſuis laboribus perfectum deſiderium Phileſietæro, lætitiâ percitus, nuntiat: ſtatimque deſtinatum pretium repoſcit. & tenet nummos aureos manus Myrmecis, quæ nec æreos nôrat. Jamque nocte promotâ, ſolum perducit ad domum, [6] probéque capite contectum, amatorem ſtrenuum infert ad-

INTERPRETATIO.

bat opulentum lucrum, atque infelix ſcindebatur, & divellebatur in ſtudia contraria mirabili animi æſtu, ac diſcordiâ cogitationum. Illinc fidelitas urget, *hinc* inſtat *quæſtus; illinc tormenta* impendent, *hinc* affulget *gaudium. Noviſſimè tamen aurum ſuperavit necis metum. Neque aviditas pulcræ monetæ tempore ſaltem mitigabatur. ſed peſtilens avaritia noctu quoque* ejus animum *ſollicitudinibus agitabat; ita ut, quamvis minæ heri retinerent eum domi, aurum tamen evocaret foras. Tunc omni prorsùs verecundiâ calcatâ, & ſublatâ morâ, illicò narrat ſuæ heræ quod ſibi erat præceptum. Ipſa verò non degeneravit ab innatâ ſibi levitate, ſed confeſtim mancipavit ſuam pudicitiam execrabili metallo. Sic Myrmex lætitiâ delibutus in naufragio ſuæ fidelitatis, optanſque non capere ſolum, ſed vel manibus tractare aurum, quod in ſuam perniciem aſpexerat, gaudio geſtiens refert Phileſietæro, ſe tandem magnis laboribus effeciſſe quod cupiebat: continuóque petit mercedem ſibi promiſſam. & manus Myrmecis* jam *tenet nummos aureos, quæ* anteà *ne æreos quidem* unquam *contigerat. Jamque nocte provectâ deducit ad domum fortem* illum *amatorem ſolum, & introducit eum capite probè velato uſ-*

NOTÆ.

1. *Mentis ſalo.* Fluctuatione animi, qui inſtar ſali, id eſt, *maris* agitabatur, & fluctuabat.

2. *Illic cruciatus.*] Si herus reſciſceret ſibi non ſervatam fidem.

3. *Hic voluptas.*] Si oblatis aureis frui poſſet.

4. *Mandatum.*] Phileſietæri:

5. *Auctorata eſt.*] Vide lib. 2. Not. p. 57. ad vocem *auctoratus.* Obſerva tamen illic paſſivè ſumi, hîc activè.

6. *Probéque capite contectum.*] Juvenal. Satyrâ 8.

——— nocturnus adulter
Tempora Santonico velans adoperta cucullo.

Apud Horatium, Satyr. 7. lib. 2. Serm. Davus ad herum:

Tu cum projectis inſignibus, annulo equeſtri,
Romanoque habitu prodis ex judice Dama
Turpis; odoratum caput obſcurante lacerna,
Non es quod ſimulas?

uſque dominæ cubiculum. * * * * * * * * * * * * * * contra omnium opinonem, captatâ noctis opportunitate, improviſus maritus aſſiſtit. ſuæ domûs januam jam pulſat, jam clamitat, jam ſaxo fores verberat: & ipsâ tarditate magis magiſque ſuſpectus, dira comminatur Myrmeci ſupplicia. At ille, repentino malo perturbatus, & miſerâ trepidatione ad inopiam conſilii deductus, quod ſolùm poterat, nocturnas tenebras cauſabatur ſibi obſiſtere, quin clavem curiosè abſconditam reperiret. Interdum Phileſietærus, cognito ſtrepitu, raptim tunicam injectus, ſed planè præ turbatione pedibus intectis, procurrit cubiculo. Tunc Myrmex, tandem clave peſſulis ſubjectâ, repandit fores: & recipit tunc etiam fidem Deûm boantem dominum. eóque properè cubiculum petente, clandeſtino tranſcurſu dimittit Phileſietærum Quo jam pro limine liberato, ſecurus ſui, clausâ domo, rursùm ſe reddidit quieti. Sed dum primâ luce Barbarus procedit cubiculo, videt ſub lectulo ſoleas incognitas, quibus indutus Phileſietærus irrepſerat: ſuſpectuſque è re natâ, quæ geſta ſunt: non uxori, non ulli familiarium [2] cordolio patefacto, ſublatis his, & in ſinum furtim abſconditis, juſſo tantùm Myrmece per conſervos vincto forum versùs detrahi, tacitos ſecum mugitus iterans, rapidum

INTERPRETATIO.

que ad thalamum ſua hera. * * * * * * * * * * * * * *maritus aucupatus commodum tempus noctis, de improviſo adeſt prater omnium expectationem. jam percutit oſtium ſuarum ædium, jam clamat, jam tundit fores lapide: & ipsâ morâ magis magiſque augente ejus ſuſpicionem, crudeles pœnas minatur Myrmeci. Ille verò attonitus ſubito malo, & pra metu neſciens quid ſibi eſſet agendum, quod poterat unum, dicebat obſcuritatem noctis impedire quominùs inveniret clavem, quam ſedulò occultaverat. Interim Phileſietarus, audito clamore, indutâ celeriter veſte, ſed certè pedibus nudis pra trepidatione, erumpit ex cubiculo. Tunc Myrmex, clave tandem ſubditâ peſſulis, aperit januam: & excipit herum, adhuc clamore teſtantem Deos. dumque is feſtinanter it in cubiculum,* ille *emittit Phileſietarum occultâ fugâ* ſe proripientem. *Quem cùm jam emiſiſſet extra fores, depoſitâ formidine, domum claudit, ſeque iterùm componit ad ſomnum. At Barbarus è thalamo exiens diluculò, animadvertit ſub lecto ſoleas e* ſibi *incognitas, quibus calceatus erat Phileſietarus, cùm introiverat: ſuſpicatuſque ex ipsâ re quod contigerat: neque conjugi ſua, neque ulli ex domeſticis declarato animi ſui dolore, tollit eas, atque clàm occultat in ſinu, imperanſque duntaxat Myrmecem vinctum trahi per alios ſervos forum versùs, citato gradu* illuc *tendit*

NOTÆ.

1. *Suſpectus.*] *Suſpicans, ſuſpicioſus*, activâ ſignificatione. Sic Ammianus Marcellinus, lib. 16. *Suſpectior de obſcuris, nec referre gradum, nec ulteriùs ire tentavit.*

2. *Cordolio.*] A *dolore*, & *corde*, *Cordolium* factum. Plaut. Pœnulo:

Sed ubi exempla conferentur meretricum aliarum, ibi tibi
Erit cordolium; ſi quam ornatam meliùs fortè conſpexeris.

dirigit

dirigit greſſum; certus ſolearum indicio veſtigium adulteri poſſe ſe perfacilè indipiſci. Sed ecce, per plateam dum Barbarus vultu turgido ſubductiſque ſuperciliis incedit iratus; ac ponè eum Myrmex vinculis obrutus, non quidem coràm noxæ deprehenſus, conſcientiâ tamen peſſimâ [1] pervictus, lacrymis uberibus ac poſtremis lamentationibus inefficacem commovet miſerationem: opportunè Philesietærus occurrens, quanquam diverſo quodam negotio deſtinatus, repentinâ tamen facie permotus, non enim deterritus, recolens feſtinationis ſuæ delictum, ut cætera conſequenter ſuſpicatus, ſagaciter extemplò ſumptâ familiari cònſtantiâ, [2] dimotis ſervulis invadit cum ſummo clamore Myrmecem, pugniſque malas ejus [3] clementer obtundens, At te, inquit, nequiſſimum & perjurum caput, dominus iſte tuus; & cuncta cœli numina, quæ dejerando temerè [4] devotâſti, peſſimum peſſimè perdant! qui de balneis ſoleas heſternâ die mihi furatus es: dignus, hercules! dignus, qui & iſta vincula conteras, & inſuper etiam carceris tenebras perferas. Hac opportunâ fallaciâ vigorati juvenis inductus, [5] immò os ſublitus & ad credulitatem delapſus Barbarus, poſt-

INTERPRETATIO.

ingeminans apud ſe tacitos gemitus, ſperans ſe certò comperturum indicio ſolearum quis eſſet mœchus. Sed dum Barbarus progreditur per viam iratus tumenti facie, contractis ſuperciliis, & poſt ipſum Myrmex gravis catenis, non quidem oppreſſus in manifeſto crimine, ſed tamen convictus ſuâ malâ conſcientiâ, abundantibus lacrymis & miſerrimis lamentis excitat miſericordiam ſibi *inutilem: Philesietærus commodè occurrens, quamvis diſtrictus* eſſet *alio quodam negotio, tamen commotus ſubito ſpectaculo, ſed non perturbatus, recogitans quid peccaverat ſuâ properatione, ubi ex conſequenti reliqua cònjecit, captâ protinùs aſtutè ſuâ ſolitâ audacia, diſpulſis* hinc inde *ſervulis irruit in Myrmecem cum maximâ exclamatione, ferienſque leniter ejus genas pugnis, At hic tuus herus, inquit, atque omnes Dii, quos temerè jurando invocâſti, te nequiſſimum perdant, ut meritus es, ſceleſtiſſime, ac perjure vir! qui mihi ſubripuiſti heri ſoleas ex thermis. Mereris profectò, mereris* uſu *conterere iſtas compedes, & præterea ſuſtinere etiam obſcuritatem carceris. Barbarus deceptus, vel potiùs ludificatus hoc tempeſtivo dolo confidentis juvenis, & fidem credulè* ejus verbis *habens, do-*

NOTÆ.

1. *Pervictus.*] Editiones omnes habebant *permixtus*. Emendavit Stevvechius *pervictus*, benè, meâ ſententiâ, reclamet licet Pricæus. Poteſt quidem ſenſus elici non abſurdus ex priori lectione, ſed longè planior ex hac elicietur, ſi modò virgulam, quæ in vulgatis editionibus vocem *permixtus* præcedit, hic poſt *pervictus* reponas.

2. *Dimotis ſervulis.*] Qui Myrmecem vinctum trahebant.

3. *Clementer.*] Neque enim ſeriò, ſed ſimulanter ei erat iratus.

4. *Devotâſti*] *Votis vocâſti* reponit Pricæus ex Lipſii MS. & Oxon. *devorâſti*, ut idem ſit *numina devorare* quod *numina ſpernere*, & *calcare*. Sic paulò ſuprà: *tunc devorato pudore*, &c.

5. *Immo os ſublitus, & ad credulitatem &c.*] Sic optimè Stevvechius. Priùs legebatur: *immo ſublatus, & ad crudelitatem &c.* Quid ſit *os ſublitus*, & *sublinere os*, audi Nonium docentem, cap. 1. *Sublevit ſignificat illuſit*,

liminiò domum regreſſus, vocato Myrmece ſoleas illas offerens, & ignovit ex animo, & uti domino redderet, cui ſubripuerat, ſuaſit. Hactenus adhuc aniculâ garriente, ſuſcipit mulier: Beatam illam, quæ tam conſtantis ſodalis libertate fruitur! At ego miſella, molæ etiam ſonum, & cœcam illius ſcabioſi aſini faciem timentem familiarem incidi. Ad hæc anus: Jam ego tibi, probè ſuaſum & [1] confirmatum animi amatorem illum alacrem, [2] vadimonio ſiſtam. Et inſuper, condictâ veſpertinâ regreſſione, cubiculo faceſſit. At pudica uxor ſtatim [3] cœnas Saliares comparat, [4] vina pretioſa defæcat, pulmenta recentia [5] tucetis temperat, menſâ largiter inſtructâ. Denique, ut Dei cujuſdam, ſic adventus expectatur adulteri. nam & opportunè maritus foris [6] apud naccam proximum cœnitabat. Ergo igitur meridie propinquante, helcio tandem abſolutus, refectuique ſecurè redditus,

INTERPRETATIO.

mum rurſum rediit, vocatoque Myrmece, & exhibitis ſoleis, ultrò ei pepercit, & hortatus eſt, ut redderet domino, cui furatus erat. Vix ea narraverat illa anus, cùm mulier orationem reſumit hoc modo: O quàm felix eſt illa, quæ fruitur liberâ conſuetudine *amici tam fortis! Ego verò infelix nacta ſum amatorem, qui reformidat etiam ſtrepitum molæ, & velatum caput illius ſcabioſi aſini. Vetula ad ea* reſpondet: *Jamjam faxo ut ille promptus amator tibi adſit ad condictum tempus, benè perſuaſus, & obfirmatus animo. Pollicitaque prætereà ſe redituram veſpere, abit ex cubiculo. Uxor verò illa caſta continuò apparat epulas lautiſſimas, purgat fæcibus generoſa vina, intermiſcet pulmenta recentia tucetis, menſam copioſiſſimis* cibis *onerans. Uno verbo, expectatur acceſſus mœchi, tanquam alicujus Dei. Commodè enim maritus foris cœnabat apud vicinum fullonem. Appetente ergo jam meridie,* ego *tandem ſolutus vinculo tractorio, & tranquillè admotus cibo, certè non*

NOTÆ.

& pro ridiculo habuit. tractum à genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur. Plautus, Aulularià: Fidei cenſebam maximam multò fidem eſſe; ea ſublevit os mihi peniſſumè. Loco autem *crudelitatem* reponendum omninò eſſe *credulitatem* patet.

1. *Confirmatum animi.*] Pro *animo.* Archaïſmus eſt. Sic *pendens animi, animi dubius,* & ſexcenta ejuſmodi.

2. *Vadimonio ſiſtam.*] Conſimili metaphorâ Plautus:

Ubi tu es, qui me convadatu's Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citaſti?
Ecce me ſiſto, &c.

Vide lib. 4. Not. pag. 120.

3. *Cœnas Saliares.*] Vide Not. lib. 4. pag. 124.

4. *Vina pretioſa defæcat.*] Defæcabantur vina per ſaccum tranſmittendo. Unde *ſaccare* pro *percolare*, & *defæcare.* Martial.

Cæcuba ſaccentur, quæque annus coxit Opimi.

Saccus ille in turbinis modum acuminatus erat. Colum. *Saccus inverſæ metæ ſimilis, qualis eſt, quo vinum liquatur.*

5. *Tucetis temperat.*] *Tuceta* hìc videntur accipi pro condimentis. Vide lib. 2. Not. pag. 43.

6. *Apud Naccam.*] Feſtus: *Naccæ appellantur vulgò fullones, ut ait Curiatius, quod nauci non ſint, id eſt, nullius pretii.*

non tam hercules laboris libertate gratulabar, quàm quòd revelatis luminibus, liberè jam cunctas facinoroſæ mulieris artes proſpectare poteram. Sol ipſum quidem delapſus Oceanum, ſubterrenas orbis plagas illuminabat: & ecce, nequiſſimæ anûs adhærens lateri temerarius adulter adventat: puer admodùm, & adhuc lubrico genarum ſplendore conſpicuus * Hunc multis admodùm ſaviis exceptum, mulier cœnam jubet paratam accumbere. Sed ut primùm [1] occurſoriam potionem & inchoatum guſtum extremis labiis contingebat adoleſcens; multò celeriùs opinione rediens, maritus adventat. Tunc uxor egregia, diras devotiones in eum deprecata, & [2] crurum ei fragium obominata, exangui formidine trepidantem adulterum alveo ligneo, quo frumenta confuſa purgari conſueverant, temerè propter jacenti ſuppoſitum, abſcondit: ingenitâque aſtutiâ diſſimulato tanto flagitio, intrepidum mentita vultum, percontatur de marito, cur utique contubernalis arctiſſimi deſertâ cœnulâ, præmaturus afforet. At ille dolenti prorsùs animo ſuſpirans aſſiduè, Nefarium, inquit, & extremum facinus perditæ fœminæ tolerare nequiens, fugâ me proripui. Hem qualis, Dii boni! matrona, quam fida, quámque ſobria, turpiſſimo ſe dedecore fœdavit! [3] Juro per iſtam ego ſanctam

INTERPRETATIO.

*tam gaudebam, quòd eſſem ſolutus ab opere, quàm quòd oculis diſcoopertis poſſem jam liberè aſpicere omnes dolos ſceleſtæ mulieris. Jam Sol quidem demerſus infra mare illuſtrabat inferiores terræ partes, cùm audax ille mœchus advenit affixus lateri vetulæ peſſimæ, ipſe valde juvenis, & adhuc ſpectabilis lævi nitore genarum * * * Mulier excipit eum plurimis baſiis & jubet accumbere epulis inſtructis. At cùm juvenis inciperet tangere extremitate labiorum poculum*, quod *in* primo *occurſu* propinatur *& cibum prægustatorium; maritus advenit, revertens longè citiùs, quàm putabant. Tunc præclara illa conjux devovens eum omnibus diris, & imprecata ipſi fractionem crurum, abdit mœchum trementem pallido metu, ponens eum ſub alveo ligneo, quo frumenta permixta* aliis ſeminibus *ſolebant expurgari, qui tum forte jacebat propè: tectoque ſcelere nativâ ſua calliditate diſſimulato, facie ſic confirmatâ quaſi nihil timeret, quærit à marito, quam tandem ob cauſam veniſſet præproperè relictâ cœnâ conjunctiſſimi ſodalis. Ille verò mœrenti penitùs animo perpetuò ſuſpirans; Cùm, inquit, non poſſem ferre flagitium nefandum & turpiſſimum corruptiſſimæ mulieris, aufugi. Proh Superi! qualis* erat *illa mater-familias! quàm fidelis, & quàm temperans*, quæ tamen *maculavit ſe flagitio fœdiſſimo! Juro ego per*

NOTÆ.

1. *Occurſoriam potionem.*] Athenæo πρόπομα, Petronio *guſtationem & promulſidem*, ſcilicet ante cibum omnem circumferebatur phiala, ex quâ omnes hauriebant.

2. *Crurum ei fragium obominata.*] Adverte *crurum fragium* duabus vocibus licenter ab Apuleio dictum pro *crurifragium* unâ voce, quod apud Plautum frequentiſſimum eſt.

3. *Juro per iſtam ego ſanctam Cererem.*] Juramentum piſtori congruum. Hoc autem dicit piſtor oſtendens Cereris ſtatuam aliquam, quam veriſimile eſt in piſtrino fuiſſe, vel oſtendit ipſum frumentum, aut etiam panem. Hæc enim Cereris nomine ſæpiùs appellantur.

Cererem, me nunc etiam meis oculis de tali muliere minùs credere. His inſtinɛta verbis mariti audaciſſima uxor, noſcendæ rei cupiens, non ceſſat obtundere, totam prorsùs à principio fabulam promeret. Nec deſtitit: donec ejus voluntati ſuccubuit maritus. & ſic, ignarus ſuorum, domûs alienæ percenſet infortunium: Contubernalis mei fullonis uxor, alioqui ſervati pudoris, ut videbatur, fœmina, quæ ſemper ſecundo rumore glorioſa, Larem mariti pudicè gubernabat, occultâ libidine prorupit in adulterum quempiam. Cùmque furtivos amplexus obiret aſſiduè, ipſo illo denique momento, quo nos lavati cœnam petebamus, cum eodem illo juvene miſcebatur in Venerem. Ergo noſtrâ repentè turbata præſentiâ, ſubitario ducta conſilio, eumdem illum ſubjectum contegit vimineâ caveâ: quæ [1] fuſtium flexu in rectum [2] aggregata cumulum, lacinias circumdatas, [3] ſuffuſa candido fumo ſulfuris, inalbabat, eoque jam, ut ſibi videbatur, tutiſſimè celato, menſam nobiſcum ſecura participat. Interdum acerrimo gravique odore ſulfuris juvenis ineſcatus atque obnubilatus, intercluſo ſpiritu diffluebat: utque eſt ingenium [4] vivacis metalli, crebras ei

Interpretatio.

hanc ſanctam Cererem, me etiam nunc vix fidem habere meis oculis de ejuſmodi fœminâ. Impudentiſſima uxor incitata verbis ſui *mariti, cupienſque rem ſcire, non deſinit eum* precibus *obtundere*, ut *narraret totam omninò hiſtoriam ab initio. Nec ceſſavit quoad maritus ceſſit ejus voluntati. Narratque hoc modo calamitatem domûs alienæ, ignorans ſuas* ipſius: *Uxor amici mei fullonis, mulier alioquin illibatæ, ut videbatur, pudicitiæ, quæ ſemper ſuperbiens bonâ famâ, caſtè regebat domum mariti* ſui, *ſecreto amore exarſit in quemdam mœchum. Cúmque continuè cum illo juvene clàm rem haberet, illo ipſo demùm puncto temporis, quo nos à balneo ibamus cœnatum, cum eo rem habebat. Turbata igitur noſtro ſubito adventu, capto repentino conſilio, abſcondit illum ipſum* adulterum *ſub caveâ vimineâ, quæ implexa ex baculis flexis in cumulum erectum, & ſuffita candido fumo ſulfuris inſerviebat dealbandis pannis* ipſi *circumpoſitis. Eoque jam optimè occultato, ut quidem putabat, accumbit nobiſcum menſæ abſque ullâ ſollicitudine. Interim juvenis, hauſto gravi, atque acerrimo odore ſulfuris, eoque præfocatus, ac veluti nubilo obvolutus, interceptâ animâ deficiebat: & acre illud foſſile excitabat ei frequentes ſter-*

Notæ.

1. *Fuſtium.*] Virgarum ſalignarum, aut id genus vitilium.

2. *Aggregata.*] Oxon. Mſ. referente Pricæo, habet *oggerata*, quod melius meâ ſententiâ.

3. *Suffuſa candido fumo ſulfuris, &c.*] Notum eſt ope fumi ſulfurei permulta inalbari lanea, & ſerica. Putant Pric. & Wovver. loco *ſuffuſa* reponendum eſſe *ſuffita*, ex eò quòd Plinius dicat *uſum ſulſuris ad ſuffiendas lanas eſſe efficacem.* Sed utrayis lectio retineatur ſenſus planus eſt, tam enim dicitur *fumo ſuffundere*, quàm *ſulfure ſuffire.*

4. *Vivacis metalli.*] *Vivax* dicitur *ſulfur* à vividis ſpiritibus, quibus ſcatet, & facilitate, quâ ignem concipit. Metalli porrò nomine non modò ſeptem vulgò celebrata metalla intelliguntur, ſed ea ferè omnia, quæ effodiuntur è terræ venis, putà alumen, vitriolum, ſulfur, ceteraque id genus, quæ *mineralia* vulgò appellant. Quin

ſternutationes commovebat. Atque ut primùm è regione mulieris, ponè tergum ejus maritus acceperat ſonum ſternutationis, quod enim putaret ab eâ profectum; [1] ſolito ſermone ſalutem ei fuerat imprecatus, & iterato rursùm, & frequentato ſæpiùs: donec rei nimietate commotus, quod res erat tandem ſuſpicatur. Et, [2] impulsâ mensâ protinùs, remotâque caveâ, producit hominem crebros anhelitus ægrè reflantem: inflammatuſque indignatione contumeliæ, gladium flagitans, jugulare moriturum geſtiebat; nî reſpecto [3] communi periculo, vix eum ab impetu furioſo cohibuiſſem, adſeverans brevi, abſque noxâ noſtri, ſuâpte inimicum ejus violentiâ ſulfuris periturum. Nec ſuadelâ meâ, ſed ipſius rei neceſſitate lenitus, quippe jam ſemivivum, illum in proximum deportat angiportum. Tunc uxorem ejus tacitè ſuaſi, ac denique perſuaſi, [4] ſecederet paululùm, atque ultra limen tabernæ ad quampiam tantiſper familiarem ſibi mulierem; quoad ſpatio fervens mariti ſedaretur animus: qui tanto calore, tantâque rabie

Interpretatio.

nutationes, ut eſt ejus natura. Et ſimul ac maritus, qui ſedebat ex adverſo uxoris, audierat ſonum ſternutamenti poſt tergum ipſius, quia ſcilicet credebat ab ipſâ prodiiſſe; optaverat ei ſalutem verbis conſuetis, cúmque iteráſſet, rursùs ſalutem ei optaverat, *crebroque* ſternutantem eâdem ſalute fuerat *ſæpiùs* proſecutus. *quoad permotus nimiâ frequentiâ* ſternutationum. *venit tandem in ſuſpicionem rei. Repulsâque continuò mensâ. & remotâ caveâ educit hominem frequenter anhelantem, & difficulter reſpirantem: & accenſus irâ ob* tantum *opprobrium, gladium poſcens. cupiebat interficere ipſum*, aliàs brevi *expiraturum; niſi ego conſiderans commune* noſtrum *periculum, ægrè eum impedivissem quominùs* in eum *furiosè irrueret, affirmans ei inimicum ejus jamjam moriturum propriâ vi ſulfuris ſine noſtrâ culpâ. Et mitior factus, non meâ ſuaſione quidem, ſed neceſſitate rei ipſius, defert eum in proximum vicum, erat enim jam ſemimortuus. Tunc ego ſecretò monui ejus conjugem, ac tandem perſuaſi, ut tantulùm diſcederet extra officinam, ſeque reciperet in aliquod tempus ad mulierem quamdam ſibi amicam, donec tempore placaretur ira mariti ejus, quem non dubitabam percitum tanto ardore, tantoque furore*

Notæ.

& ipſæ venæ foſſilium à Plinio, Vitruvio, aliiſque *metalla* vocitantur. Sic *metalla auri, argenti, æris, aluminis*, &c. paſſim in iis auctoribus reperias.

1. *Solito ſermone ſalutem ei fuerat imprecatus.*] Sternuentes ſalutare antiquum eſſe morem cùm hic locus probat, tùm alia multa ex antiquioribus ſcriptoribus. Vetus Poëta Ammianus, Epigrammate relato, lib. 2. Authologiæ:

Οὐδὲ λέγει Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πτάρῃ. οὐ γὰρ ἀκούει
Τῆς ῥινός, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

Id eſt.

Neque dicit Jupiter ſerva me, ſi ſternuat, neque enim audit Naſum ſuum, *multùm enim ab auditu diſtat.*

2. *Impulsâ mensâ.*] Cui accumbebat ipſe.

3. *Communi periculo.*] Quod fulloni, ut homicidæ, piſtori verò, ut homicidii conſcio, & participi inſtitiſſet.

4. *Secederet paululùm*, &c.] Hiulca eſt hæc oratio Reformat Pricæus, tranſlato *atque* in alium locum, & addito in fine *diverteret*, & legit: *ſecederet paululùm ultrà limen tabernæ, atque ad quampiam tantiſper familiarem ſibi mulierem diverteret, quoad*, &c. quam ego lectionem in interpretatione expreſſi.

percullſus, [1] non eram dubius aliquid etiam de ſe ſuâque conjuge triſtius profectò cogitaret [2] aliud. Contubernalis epularum tædio fugatus, Larem reveni meum. Hæc recenſente piſtore, jamdudum procax & temeraria mulier, verbis execrantibus fullonis illius deteſtabatur uxorem: illam perfidam, illam impudicam, denique univerſi ſexûs grande dedecus, quæ, ſuo pudore poſtpoſito, torique genialis calcato fœdere, Larem mariti lupanari maculâſſet infamiâ; jámque perditâ nuptæ dignitate, proſtitutæ ſibi nomen adſciverit. Addebat & tales oportere vivas exuri fœminas. Et tamen taciti vulneris, & ſuæ ſordidæ conſcientiæ commonita, quo maturiùs ſtupratorem ſuum tegminis cruciatu liberaret, identidem ſuadebat maritum temporiùs quieti recedere. At ille, utpote interceptâ cœnâ profugerat prorsùs jejunus, menſam poni comiter poſtulabat. Apponebat ei properè, quamvis invita, mulier. quippini? [3] deſtinatam alii. Sed mihi penitùs carpebantur præcordia, & præcedens facinus, ac præſentem deterrimæ fœminæ conſtantiam cogitanti: mecumque ſedulò deliberabam, ſi quo modo poſſem, detectis ac revelatis fraudibus, auxilium meo perhibere domino: illumque, qui inſtar teſtudinis alveum ſuccubabat, depulſo tegmine, cunctis palàm facere. Sic herili contumeliâ me cruciatum tandem cœleſtis reſpexit providentia. Nam ſenex claudus, cui noſtra

INTERPRETATIO.

aliquid aliud certè meditaturum funeſtius de ſe deque ſuâ uxore. Expulſus faſtidio convivii amici mei, redii in meam domum. Dum piſtor hæc narraret, mulier illa proterva & audax jam diu execrabatur maledictis uxorem illius fullonis: vocans *illam infidelem, impuram, poſtremò magnum probrum totius* ſui *ſexûs. quæ, neglectâ ſuâ pudicitiâ, & ſubterhabito nexu thalami jugalis, contaminâſſet domum mariti turpitudine meretriciâ; jamque ſibi comparâſſet nomen meretricis, amiſſo honore matris-familias. Dicebat inſuper ejuſmodi mulieres vivas eſſe cremandas. Et tamen* ſibi *conſcia ſecretæ plagæ, & contaminatæ conſcientiæ, ut adulterum ſuum citiùs liberaret moleſtiâ operculi, ſubinde hortabatur maritum,* ut *iret cubitum maturiùs. Ille verò blandè petebat, ut* ſibi *menſa apponeretur, quippe qui aufugerat planè incœnatus, eo quòd perierat* ſibi *cœna* apud fullonem. *Uxor apponebat ei citò* menſam, *ſed invita. quidni? cùm eam præparâſſet alteri. At mihi intimè lacerabantur viſcera, dum recogitarem & præcedens flagitium, & præſentem audaciam nequiſſimæ mulieris: & ſeriò conſultabam apud me an poſſem aliquo pacto opem ferre meo hero diſcooperiendo, ac patefaciendo dolos, & disjecto operculo, omnibus manifeſtare illum, qui jacebat ſub alveo in modum teſtudinis. Dum ſic opprobrium domini mei me angeret, tandem Deorum providentia me reſpexit. Senex enim claudus, cujus* curæ *fue-*

NOTÆ.

1. *Non eram dubius aliquid, &c.*] Inter has voces *dubius*, & *aliquid* omninò interſerendum eſt *quin*, quod etiam Caſaubonus cenſuit eſſe faciendum.

2. *Aliud.*] Hæc vox *aliud* videtur abundare.

3. *Deſtinatam alii.*] Nempè adultero, qui ſub alveo latebat.

tutela permiſſa fuerat, univerſa nos jumenta, id horâ jam poſtulante, ad lacum proximum bibendi causâ gregatim [1] prominabat. Quæ res opportuniſſimam mihi vindictæ ſubminiſtravit occaſionem. Namque prætergrediens, obſervatos extremos digitos adulteri, qui per anguſtias cavi tegminis prominebant, obliquatâ atque infeſtâ ungulâ compreſſos, uſque ad ſummam minutiem contero; donec intolerabili dolore commotus, ſublato flebili clamore, repulſoque & abjecto alveo, [2] conſpectui profano redditus, ſcenam propudioſæ mulieris patefecit. Nec tamen piſtor damno pudicitiæ magnopere commotus, exangui pallore trepidantem puerum, ſerenâ fronte, & propitiatâ facie commulcens, incipit: Nihil triſte de me tibi, fili, metuas. non ſum barbarus, nec agreſti morum ſquallore præditus: nec ad exemplum [3] naccinæ truculentiæ, ſulfuris te lethali fumo necabo; ac ne juris quidem ſeveritate [4] Lege de adulteriis ad diſcrimen vocabo capitis tam venuſtum tamque pulcellum puellum, * *

* * * * * * * *

* * * * * * * *

INTERPRETATIO.

rat commiſſa noſtra cuſtodiâ, agebat nos omnia jumenta agminatim ad proximum ſtagnum, bibendi causâ, cùm jam tempus id poſceret. Quod mihi præbuit commodiſſimam occaſionem ultionis. Nam inter tranſeundum adverto extremos digitos mœchi, qui extabant per anguſtias cavi operculi, eoſque premens inflexâ, atque acutâ ungulâ, comminuo ad maximam uſque attenuationem; quoad percitus dolore intolerando, emiſit querulum clamorem, remotoque, & disjecto alveo productus in conſpectum omnium, revelavit fabulam probroſæ mulieris. Piſtor tamen non valdè turbatus jacturâ pudicitiæ ſuæ uxoris, *ſic incipit delinire ſerenâ fronte, & pacato vultu juvenem trementem & pallentem*, veluti *exanguis* eſſet: *Nihil à me tibi timeas funeſtum, fili. non ſum barbarus, neque ruſticis, neque aſperis moribus, neque te interficiam mortifero vapore ſulfuris, exemplo crudelitatis fullonicæ; ac ne adducam quidem te tam lepidum, atque bellulum puerum in periculum capitis, ex rigore juris, ſecundùm Legem de adulteriis.* * * *

* * * * * *

* * * * *

* * * *

NOTÆ.

1. *Prominabat.*] De hac voce jam egi, lib. 7. pag. 216.

2. *Conſpectui profano redditus.*] Lepidè dictum, quaſi adulter ille ſacrum quid fuiſſet, quod oculis hominum, ac præſertim mariti, utpote profanis, nefas eſſet exhiberi. Alludit ad Orgia Bacchi, & myſteria Eleuſinæ Cereris, quæ ciſtis condita ſubtrahebantur profanorum conſpectui, ne eorum viſu pollucrentur.

3. *Naccinæ truculentiæ.*] Hæc eſt lectio Mſ. Florent. & Aldinæ editionis. *naccina truculentia* eſt truculentia *naccæ*, hoc eſt, *fullonis*, de quo ſuprà. Alii reponunt *machinæ truculent.*, alii *mœchæ*, ſed fruſtrà. Planus eſt ſatis ſenſus membranarum Florentinarum.

4. *Lege de adulteriis.*] Juliâ Lege ab Auguſto latâ, de quâ jam lib. 6. pag. 193.

Nam & ipſe ſemper cum meâ conjuge tam concorditer vixi, ut, [1] ex ſectâ prudentium, eadem nobis ambobus placerent. Sed nec æquitas ipſa patitur habere plus auctoritatis uxorem, quàm maritum. *
* * * * * * * *

* * * * * * * *

Sed cùm primùm rota Solis lucida diem peperit, vocatis duobus è familiâ validiſſimis, quàm altiſſimè ſublato puero, [2] ferulâ nates ejus obverberans: Tu autem, inquit, tam mollis ac tener, & admodùm puer, * * ætatis tuæ flore mulieres appetis: eaſque liberas & connubia lege ſociatas corrumpis, & intempeſtivum tibi nomen adulteri vindicas? His, & pluribus verbis compellatum, & inſuper affatim plagis caſtigatum, forinſecùs abjicit. At ille adulterorum omnium fortiſſimus, inſperatâ potitus ſalute, *
* * * * * * * *
mœrens profugit. Nec ſeciùs piſtor ille nuntium remiſit uxori, eamque protinùs de ſuâ proturbavit domo. At illa præter genuinam nequitiam, contumeliâ etiam, quamvis juſtâ, tamen altiùs commota, atque exaſperata, [4] ad armillum revertit, & ad familiares fœminarum artes accen-

INTERPRETATIO.

Ego enim ſemper vixi cum uxore meâ adeo unanimiter, ut, ſecundùm Philoſophorum doctrinam, eadem nobis ambobus placerent. Verùm juſtitia ipſa non ſinit uxorem habere plus auctoritatis, quàm maritum. * * *
* * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * *
Verùm ſtatim atque ſplendidus currus Solis diem fecit, accerſitis duobus robuſtiſſimis ſervis, elato altiſſimè puero, percutiens ferulâ ejus clunes: Tu verò, ait, cùm ſis tam delicatus ac mollis, & valdè juvenis, * * *concupiſcis mulieres in flore tuæ ætatis, eaſque ingenuas, & conjugali fœdere conjunctas conſtupraris, & tibi adſciſcis præproperum nomen mœchi? Poſtquam eum objurgavit his verbis, multiſque* aliis, *& prætereà punivit permultis ictibus, ejicit eum foras. Ille verò conſtantiſſimus mœchorum omnium, præter ſpem ſuam incolumis.* * *
* * * *
* * * * *
dolens proripuit ſe. Nihilo tamen minùs ille piſtor repudiavit uxorem ſuam, eamque ſtatim ejecit ex ædibus ſuis. Illa verò præter malitiam ſibi innatam, inſtigata adhuc, atque exacerbata profundiùs contumeliâ hac ſibi illatâ, *quamvis meritò, redit ad ingenium, & inflammatur ad* tentandos *ſolitos mu-*

NOTÆ.

1. *Ex ſectâ prudentium.*] Sententiâ, placito.

2. *Ferulâ.*] Fruticis genus eſt, Græcis νάρθηξ.

3. *Connubia lege ſociatas.*] Fortaſsè *connubii* ſcriptum fuit, niſi dicas adjectivum eſſe *connubiâ* pro *connubiali.* Malim ego interpungere poſt *liberas*; & legere *connubia lege ſociata corrumpis.* Sic enim lib. 4. de Cupidine dicit, *& omnium matrimonia corrumpens.*

4. *Ad armillum revertit.*] Vide Notas lib. 6. pag. 192.

ditur;

dítur: magnâque curâ requiſitam veteratricem quamdam fœminam, quæ devotionibus ac maleficiis quidvis efficere poſſe credebatur, multis exorat precibus, multiſque ſuffarcinat muneribus, alterum de duobus poſtulans: vel rurſùm mitigato conciliari marito; vel, ſi id nequiverit, certè [1] Larvâ, vel aliquo diro numine immiſſo, violenter ejus expugnari ſpiritum. Tunc ſaga illa, [2] & divinipotens [3] primis adhuc armis facinoroſæ diſciplinæ ſuæ velitatur: & vehementer offenſum mariti flectere, atque in amorem impellere conatur animum. Quæ res cùm ei ſequiùs ac rata fuerat, proveniret: [4] indignata numinibus, & præter præmii deſtinatum compendium, [5] contemptione etiam ſtimulata, ipſius jam miſerrimi mariti incipit imminere capiti, Umbramque [6] violenter peremptæ mulieris ad exitium ejus inſtigare. Sed forſitan lector ſcrupuloſus, reprehendens narratum meum, ſic argumentaberis: Unde autem, tu ſtultule aſine, intra terminos piſtrini contentus, quid ſecretó, ut affirmas, mulieres geſſerint, ſcire potuiſti? Accipe igitur, quemadmodùm homo curioſus, jumenti faciem ſuſti-

INTERPRETATIO.

lierum dolos, & ſummo ſtudio quærit quamdam mulierem fraudulentam, quæ exiſtimabatur poſſe omnia efficere incantationibus ac veneficiis, eamque obſecrat multis precibus, & onerat multis donis, poſcens alterutrum horum *duorum, ut* ſcilicet, *vel reconcilietur viro ſuo jam leniito; vel, ſi id non potuerit, immiſsâ certè Umbrâ, aut Furiâ aliquâ, vita ipſi per vim eripiatur. Tunc Maga illa, & quæ poteſtatem habebat in* ipſa *numina, adhibet initio leniora tantùm inſtrumenta ſuæ flagitioſæ artis, & animum mariti graviter offenſum tentat lenire, atque impellere in amorem. Quod cùm ei aliter ſuccederet ac putaverat, irata adverſus Deos, & præter conſtitutæ mercedis lucrum,* quod erat amiſſura, *inſtigata etiam contemptu ſui, cœpi jam oppugnare vitam ipſius infeliciſſimi mariti, & exſtimulare ad ejus perniciem Umbram mulieris* alicujus *per vim interfectæ. Sed fortaſsè, lector* tu *nimis accuratus reprehendens meam narrationem, ſic argues: Quomodo autem tu, ô ſtolide aſine, potuiſti ſcire quid mulieres fecerint ſecretò, ut* tu quidem *ais, cùm coërcereris intra fines piſtrini? Audi ergo, quo pacto* ego *curioſus homo, latens*

NOTÆ.

1. *Larvâ.*] Gloſſæ: *Larva δαιμόνιον, εἴδωλον.* Ex Manibus, Umbriſque mortuorum quaſdam crediderunt antiqui propter adverſa vitæ merita huc illuc errare, terroremque afferre mortalibus, eaſque *Larvas* dixere, quas etiam a veneficis incantatricibus immitti poſſe in quorumdam hominum exitium crediderunt.

2. *Et divinipotens.*] *Quæ poterat divina opera facere*, vel, ut verti, *quæ in ipſos Deos poteſtatem habebat.*

3. *Primis adhuc armis, &c.*] Servius ad Æneid. lib. 2. *Arma ſunt inſtrumenta cujuſlibet rei.*

4. *Indignata Numinibus.*] Quòd ſcilicet ejus incantationibus non parérent, neque offenſum mariti animum redderent uxori placabilem

5. *Contemptione etiam, &c.*] Quòd ſe videret contemni à Numinibus

6. *Violenter peremptæ mulieris.*] Non uxoris quidem piſtoris, cujus rogatu hæc faciebat, ſed alterius cujuſpiam mulieris violentâ morte paulò antè ſubiatæ.

nens, cuncta, quæ in perniciem piſtoris mei geſta ſunt, cognovi. Diem fermè circa mediam, repentè intra piſtrinum mulier, reatu mirâque triſtitie deformis, apparuit, flebili centunculo ſemiamicta, nudis & intectis pedibus, lurore buxeo, macieque fœdata, & diſcerptæ comæ ſemicanæ, ſordentes inſperſu cineris, pleramque ejus [1] anteventulæ contegebant faciem. Hæc talis, manu piſtori clementer injectâ, quaſi quippiam ſecretò collocutura, in ſuum cubiculum ſeducit eum: & adductâ fore, quàm diutiſſimè demoratur. Sed cùm eſſet jam confectum omne frumentum, quod inter manus opifices tractaverant, neceſſarióque peti deberet aliud; ſervuli cubiculum propter aſtantes dominum vocabant, operique ſupplementum poſtulabant. Atque, ut illis ſæpiculè & intervocaliter clamantibus nullus reſpondit dominus; jam forem pulſare validiùs: &, quòd diligentiſſimè fuerat oppeſſulata, majus pejuſque aliquid opinantes, niſu valido reducto vel diffracto cardine, tandem patefaciunt aditum. Nec uſpiàm repertâ illâ muliere, vident è quodam tigillo conſtrictum jamque exanimem pendêre dominum. Eumque nodo cervicis abſolutum detractumque, ſummis plangoribus, ſummiſque lamentationibus, atque [2] ultimo lavacro procurant: peractiſque feralibus officiis, frequenti proſequente comitatu, tradunt ſepulturæ. Die ſequenti, [3] filia ejus accurrit è proximo

INTERPRETATIO.

ſub formâ aſini, reſcivi omnia, quæ facta ſunt in exitium molitoris mei heri. *Circiter meridiem viſa eſt ſubitò in piſtrino fœmina deformis gravi mærore,* quaſi *rea eſſet* alicujus criminis, *ſemioperta lugubri palliaſtro, pedibus nudis, & diſcalceatis, deturpata pallore exangui, & macritudine. Et capilli ſemicani, laceri, ſordidique cinere inſperſo, propendentes in ejus vultum, contegebant maximam* ejus partem. *Hæc* mulier *ſic ornata manu prehendit comiter molitorem, & eum ſegregat in cubiculum ejus, veluti aliquid ipſi dictura ſecretò: clauſâque interiùs januâ, moratur diutiſſimè. Sed cùm totum frumentum, quod miniſtri* piſtorii *præ manibus habuerant, jam eſſet molitum, & aliud neceſſariò eſſet poſcendum; famuli ſtantes prope cubiculum nomine ciebant herum* ſuum, *& petebant* frumentum, *quod ſubminiſtrarent molis. Cùmque herus nullatenùs reſponderet ipſis ſæpiùs & altâ voce cientibus; jam tundunt oſtium validiùs: & ſuſpicantes aliquid gravius & deterius, quia fuerat occluſum diligentiſſimè, forti conatu tandem revellunt, aut diffringunt cardinem, & ingreſſum ſibi aperiunt. Et nuſquam inventâ illâ muliere, conſpiciunt herum alligatum ad quoddam tignum, pendentem, & jam exanimatum. Eumque exolvunt nexu, quo collum* ejus erat conſtrictum, *& inde extrahunt, proſequunturque maximis planctibus, ſummiſque ejulatibus, atque ſupremâ ablutione: functique lugubribus officiis, mandant eum humo, magno comitante cœtu. Poſtero die, filia ejus ex proximo caſtello, in*

NOTÆ.

1. *Anteventulæ.*] Hæc vox habetur etiam in Floridis. *Anteventulæ comæ* ſunt, quæ & *antiæ*, & *capronæ* nominantur, quaſi *à capite pronæ*, *anteventulæ* dictæ, quòd ante frontem veniant, & propendeant.

2. *Ultimo lavacro.*] Ferali lotione, & unctione, quæ exequias ſolebat præcedere.

3. *Filia ejus.*] Quam ex priore uxore ſuſceperat ſcilicet.

caſtello, in quo pridem denupſerat, mœſta, atque crines pendulos quatiens, & interdum pugnis obtundens ubera. quæ, nullo quidem domûs infortunium nuntiante, cuncta cognoverat; ſed ei per quietem obtulit ſeſe flebilis patris ſui facies, adhuc nodo revinctâ cervice: eique totum novercæ ſcelus aperuit, de adulterio, de maleficio, & [1] quemadmodum larvatus ad Inferos demeâſſet. Et cùm ſe diutino plangore cruciâſſet, concurſu familiarium cohibita, tandem pauſam luctui fecit. Jamque [2] nono die ritè completis apud tumulum ſolemnibus; familiam, ſupellectilemque, & omnia jumenta, ad hæreditariam deducit [3] auctionem. Tunc unum Larem variè diſpergit venditionis incertæ licentioſa fortuna. Me denique ipſum pauperculus quidam hortulanus comparat quinquaginta nummis, magno, ut aiebat: ſed ut communi labore victum ſibi quæreret. Res ipſa mihi poſcere videtur, ut hujus quoque ſervitii mei diſciplinam exponam. Matutinò me multis oleribus onuſtum, proximam civitatem deducere conſueverat dominus: atque ibi [4] venditoribus traditâ merce, dorſum

INTERPRETATIO.

quo jamdudum nupta erat, accurrit triſtis, & quaſſans capillos effuſos, pugniſque nonnunquam percutiens mammas. quæ quidem reſciverat omnia, tametſi nemo ipſi narraviſſet calamitatem domûs; verùm ei mœſta ſui *patris imago obtulerat ſeſe in ſomnis collo adhuc laqueo ligato, declaraveratque ei univerſum novercæ* ejus *crimen, adulterium, incantamentum, & quomodo deſcendiſſet ad Inferos à Larvâ ſtrangulatus. Cúmque ipſa ſe diù vexâſſet plangendo, tandem coercita ab amicis* undique *confluentibus; finem lugendi fecit. Jamque parentalibus nono die de more peractis ad* ejus *ſepulchrum, producit ſervos, vaſa, veſtes, & omnia jumenta ad venditionem hæreditariam. Tunc temeraria ſors fortuitæ auctionis variis modis diſſipat* bona *unius domûs. Denique pauper quidam olitor emit me ipſum quinquaginta nummis, charo, ut dicebat: ſed ut pararet ſibi victum noſtro utriuſque labore. Ipſa res mihi videtur poſtulare, ut explicem quoque rationem hujus meæ ſervitutis. Manè herus meus ſolebat me ducere in proximam urbem oneratum multis oleribus, ibique traditâ* ſuâ *merce inſtitoribus, redire demùm ad* ſuum

NOTÆ.

1. *Quemadmodum larvatus ad Inferos demeâſſet.*] Quomodo ſpiritus ſibi à Larvâ expugnatus fuiſſet. Pricæus huc affert veterem Inſcriptionem, quæ ſic habet: NEC. LUCTU NEC. LACRYMIS. MISERA. AC. LARVATA. NOSTRA. DEFLEATIS. FUNERA.

2. *Nono die ritè completis, &c.*] Servius in lib 5 Æneid. exponit morem fuiſſe apud veteres, ubi quis, ubique fuiſſet extinctus, ut ad domum ſuam referretur, octavo die incenderetur, nono ſepeliretur quo die fiebat ſacrificium *Novendiale* dictum. Celebrabantur quoque nonnunquam eo die ludi in honorem mortuorum *Novendiales* & ipſi dicti, atque is dies mortis ſolennia complebat. Donatus, ad Phorm. Terent. Act. 1. Scen. 1. *In nuptiis etiam ſeptimus dies inſtaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo Parentalia concluduntur.*

3. *Auctionem.*] Fulgentius, de priſco ſermone: *auctio dicitur venditio, quaſi quòd & ementem augeat, & vendentem.* Auctionem dictam malim ab augendo pretio, quod fit in ſubhaſtationibus, & licitationibus.

4. *Venditoribus.*] Propolis, παλιγκάπηλοι, qui ab ipſo empta olera aliis vendebant.

inſidens meum, ſic hortum redire. At, dum fodiens, dum irrigans, cæteroque incurvus labore deſervit; ego tantiſper otioſus, [1] tacitâ quiete recreabar. Sed ecce, ſiderum ordinatis ambagibus, per numeros dierum ac menſium remeans annus, poſt muſtulentas Autumni delicias, [2] ad hybernas Capricorni pruinas deflexerat: & aſſiduis pluviis, nocturniſque rorationibus, ſub dio, & intecto concluſus ſtabulo, continuo diſcruciabar frigore. quippe cùm meus dominus, præ nimiâ paupertate, ne ſibi quidem, nedum mihi poſſet ſtramen aliquod, vel exiguum tegimen parare; ſed frondoſo caſulæ contentus umbraculo degeret. Ad hoc, matutinò lutum nimis frigidum, geluque præacuta fruſta nudis invadens pedibus, enitebar. ac ne ſuetis ſaltem cibariis ventrem meum replere poteram. Namque & mihi, & ipſi domino, cœna par ac ſimilis, ſed oppidò tenuis aderat: lactucæ veteres & inſuaves illæ, quæ ſeminis enormi ſenectâ, ad inſtar ſcoparum, in amaram [3] cœnoſi ſucci cariem exoleſcunt. Nocte quâdam paterfamilias, de pago proximo, tenebris illunæ caliginis impeditus, & imbre nimio madefactus, atque ob id ab itinere directo cohibitus, ad hortulum noſtrum, jam feſſo equo, divertit. Receptuſque comiter pro

INTERPRETATIO.

hortum, inſidens meo tergo. Dum autem ipſe fodiebat, irrigabat, reliquaque opera ruſtica *curvatus exequebatur; ego aliquantiſper indulgens otio, reficiebar placidâ quiete. Sed ecce annus recurrens per numeros dierum ac menſium, certis ſtatiſque ſtellarum circuitibus, deſcenderat ad gelicidia hyemalia Capricorni, poſt voluptates vindemiarum Autumni: at* ego *vexabar aſſiduo frigore, ob continuos imbres, roreſque nocturnos, ſub dio* poſitus, *& incluſus ſtabulo diſcooperto. Meus enim herus, ob ſummam ſuam egeſtatem, ne ſibi quidem poterat, nedum mihi, emere aliquod ſtramentum, aut parvum tegmen; ſed tranſigebat* hyemem *contentus tegmine tugurioli ex foliis confecto. Præterea mane* multùm *laborabam incedens pedibus non ſoleatis ſuper cœnum gelidum, & cruſtas glaciei præacutas. ac ne ſolitis quidem cibis poteram implere meam alvum. Mihi enim, ipſique meo hero erat cœna eadem & ſimilis, ſed valdè exilis:* nempè *lactucæ veteres illæ atque amaræ, quæ vetuſtate ſementeſcentes in enormem* proceritatem, *inſtar ſcoparum, degenerant in amaram putredinem ſucci lutulenti. Quadam nocte paterfamilias* quidam *ex proximo pago in errorem actus obſcuritate noctis illunis, madenſque multâ pluviâ, & ideò aberrans à rectâ viâ, deflexit ad noſtrum hortum, equo jam laſſo. Exceptuſque benignè quiete,*

NOTÆ.

1. *Tacitâ quiete.*] In Mſs. Codd. Lipſii, & Fuxenſi legitur *placitâ*, unde P. Faber reſtituit *placidâ*, rectè.

2. *Ad hibernas Capricorni pruinas.*] Sole enim Capricorni ſidus ingrediente, hyems incipit.

3. *Cœnoſi ſuccûs.*] *Succûs* hîc genitivus eſt quarti inclinatûs, licentiâ veteribus ſatis familiari. Sic *Senati* pro *Senatûs*: *tumulti* pro *tumultûs*: & contrà, *ſuccûs* pro *ſucci*, ut hîc, *lectûs* pro *lecti*, ut apud Plaut. Amphitr. Act. 1. Scen. 3.

Prius abis, quàm lectûs ubi cubuiſti, concaluit locus.

tempore, licet non delicato, neceſſario tamen quietis ſubſidio, remunerari benignum hoſpitem cupiens, promittit ei, de prædiis ſuis ſeſe daturum & frumenti & olivi aliquid, & ampliùs duos vini cados. Nec moratus meus dominus, ſacculo & utribus vacuis ſecum apportatis, nudæ ſpinæ meæ reſidens, [1] ad ſexageſimum ſtadium profectionem comparat. Eo jam confecto viæ ſpatio, pervenimus ad prædictos agros, ibique ſtatim meum dominum comis hoſpes opipari prandio participat. Jam his in poculis mutuis altercantibus, mirabile prorsùs evenit oſtentum. Una [2] de cæterâ cohorte gallina, per mediam curſitans aream, clangore genuino, velut ovum parere geſtiens, perſonabat. eam ſuus dominus intuens, O bona, inquit, [3] ancilla, & ſatis fœcunda, quæ multo jam tempore quotidianis nos partubus ſaginâſti! nunc etiam cogitas, ut video, guſtulum nobis præparare. Et, Heus, inquit, puer, calathum fœtui gallinaceo deſtinatum, angulo ſolito collocato. Ita, uti fuerat juſſum, procurante puero, gallina conſuetæ lecticulæ ſpreto cubili, ante ipſos pedes domini præmaturum, ſed [4] magno prorsùs futurum ſcrupulo, prodidit partum. non enim

INTERPRETATIO.

quamvis non in *molli* lecto, *tamen neceſſariâ, prout tempus patiebatur, volen* que *remunerare hoſpitem ob ejus comitatem, pollicetur ei ſeſe daturum ex ſuo rure aliquantum frumenti & olei, atque inſuper duos cados vini. Meus verò herus non diutiùs cunctatus proficiſcitur ad ſexageſimum ſtadium, inſidens meo dorſo nudo, afferens ſecum ſacculum & utres inanes. Eo jam itinere peracto, pervenimus ad ſupra memorata prædia, atque ibi benignus ille hoſpes excipit protinus meum herum lauto prandio. His jam viciſſim ſe provocantibus ad bibendum, accidit prodigium omninò ſtupendum. Gallina una ex reliquâ cohorte, diſcurſans per mediam aream edebat nativum clamorem quaſi cuperet parere ovum. Dominus ejus eam inſpiciens, O bona ancilla, inquit, & imprimis fœcunda, quæ jam diu nos aluiſti* ovis, *quæ quotidie peperiſti! nunc etiam, ut video, cogitas de præparando nobis jentaculo. Et, Eho famule, inquit, pone in angulo conſueto caniſtrum deſtinatum partui gallinarum* excipiendo. *Dum puer faceret quod ſibi erat imperatum, gallina aſpernata cubile calathi ſoliti, ante pedes ipſos domini effudit fœtum præmaturum, ſed futurum magnæ religioni, Nam non pe-*

NOTÆ.

1. *Ad ſexageſimum ſtadium.*] Ad villam illius patris-familias, quæ ab horto olitoris diſtabat ſexaginta ſtadiis, hoc eſt, ſeptem milliaribus cum dimidio Stadium enim viginti quinque paſſus, ſeu mavis centum viginti quinque pedes complectitur, eſtque octava pars milliarii.

2. *De cæterâ cohorte.*] *Cohors*, & *cors* ſeptum eſt, intra quod gallinæ, cæteræque cohortales aves, ut pavones, anſeres, atque anates concluſæ paſcuntur. Vulgò appellamus *Court.*

3. *Ancilla.*] Bonam ancillam vocat gallinam, quia quotidianis partubus, ut ait, dominum ſaginare genus eſt famulationis. Elmenhorſt. legit *aucillam* ex Florentinis membranis; & exponit *avem minorem.*

4. *Magno prorsùs futurum ſcrupulo.*] Ut cætera omnia, quæ præter naturæ ordinem eveniebant.

ovum, quod ſcimus, illud; ſed pinnis & unguibus, & oculis, & voce etiam perfectum edidit pullum; qui matrem ſuam continuò cœpit comitari. Nec eo ſeciùs longè majus oſtentum, & quod meritò omnes perhorreſcerent, exoritur. Sub ipsâ enim mensâ, quæ reliquiàs prandii gerebat, terrâ dehiſcente imitus, largiſſimus emicuit fons ſanguinis. Hinc reſultantes uberrimæ guttæ, menſam cruore perſpergunt; ipſoque illo momento, quo ſtupore defixi mirantur ac trepidant [1] divina præſagia; concurrit unus è cellâ vinariâ, nuntians omne vinum, quod olim [2] diffuſum fuerat, in omnibus doliis ferventi calore, & prorsùs ut igni copioſo ſubdito, rebullire. Viſæ etiam intereà muſtelæ mortuum ſerpentem forinſecùs mordicùs attrahentes. & de ore paſtoricii canis virens exſiluit ranula: ipſumque canem, qui proximus conſiſtebat, aries appetitum unico morſu ſtrangulavit. Hæc tot ac talia, ingenti pavore domini illius, & familiæ totius ad extremum ſtuporem dejecerunt animos: quid prius quidve poſterius, quid magis, quid minus numinum cœleſtium leniendis minis, quot & qualibus procuraretur hoſtiis. Adhuc omnibus expectatione teterrimæ formidinis torpidis, accurrit quidam ſervulus, magnas & poſtremas domino illi fundorum clades annuntians. Namque [3] is adultis jam tribus liberis, doctrinâ inſtructis, & verecundiâ præditis vivebat glorioſus.

INTERPRETATIO.

perit ovum cujuſmodi novimus, ſed pullum inſtructum plumis, & unguibus, & oculis, atque etiam voce. Qui ſtatim incepit ſequi ſuam matrem. Simili quoque modo oritur prodigium multò majus, & jure reformidandum. Nam terrâ ab imo ſe aperiente, ſub mensâ ipsâ, quæ ſuſtinebat reſidua prandii, uberrimus fons ſanguinis erupit. Permultæ guttæ inde reſilientes, cruentant menſam. Atque eo ipſo inſtanti temporis, *quo* omnes *attoniti admiratione ſtupent, & tremunt* illa *divina portenta; accurrit unus ex cellâ vinariâ, nuntians omne vinum, quod pridem fuerat conditum, fervere in omnibus cadis ardenti calore, & perinde ac ſi largus ignis fuiſſet ſuppoſitus. Interim viſæ quoque fuerunt muſtelæ dentibus trahentes foras anguem mortuum. & parva rana viridis exiliit ex ore canis paſtoralis: & aries irruens in ipſum canem, qui ſtabat ei proximus, ſtrangulavit eum uno tantùm morſu. Tot ac tanta illa* prodigia *magnâ formidine conſternaverunt animos domini illius, & omnium ſervorum: ita ut prorsùs ſtuperent,* & neſcirent *quid prius* faciendum eſſet, *quid poſterius; quid magis* valeret, *quid minus, ad mitigandam iram* Deorum; *quot & cujuſmodi victimis eſſent* ſingula *expianda. Dum omnes ſtuperent ſuſpenſi diro pavore, ſervulus quidam accurrit, nuntians illi domino ingentes atque extremas fundorum calamitates. Is enim vivebat decoratus tribus filiis jam magnis, inſtructis ſcientiâ, & modeſtiâ ornatis.*

NOTÆ.

1. *Divina præſagia:* Fontem nempè illum ſanguinis, & pullum repentè natum

2. *Diffuſum fuerat.*] Diffundi propriè vina dicuntur quando defæcata in doliis conduntur. Horat.

Vina bibes iterùm Tauro diffuſa; &c.

3. *Is.*] Pater-familias.

His adoleſcentibus erat cum quodam paupere modicæ caſulæ domino vetus familiaritas. Atenim caſulæ parvulæ conterminos magnos & beatos agros poſſidebat vicinus potens, & dives, & juvenis, & proſapiæ majorum gloriâ malè utens: [1] pollenſque factionibus, & cuncta facilè faciens in civitate, hoſtili modo vicini tenuis incurſabat pauperiem, pecua trucidando, boves abigendo, fruges adhuc immaturas obterendo. jamque totum [2] frugalitate ſpoliatum, ipſis etiam glebulis exterminare geſtiebat: finiumque inani commotâ quæſtione, terram totam ſibi vindicabat. Tunc agreſtis, verecundus alioquin, avaritiâ divitis jam ſpoliatus, ut ſuo ſaltem ſepulcro paternum retineret ſolum, amicos plurimos ad demonſtrationem finium, trepidans eximiè cotrogârat. Aderant inter alios tres illi fratres, cladibus amici quantulum ferentes auxilium. Nec tamen ille veſanus tantillùm præſentiâ multorum civium territus, vel etiam confuſus, licet non rapinis, ſaltem verbis temperare voluit: ſed illis clementer expoſtulantibus, fervidoſque ejus mores blanditiis permulcentibus, repentè ſuam ſuorumque carorum ſalutem quàm ſanctiſſimè adjurans, adſeverat, parvi ſe pendere tot mediatorum præſentiam: denique vicinum

INTERPRETATIO.

Aliqua neceſſitudo intercedebat illis juvenibus cum quodam paupere poſſeſſore tenuis domunculæ. Vicinus autem potens, & dives, & juvenis, quique malè utebatur claritate generis majorum ſuorum, habebat amplos & uberes agros contiguos tenui illi domunculæ: cumque valeret factionibus, & facilè faceret in civitate omnia, quæ vellet, *inſectabatur egeſtatem pauperis vicini hoſtilem in morem, occidendo ejus pecora, abducendo boves, proculcando ſegetes antequam maturæ eſſent, cúmque cum jam omninò priváſſet meſſe, cupiebat etiam ejicere* ex poſſeſſione *ipſius agelli: & excitatâ vanâ lite de terminis* agrorum, *totum agrum occupabat* ut ſuum. *Tunc* ille *ruſticus, alioqui verecundus*, videns *ſe jam ſpoliatum eſſe avaritiâ divitis, ut retineret terram paternam, in quâ ſaltem humaretur, congregaverat cum magnâ trepidatione permultos amicos, ad declarandos terminos* ſui agri. *Inter cæteros tres illi fratres aderant, præbentes modicam opem calamitatibus amici. Ille tamen furioſus nequaquam territus, neque etiam confuſus præſentiâ multorum civium, non modò abſtinere noluit à rapinis, ſed ne à verbis quidem: ſed cùm illi leniter conquererentur, &* conarentur *mitigare iracundam ejus indolem lenioribus verbis, ipſe ſtatim jurans perquàm ſanctè per ſalutem ſuam, & ſuorum amicorum, affirmat ſe parum curare præſentiam tot arbitrorum; ac denique fore ut ille vicinus*

NOTÆ.

1. *Pollenſque factionibus.*] In ſuperioribus libris annotavimus factiones propriè dici gladiatorum, atque etiam latronum manus, & turmas quadrigariorum curſu in circo contendentium. Hîc *factiones* magnum clientum numerum, atque etiam ipſas opes divitis illius ſignificant.

2. *Frugalitate ſpoliatum.*] *Frugalitas* hîc pro *frugibus*, & *frugum meſſe* ſumitur, quemadmodum Catoni *oleitas* pro *olivarum perceptione*, cap. *68. ubi vindemia & oleitas facta erit.* Columella *olivitatem* dixit. Aliàs *frugalitatis* nomine intelligimus *temperantiam* & *parſimoniam*.

illum auriculis per ſuos ſervulos ſublatum, de caſulâ longiſſimè ſtatimque projectum iri. Quo dicto, inſignis indignatio totos audientium pertentavit animos. Tunc unus è tribus fratribus, incontanter, & paulò liberiùs reſpondit: Fruſtrà eum ſuis opibus confiſum, tyrannicâ ſuperbiâ comminari; [1] cùm alioquin pauperes etiam liberali legum præſidio de inſolentiâ locupletium conſueverint vindicari. Quod oleum flammæ, quod ſulfur incendio, [2] quod flagellum Furiæ, hoc & iſte ſermo truculentiæ hominis nutrimento fuit. Jamque ad extremam inſaniam vecors, [3] ſuſpendium ſeſe & totis illis, & ipſis legibus mandare proclamans, canes paſtoricios, villaticos, feros atque immanes, adſuetos abjecta per agros eſitare cadavera, præthereà etiam tranſeuntium viatorum [4] paſſivis morſibus alumnatos laxari, atque in eo-

INTERPRETATIO.

auribus elatus ſurſùm per ſuos ſervos, ejiceretur longiſſimè ex domunculâ, atque hoc quidem *è veſtigio. Quod cùm dixiſſet, maxima indignatio ſubiit mentes illorum omnium, qui audiverant. Tunc unus ex tribus fratribus reſpondit ſine morâ, & paulò liberiùs, eum fruſtrà fretum ſuis divitiis minari ſuperbè inſtar tyranni; cùm aliàs pauperes ſoleant etiam vindicari de inſolentiâ divitum auxilio legum*, quod patet *liberis* omnibus hominibus. *Quod oleum* eſt *flammæ, quod ſulfur incendio, quod flagrum in manu Furiæ, hoc illa verba fuerunt feritati hominis,* ſcilicet *fomentum. Jamque inſaniens uſque ad ultimum furorem, clamans ſe mittere eos omnes, ipſaſque adeo leges ad ſuſpendium, jubet ſolvi canes paſtorales, villaticos, truces, & crudeles ſolitos veſci cadaveribus projectis per agros, prætereaque nutritos morſibus, quibus paſſim laniabant viatores tranſeuntes*, imperatque *eos inſti-*

NOTÆ.

1. *Cùm alioquin pauperes etiam liberali legum, &c.*] Apud Ciceronem, lib. 3. de Oratore vetus Tragicus:

Erras, erras, nam exultantem te, & præſidentem tibi
Repriment validæ legum habenæ, atque Imperii inſiſtent jugo.

Ovid. Faſt. 3.

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet.

2. *Quod flagellum Furiæ.*] Furiæ apud Poëtas flagellis armantur. Unde illud Virgilii:

——— ——— *ultrix accincta flagello*
Tiſiphone.

Hocque illis flagellum, eſt ſævitiæ & furoris irritamentum.

3. *Suſpendium ſeſe, & totis illis & ipſis legibus, &c.*] Sic Horat. de Arte Poët. vult ut Achilles *jura neget ſibi nata. Suſpendium legibus mandare* hîc eſt *leges nihili facere.* Et id, quod Juvenalis, Satyr. 10. ait *laqueum mandare.*

——— *Cùm fortunæ ipſe minaci*
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.

4. *Paſſivis morſibus alumnatos.*] Nutritos promiſcuis, vel paſſim impreſſis morſibus in viatores. Sic lib. 6. *Diſcerne ſeminum iſtorum paſſivam congeriem*, hoc eſt, *promiſcuam.* Abſurdè hîc Colvius legit *annulatos.* Omninò legendum eſt *alumnatos*, paſſivèque ſumendum pro *nutritos.* Idem vocabulum habet lib. 6. ſed activâ ſignificatione: *adoleſcentem iſtum, quem manibus meis alumnatus ſim* Et lib. 8. *quos ad tutelæ præſidia curioſè fuerant alumnati.* Sic legimus apud hunc Auctorem plurimis in locis *munitus* modò activâ, modò paſſivâ ſignificatione, ut mox *inhortatos* paſſivâ.

rum exitium inhortatos, immitti præcipit. Qui ſimul [1] ſigno ſolito paſtorum incenſi atque inflammati ſunt, furioſâ rabie conciti, & latratibus etiam abſonis horribiles, eunt in homines: eoſque, variis aggreſſi vulneribus, diſtrahunt ac lacerant. nec fugientibus ſaltem [2] compercunt, ſed eo magis irritatiores ſequuntur. Tunc inter conſertam trepidæ multitudinis ſtragem, è tribus junior, offenſo lapide, atque obtunſis digitis, terræ proſternitur: ſæviſque illis ac ferociſſimis canibus inſtruit nefariam dapem. protinùs enim nacti prædam jacentem, miſerum illum adoleſcentem ſic fruſtatim diſcerpunt. Atque ut ejus lethalem ululatum cognovere cæteri fratres; accurrunt mœſti ſuppetias: obvolutiſque laciniâ lævis manibus, lapidum crebris jactibus propugnare fratri, atque abigere canes aggrediuntur. Nec tamen eorum ferociam vel conterrere, vel expugnare potuere. quippe cùm miſerrimus adoleſcens, ultimâ voce prolatâ, vindicarent de pollutiſſimo divite mortem fratris junioris, illicò laniatus interiiſſet. Tunc reliqui fratres, non tam hercules deſperatâ, quam ultrò neglectâ ſuâ ſalute, contendunt ad divitem: atque ardentibus animis, impetuque veſano lapidibus crebris in eum velitantur. At ille cruentus & multis antè flagitiis ſimilibus exercitatus percuſſor, injectâ lanceâ, duorum alterum per pectus medium tranſadegit. Nec tamen, peremptus ac prorsùs exanimatus, adoleſcens ille terræ concidit. nam telum

INTERPRETATIO.

gari hortatibus in illorum perniciem. Qui ſtatim atque accenſi, & inflammati ſunt con'ucto ſigno paſtorum, ruunt in homines perciti rabido furore, atque etiam formidabiles vaſtis atque inconditis latratibus: & adorti eos diſpeſcunt, & laniant diverſis morſibus. neque parcunt eis etiam dùm fugiunt, ſed eo magis irritati acriùs eos inſequuntur. Tunc inter denſam cædem multitudinis trepidè fugientis, minimus natu trium illorum fratrum *impacto pede ad lapidem, & alliſis digitis, ſternitur humi, præbetque nefandas epulas illis crudelibus, ac feriſſimis canibus. invenientes enim ſtatim prædam jacentem, diripiunt in fruſta infelicem juvenem hoc modo* proſtratum. *Et ſimul ac reliqui fratres audiverunt clamorem,* quem *moriendo* edebat, *accurrunt mœſti ei auxiliatum: & ſiniſtris manibus palliis obvolutis, tentant defendere ſuum fratrem, & arcere canes jaciendo multos lapides. Neque tamen potuerunt vel terrefacere, vel vincere eorum rabiem: infeliciſſimus enim juvenis laceratus protinùs obiit, pronuntiatis his extremis verbis,* ut *ulciſcerentur mortem fratris minimi adverſus impuriſſimum* illum *divitem. Tum cæteri* ambo *fratres, non tam certè deſperatâ, quàm ſponte contemptâ vitâ, adeunt divitem, multoque lapides in eum jaculantur magno animorum ardore, & furioſo impetu. At ille cruentus homicida, qui ſe jam antè exercuerat multis ejuſmodi facinoribus, miſsa haſtâ confodit alterum amborum per medium pectus. Neque tamen ille juvenis cecidit humi,* quamvis *interfectus eſſet, ac prorsùs exanimis. lancea enim,*

NOTÆ.

1. *Signo ſolito paſtorum.*] Lib. 8. dixit: *jubilationibus ſolitis.*

2. *Compeſcunt.*] Repone cum Pricæo *compercunt*, ſenſu ita poſtulante. *Compercere* eſt compoſitum à *parcere.*

tranſjectum, atque ex maximâ parte ponè tergum elapſum, ſoloque niſûs violentiâ defixum, [1] rigore librato ſuſpenderat corpus. Sed & quidam de ſervulis, procerus & validus, [2] ſicario illi ferens auxilium, lapide contorto, tertii illius juvenis dexterum brachium longo jactu petierat, ſed impetu caſſo per extremos digitos tranſcurrens lapis, contra omnium opinionem, deciderat innoxius. Nonnullam tamen ſagaciſſimo juveni proventus humanior vindictæ [3] ſpeculam ſubminiſtravit. Fictâ namque manûs ſuæ debilitate, ſic [4] crudeliſſimum divitem compellat: Fruere exitio totius noſtræ familiæ, & ſanguine trium fratrum inſatiabilem tuam crudelitatem paſce, & de proſtratis tuis civibus gloriosè triumpha; dum ſcias, licet privato ſuis poſſeſſionibus paupere, fines uſque & uſque proterminaveris, habiturum te tamen vicinum aliquem. Nam hæc etiam dextra, quæ tuum prorsùs amputâſſet caput, iniquitate Fati contuſa decidit. Quo ſermone alioquin exaſperatus furioſus latro, rapto gladio, ſuâ miſerrimum juvenem manu perempturus, invadit avidus. Nec tamen ſui molliorem provocaverat. quippe inſperatò, & longè contra ejus opinionem reſiſtens

INTERPRETATIO.

quæ trajecta erat, & prominebat poſt ejus dorſum maximâ ſui parte, & infixa terræ fuerat impetu, quo fuerat vibrata, ſuſpenſum tenebat corpus ſuâ rigiditate immotâ. Sed quidam etiam ex ſervis, altus & robuſtus, opem ferens illi homicidæ, miſerat eminùs lapidem magnâ vi in brachium dextrum illius tertii adoleſcentis. ſed lapis tranſiens per extremos digitos irrito impetu, ceciderat illæſo juvene, præter omnium opinionem. Eventus tamen ille lenior ſuppeditavit callidiſſimo juveni aliquam ſpem ultionis. Simulans enim manum ſuam eſſe debilitatam illo ictu, *ſic alloquitur ſæviſſimum divitem: Potire clade totius noſtræ familiæ, & paſce tuam inexplebilem crudelitatem cruore trium fratrum, & ſuperbè triumpha de tuis popularibus, quos proſtraviſti; dummodo ſcias te habiturum* ſemper *aliquem vicinum, quamvis protuleris ulteriùs atque ulterius terminos* agrorum *tuorum, ſpoliando pauperem ſuis agris. Hæc enim manus* mea, *quæ planè abſcidiſſet tuum caput, corruit infracta malignitate ſortis. Quâ oratione furioſus ille ſicarius irritatus, arrepto enſe irruit in miſerrimum juvenem, interfecturus eum manu propriâ. Sed non aggreſſus fuerat debiliorem ſe. Juvenis enim reluctans contra ſpem, atque*

NOTÆ.

1. *Rigore librato ſuſpenderat corpus.*] Id eſt: Suſtentabat corpus firmitate, & rigiditate ſuâ, quâ fiebat ut in neutram partem propenderet magis.

2. *Sicario illi.*] *Sicarius* propriè eſt, qui ſicâ ſeu pugione ferit. Sed, ut inquit Quintilianus, lib. 10. cap. 1. *Per abuſionem ſicarios etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocumque commiſerint.*

3. *Speculam.*] Diminutivum à *ſpe.* Aliàs *ſpecula* locus eſt editior, ex quo ſpeculantur, quid procul geratur.

4. *Crudeliſſimum divitem.*] Ita lego, non *juvenem*, ut habent pleræque editiones, & hoc diſcriminandi cauſâ. Præceſſit enim ante verſiculum unum vox *juvenis* de fratre tertio.

5. *Triumpha, dum ſcias, &c.*] Hæc eſt Pricæi lectio planiſſima. Fruſtrà aliud hîc moliuntur Beroaldus, & Colvius.

juvenis, complexu fortiſſimo arripuit ejus dexteram: magnoque niſu ferro vibrato, multis & crebris ictibus impuram elidit divitis animam: &, ut accurrentium etiam familiarium manu ſe liberaret, confeſtim adhuc inimici ſanguine delibuto mucrone gulam ſibi prorsùs exſecuit. Hæc erant, quæ prodigioſa præſagiverant [1] oſtenta; hæc, quæ miſerrimo domino fuerant nuntiata. Nec ullum verbum, ac nec tacitum quidem fletum, tot malis circumventus ſenex, quivit emittere: ſed arrepto ferro, quo commodùm inter ſuos epulones caſeum atque alias prandii partes diviſerat, ipſe quoque ad inſtar infeliciſſimi ſui filii jugulum ſibi multis ictibus contrucidat; quoad ſuper menſam [2] cernuus corruens, [3] portentoſi cruoris maculas [4] novi ſanguinis fluvio proluit. Ad iſtum modum puncto breviſſimo dilapſæ domûs fortunam hortulanus ille miſeratus, [5] ſuoſque caſus graviter ingemiſcens, depenſis pro prandio lacrymis, vacuaſque manus complodens ſæpiculè, protinùs inſcenſo me, retrò, quà veneramus, viam capeſſit.

INTERPRETATIO.

opinionem ejus, apprehendit ejus dextram validiſſimâ conſtrictione, gladioque impacto magno conatu, multis, & frequentibus ictibus extrudit immundum ſpiritum divitis: utque expediret ſe etiam ex manibus domeſticorum ejus accurrentium, protinùs ſecuit ſibi omninò guttur gladio adhuc reſperſo cruore inimici. Ea erant, quæ portentoſa prodigia prænuntiaverant; ea erant, quæ fuerant relata ad infeliciſſimum dominum. Nec ſenex oppreſſus tot calamitatibus, potuit proferre ullum verbum, ac ne tacitè quidem flere; ſed capto cultro, quo tunc fortè diſtribuerat inter ſuos convivas caſeum cæteraſque dapes prandii, ipſe quoque perfodit ſibi guttur multis ictibus ad exemplum ſui miſerrimi filii; donec cadens pronus in menſam, lavit rivo novi cruoris maculas ſanguinis illius prodigioſi. Hortulanus ille miſeratus ſortem illius domûs hoc modo deſtructæ momento temporis, & graviter dolens ſuum infortunium, perſolutis fletibus pro prandio, plaudenſque ſæpiùs manibus, quas referebat *vacuas, conſcendit me ſtatim, & revertitur retrorſum, quà veneramus.*

NOTÆ.

1. *Oſtenta.*] Quæ paulò ſuprà enarravit, pullus, fons ſanguinis, &c.

2. *Cernuus corruens.*] Sic lego cum Scaligero, non autem *cæruleus*, ut malè Colvius. Nonius, cap. 1. *Cernuus dicitur propriè inclinatus, quaſi quòd terram cernat. Lucil. Satyr. lib. 3.*

Cernuus ex templo plantas conveſtit honeſtas.

Virgil. lib. 10.

——— ejectoque incumbit cernuus armo.

3. *Portentoſi cruoris.*] Qui è terrâ ſubitò ſcaturiverat.

4. *Novi ſanguinis.*] E ſuo jugulo erumpentis.

5. *Suoſque caſus graviter ingemiſcens.*] Quòd amico ſuo orbatus erat, ſimulque vino, oleo, quod ſecum reportaturum ſe ſperaverat. Vel (quod Pricæus monuit) depravatus eſt locus, próque *ſuos caſus* legendum eſt *ſævos*, aut *ſævos caſus*, nimirùm collapſæ puncto temporis domûs. Quod ſi ſic legas, repone in interpretatione *ſiniſtros*, aut *crudeles caſus*, pro his vocibus: *ſuum infortunium.*

Nec innoxius ei ſaltem regreſſus evenit. Nam quidam procerus, &, ut indicabat habitus atque habitudo, [1] miles è legione, factus nobis obvius, ſuperbo atque arroganti ſermone percontatur, quorsùm vacuum duceret aſinum? At meus dominus adhuc mœrore permixtus, & alias Latini ſermonis ignarus, tacitus præteribat. Nec miles ille familiarem cohibere quivit inſolentiam; ſed indignatus ſilentio ejus, ut convicio, [2] vite, quam tenebat, obtundens eum, dorſo meo proturbat. Tunc hortulanus ſupplicuè reſpondit, ſermonis ignorantiâ ſe, quid ille diceret, ſcire non poſſe. Ergo igitur Græcè ſubjiciens miles, Ubi, inquit, ducis aſinum iſtum? Reſpondit hortulanus, petere ſe civitatem proximam. Sed mihi, inquit, operæ ejus opus eſt. nam de proximo caſtello ſarcinas præſidis noſtri cum cæteris jumentis debet advehere. Et, injectâ ſtatim manu, loro me, quo ducebar, arreptum, incipit trahere. Sed hortulanus prioris plagæ vulnere prolapſum capite ſanguinem detergens, rursùs precatur civiliùs atque manſuetiùs ver-

INTERPRETATIO.

Neque ſaltem rediit abſque infortunio. Quidam enim altus homo, *quique miles erat legioniarius, ut habitus ejus & facies oſtendebant, cùm nobis occurriſſet, interrogabat* eum *verbis ſuperbis atque arrogantibus, quò duceret aſinum inanem? Sed herus meus, qui adhuc erat perfuſus luctu, & aliunde ignorabat linguam Latinam, tranſibat ſilens. Neque ille miles potuit continere inſolentiam ſibi familiarem; ſed iratus ejus ſilentio, tanquam contumeliâ* aliquâ, *dejecit eum ex meo dorſo, percutiens* ſatmento *vitis, quod habebat* in manu. *Tunc hortulanus reſpondit ſupplicìter, ſe non poſſe ſcire quid ille diceret, ob ignorationem linguæ. Miles igitur reſumens* orationem *Græcè: Quonam (ait) ducis hunc aſinum? Reſpondit olitor, ſe ire ad proximam civitatem. At ego (ait* miles*) indigeo ejus operâ. oportet enim ut advehat ex vicino caſtello cum reliquis jumentis ſarcinas noſtri præfecti.* Et, *immiſsâ manu, apprehendens me loro, quo ducebar, cœpit trahere. Verùm olitor abſtergens ſanguinem, qui ſtillaverat ex capite, propter vulnus prioris ictûs, rogat iterùm commilitonem, ut agat* ſecum *hu-*

NOTÆ.

1. *Miles è legione.*] Milites, teſte Vegetio, bifariam dividebantur, in legionarios, & auxiliares. Legionarii Romani erant: auxiliares externi, qui à ſociis vel fœderatis gentibus mittebantur. Miles è legione honoratior longè erat quam auxiliaris. Legionibus enim ſemper auxilia, tanquam levis armatura, in acie jungebantur: ut in his præliandi magis adminiculum eſſet, quàm principale ſubſidium.

2. *Vite, quam tenebat.*] Innuere his verbis videtur eum Centurionem fuiſſe: Centurionum enim proprium geſtamen erat vitis, quâ peccantes milites caſtigabant. Hinc *Latia vitis* metonymicè apud Poëtas pro Centurionatu. Lucan, Pharſal. lib. 6.

Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.

Juvenalis, Satyr. 14.

——— *aut vitem poſce libello.*

Quamvis quæ ſequuntur ſatis oſtendunt militem hunc fuiſſe gregarium; ſed is fortaſſe, quod huic hominum generi ſatis familiare eſt, muneris, quod non gerebat, inſigne uſurpaverat, quò majori eſſet ruſticis formidini.

3. *Ubi, inquit, ducis, &c.*] Adverte *ubi* licenter dictum pro *quò*, ad denotandam fortaſſe militarem imperitiam.

ſati commilitonem. idque per ſpes proſperas ejus orabat adjurans. Nam & hic ipſe, aiebat, iners aſellus, & nihilominus [1] morbo deteſtabili caducus, vix etiam paucos olerum manipulos de proximo hortulo ſolet, anhelitu languido fatigatus, ſubvehere; nedum ut rebus amplioribus idoneus videatur gerulus. Sed ubi nullis precibus mitigari militem, magiſque in ſuam perniciem advertit efferati, jamque inversâ vite [2] de vaſtiore nodulo [3] cerebrum ſuum diffindere; currit ad extrema ſubſidia, ſimulanſque, ad commovendam miſerationem, [4] genua ejus velle contingere, ſummiſſus, atque incurvatus, arreptis ejus pedibus utriſque, ſublimem elatum terræ graviter applodit: & ſtatim, quà pugnis, quà cubitis, quà morſibus, etiam de viâ lapide correpto, totam faciem, manuſque ejus, & latera converberat. Nec ille, ut primùm humi ſupinatus eſt, vel repugnare, vel omninò munire ſe potuit. ſed planè identidem comminabatur, ſi reſurrexiſſet, ſeſe conciſurum eum machærâ ſuâ fruſtatim. Quo ſermone ejus commonefactus hortulanus, eripit ei [5] ſpatham: eâque longiſſimè abjectâ,

INTERPRETATIO.

manius & mitius; atque ipſum ea rogabat, obteſtans per quidquid perabat fauſtum. Hic enim etiam aſinus ipſe, aiebat, ſegnis eſt, & prætereà frequenter cadit ex morbo abominando, & vix ſolet exportare aliquot faſciculos herbarum ex proximo hortulo, quod cùm fecit, *feſſus eſt, & anhelat, ac languet; tantùm abeſt ut videatur aptus ferendis oneribus. Sed poſtquàm vidit militem nullis precibus placari, ſed magis incendi in ſuum exitium, & jam vite inversâ ſibi fractum ire caput nodo paulò craſſiore; confugit ad ultima ſubſidia, fingenſque ſe velle complecti ejus genua, ad excitandam commiſerationem, inclinat ſe, & incurvat, & apprehenſis ambobus ejus pedibus, extollit eum ſurſum, & graviter allidit ſolo: & confeſtim percutit totum ejus vultum, & manus, & latera modò pugnis, modò cubitis, tùm morſibus, & lapide etiam collecto ex viâ. Neque ille potuit aut reſiſtere, aut etiam ſe ullo modo defendere, poſtquàm proſtratus fuit humi. ſed tantùm ſæpiùs minabatur ſe eum diſſecturum in fruſta ſuo gladio, ſi ſurrexiſſet. Quibus verbis ejus admonitus hortulanus, eripit ei enſem: eoque abjecto longiſſimè, adoritur eum*

NOTÆ.

1. *Morbo deteſtabili caducus.*] Morbo comitiali, quem Græci ἐπιληψίαν vocant, quo morbo Plin. lib. 10. cap. 23. ait, præter homines coturnices ſolas inter cætera animalia, laborare: ſed falsò: cùm conſtet capras quoque, atque oves, quin & equos, & multa alia animalia illo nonnunquam corripi.

2. *De vaſtiore nodulo.*] Quem manu tenebat, quique erat viti illi pro manubrio.

3. *Cerebrum ſuum diffindere.*] Supplendum *parare*, aut *velle*.

4. *Genua ejus velle contingere.*] Ex more eorum, qui, in vitæ periculo poſiti, miſericordiam conantur commovere. Antiquitas Miſericordiæ genua conſecravit, ut frontem Genio, & dextram Fidei.

5. *Spatham.*] Σπάθη Græcis gladius major. Milites Romani gravis armaturæ habebant, teſte Vegetio, gladios majores, quos *ſpathas* vocant, & alios minores, quos *ſemiſpathas*.

rurſus ſævioribus eum plagis aggreditur. Nec, ille proſtratus ac præventus vulneribus, ullum reperire quiens ſaluti ſubſidium, quod ſolum reſtabat, ſimulat ſeſe mortuum. Tunc ſpatham illam ſecum aſportans hortulanus, inſcenſo me, concito gradu rectà feſtinat ad civitatem. nec hortulum ſuum ſaltem curans inviſere, ad quempiam ſibi divertit familiarem. cunctiſque enarratis, deprecatur periclitanti ſibi ferret auxilium: ſeque cum ſuo ſibi aſino tantiſper occultaret; quoad celatus ſpatio bidui triduíve, [1] capitalem cauſam evaderet. Nec oblitus ille veteris amicitiæ, promptè ſuſcipit. meque per ſcalas, complicitis pedibus [2] in ſuperius cœnaculum atracto, hortulanus deorſus in ipsâ tabernulâ derepit in quamdam ciſtulam, & ſupergeſto deliteſcit orificio. At miles ille, ut poſteà didici, tandem velut emerſus gravi crapulâ, nutabundus tamen, & tot plagarum dolore ſaucius, baculoque ſe vix ſuſtinens, in civitatem adventat: confuſuſque de impotentiâ, deque inertiâ ſuâ quidquam ad quemquam referre popularium, ſed tacitus injuriam devorans, quoſdam commilitones nactus, iſtas tunc clades enarrat ſuas. Placuit, ut ipſe quidem [3] contubernio ſe tantiſper abſconderet: nam præter propriam contumeliam, [4] militaris

INTERPRETATIO.

iterùm gravioribus ictibus. Ille verò ſupinus, & impeditus plagis, cùm nullum poſſet invenire præſidium ſuæ vitæ, fingit ſe eſſe mortuum (quod ſolum ei ſupererat.) Tunc hortulanus auferens ſecum illum enſem, conſcendit me, & rectà pergit ad urbem properanti greſſu. neque cogitans ſaltem de viſitando ſuo hortulo, recipit ſe ad quemdam ſuum amicum. commemoratiſque omnibus, quæ ſibi evenerant, *orat* eum, *ut ſibi opituletur in illo periculo, & abſcondat ſe, & ſuum aſinum in aliquod tempus, donec effugeret cauſam capitalem, latens per duos aut tres dies. Ille non immemor antiquæ neceſſitudinis, properè eum excipit, meque, cruribus complicatis, tracto per ſcalas in tabulatum ſuperius, hortulanus in inferiori cellulâ, irrepit in quamdam arculam, & ſe abſcondit operculo ſuperinjecto. Ille verò miles (ut poſteà cognovi) tandem quaſi experrectus alto* ebrietatis *ſomno, titubans tamen, & fractus dolore tot vulnerum, & ægrè ſe ſuſtentans baculo, venit in urbem: & veritus ulli civium narrare quidpiam de ſuâ violentiâ, &* ſimul *ignaviâ, ſed muſſitans illam injuriam, cùm occurriſſet quibuſdam commilitonibus, tunc* eis *commemorat illas ſuas calamitates.* Optimum factu *viſum eſt* eis, *ut ipſe quidem per aliquantum temporis lateret in communi eorum domicilio (nam præter contumeliam, quam paſſus fuerat*

NOTÆ.

1. *Capitalem cauſam.*] Accuſationem, reatumque homicidii, quo, ob interfectum (ut putabat) militem, in diſcrimen vocatus fuiſſet capitis.

2. *In ſuperius cœnaculum.*] Summum domûs tabulatum. Jupiter apud Plautum, Act. 3. Scen. 1. ridiculè.

In ſuperiore qui habito cœnaculo.

3. *Contubernio.*] Domicilio militari. Centuriæ, auctore Vegetio, in contubernia dividebantur, ita ut, decem militibus ſub uno papilione degentibus, unus quaſi præeſſet decanus, qui caput contubernii nominabatur. Contubernium illud decem militum *manipulus* etiam dicebatur.

4. *Militaris ſacramenti Genium.*] Id eſt, Genium Imperatoris, per quem

etiam ſacramenti Genium [1] ob amiſſam ſpatham verebatur ; ipſi autem, ſignis noſtris enotatis, inveſtigationi vindictæque ſedulam darent operam. Nec defuit vicinus perfidus, qui nos illic occultari nuntiaret. Tum commilitones, accerſitis Magiſtratibus, mentiuntur ſeſe multi pretii vaſculum argenteum præſidis in viâ perdidiſſe : idque hortulanum quemdam reperiſſe, nec velle reſtituere, ſed apud familiarem quemdam ſibi deliteſcere. Tunc Magiſtratus, [2] & damno, & præſidis nomine cognito, veniunt ad diverſorii noſtri fores : clarâque voce denuntiant hoſpiti noſtro, nos, quos occultaret apud ſe certò certiùs, [3] dedere potiùs, quàm diſcrimen proprii ſubiret capitis. Nec ille tantillùm conterritus, ſalutique ſtudens ejus, quem in ſuam receperat fidem, quidquam de nobis fatetur : ac diebus pluſculis nec vidiſſe quidem illum hortulanum contendit. Contrà commilitones, ibi, nec uſpiam, illum deliteſcere, [4] adjurantes Genium Principis,

INTERPRETATIO.

timebat etiam Deum præſidem ſacramenti militaris propter perditum enſem;) ipſi verò, obſervatis noſtris veſtigiis, ſtudioſè incumberent inquiſitioni noſtræ, *& ultioni* ſuæ. *Ac repertus eſt perfidus vicinus, qui referret nos ibi deliteſcere. Tunc commilitones, advocatis Magiſtratibus, fingunt ſe amiſiſſe in itinere vas argenteum præfecti* ſui, quod erat *magni pretii : & quemdam olitorem inveniſſe illud, & nolle reddere, ſed* illum *latere apud quemdam ſuum amicum. Tum Magiſtratus, audito damno, & nomine præfecti, veniunt ad oſtium noſtri domicilii, & præcipiunt altâ voce noſtro hoſpiti, ut potiùs traderet nos, quos certiſſimè celabat apud ſe, quàm ſubiret periculum vitæ ſuæ. Ille verò ne minimùm quidem exterritus, & conſulens vitæ illius, quem receperat in ſuam tutelam, nihil prorsùs fatetur de nobis : & affirmat ſe ne vidiſſe quidem illum hortulanum à diebus ſat multis. Milites contrà jurantes per Genium Imperatoris affirmabant, eum illic occultari, non*

NOTÆ.

miles juraverat ſolemni formulâ : ſe nunquam deſerturum militiam, nec mortem recuſaturum pro Romanâ Republicâ, & omnia ſe ſtrenuè facturum, quæ præciperet Imperator.

1. *Ob amiſſam ſpatham.*] Paulus, Lege *Qui commeatus*, 14. ff. *de Re Militari*, §. 1. *Arma alienâſſe grave crimen eſt, & ea culpa deſertioni exæquatur : utique ſi tota alienavit : ſed & ſi partem eorum, niſi quod intereſt. nam ſi tibiale, vel humerale alienavit, caſtigari verberibus debet : ſi verò loricam, ſcutum, galeam, gladium ; deſertori ſimilis eſt.* Unde non malè inferas armorum amiſſione, quæ deſertioni eſt ſimilis, violari militare ſacramentum, quo jurant milites, ſe nunquam militiam deſerturos, ut modò dictum eſt.

2. *Et damno præſidis nomine cognito.*] Interſere & ac lege : *Et damno, & Præſidis nomine cognito.*

3. *Dedere.*] Ex uſu Græco eſt : *denuntiant dedere* pro *ut dederet.* Fortaſsè ſincera lectio ſit *dederet* ; ſequitur enim paulò pòſt *ſubiret*, non autem *ſubire.*

4. *Adjurantes Genium Principis.*] More militari, ſanctius enim ejuſmodi hominibus erat juramentum per Genium Cæſaris, quam per Deos omnes. Tertull. in Apologetico : *citiùs denique per omnes Deos, quàm per unum Genium Cæſaris pejeratur.*

contendebant. Poſtremùm Magiſtratibus placuit, obſtinatè denegantem ſcrutinio detegere. Immiſſis itaque lictoribus,[1] cæteriſque publicis miniſteriis, angulatim cuncta ſedulò perluſtrari jubent. nec quiſquam mortalium, ac ne ipſe quidem aſinus intra limen comparere nuntiatur. Tunc gliſcit violentior utrimqueſecùs contentio militum, pro comperto de nobis aſſeverantium, fidemque Cæſaris identidem implorantium, at illius negantis, aſſiduéque Deûm numen obteſtantis. Quâ contentione, & clamoſo ſtrepitu cognito, curioſus alioquin, & inquieti procacitate præditus aſinus, dum, obliquatâ cervice per quamdam[2] feneſtrulam, quidnam ſibi vellet tumultus ille, proſpicere geſtio; unus è commilitonibus, caſu fortuito collimatis oculis ad umbram meam, cunctos teſtatur incoràm. Magnus denique continuò clamor exortus eſt: &, emenſis protinùs ſcalis, injectâ manu, quidam me velut captivum detrahunt. Jamque, omni ſublatâ cunctatione, ſcrupuloſiùs contemplantes ſingula, ciſtâ etiam illâ revelatâ, repertum, productumque, & oblatum Magiſtratibus miſerum hortulanum, pœnas ſcilicet capite penſurum in publicum deducunt carcerem: ſummoque riſu meum proſpectum cavillari non deſinunt.[3] Unde etiam

Interpretatio.

nullo alio *in loco. Noviſſimè placuit Magiſtratibus convincere perſcrutatione eum, qui negabat pertinaciter. Miſſis ergo intrò ſatellitibus, & aliis miniſtris publicis, imperant omnia inveſtigari ſtudioſè per ſingulos angulos.* Illi *referunt nullum hominem reperiri in ædibus, ac ne ipſum quidem aſinum. Tunc vehementior creſcit ab utrâque parte altercatio, militum* nempè *affirmantium certò certiùs nos* ibi eſſe *& frequenter implorantium auxilium Cæſaris, illius verò* id *pernegantis & perpetuò obteſtantis Deos. Quod jurgium murmurque clamoſum cùm ego aſinus aliàs curioſus, & præditus petulantiâ inquietâ, audiviſſem, dum, detorto collo, cupio aſpicere per quamdam feneſtellam, quid ſibi vellet ille ſtrepitus, unus ex commilitonibus deflexis fortè fortunâ oculis ad meam umbram, teſtes omnes vocat palàm. Denique ingens clamor illicò ſublatus eſt: & quidam, conſcenſis confeſtim ſcalis, injiciunt mihi manum, & trahunt me inde quaſi captivum. Et jam, ſublatâ omni morâ, ſcrutantes omnia majore ſtudio, diſcoopertâ etiam illâ arculâ, inveniunt miſerum olitorem, & extrahunt eum* inde, *atque exhibent Magiſtratibus, ducuntque in publicam cuſtodiam, pœnas nempè perſoluturum capite: nec ceſſant jocari maximo* cum *riſu de meâ inſpectione. Unde etiam*

Notæ.

1. *Cæteriſque publicis miniſteriis.*] Quales erant viatores, accenſi, apparitores, &c. de quibus vide Roſinum, Antiquit. Rom. lib. 7. cap. 48. *Miniſteria* hîc pro *miniſtris*, ut *ſervitia* pro *ſervis*. Sic lib. 3. *tunc me per proſcenium medium, velut quamdam victimam publica miniſteria perducunt.*

2. *Feneſtrulam.*] Sæpiùs *feneſtellam* reperias diminutivum à *feneſtrâ*.

1. *Unde etiam de proſpectu, & de umbrâ aſini, &c.*] Lucianus habet tantùm ἐξ ὄνου παρακύψεως *ex aſini proſpectu*. Hujus tamen proverbii duæ aliæ ab aliis narrantur origines. Quidam enim ferunt aſinum per feneſtram proſpicientem vaſa fictilia in figuli officinâ fregiſſe: unde aſinarium in jus

de proſpectu

de proſpectu & umbrâ aſini natum eſt frequens proverbium.

INTERPRETATIO.

ortum eſt adagium valdè uſitatum de inſpectione, & umbrâ aſini.)

NOTÆ.

vocatum à figulo, interrogatum, cujus criminis accuſaretur, dixiſſe ὄνου παρακύψεως *de aſini proſpectu.* Alii tradunt, aſino proſpiciente, aves evolâſſe, telamque diſrupiſſe. cujus dominus aſinarium in jus vocavit, qui rogatus quam ob cauſam reus fieret, dixit, ἐξ ὄνου παρακύψεως *ex aſini proſpectu.* Proverbium hoc, ſi ab his duabus cauſis ortum duxerit, de his dicetur, qui leviter & ridiculè calumniantur. At ſi à proſpectu noſtri aſini originem traxerit, de iis intelligetur, qui ſtolido indicio aliquo & ridiculo deprehenſi fuerint. Eſt & aliud Græcum adagium ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς, *de umbrâ aſini*, cujus meminerunt Menander, in Enchirid. Plato, & alii complures. diciturque in eos, qui noſſe cupiunt futilia, & frivola, miniméque utilia. Ductum autem eſt ex fabulâ, quâ tradunt juvenem quemdam conduxiſſe mercede aſinum, & cùm ſub umbrâ aſini per meridianum æſtum quieſcere vellet, exturbatum inde fuiſſe ab aſinario dicente, ſe illi aſinum tantùm locâſſe, non etiam umbram. ex hoc ventum in judicium ab utroque. Quod cùm olim in capitali judicio coram judicibus faſtidioſis recitâſſet Demoſthenes, & illi, mox expergefacti fabellæ lepiditate, cuperent diſcere, quis fuiſſet rei exitus; ſubjunxit tempeſtivè admodùm egregius ille Orator: ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς ἀκούειν ὦ ἄνδρες ἐπιθυμεῖτε, ἀνθρώπου δὲ κινδυνεύοντος ὑπὲρ ψυχῆς, οὐδὲ τῆς φωνῆς ἀνέχεσθε. *O viri, cupitis audire de umbrâ aſini, hominis autem pro animâ periclitantis defenſionem audire non vultis.* Hæc duo proverbia Aſinus noſter in unum conflat, dicitque à ſe ortum duxiſſe: niſi malis cum Stevvechio hîc legere: *de proſpectu, ut de umbrâ aſini*, ut ſit ſenſus ex proſpectu ſuo ortum fuiſſe proverbium *de aſini proſpectu*, quemadmodum ex aliâ occaſione natum fuerat illud: *de umbrâ aſini.* Scriverio aſſentirer hæc ultima verba: *unde etiam*, &c. è Gloſsâ in textum irrepſiſſe, niſi me prohiberet Luciani auctoritas, qui ſimiliter inducit aſinum ſuum, dicentem occaſione ſui ortum eſſe illud: ἐξ ὄνου παρακύψεως.

LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI METAMORPHOSIS

LIBER DECIMUS.

DIE ſequenti meus quidem dominus hortulanus quid egerit, neſcio. me tamen miles ille, qui [1] propter eximiam impotentiam pulcherrimè vapulârat, ab illo præſepio, nullo equidem contradicente, deductum abducit: atque à ſuo contubernio (hoc enim mihi videbatur) ſarcinis propriis onuſtum, & prorsùs exornatum, armatumque militariter, producit ad viam. nam & galeam nitore præmicantem, & ſcutum cæteris his longiùs relucens: ſed etiam lanceam longiſſimo haſtili conſpicuam, quam ſcilicet non diſciplinæ tunc quidem causâ, ſed propter terrendos miſeros viatores in ſummo atque edito ſarcinarum cumulo, adinſtar exercitûs, ſedulò compoſuerat. Confectâ campeſtri, nec adeò difficili viâ, ad quamdam civitatulam pervenimus; nec in ſtabulo, ſed in domo cujuſdam [2] decurionis di-

INTERPRETATIO.

IGNORO equidem quid dominus meus hortulanus fecerit die poſtero. ſed ille miles, qui egregiè fuerat verberatus ob inſignem ſuam violentiam, ſolvit me, & abducit ab illo præſepi, nemine quidem prohibente: atque ex ſuo tentorio, ut mihi quidem videbatur, deducit ad iter, oneratum ſuis ſarcinis, ornatumque, & inſtructum planè militarem in modum. Nam impoſuerat mihi *caſſidem fulgore prænitentem, & clypeum, qui longiùs emicabat reliquis* illis : *quin & lanceam quoque ſpectabilem ſuo longiſſimo haſtili, quam ſtudioſè collocaverat in ſupremo, atque edito ſarcinarum faſtigio, ut in exercitu* fieri ſolet, *non tunc quidem diſciplinæ* obſervandæ *causâ, ſed ad terrendos miſeros viatores. Cùm emenſi eſſemus iter planum, ideoque non difficile, devenimus ad quoddam oppidulum; neque nos recepimus in diverſorium, ſed in domum cujuſdam de-*

NOTÆ.

1. *PRopter eximiam impotentiam.*] Vel intellige violentiam, quâ miſerum hortulanum verberaverat, atque aſino exuere voluerat, vel ob imbecillitatem, ob quam non potuerat ſe adverſus eum defendere.

2. *Decurionis.*] Decurio hîc eſt Δεκάρχης, *decem militibus præpoſitus.* Alio ſignificatu infrà reperias, pro Senatore municipali.

vertimus. Statimque, me commendato cuidam ſervulo, ipſe ad præpoſitum ſuum, qui [1] mille armatorum ducatum ſuſtinebat, ſollicitè proficiſcitur. Poſt dies pluſculos ibidem [2] deſignatum ſceleſtum ac nefarium facinus memini. ſed, ut vos etiam legatis, ad librum profero. Dominus ædium habebat juvenem filium probè litteratum, atque ob id conſequenter pietate modeſtiâque præcipuum: [3] quem tibi quoque proveniſſe cuperes, vel talem. Hujus matre multó antè defunctâ, rurſùm matrimonium ſibi reparaverat: ductâque aliâ, filium procreaverat alium, qui jam adæquè duodecimum ætatis annum [4] ſupergreſſerat. Sed noverca, formâ magis quàm moribus in domo mariti præpollens, ſeu naturaliter impudica, ſeu fato ad extremum impulſa flagitium, oculos ad privignum adjecit. Jam ergo, lector optime, ſcito te [5] tragœ-

INTERPRETATIO.

curionis. Cúmque me tradidiſſet cuſtodiendum *cuidam ſervulo, ipſe ſtatim proficiſcitur properè ad ſuum præfectum, qui præerat mille militibus. Recordor enorme ac infandum ſcelus perpetratum fuiſſe ibidem poſt aliquot dies. verùm infero* illud meo *libro, ut vos quoque legatis. Dominus* illius *domûs habebat filium juvenem, litteris egregiè imbutum. proindeque eâ de causâ inſignem pietate & modeſtiâ, quem, aut ſimilem optares tibi etiam natum eſſe. Matre ejus multò antè mortuâ,* pater *contraxerat iterùm matrimonium: ductâque aliâ* uxore, *genuerat alium filium, qui exceſſerat jam circiter duodecimum annum ſuæ ætatis. Verùm noverca, quæ potens erat in domo mariti pulchritudine* ſuâ *potiùs quàm* probis *moribus, capta eſt amore privigni, ſive quòd à naturâ eſſet libidinoſa, ſive quòd impelleretur fati* neceſſitate *ad graviſſimum* illud *ſcelus. Igitur, optime lector, ſcias te jam*

NOTÆ.

1. *Mille armatorum ducatum, &c.*] Ejuſmodi, Græco vocabulo, Chiliarchæ dicti ſunt, iique imperium habuerunt in Centuriones, quemadmodum & hi in Decuriones.

2. *Deſignatum.*] *Deſignare* eſt rem novam facere in utramque partem, & bonam & malam. Hîc in malam ſumitur, quemadmodum & apud Terent. Adelph. Actu 1. Scen. 2.

——— *nam illa, quæ antehàc facta ſunt*
Omitto: modò quid deſignavit? MITIO. Quidnam id eſt?
DEMEA. Fores effregit: atque in ædes irruit
Alienas, &c.

3. *Quem tibi quoque proveniſſe, &c.*] Plautus, in Moſtellar.â, de liberis & parentibus:

Expoliunt, docent litteras, jura, & leges:
Sumptu ſuo, & labore nituntur, ut
Alii ſibi eſſe illorum ſimiles expetant.

Apud Suetonium, Imperator Claudius, de L. Othone: *Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.* Obſerva *proveniſſe* hîc propriè uſurpati. Sic Juſtinus, lib. 2. *Artemenem primum quidem Dario, ſed privato proveniſſe.*

4. *Supergreſſerat.*] *Supergreſſus erat.* Priſcianus, lib. 8. notat veteres dixiſſe *congredior*, & *congredio*. Quâ formâ Noſter hîc uſurpavit *ſupergreſſerat* à *ſupergredio.*

5. *Tragœdiam, non fabulam.*] Hiſtoriam funeſtam, non autem feſtivam, & jocoſam narrationem. Tragœdiarum argumenta funeſta, qualis eſt inceſtus, ac nefandus amor, quo novercam in privignum exarſiſſe narrat hîc Apuleius. Vide Senecæ Hippolytum.

diam, non fabulam legere, & [1] à ſocco ad cothurnum aſcendere. Sed mulier illa, quamdiu primis elementis Cupido parvulus nutriebatur, imbecillis adhuc ejus viribus, facilè ruborem tenuem deprimens, ſilentio reſiſtebat. At ubi completis igne veſano totis præcordiis, immodicè bacchatus Amor exæſtuabat; ſævienti Deo jam ſuccubuit: ac languore ſimulato, vulnus animi [2] mentitur in corporis valetudine. Jam cætera ſalutis vultûſque detrimenta, & ægris & amantibus examuſſim convenire, nemo eſt qui neſciat. [3] pallor deformis, marcentes oculi, [4] laſſa genua, quies turbida, & ſuſpiritus cruciatûs tarditate vehementior. Crederes & illam fluctuare tantùm vaporibus febrium; niſi quòd & flebat. [5] Heu Medicorum ignaræ mentes! [6] quid venæ pulſus, quid caloris intemperantia, quid fatigatus anhelitus, & utrimque-

INTERPRETATIO.

legere tragœdiam, non comœdiam, & aſcendere à ſocco ad cothurnum. Verùm quamdiu parvus amor primis initiis alebatur, mulier illa reluctabatur facilè ejus viribus adhuc infirmis, ſilentio tegens exiguum ruborem. Verùm ſimul ac amor ſupra modum furens exarſit repleto toto ejus pectore inſanis flammis, tum victa eſt à Deo illo *violento: confictoque morbo, celavit ægritudinem animi languore corporis. Nemo quidem ignorat omnia damna valetudinis & faciei accuratè convenire & ægrotis, & amantibus. Pallor* illi erat *turpis, oculi marcidi, genua feſſa, ſomnus turbulentus, & ſuſpiria impetuoſiora ex lentore tormenti. Putares illam agitari caloribus duntaxat febrium, niſi quòd lacrymabatur quoque. Heu imperita ingenia Medicorum! quid pulſatio arteriæ, quid calor immoderatus, quid feſſa reſpiratio, & reciprocæ alterna-*

NOTÆ.

1. *A ſocco ad Cothurnum.*] A Comœdiâ, ſeu lepidis fabulis ad Tragœdiam, ſive narrationem triſtem & funeſtam. *Soccum* fuiſſe calceamentum humile Comœdorum propè peculiare, *Cothurnum* verò, ſublimius, & hiſtrionibus uſurpatum, cùm Tragœdias agerent, notiſſimum eſt. Unde metonymicè ſoccus pro Comœdiâ, & cothurnus pro Tragœdiâ ſæpè uſurpantur.

2. *Mentitur.*] Pricæus ſic mutat hunc locum: *vulnus animi mentitur corporis invaletudinem*, hoc eſt, fingit morbum ſuum non eſſe morbum animi, ſed corporis. Verùm arbitror, nihil hîc mutatione, aut emendatione eſſe opus. Satis planus erit locus, ſi *mentitur* non intelligas *ſimulat*, ſed *celat* & *tegit*: & *valetudinem* hîc pro languore & morbo ſumas, ut ſit ſenſus, quem in interpretatione expreſſi.

3. *Pallor deformis, &c.*] Hæc omnia ſigna tum morbum, tum amorem comitantia Noſter expreſſit lib. 5. ubi Pana inducit Pſychen alloquentem.

4. *Laſſa genua.*] Colvius malebat *lapſa*, & Pricæus probat etiam hanc lectionem ex Oxonienſi Mſ. *lapſa genua* ſunt titubantia & lapſabunda. Scriptam tamen lectionem retinere nihil vetat.

5. *Heu Medicorum ignaræ mentes.*] Imitatio eſt Virgiliani hujus lib. 4. Æneid.

Heu vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Eſt mollis flamma medullas, &c.

6. *Quid venæ pulſus.*] Ex inæqualitate ac perturbatione pulsûs Antiochi obſervatâ, dum ad eum ingrederetur noverca Stratonice, aliiſque ejuſmodi amatoriis ſignis, Eraſiſtratus Medicus deprehendit eum ipſius amore laborare. Teſtis Plutarchus, in Demetrio.

ſecùs jactatæ crebriter laterum mutuæ viciſſitudines? Dii boni! quàm facilis, licet non artifici Medico, cuivis tamen docto Venereæ cupidinis comprehenſio; cùm videas aliquam [1] ſine corporis calore flagrantem. Ergo igitur impatientiâ furoris altiùs agitata, diutinum rupit ſilentium; & ad ſe vocari præcipit filium. quod nomen in eo ipſo, ſcilicet ne [2] ruboris admoneretur, libenter eraderet. Nec aduleſcens ægræ [3] parentis moratus imperium, [4] ſenili triſtitie ſtriatam gerens frontem, cubiculum petit uxoris patris, matriſque fratris, utcumque debitum ſiſtens obſequium. Sed illa cruciabili ſilentio diutiſſimè fatigata, &, [5] ut in quodam vado dubitationis hærens, omne verbum, quod præſenti ſermoni putabat aptiſſimum, rursùm improbans, nutante etiamnunc pudore, unde potiſſimùm caperet exordium, decontatur. At juvenis nihil etiam tunc ſequius ſuſpicatus, ſummiſſo vultu, rogat ultrò præſentis cauſas ægritudinis. Tunc illa nacta ſolitudinis damnoſam occaſionem, prorumpit in audaciam: & ubertim adlacrymans, laciniâque contegens faciem, voce trepidâ ſic eum breviter affatur: Cauſa omnis & origo præſentis doloris, & etiam

INTERPRETATIO.

tiones laterum ſæpiùs jactatæ in utramque partem indicabant? *Dii boni! quàm facile eſt cuilibet docto dignoſcere affectum amatorium, quamvis ille non profiteatur artem Medicam; quando videas aliquam ardentem abſque calore corporis. Igitur impotentiâ amoris* veſani *exagitata profundiùs, abrupit diuturnum ſilentium; &* illa *jubet vocari ad ſe filium, quod nomen libenter deleret in ipſo, ne ſcilicet,* ipſum proferens, *admoneretur verecundiæ. Juvenis verò ſtatim parens juſſui ægrotantis matris, gerens frontem triſtitiâ corrugatam inſtar ſenis, it in cubiculum uxoris patris* ſui, *matriſque fratris, præſtans obſequium* ipſi *quodammodo debitum. At illa cruciata diutiſſimè moleſto ſilentio, & hæſitans veluti in quodam fluctu dubitationis, reſpuens omne verbum, quod exiſtimabat priùs convenientiſſimum orationi præſenti, pudore adhuc vacillante, ambigit unde præſertim ſumeret initium* loquendi. *Adoleſcens verò nihil mali ſuſpicans eâtenus, demiſſâ facie, quærit* ab eâ *cauſas morbi præſentis. Tunc illa, oblatâ perniciosâ occaſione ſolitudinis, fit audax, & flens abundanter, velanſque vultum* ſuum *veſte, ſic alloquitur eum paucis* verbis *voce trepidante: Tu ipſe mihi es omnis cauſa & origo hujus morbi,*

NOTÆ.

1. *Sine corporis calore flagrantem.*] Videtur ſibi ipſi adverſari, modò enim calorem annumeravit amoris indiciis, *quid caloris intemperantia?* Niſi dicere velimus intelligendum eſſe *violento calore*, & qualis in febre laborantibus deprehenditur.

2. *Ruboris.*] Pudoris & verecundiæ, quâ ipſam affici par erat, quoties, prolato filii nomine, admoneretur ſe non poſſe, niſi inceſtis ignibus, in eum ardere.

3. *Parentis.*] Adverte *parentem* blandiùs dici de novercâ, quemadmodum & paulò antè *filium* de privigno.

4. *Senili triſtitie, &c.*] Ex dolore nimirum, quem de ficto novercæ morbo pius privignus conceperat.

5. *Ut in quodam vado dubitationis, &c*] Metaphora ducta à navibus, quæ, cùm in brevia ac loca vadoſa impegerint, hærent, neque moveri quoquam poſſunt.

medela ipſa, & ſalus unica mihi vitæ tute ipſe es. Iſti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapſi præcordia, meis medullis acerrimum commovent incendium. Ergo miſerere [1] tuâ causâ pereuntis. nec te [2] religio patris omninò deterreat: cui morituram prorsùs ſervabis uxorem. Illius enim recognoſcens imaginem in tuâ facie, meritò te diligo. Habes ſolitudinis plenam fiduciam, habes capax neceſſarii facinoris otium. Nam [3] quod nemo novit, pœnè non fit. Repentino malo perturbatus adoleſcens, quamquam tale facinus protinùs exhorruiſſet, non tamen negationis intempeſtivâ ſeveritate putavit exaſperandam, ſed cautæ promiſſionis dilatione leniendam. Ergo prolixè pollicetur, ut bonum caperet animum, refectionique ſe ac ſaluti redderet, impendiò ſuadet: donec patris aliquâ profectione liberum voluptati concederetur ſpatium. ſtatimque ſe refert à noxio conſpectu novercæ. Et magnam domûs cladem ratus indigere conſilio pleniore, ad quemdam compertæ gravitatis educatorem ſenem

Interpretatio.

atque etiam remedium ipſum, & unicæ vitæ meæ *ſalus. Nam iſti tui oculi demiſſi per meos oculos in intimum* meum *pectus, excitant ignem vehementiſſimum* in *meis medullis. Miſerere igitur* mei, *quæ morior propter te. neque reverentia patris te impediat ullo modo; cui conſervabis conjugem* aliàs *proculdubio morituram. Jure enim amo te, cùm agnoſcam ejus imaginem in tuo vultu. Habes perfectam ſecuritatem ob ſolitudinem, habes ſatis temporis ad committendum illud facinus* meæ ſaluti *neceſſarium.* Illud *enim quod nemo ſcit, ferè non fit. uvenis turbatus ſubito malo, quamvis ſtatim exhorruiſſet ejuſmodi flagitium, non tamen credidit* eam eſſe *irritandam non opportunâ ſeveritate recuſationis, ſed demulcendam procraſtinatione callidæ promiſſionis. Promittit igitur abundanter, valdèque hortatur, ut bono eſſet animo,* ſumeret*que cibum, & conſuleret valetudini* ſuæ*: quoad liberum tempus ad voluptatem* percipiendam ſibi *daretur per aliquam peregrinationem patris. Diſceditque protinùs à pernicioſo conſpectu* ſuæ *novercæ, & exiſtimans ingentem illam calamitatem domûs opus habere deliberatione ampliore, narrat* eam *ſtatim cuidam ſeni pædagogo* ſuo

Notæ.

1. *Tuâ causâ pereuntis.*] Sic plerique Mſs. & veteres editiones. ſic quoque Wovverius & Pricæus, ſenſu planiſſimo. Colvius ex Mſ. Lipſiano ponebat *tuæ caræ parentis*, abſurdè. quomodo enim quæ nomen filii in privigno libenter eraderet, ne (illud pronuntians) pudoris admoneretur (ut ſuprà habet Noſter,) quomodo (inquam) illa eum ad inceſtam Venerem exhortans, matris nomen adhiberet, quod proculdubio tanti flagirii horrorem in eo deberet augere?

2. *Religio patris.*] Religio, ſeu reverentia, quâ patrem colis. Similiter Terent. in Andriâ, dixit *patris pudor*, pro pudore, quo prohibebatur filius, quominùs adverſaretur patri.

3. *Quod nemo novit, pœnè non fit.*] Fallax & pernicioſa ſententia. Similiter Ovid. 3. Amor.

Non peccat quæcumque poteſt peccâſſe negare,
Solaque deformem culpa profeſſa facit.

Et Seneca, de Irâ, 1. *Innocentem quiſque ſe dicit, reſpiciens teſtem, non conſcientiam.*

protinus refert. Nec quidquam diutinâ deliberatione tam ſalubre viſum, quàm fugâ celeri procellam Fortunæ ſævientis evadere. Sed impatiens vel exiguæ dilationis mulier, fictâ quâlibet causâ confeſtim marito miris perſuadet artibus, ad longiſſimè diſſitas feſtinare villulas. Quo facto, maturatæ ſpei veſaniâ præceps, promiſſæ libidinis flagitat vadimonium. Sed juvenis, modò iſtud, modò illud cauſæ faciens, execrabilem fruſtratur ejus aſpectum: quoad illa, nuntiorum varietate, pollicitationem ſibi negatam manifeſtò perſpiciens, mobilitate lubricâ nefarium amorem ad longè deterius tranſtuliſſet odium. Et, aſſumpto ſtatim nequiſſimo, & ad omne facinus [1] emancipato, quodam [2] dotali ſervulo, perfidiæ ſuæ conſilia communicat. nec quidquam melius videtur, quàm vitâ miſerum privare juvenem. Ergo miſſus continuò furcifer venenum præſentarium comparat: idque vi-

INTERPRETATIO.

ſpectatæ prudentiæ viro. *Et,* poſt *longam conſultationem, nihil viſum eſt tam ſalutare, quàm veloci fugâ evitare tempeſtatem fortunæ infenſæ. At mulier nequiens ferre vel minimam moram, excogitatâ qualicumque causâ, perſuadet ſtatim marito mirâ aſtutiâ, ut citò iret ad prædiola* quædam *longiſſimè remota. Quo facto,* ipſa *feſtinans ex furioſo acceleratæ ſpei deſiderio, poſtulat ſibi præſtari promiſſam voluptatem. At juvenis evitat execrandum ejus conſpectum, afferens modò hanc cauſam, modò illam: donec illa evidenter agnoſcens ex diverſitate reſponſorum,* quæ ſibi ab ipſo afferebantur, *ſibi denegari promiſſi* exhibitionem, *præcipiti inconſtantiâ mutavit inceſtum amorem in odium multò pejus. Et protinùs, accerſito quodam ſervo* ſuo *dotali peſſimo, & addicto* ſibi *ad quodlibet ſcelus, communicat ei conſilia ſuæ perfidiæ, & nihil videtur* ipſis *conſultius, quàm interficere miſerum adoleſcentem. Miſſus igitur ſtatim ſceleſtus* ille ſervus *emit venenum promptiſſimum, ſeduloque diluit illud vino,*

NOTÆ.

1. *Emancipato.*] Feſtus: *Emancipati duobus modis intelliguntur. aut ii, qui ex patris jure exierunt, aut ii, qui aliorum fiunt dominii: quorum utrumque fit mancipatione,* hoc eſt, ut interpretor, traditione in manum. Poſteriore ſenſu hîc ſumitur, quemadmodum & in hoc Horatii Epod. Ode 9. de Antonio:

Romanus (eheu poſteri negabitis)
Emancipatus fœminæ
Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus
Servire rugoſis poteſt.

Et hæc ſignificatio propria eſt hujus vocabuli. Nam & qui ex patriâ poteſtate exeunt, emancipari dicuntur ob tres fictas, ſeu (ut loquuntur Juriſconſulti) imaginarias venditiones, vel emancipationes, & totidem manumiſſiones, quas celebrari olim neceſſe erat, ut filius è poteſtate patris exiret. Mancipationis ritum vide apud Gloſſatores ad *Lib.* 1. *Inſtit. Titulum* 12. *Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur.*

2. *Dotali ſervo.*] Dotalis ſervus eſt, quem ſecum uxor, unà cum dote, ad maritum adducit. Receptitius, auctore A. Gellio, Noct. Attic. lib. 17. cap. 6. quem ſibi reſervavit, neque cum dote ad maritum tranſmiſit. Ejuſmodi ſervis, tum dotalibus, tum receptitiis majorem habebant fidem mulieres, quam aliis, quippe quos in ſuâ poteſtate aut habebant, aut habuerant, & cum illis ſæpè à pueritiâ in domo paternâ verſatæ fuerant.

no diligenter dilutum, inſontis privigni præparat exitio. Ac dum de oblationis opportunitate ſecum [1] noxii deliberant homines: fortè fortunâ puer ille junior, proprius peſſimæ fœminæ filius, poſt matutinum laborem ſtudiorum domum ſe recipiens, prandio jam capto ſitiens, repertum vini poculum, in quo venenum latebat incluſum, neſcius fraudis occultæ, continuo perduxit hauſtu. qui, ubi fratri ſuo paratam mortem ebibit, exanimis terræ procumbit. Illicò repentinâ pueri pernicie pædagogus commotus, ululabili clamore matrem totamque ciet familiam. Jamque cognito caſu noxiæ potionis, variè quiſque præſentium auctores inſimulabant extremi facinoris. Sed dira illa fœmina, & malitiæ novercalis exemplar unicum, non acerbâ filii morte, non [2] parricidii conſcientiâ, non infortunio domûs, non luctu mariti, vel ærumnâ funeris, commota, clade familiæ vindictæ compendium traxit. miſitque protinùs [3] curſorem, qui vianti marito [4] domûs expugnationem nuntiaret. ac mox eodem ocyùs ab itinere regreſſo, perſonata nimiâ temeritate, inſimulat privigni veneno filium ſuum interemptum. Et hoc quidem non adeo mentiebatur, quòd jam deſtinatam juveni mortem prævenIſſet puer. ſed fratrem juniorem fingebat ideo privigni ſcelere peremptum, quòd ejus probro-

INTERPRETATIO.

& præparat in perniciem privigni innocentis. Dumque ſcelerati homines deliberant inter ſe de tempore, quo poſſet *commodè* ipſi *propinari: fortè ille puer junior, proprius filius nequiſſimæ mulieris, reverſus domum, poſt laborem ſtudiorum matutinorum, cùm ſumpto jam jentaculo ſitiret, invenit vini calicem, in quo venenum incluſum latebat, & ebibit illum uno hauſtu, ignorans latentes inſidias. qui ſimul ac ſorpſit mortem præparatam ſuo fratri, corruit humi exanimatus. Continuò educator pueri turbatus ſubitâ* illius *morte, excitat matrem totamque familiam vociferatione flebili. Jamque cognito caſu exitialis poculi, ſinguli eorum, qui aderant, diverſos accuſabant auctores nefandi* illius *ſceleris. At execrabilis illa mulier*, quæque erat *ſingulare exemplar malitiæ novercalis, nullatenus permota immaturâ morte* ſui *filii, neque conſcientiâ parricidii, neque clade domûs, neque mœrore conjugis, aut luctu funeris* illius, *cepit breviorem viam ultionis ex ſtrage familiæ. Statimque miſit curſorem ad nuntiandam marito iter facienti ſubverſionem* ſuæ *domûs. Cumque hic ſtatim rediiſſet velociſſimè ab itinere* ſuo, *ipſa induta mirâ audaciâ, affirmat filium ſuum extinctum* fuiſſe *veneno privigni. Et hac quidem in re non admodùm mentiebatur, quia puer antcoccupaverat mortem jam præparatam* illi *adoleſcenti. Sed comminiſcebatur fratrem juniorem ideò interfectum* fuiſſe *crimine privigni, quia* ipſe *noluerat morem gerere infami ejus*

NOTÆ.

1. *Noxii deliberant homines.*] Servus & noverca.

2. *Parricidii.*] Necis filii, veneno à ſe temperato, ſublati.

3. *Curſorem.*] Inter ſervos fuerunt, Curſores, ab officio, dicti. Dromones vocantur in Comœdiis.

4. *Domûs expugnationem.*] Metaphoricè, pro clade & calamitate, cujuſmodi infertur oppidis, cùm expugnantur ab hoſtibus.

ſæ libidini

læ libidini, quâ [1] ſe comprimere tentaverat, noluiſſet ſuccumbere. Nec tam immanibus contenta mendaciis, addebat, ſibi quoque, ob detectum flagitium, eumdem illum gladio comminari. Tunc infelix, duplici filiorum morte perculſus, magnis ærumnarum procellis æſtuat. Nam, & juniorem incoràm ſui funerari videbat; & alterum [2] ob inceſtum, parricidiumque, capitis ſcilicet damnatum iri certò ſciebat. Ad hoc uxoris dilectæ nimiùm mentitis lamentationibus, ad extremum ſobolis impellebatur odium. Vixdùm pompæ funebres ſepulturæ filii fuerant explicatæ: & ſtatim [3] ab ipſo ejus rogo ſenex infelix, ora ſua recentibus adhuc rigans lacrymis, trahenſque cinere ſordentem canitiem, foro ſe feſtinus immittit. Atque ibi, tum fletu, tum precibus, genua etiam [4] Decurionum contingens, neſcius fraudium peſſimæ mulieris, in exitium reliqui filii plenis operabatur affectibus: illum inceſtum paterno thalamo, illum parricidam fraterno exitio, & in comminatâ novercæ nece ſicarium. Tantâ denique miſeratione, tantâque indignatione Curiam, ſed & plebem mœrens inflammaverat; ut remoto judicandi tædio, & accuſationis manifeſtis probationibus, & reſponſionis meditatis ambagibus, cuncti conclamaverint: Lapidibus obrutum publicum malum publice vindicari.

Interpretatio.

libidini, quâ conatus erat ſibi ſtuprum inferre. Nec contenta mendaciis tam enormibus, dicebat inſuper eum ipſum ſibi minitatum fuiſſe enſe, quia revelaverat ejus ſcelus. Tunc miſer ille fluctuat magno æſtu curarum, afflictus morte amborum filiorum. Videbat enim minorem ſepeliri coràm ſe; & certò ſciebat alterum condemnatum iri, ad mortem videlicet, ob inceſtum, & parricidium. Præterea incitabatur ad implacabile odium filii, confictis lamentationibus nimis amatæ conjugis. Vix adhuc exequiæ filii ordine proceſſerant: cùm protinùs miſer ſenex ab ejus pyrâ properè contendit ad forum, madefaciens vultum ſuum lacrymis adhuc recentibus, vellenſque ſuos canos ſordidos cinere. Ibique toto animo incumbebat exitio filii ſibi *ſuperſtitis, tum lacrymis tum ſupplicationibus, amplectens etiam genua Senatorum, ignorans dolos nequiſſimæ fœminæ:* clamitans *illum inceſtum* eſſe ob intentatam *lecto patris* contumeliam, *parricidam* eſſe *ob extinctum fratrem, & ſicarium quia minatus fuerit mortem novercæ. Denique* ſic *lamentans accenderat tantâ indignatione, tantâque miſericordiâ Senatum, & ipſum populum, ut ſublatâ morâ judicii* legitimi, *& claris probationibus accuſationis* ſublatis etiam *præcogitatis circuitionibus reſponſionis, omnes conclamaverint* Publicum malum puniendum esse publice, opprimendo illud saxis.

Notæ.

1. *Se comprimere.*] Novercam, non autem juniorem fratrem, ut malè Pricæus exponit. Infrà enim legitur *illum inceſtum paterno thalamo.*

2. *Ob inceſtum, parricidiumque.*] Quorum criminum falsò à novercâ accuſabatur.

3. *Ab ipſo ejus rogo.*] A loco, in quo erat cremandus, nondum enim cremabatur, neque omninò crematus fuit, ut infra patebit.

4. *Decurionum.*] Decuriones hîc intellige Senatores, qui in municipiis Decuriones dicebantur, ut jam monui.

Magiſtratus interim, metu periculi proprii, ne de parvis indignationis elementis ad exitium diſciplinæ civitatiſque ſeditio procederet, partim Decuriones deprecati, partim populareis compeſcere, ut ritè & more majorum judicio reddito, & utrimqueſecùs allegationibus examinatis, civiliter ſententia promeretur: nec, ad inſtar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ, damnaretur aliquis inauditus, & in pace placidâ tam dirum ſæculo proderetur exemplum. Placuit ſalubre conſilium. & illicò juſſus præco pronuntiat: PATRES IN CURIAM CONVENIRENT. Quibus protinùs dignitatis jure conſueta loca reſidentibus, rurſùm præconis vocatu, primus accuſator incedit. Tunc demùm clamatus inducitur etiam reus: & exemplo [1] legis Atticæ, Martiique judicii, cauſæ patronis denuntiat præco, neque principia dicere, neque miſerationem commovere. Hæc ad iſtum modum geſta compluribus mutuò ſermocinantibus cognovi. Quibus autem verbis accuſator urſerit, quibus rebus diluerit reus, ac prorsùs orationes, altercationeſque, neque abſens ipſe apud præſepium ſcire, neque ad vos, quæ ignoravi, poſſum enuntiare: ſed quæ planè comperi, ad iſtas lit-

INTERPRETATIO.

Interim Magiſtratus timore proprii periculi, ne ſcilicet *ſeditio progrederetur ex parvis initiis iræ ad perniciem diſciplinæ & urbis* ipſius, cœperunt *partim orare Senatores, partim cohibere plebem, ut ſententia civili modo pronuntiaretur, judicio reddito legitimè, & ſecundum conſuetudinem majorum, & perpenſis iis, quæ proferrentur ab utrâque parte; neque aliquis condemnaretur indictâ causâ, ad exemplum feritatis Barbarorum, aut violentiæ Tyrannorum, & exemplum tam atrox relinqueretur poſteris* hocce tempore *tranquillæ pacis. Conſilium hoc ſalutare placuit* omnibus. *Statimque præco ex mandato proclamat* ut SENATORES CONVENIRENT IN SENATUM. *Qui, cùm conſediſſent in ſedibus ſolitis ſecundùm ordinem* ſuæ *dignitatis, præcone rursùs vocante, accuſator progreditur primus. Tum denique reus etiam citatus introducitur: & præco ad exemplum legis Athenienſium, & Areopagi, edicit advocatis cauſæ, ne declament exordia, neque excitent ad miſericordiam. Didici hæc ſic peracta* fuiſſe *ex ſermone multorum inter ſe colloquentium. Cùm autem ego non interfuerim* cauſæ, quippe alligatus *ad præſepium, neque* potui *ſcire, quâ oratione accuſator inſtiterit, & quibus argumentis reus refutaverit, atque omnino* eorum *orationes reſponſioneſque: neque poſſum narrare vobis, quæ non didici: ſed tantùm mandabo his litteris ea, quæ co-*

NOTÆ.

1. *Legis Atticæ Martiique judicii, &c.*] Martium judicium nihil aliud eſt, quàm Areopagitarum apud Athenas Senatus ἄρειος πάγος dictus, quaſi Martius pagus, ſeu collis: curia Martis Juvenali, Satyrâ 9.

Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.

Senatum illum nomine Martis ideo dictum fuiſſe aiunt, quòd ibi Mars homicidii reus à Neptuno actus coràm duodecim Diis, ſex ſententiis abſolutus eſt. Lex illa Attica eſt Areopagi lex, quâ advocati jubebantur cauſas dicere ἄνευ προοιμίων ϗ παθῶν *abſque exordiorum apparatu, & affectuum permotione*, quibus rebus corrumpi poſſunt hominum judicia, & à ſtrictâ juſtitiæ ſemitâ deflecti.

teras proferam. Simul enim finita eſt dicentium contentio; veritatem criminum fidemque probationibus certis inſtrui, nec ſuſpicionibus tantam conjecturam permitti placuit: atque illum potiſſimùm ſervum, qui ſolus hæc ita geſta eſſe ſcire [1] diceretur, ſiſti modis omnibus oportere. Nec tantillùm [2] cruciarius ille, vel Fortunâ tam magni judicii, vel confertæ conſpectu curiæ, vel certè noxiâ conſcientiâ ſuâ deterritus, quæ ipſe finxerat, quaſi vera adſeverare atque adſerere incipit. Quòd ſe vocâſſet indignatus [3] faſtidio novercæ juvenis; quòd ulciſcens injuriam, filii ejus mandaverat necem; quòd promiſiſſet grande ſilentii præmium; quòd recuſanti mortem ſit comminatus; quòd venenum, ſuâ manu temperatum, dandum fratri reddiderit; quòd ad criminis probationem reſervatum poculum neglexiſſe ſuſpicatus, ſuâ poſtremùm manu porrexerit puero. Hæc, eximia enim ad veritatis imaginem, verberone illo ſimulatâ trepidatione perferente, [4] finitum eſt judicium. Nec quiſquam decurionum tam æquus remanſerat juveni, quin eum, evidenter noxæ compertum, [5] inſui culleo

INTERPRETATIO.

gnovi. Nam ſtatim atque altercatio oratorum finita eſt, placuit Senatoribus, *ut veritas, fideſque criminum oſtenderetur argumentis manifeſtis, neque conjectura tanti momenti niteretur* tantùm *ſuſpicionibus.* Dixerunt*que ſervum illum promptiſſimum, qui dicebatur ſolus ſcire ea ſic facta eſſe, omninò adducendum eſſe. Ille* verò *furcifer ne minimùm quidem turbatus, aut aleâ tanti judicii, aut præſentiâ frequentis Senatûs, aut ſaltem ſuâ malâ conſcientiâ, cœpit affirmare, atque aſſeverare ea, quæ ipſe commentus fuerat, perinde ac* ſi *vera* fuiſſent. *Quòd* nimirùm *adoleſcens, graviter ferens ſe repudiatum à novercâ, ipſum* ad ſe *vocâſſet; quòd imperâſſet* ei, *ut interficeret filium* novercæ, *ad vindicandam injuriam* illam; *quòd pollicitus ſibi eſſet magnam mercedem, ſi taceret; quòd cùm recuſaret* id facere, *interminatus eſſet* ipſi *mortem; quòd ſibi tradidiſſet venenum dilutum propriâ manu, ut illud propinaret fratri; quòd cùm ſuſpicaretur* eum *non dediſſe potionem* illam, *ſed reſervaſſe ad comprobationem ſceleris, tandem ipſe propinaviſſet puero propriâ manu. Cùm ille maſtigia ficto pavore hæc dixiſſet, quæ mirè præ ſe ferebant veritatis ſpeciem, judicium finitum eſt. Neque ullus ex Senatoribus ſuperfuerat adeo favens juveni, qui non pronunciaret eum inſuendum eſſe culleo,*

NOTÆ.

1. *Diceretur.*] Ab accuſatore ſcilicet.

2. *Cruciarius.*] Plauto, *diſcipulus crucis.*

3. *Faſtidio novercæ.*] Quaſi eam ad ſtuprum ſollicitâſſet, fuiſſetque ab eâ rejectus.

4. *Finitum eſt judicium.*] Id eſt, inquiſitiones ac probationes. necdum enim judices calculos in urnam conjecerant, ut patet ex ſequentibus, neque lata erat ſententia.

5. *Inſui culleo.*] Hæc erat pœna parricidarum, ut culleo, hoc eſt, ſacco coriaceo, includerentur, cumque iis ſimia, & ſerpens, quibus etiam poſteà additi ſunt canis & gallus; ſicque incluſi atque inſuti, in mare projicerentur, aut in lacum quempiam, ſi longiùs abeſſet mare. Juvenalis, de Nerone matricidâ, Sat. 8.

Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culleus unus.

pronuntiaret. Cùm jam ſententiæ [1] pares, cunctorum [2] ſtylis ad unum ſermonem congruentibus, ex more perpetuo, in urnam æneam deberent conjici: quo ſemel conditis calculis, jam cum rei Fortunâ tranſacto, nihil poſteà commutari licebat, ſed mancipabatur poteſtas capitis in manum carnificis: unus è curiâ ſenior, præ cæteris compertæ fidei, atque auctoritatis præcipuæ, Medicus, orificium urnæ manu contegens, ne quis mitteret calculum temerè, hæc ad ordinem pertulit. [3] Quòd ætatis ſum vobis approbatus, me vixiſſe gaudeo. nec patiar, falſis criminibus petito reo, manifeſtum homicidium perpetrari: nec vos, [4] qui jurejurando adſtricti judicatis, inductos ſervuli mendacio pejerare. ipſe non poſſum, calcatâ numinum religione, conſcientiam meam fallens, perperàm pronuntiare. Ergo, ut res eſt, de me cognoſcite. Furcifer iſte venenum præſentarium comparare ſollicitus, centumque aureos ſolidos offerens pretium, mecum olim convenerat. quod ægroto cuidam dicebat neceſſarium, qui morbi in-

INTERPRETATIO.

utpote *manifeſtò convictum criminis*, cujus accuſabatur. *Omnium ſtylis convenientibus in eamdem ſententiam, cùm ſententiæ ſimiles jam eſſent immittendæ in urnam æream ſecundùm conſuetudinem ſemper obſervatam: in quam* urnam *ſimul ac calculi ſemel conjecti erant, jam alea jacta erat de reo, neque fas erat poſteà mutare quidquam, ſed vita ejus addicebatur poteſtati tortoris: quidam è Senatu ætate grandior, Medicus, ſpectatæ inter reliquos fidei, eximiæque auctoritatis operiens manu os urnæ, ne aliquis feſtinantiùs conjiceret* ſuum *calculum, ſic verba fecit ad Curiam. Lætor me* diù *vixiſſe. quia vobis placui per* totam meam *vitam. Neque ſinam committi homicidium manifeſtum. cùm* hic *reus accuſatus ſit falſorum criminum: neque vos, qui jus dicitis obligati ſacramento, committere perjurium deceptos mendacio ſervi.* Ego *ipſe non poſſum ferre iniquam ſententiam, agens contra meam conſcientiam, contempto metu Deorum. Diſcite igitur ex me, quomodo ſe res habet. Hic ſceleratus cupiens emere venenum promptiſſimum, quo aiebat opus eſſe cuidam ægro, qui graviter corre-*

NOTÆ.

1. *Pares.*] Similes. aliàs, pares ſententiæ intelligi poſſunt, quarum totidem ſunt abſolutoriæ, quot damnatoriæ.

2. *Stylis*] Quibus ſententiam ſuam, id eſt, *nigrum theta* ſcribebant in tabulis, quas ait Apuleius judices illos in urnam conjecturos fuiſſe. quamquam ſibi mox videatur contradicere, cùm non ſententias ſcriptas, ſed calculos in illam urnam mitti innuit: niſi dicamus eum per calculos intelligere ſententias ipſas, ſeu litteram damnatoriam, tabulis, aut teſtulis, oſtraciſve inſcriptam, quæ in urnam conjicerentur.

3. *Quod ætatis ſum vobis approbatus.*] Rectè monet Pricæus melius fore, ſi legatur *quod ad hoc ætatis ſum vobis approbatus. Ad hoc ætatis* eſt, *ad hanc uſque ætatem.* Et (ut Terentius in Andriâ) *uſque adhuc.*

Tum patris pudor, qui me tam leni
paſſus eſt animo uſque adhuc.
Quæ meo cunque animo libitum eſt,
facere.

4. *Qui jurejurando aſtricti judicatis.*] Aſconius: *Subſcriptione perfectâ, jurabant in leges judices* (qui nimirùm ad judicandum lecti erant à Prætore, aut judice quæſtionis) *ut obſtricti religione judicarent.*

extricabilis veterno vehementer implicatus, vitæ ſe cruciatui ſubtrahere geſtiret. At ego perſpiciens malum iſtum verberonem blatterantem, atque inconcinnè cauſificantem, certuſque aliquod moliri flagitium, potionem quidem dedi; ſed [1] futuræ quæſtioni præcavens, non ſtatim pretium, quod offerebatur, accepi. Sed, ne fortè aliquis, inquam, iſtorum quos offers aureorum, nequam vel adulter reperiatur: in hoc ipſo ſacculo conditos eos annulo tuo prænota; donec alterâ die, nummulario præſente, comprobentur. Sic inductus, ſignavit pecuniam. quam exinde, ut iſte repræſentatus eſt judicio, juſſi de meis aliquem curriculò tabernâ promptam afferre. & en ecce, prolatam coram exhibeo. videat, & ſuum ſigillum recognoſcat Nam quemadmodùm ejus veneni [2] frater inſimulari poteſt, quòd iſte comparaverit? Ingens exinde verberonem corripit trepidatio: & in vicem humani coloris ſuccedit pallor infernus; perque univerſa membra frigidus ſudor emanabat. Tunc pedes incertis alternationibus commovere: modò hanc, modò illam partem ſcalpere capitis: &, ore ſemiclauſo balbutiens, neſcio quas [3] affanias effutire: ut eum nemo prorsùs à culpâ vacuum meritò crederet. Sed, revaleſcente rursùs aſtutiâ, conſtantiſſimè negare, & arceſſere mendacii medicum non deſinit. Qui, præter judicii religionem, cùm fidem ſuam coram lacerari videret;

INTERPRETATIO.

ptus lentore morbi inſanabilis, cuperet ſe eripere doloribus vitæ, mecum ſat pridem pepigerat, oblatis centum ſolidis aureis in pretium. Ego vero cum viderem nequam illum maſtigiam futiliter loqui, & afferre ineptas cauſas, certuſque eſſem eum machinari aliquod ſcelus, dedi equidem pharmacum; ſed conſulens inquiſitioni futuræ, non accepi ſtatim pretium, quod mihi offerebat. Verùm, dixi ipſi, ne fortè aliquis horum nummorum *aureorum, quos mihi offers, inveniatur malus aut adulteratus, reconde illos in hac ipsâ crumenâ, & obſigna tuo annulo, quoad examinentur cras coràm argentario. Perſuaſus his* verbis, *obſignavit aureos, quos, ſtatim atque hic adductus eſt in judicium, imperavi alicui ex meis, ut quàm citiſſimè depromeret ex mea officinâ, atque huc afferret. & ecce, depromptos eos vobis palàm exhibeo. aſpiciat* ipſe, *& agnoſcat ſigillum ſuum. Quomodo enim frater poteſt accuſari veneni illius, quod iſte emerit? Ex illo magnus tremor occupat illum ſceleratum: & pallor lethalis ſubit in locum coloris nativi; & ſudor gelidus fluebat per omnes* ejus *artus. Tum* cœpit *quatere pedes incertis titubationibus: ſcabere nunc hanc partem capitis, nunc illam: & garrire neſcio quas nugas, balbutiens ore* tantùm *ſemiaperto:* adeò *ut jure nemo putaret eum omnino innocentem* eſſe. *Verùm, poſtquàm* ejus *aſtutia revigiut, non ceſſat negare pertinaciſſimè, & inſimulare Medicum mendacii. Qui, præterquàm quòd adſtrictus erat jurejurando ad* juſtè *judicandum, cùm videret fidem ſuam palam*

NOTÆ.

1. *Futuræ quæſtioni præcavens.*] Cupiens habere aliquam probationem, quâ poſſet nequam ille ſervus convinci, ſiquando quæſtio de illâ potione haberetur.

2. *Frater.*] Privignus novercæ, frater illius, qui potionem hauſerat.

3. *Affanias.*] Vide Not. l. 9. p. 276

multiplicato ſtudio verberonem illum contendit redarguere: donec juſſu Magiſtratuum miniſteria publica, contrectatis nequiſſimi ſervi manibus, [1] annulum ferreum deprehenſum cum ſigno ſacculi conferunt. quæ comparatio præcedentem roboravit ſuſpicionem. [2] Nec rota, vel equuleus, more Græcorum, tormentis ejus apparata jam deerant. ſed obfirmatus mirâ præſumptione, nullis verberibus, ac ne ipſo quidem ſuccubuit igni. Tunc Medicus: Non patiar, inquit, hercules, non patiar, vel contra fas de innocente iſto juvene ſupplicium vos ſumere; vel hunc, ludificato noſtro judicio, pœnam noxii facinoris evadere. Dabo enim rei præſentis evidens argumentum. Nam, cùm venenum peremptorium comparare peſſimus iſte geſtiret; nec meæ ſectæ crederem convenire cauſas ulli præbere mortis; nec exitio, ſed ſaluti hominum medicinam quæſitam eſſe didiciſſem: verens, ne, ſi daturum me negâſſem, intempeſtivâ repulsâ viam ſceleri ſubminiſtrarem: & ab alio quopiam exitiabilem mercatus hic potionem, vel poſtremùm gladio, vel quovis telo nefas inchoatum perficeret: dedi

INTERPRETATIO.

diffamari, conatur majori niſu convincere illum maſtigiam; donec ſervi publici, tractatis manibus peſſimi ſervi ex mandato Magiſtratuum, inveniunt annulum ferreum, eumque comparant cum ſigillo crumenæ. Quæ collatio confirmavit ſuſpicionem priorem. Jamque aderant rota, & equuleus, præparata ad ipſum torquendum ritu Græcienſi. verùm ille confirmatus mirabili audaciâ, nullis plagis victus eſt, ac ne ipſo quidem igne. Tunc Medicus: Non feram certè, inquit, non feram aut vos injuſtè punire iſtum adoleſcentem inſontem, aut hunc ſervum effugere ſupplicium debitum *ſuo crimini, deluſo noſtro judicio. Nam exhibebo* vobis *manifeſtam probationem rei, de quâ agitur. Cùm enim hic nequiſſimus cuperet emere venenum mortiferum*, ego verò *putarem non eſſe congruum meæ arti ſubminiſtrare alicui cauſas mortis, & didiciſſem medicinam non eſſe comparatam ad perniciem hominum, ſed ad eorum conſervationem: timens, ne, ſi dixiſſem me non daturum, aperirem* ipſi *iter ad crimen denegatione* illâ *intempeſtivâ, atque hic perageret ſcelus inceptum aut emptâ potione lethiferâ, à quopiam alio, aut denique gladio, vel quolibet* alio *telo: dedi* ipſi *non*

NOTÆ.

1. *Annulum ferreum.*] Cui ſigillum inſculptum erat. Annulos ferreos diù geſtaverunt Senatores, atque Equites Romani: ſed poſteà, luxu creſcente, annuli aurei gemmis ornati immenſi pretii geſtari cœperunt, & ferrei ad ſervos tranſierunt.

2. *Nec rota, vel equuleus, more Græcorum.*] Lib. 3. *nec mora, cùm ritu Græcienſi, ignis, & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur. Equuleus*, ſeu *eculeus*, machina lignea eſt equo ſimilis, ſed cui ſpina ſit valdè acuta, cui imponebantur rei torquendi. Prudentius:

> ——— ——— ——— *Juſſerat*
> *Euiſcerandum corpus equuleo eminùs*
> *Pendere, & uncis vinculiſque creſcere.*

Id eſt, *deduci*, & *extendi*. quod fidiculis fiebat, hoc eſt funibus, ope ſucularum tenſis.

non venenum, ſed [1] ſomniferum mandragoræ illud, [2] gravedinis compertæ famoſum, & morti ſimillimi ſoporis efficax. Nec mirum, deſperatiſſimum iſtum latronem, certum extremæ pœnæ, quæ more majorum in eum competit, cruciatus iſtos, ut leviores facilè tolerare. Sed, ſi verè puer meis temperatam manibus ſumpſit potionem, vivit, & quieſcit, & dormit: & protinùs, marcido ſopore diſcuſſo, remeabit ad diem lucidam. quòd ſi verè peremptus eſt, ſi verè morte præventus eſt; quæratis licet cauſas mortis ejus alias. Ad iſtum modum ſeniore adorante, placuit. & itur confeſtim magnâ cum feſtinatione ad illud [3] ſepulchrum, quo corpus pueri depoſitum jacebat. Nemo de Curiâ, de optimatibus nemo, ac ne de ipſo quidem populo quiſquam, qui non illuc curioſè confluxerit. Ecce pater ſuis ipſe manibus cooperculo capuli remoto, commodùm diſcuſſo mortifero ſopore, ſurgentem [4] poſtliminiò mortis deprehendit filium: eumque complexus

INTERPRETATIO.

quidem *venenum, ſed illum ſoporiferum* ſuccum *mandragoræ, celebrem ob torporem, quem ſciunt* omnes ab ipſo induci, *quique producit ſomnum ſimillimum morti. Neque mirum* vobis videri debet, *quòd hic deſperatiſſimus ſicarius, certo ſciens ſibi deberi ultimum ſupplicium ex inſtituto majorum* noſtrorum, *facilè ferat hæc tormenta, utpote leviora. At ſi puer reverà bibit potionem præparatam meis manibus, vivit* adhuc, *quieſcit, & dormit: ſimulque ac gravis ille ſomnus fuerit diſſipatus, redibit ad luminis auras ſi autem reverà extinctus eſt, ſi verè occupatus eſt letho, jam poteſtis inveſtigare alias cauſas ejus necis. Sene illo ſic verba faciente, placuit* quod dicebat. *& ſtatim proceditur cum magnâ properatione ad capulum illum, in quo corpus pueri poſitum jacebat. Nullus fuit ex Senatu, nullus ex primariis, nullus denique ex ipſâ plebe, qui non concurrerit illuc curioſitatis* causâ. *Tum pater ipſe, ſublato operculo ſarcophagi ſuis propriis manibus, invenit filium ſuum reſurgentem à morte, tunc primùm diſſipato ſomno lethali, &*

NOTÆ.

1. *Somniferum mandragoræ illud.*] Supple *poculum*, vel *venenum*. Plin. lib. 25. cap. 13. *Mandragoram alii Circeum vocant*, (Eraſmus in Chiliadibus *Circeam* legit, *non Circeium*: aitque ideò hoc nomen ſortitam eſſe à Circe veneficâ, quòd amatoriis veneficiis credatur utilis.) *Duo ejus genera: candidus, qui & mas: niger, quæ fœmina exiſtimatur.* Et infra: *potu quidem largiore* (ejus ſucci) *etiam moriuntur. Vis ſomnifica pro viribus bibentium, &c.* Hanc Pythagoras ἀνθρωπόμορφον appellavit, quòd radix imitetur humanorum crurum formam. Et Columella initio libri decimi, qui eſt de cultu hortorum, *ſemihominem* dixit.

Quamvis ſemihominis veſano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœſtamque cicutam.

2. *Gravedinis compertæ.*] Plin. loco ſuprà citato: *Gravedinem afferunt* (mandragoræ folia) *etiam olfactu.* Gravedinem hîc intellige torporem & gravitatem capitis ſomnolentam.

3. *Sepulchrum.*] Feretrum, quo incluſus delatus fuerat ad rogum, ut apparet ex his ſuperioribus verbis. *Vixdum pompæ funebres ſepulturæ pluſi fuerant explicatæ: & ſtatim ab ipſo ejus rogo ſenex infelix, &c. foro ſe feſtinus immittit.*

4. *Poſtliminiò mortis.*] Vide Not. lib. 1. pag. 35.

arctiſſimè, verbis impar præſenti gaudio, producit ad populum, atque, ut erat adhuc, feralibus amiculis inſtrictus atque obditus, deportatur ad judicium puer. Jamque liquidò ſervi nequiſſimi, atque mulieris nequioris patefactis ſceleribus, procedit in medium nuda veritas. & novercæ quidem perpetuum indicitur exilium; ſervus verò patibulo ſuffigitur: & omnium conſenſu, bono Medico ſinuntur aurei, opportuni ſomnii pretium. Et illius quidem ſenis famoſa atque [1] fabuloſa fortuna, providentiæ divinæ condignum accepit exitum: qui momento modico, immò puncto exiguo, poſt [2] orbitatis periculum, adoleſcentium duorum pater repentè factus eſt. At ego tunc temporis talibus fatorum fluctibus volutabar. Miles ille, qui me, nullo vendente, comparaverat, &, ſine pretio, ſuum fecerat, tribuni ſui præcepto debitum [3] ſuſtinens obſequium, litteras [4] ad magnum ſcriptas Principem Romam verſus perlaturus, vicinis me quibuſdam duobus ſervis fratribus [5] undecim denariis vendidit. His erat dives admodùm

INTERPRETATIO.

amplectens eum ſtrictiſſimè, nec valens exprimere verbis lætitiam, qua afficiebatur, educit illum inde, & *oſtendit populo, puerque fertur in curiam, ut erat adhuc, ligatus atque obvolutus veſtibus funereis. Jamque veritas clara, & evidens prodit in medium, detectis manifeſtè criminibus peſſimi ſervi, & pejoris fœminæ. Et noverca quidem damnatur ad exilium perpetuum; ſervus autem ſuſpendio afficitur: & aurei ſolidi cunctorum conſenſu, relinquuntur bono Medico pro mercede commodi illius ſoporis. Et fortuna quidem illius ſenis celebris atque fidem ſuperans, habuit eventum dignum providentiâ Deorum: qui exiguo momento, imò breviſſimo inſtanti ſubitò factus eſt pater duorum juvenum, poſtquam periclitatus eſſet* utrumque *amittere. Ego verò per illud tempus jactabar his tempeſtatibus fortunæ. Ille miles, qui me emerat, nullo vendente, ſibique uſurpaverat, nullâ pecuniâ depensâ, cùm, obediens, ut par erat, mandato ſui præfecti, laturus eſſet litteras ad Imperatorem Romam verſus, vendidit me undecim denariis duobus quibuſdam ſervis fratribus è viciniâ. Hi habebant herum*

NOTÆ.

1. *Fabuloſa fortuna.*] Adeo mira, ut ægrè fidem mereatur: vel, tragica, & digna, quæ exhibeatur in fabulis ſeu tragœdiis.

2 *Orbitatis periculum.*] In quo verſatus fuerat, dum hic veneno ſublatus crederetur, ille verò tanquam ejus interfector depoſceretur ad mortem.

3. *Suſtinens obſequium.*] Fortaſsè meliùs legas *ſiſtens*: ſic ſuprà hoc libro: *debitum ſiſtens obſequium.*

4. *Ad magnum ſcriptas Principem.*] Sic etiam Ammianus Marcellinus, lib. 22 Imperatorem Romanum vocat *magnum Principem.* Perſarum Regem Græci *μέγαν βασιλέα magnum Regem* appellabant.

5 *Undecim denariis.*] Denarius Budæo numus erat argenteus apud Romanos, quatuor valens ſeſtertios, ita dictus; quòd pro decem aſſibus in ſolutionem cedebat, ſed poſteà cùm Annibal in Italiâ diutiùs commoratus eſſet, perpetuis belli ſumptibus exhauſto ærario, placuit denarium ſexdecim aſſibus permutari. Ejuſdem fuiſſe ponderis denarium Romanum ac drachmam Atticam ait Plin. lib. 11. cap. ult. Ex Priſciano tamen gravior erat denarius quàm drachma, ponderabat enim vi-

dominus

dominus. at illorum alter piſtor dulciarius, qui panes & mellita concinnabat edulia; alter coquus, qui ſapidiſſimis [1] intrimentis ſuccuum pulmenta condita, vapore mollibat. Unico illi contubernio communem vitam ſuſtinebant, méque ad vaſa illa complura geſtanda [2] præſtinârant, quæ [3] dominis regiones pluſculas pererrantibus, variis uſibus erant neceſſaria. Adſciſcor itaque inter duos illos fratres tertius contubernalis: haud ullo tempore tam benivolam fortunam expertus. Nam veſperâ, poſt opiparas cœnas, earumque ſplendidiſſimos apparatus, multas numero partes in cellulam ſuam mei ſolebant deportare domini: ille porcorum, pullorum, piſcium, & ejuſcemodi pulmentorum largiſſimas reliquias: hic panes, [4] cruſtula, [5] lucunculos, [6] hamos, lacertulos, &

Interpretatio.

valde opulentum. eorum verò unus erat *piſtor dulciarius, qui faciebat panes & cibos melle conditos: alter coquus, qui coquebat igne minutalia condita ſuaviſſimis ſuccis intritis. Illi ſimul habitantes in commune vivebant, & me emerant ad portanda illa plurima vaſa, quæ erant neceſſaria* ſuis *dominis, ad varios uſus, cùm iter faciebant per multas regiones. Aſſumor itaque tertius ſocius inter illos duos fratres: neque unquam uſus* eram *fortunâ tam favente. Veſpere enim, poſt lautas cœnas, ampliſſimoſque apparatus earum, mei domini ſoliti erant referre in ſuam cellulam plurima fruſta: hic ampliſſimas reliquias porcorum, pullorum, piſcium, & minutalium omnis generis: ille panes, cruſtula, lucunculos, hamos, lacer-*

Notæ.

ginti quatuor ſiliquas, drachma verò tantùm octodecim. Budæus denarium ad Gallicæ pecuniæ æſtimationem redigens ait eum valuiſſe tres ſolidos Turonenſes cum dimidio.

1. *Intrimentis ſuccuum.*] Intrimenta ſuccuum intellige herbas, atque aromata in mortario tuſa, atque in modum pultis redacta, quibus poſteà carnes & pulmenta condirentur. *Succuum* hîc quartæ declinationis, pro *ſuccorum.*

2. *Præſtinârant.*] Feſtus: *Præſtinare apud Plautum emere eſt, id eſt, emendo tenere.*

3. *Dominis.*] Vaſorum, nempe ipſis fratribus, piſtori, & coquo: non autem dominis fratrum, qui, ut infra patebit, uni tantùm ſerviebant optimati Corinthio.

4. *Cruſtula.*] *Cruſtula*, edulia ſunt mellita operis piſtorii. Horatius:

—— *Ut pueris olim dant cruſtula blandi*
Doctores, elementa velint, ut diſcere prima.

5. *Lucunculos.*] *Lucunculus* Nonio: *lucuns*: Feſto *lucuntere*, ſeu potiùs *lucunter*, aut *lucanter*. Græcum λευκαν-θὴρ ab aſperſione farinæ albæ, genus eſt operis piſtorii eidem Feſto. De *lucunte* Varro apud Nonium, *ac nullæ ambroſia ac nectar, non allia, ſardæ, pemma,* (Gothofredus ſubſtituit aliam lectionem, *non alia ſardæ, panu, pemma,*) *lucuns, cibus, qui puriſſimus multò eſt.* Idem. *Vinum pemma, lucuns, nihil adjuvat, iſta miniſtrat.* A *lucuns* diminutivum fit *lucunculus*. Beroaldus legebat hîc, *juncunculos*, & emendabat, *juncos* intelligens aut opus dulciarium, ad ſimilitudinem juncorum factum, aut metam lactis coagulati juncis incluſam.

6. *Hamos, lacertulos.*] Alia piſtorii operis genera, à formâ hamorum, & lacertorum, quam retulerint, ſic dicta. Editio Elmenhorſtii habet hîc *laterculos*, quod nomen eſſe poteſt piſtorii alicujus operis, à formâ lateris quadratâ.

complura [1] ſcitamenta mellita. Qui cùm ſe refecturi, clausâ cellulâ, balneas petîſſent, oblatis ego divinitùs dapibus affatim ſaginabar. Nec enim tam ſtultus eram, tamque verè aſinus, ut dulciſſimis illis relictis cibis, cœnarem aſperrimum fœnum. Et diù quidem pulcherrimè mihi furatrinæ procedebat artificium: quippe adhuc timidè & ſatis parcè ſubripienti de tam multis pauciora, nec illis fraudes ullas in aſino ſuſpicantibus. At ubi, fiduciâ latendi pleniore captâ, partes opimas quaſque devorabam, & rancidiora ſeligens, [2] abliguriebam dulcia; ſuſpicio non exilis fratrum pupugit animos. Et, quamquam de me nihil etiam tunc tale crederent; tamen quotidiani damni ſtudioſè veſtigabant reum. illi verò poſtremò, etiam mutuò ſeſe rapinæ turpiſſimæ criminabantur. Jamque curam diligentiorem, & acriorem cuſtodelam, & dinumerationem adhibebant partium. Tandem denique ruptâ verecundiâ, ſic alter alterum compellat; At iſtud jam neque æquum, ac ne humanum quidem, quotidie te partes electiores ſurripere: atque, iis divenditis, peculium latenter augere, de reliquis æquam vindicare diviſionem. Si tibi denique ſocietas iſta diſplicet, poſſumus omnia quidem cætera fratres manere, ab iſto tamen nexu communionis diſcedere. Nam video in immenſum damni procedentem querelam nutrire nobis immanem diſcordiam. Subjicit alius: Laudo

INTERPRETATIO.

tulos, & multa bellaria mellita. Qui, cùm, obſeratâ cellâ ſuâ, iviſſent ad balneas, ſui refocillandi cauſa, ego me largiter ſaturabam eſcis, quæ mihi objiciebantur munere Deorum. Nam, non eram adeo ſtolidus, adeoque verè aſinus, ut ederem fœnum aſperrimum, neglectis illis ſuaviſſimis eduliis. Et ſolertia quidem mei *furti diu mihi ſuccedebat optimè: quia nimirùm adhuc meticuloſè, & ſatis tenuiter ſubtrahebam perpauca ex tantâ copiâ, & illi nullos dolos ſuſpicabantur in aſino* eſſe. *Verùm, ſimul atque ego, ſecurior factus id fore clàm, cœpi deglutire exquiſitiſſima quæque fruſta, & comedere dulcia, repudiatis rancidioribus; non parva ſuſpicio ſtimulavit animos fratrum. Et quamvis nihil ſimile adhuc exiſtimarent de me, inquirebant tamen* ſummâ *curâ quis inferret* ipſis *quotidie illud damnum. Noviſſimè verò ipſi ſe accuſabant invicem furti illius ſordidiſſimi. Jamque impendebant curam ſtudioſiorem, & obſervationem vigilantiorem, numerabantque etiam fruſta. Poſtremò, devorato pudore, ſic alter alloquitur alterum: Atqui hoc jam non eſt juſtum, ac ne humanum quidem te quotidie furari meliora fruſta, & locupletare peculium* tuum *vendendo ea clanculùm, & velle tamen ex æquo dividere ea quæ ſuperſunt. Poſtremò, ſi hæc* noſtra *ſocietas tibi non probatur, poſſumus quidem remanere fratres quantum ad reliqua omnia, & tamen ſolvere hoc vinculum ſocietatis. Video enim expoſtulationem jacturæ, quæ progreditur in infinitum, fovere inter nos ingentem diviſionem. Alter reſpondet;*

NOTÆ.

1. *Scitamenta.*] Edulia ſciti ſaporis.

2. *Abliguriebam.*] *Abligurire* eſt *liguriendo conſumere.* Terent. Eunucho: *Itidem patriâ qui abligurierat bonâ.* id eſt, inquit Donatus, *ſuaviter conſumpſerat.* Idem Donatus ait, *ligurire* formatum eſſe ἀπὸ τῦ λιγυρῦ, quod *ſuave* ſignificat

iſtam tuam, mehercules, & ipſe conſtantiam, quòd, quotidie [1] furatis clanculò partibus, præveniſti querimoniam, quam diutiſſimè ſuſtinens tacitus ingemiſcebam; ne viderer rapinæ ſordidæ meum fratrem arguere. Sed benè, quòd utrimqueſecùs ſermone prolato, jacturæ remedium quæritur; ne ſilentio procedens ſimultas, [2] Eteocleas nobis contentiones pariat. His, & ſimilibus altercati conviciis, dejerant uterque, nullam ſe prorsùs fraudem, nullam denique ſubreptionem factitâſſe: ſed planè debere cunctis artibus communis diſpendii latronem inquiri. Nam neque aſinum, qui ſolus intereſſet, talibus cibis affici poſſe: & tamen quotidie partes electibiles comparere nuſquam: nec utique cellulam ſuam tam immanes involare muſcas, ut olim Harpyiæ fuere, quæ diripiebant [3] Phineias dapes. Intereà liberalibus cœ-

INTERPRETATIO.

Profectò ego quoque laudo tuam audaciam, quod poſtquàm ſubripuiſti clàm fruſta, prævertiſti querelam, quam ego jamdudum retinens, dolebam apud me; ne viderer accuſare meum fratrem turpis furti. Sed gaudeo, quòd invicem loquendo, quærimus remedium noſtro *damno: ne inimicitia creſcens tacendo, excitet inter nos diſcordias Eteocleas. Cùm rixati eſſent inter ſe his atque hujuſmodi verbis contumelioſis, ambo jurant ſe nullum dolum commiſiſſe, nec denique ullum furtum: ſed inveſtigandum eſſe omni prorsùs operâ furem,* qui cauſa erat *damni communis.* Dicebant *enim neque aſinum, qui ſolus aderat, poſſe delectari ejuſmodi edulis, & tamen optima fruſta evaneſcere quotidie: neque certè volare in ſuam cellulam muſcas tam ingentes, quàm Harpyiæ quondam fuerunt, quæ rapiebant cibos Phinei. Ego interim paſtus largis*

NOTÆ.

1. *Furatis,*] Paſſivè. Sic ſæpè apud hunc Auctorem *mentitus*, & alia quædam.

2. *Eteocleas nobis contentiones.*] Oedipus Thebanorum Rex ex inceſto Jocaſtæ ſuæ matris connubio Eteoclem & Polynicem ſuſcepit, quibus ipſe, agnito genere ſuo, & ſcelere ſimul, in exilium ultrò proficiſcens, Thebanum Regnum eâ lege reliquit, ut alternis annis regnarent. Quod cùm Eteocles, utpote natu major, primus occupâſſet, nec vellet, elapſo ſuæ dominationis anno, Polynici fratri cedere: hic, impetratis ab Adraſto Argivorum Rege ſocero ſuo copiis, bellum Thebanis intulit: cujus is fuit tandem exitus, ut ambo fratres ſingulari certamine congreſſi, mutuis confoſſi vulneribus caderent. quorum odium tantum fuit, ut & in rogo poſt mortem duraverit. Stat. Thebaïd. lib. 12.

Ecce iterùm fratris primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena buſtis
Pellitur: exundant, diviſo vertice, flamma,
Alternoſque apices, diviſâ luce coruſcant, &c.

Hinc *Eteocleæ contentiones*, & *Eteoclea odia* inter fratres, pro acerbiſſimis & implacabilibus.

3. *Phineias dapes.*] Phineus Agenoris filius, vel, ut vult Heſiodus, Phœnicis & Caſſiopeæ, Agenoris nepos, Rex Arcadiæ, vel, ut alii volunt, Thraciæ, aut, ut rurſus alii, Paphlagoniæ, ob excæcatos novercæ impulſu filios ſuos, à Diis ipſe obcæcatus eſt, Harpyiæque adverſus eum immiſſæ, quæ dapes ejus raperent, menſamque turpiſſimo fœdarent contactu. Has Calaïs & Zethes alati fratres ad Strophadas inſulas, Plotas priùs dictas, fugaverunt. Poſtremò, ipſe Phineus ab Hercule occiſus eſt,

nis ineſcatus, & humanis affatim cibis ſaginatus, corpus obeſâ pinguitie compleveram; corium [1] arvinâ ſucculentâ molliveram; pilum liberali nitore nutriveram. Sed iſte corporis mei decor, pudori peperit grande dedecus. Inſolitâ namque tergoris vaſtitate commoti, fœnum prorsùs intactum quotidie remanere cernentes, jam totos ad me dirigunt animos. Et, horâ conſuetâ velut balneas petituri, clauſis ex more foribus, per quamdam modicam cavernam rimantur me paſſim expoſitis epulis inhærentem. Nec ullâ curâ jam damni ſui habitâ, mirati [2] monſtruoſas aſini delicias, riſu maximo dirumpuntur: vocatóque uno, & altero, ac deinde pluribus conſervis, demonſtrant infandam memoratu hebetis jumenti gulam. Tantus denique, ac tam liberalis cachinnus cunctos invaſerat, ut ad aures quoque prætereuntis perveniret domini. Sciſcitatus denique, [3] quid bonùm rideret familia: cognito quòd res erat, ipſe quoque per idem proſpiciens foramen, delectatur eximiè. ac dein riſu ipſe quoque latiſſimo [4] aduſque inteſtinorum dolorem redactus, jam patefacto cubiculo proxi-

Interpretatio.

epulis, & abundanter ſaturatus dapibus humanis, dilataveram meum *corpus craſſo adipe; reddideram* meam *cutem mollem pinguedine ſuccosâ; alueram meos villos nitore honeſto. Verùm, ille nitor mei corporis creavit magnum probrum* meæ *verecundiæ. Nam* illi *excitati inſuetâ obeſitate mei corporis, cùm viderent quotidie fœnum meum ſupereſſe omninò illibatum, intendunt deinceps in me omnem ſuæ mentis aciem. Cúmque clauſiſſent oſtium* cellæ *horâ ſolitâ, quaſi ituri eſſent ad balneas, aſpiciunt me per quoddam parvum foramen intentè comedentem fercula hinc inde expoſita. Jamque, neglectâ ſuâ jacturâ, ſolvuntur in effuſiſſimum cachinnum, admirantes prodigioſa oblectamenta aſini: accerſitoque uno, & altero, deindeque pluribus* ex ſuis *conſervis, oſtendunt* eis *voracitatem tardi aſini horrendam dictu. Denique tantus, ac tam ſolutus riſus occupaverat omnes, ut etiam perferretur ad aures heri* illac *prætereuntis. Poſtremò, cùm quæſiviſſet quid* eſſet *boni* cur *ſervi ſui riderent, didiciſſetque rem omnem ut ſe habebat, ipſe etiam aſpiciens per idem foramen mirè oblectatur. deindeque, cùm ipſe ſolutus eſſet in riſum tam effuſum, ut inteſtina ipſi dolerent, apertâ jam cellulâ propior*

Notæ.

qui ejus liberos excæcatos in ſolitudine offenderat, cognoveratque novercæ calumniis id fuiſſe factum. Fuere & alii Phinei.

1. *Arvina.*] Eſt durum pingue inter cutem & viſcus, ut Auctor eſt Servius ad illud Æneid. 7.

Pars læves clypeos, & lucida ſpicula tergent
Arvinâ pingui, ſubiguntque in cote ſecures.

Apud Feſtum *arbilla* pinguedo hominis, corrupta vox ex *arvillâ*, quod diminutivum eſt nominis *arvina.*

2. *Monſtruoſas.*] Neque enim ejuſmodi edulia ſolent ad palatum aſininum ſapere.

3. *Quid bonum?*] *Bonùm* hîc videtur adverbialiter poſitum, & includendum parentheſi, aut duplici virgulâ, quemadmodum *malùm* apud Terentium, *quid (malùm) ergo me vis?*

4. *Aduſque inteſtinorum dolorem.*] Lib. 3. *hi gaudii nimietate gratulari, illi dolorem ventris manuum compreſſione ſedare, &c.*

mè conſiſtens, coràm arbitratur. Nam & ego tandem ex aliquâ parte molliùs mihi renidentis [1] Fortunæ contemplatus faciem, gaudio præſentium fiduciam mihi ſubminiſtrante, nec tantillùm commotus, ſecurus eſitabam: quoad novitate ſpectaculi lætus dominus ædium, duci me juſſit; immò verò ſuis etiam ipſe manibus ad triclinium perduxit: mensâque poſitâ, omne genus edulium ſolidorum, & illibata fercula juſſit apponi. At ego, quamquam jam bellulè ſuffarcinatus, gratiorem commendatioremque me tùm ei facere cupiens, eſurienter exhibitas eſcàs appetebam. Nam & quidquid potiſſimùm abhorreret aſinus excogitantes ſcrupulosè, ad explorandam manſuetudinem id offerebant mihi: carnes [2] laſere infectas, [3] altilia pipere inſperſa, piſces [4] exotico jure perfuſos. Interim convivium ſummo riſu perſonabat. Quidam denique præſens ſcurrula, Date, inquit, ſodali huic quippiam meri. Quod dictum dominus ſecutus: Non adeo, reſpondit, abſurdè locutus es furcifer. valdè enim fieri poteſt, ut contubernalis noſter poculum quoque mulſi libenter appetat. Et,

Interpretatio.

mihi factus, præſens ſpectat me. *Ego enim videns ex aliquâ parte vultum Fortunæ mihi mitiùs ridentis, comedebam tranquillè, ne minimùm quidem perturbatus, quia lætitia,* quâ perfuſi erant *adſtantes, dabat mihi confidentiam. Donec dominus domûs exhilaratus novitate ejus ſpectaculi, juſſit me duci, quinimmò ipſe ſuis manibus me deduxit ad cœnaculum, inſtructâque menſâ, juſſit poni* ante me *integros cibos omnis generis, & dapes intactas. Ego verò, quamvis jam eſſem pulchrè ſaburratus, edebam* tamen *cupidè cibos mihi oblatos, volens me reddere ei tunc acceptiorem, & commendabiliorem.* Illi *enim excogitantes ſummo ſtudio quidquid aſinus maximè refugeret, illud mihi apponunt ad explorandam meam manſuetudinem*; utputa *carnes conditas laſere, volatilia inſperſa pipere, piſces madentes peregrino liquamine. Intereà convivium reſonabat maximo riſu. Poſtremò quidam ſcurra adſtans dixit: Date aliquantum vini huic convivæ. Cui dicto herus aſſentiens reſpondit: Non tam ineptè cavillatus es, verbero, facile enim poteſt fieri, ut noſter ſodalis bibat etiam libenter calicem* vini *mellitū.*

Notæ.

1. *Fortunæ contemplatus faciem.*] Quæ Fortuna hactenùs tergum aſino noſtro obverterat, ut dici ſolet de iis, quibus res malè ſuccedunt.

2. *Laſere.*] *Laſer* ſuccus eſt laſerpitii, quod Græci *σίλφιον* vocant, quo Cyrenaïca regio abundabat. Unde Catullo *laſerpicifera Cyrenæ. Laſer* maximi olim fuit usûs, tùm in medicinâ, tùm in cibis. Apicio *Laſeratus pullus* laſere condîtus. Frequens laſeris apud eum mentio. Vide Plin. lib. 19. cap. 3.

3. *Altilia.*] Gloſſarium Iſidori *Altilis, paſta, ab alendo*, in vet. Gloſſ. *altiliarius ὀρνεότροφος.*

4. *Exotico jure.*] Videtur intelligere liquamen ex garo, pipere, & oleo, quo ſolebant piſces condiri. Exoticum autem vocat jus, quod garum primò Romam ex peregrinis regionibus allatum eſt: putà ex Hiſpaniâ. Horat. lib. Serm. 2. Satyr. 8.

——— *Garo de ſuccis piſcis Iberi.*

Hinc & *ſociorum liquor* apud Plin. Sed de hoc nos plura, Deo dante, ad Auſonii Epiſtolas, quem Auctorem à nobis ex Regia etiam munificentiâ propè diem expecta.

Heus, ait, puer, lautum diligenter ecce illum aureum cantharum mulſo contempera, & offer [1] paraſito meo: ſimul, quòd ei præbiberim, commoneto. Ingens exin oborta eſt epulonum expectatio. Nec ullâ tamen ego ratione conterritus, otiosè ac ſatis genialiter contortâ in modum linguæ extremâ labiâ, grandiſſimum illum calicem uno hauſtu perhauſi. Clamor exurgit, conſonâ voce cunctorum SALUTE me proſequentium. Magno denique delibutus gaudio dominus, vocatis ſervis emptoribus meis, jubet quadruplum reſtitui pretium, meque cuidam acceptiſſimo liberto ſuo, & ſatis peculiato, [2] magnâ præfatus diligentiâ, tradidit. qui me ſatis humanè, ſatiſque comiter nutriebat: &, quò ſe patrono commendatiorem faceret, ſtudioſiſſimè voluptates ejus per meas argutias inſtruebat. Et primùm me quidem menſam accumbere ſuffixo cubito, dein adluctari, & etiam ſaltare ſublatis primoribus pedibus perdocuit: quodque eſſet apprimè mirabile, verbis nutum commodare; ut, quod vellem, relato, quod nollem, dejecto capite monſtrarem; ſitienſque, pocillatore reſpecto, ciliis alterna connivens, bibere flagitarem. Adque hæc omnia perfacilè obediebam: quæ, nullo etiam monſtrante, ſcilicet facerem. Sed verebar, ne, ſi fortè ſine magiſtro, humano ritu hoc ederem; plerique rati ſcævum præſagium portendere, [3] velut monſtrum oſtentumque,

INTERPRETATIO.

Atque, Heus, inquit, puer, ablue illud aureum poculum, atque imple vino, & offer meo paraſito: ſimulque mone illum me ipſi propinaviſſe. Dehinc magna expectatio orta eſt inter convivas. Ego verò nullatenùs turbatus abſorpſi uno ductu capaciſſimum illud poculum otiosè, & ſatis hilariter, incurvans extremitatem labii in formam linguæ. Extollitur clamor ab omnibus precantibus mihi incolumitatem voce unanimi. Denique, herus perfuſus ingenti lætitiâ vocat ad ſe *ſervos* illos, *qui me emerant, & præcipit, ut eis redderetur quater pretium,* quo me emerant. *Et me dedit cuidam liberto ſuo* ſibi *gratiſſimo, & valdè diviti, præcipiens* ut me ſervaret *magnâ curâ. hic alebat me ſatis clementer, & leniter: &, ut redderet ſe acceptiorem* ſuo *patrono, ſummâ curâ præparabat ei oblectamenta per meas facetias. Et primùm quidem docuit me accumbere menſæ innixum cubito, deinde colluctari, & ſaltare elatis anterioribus pedibus: & (quod præcipuè admirandum eſt) ſignis uti loco verborum:* ita *ut oſtenderem, ſublato capite, quod vellem, & demiſſo, quod nollem: &, cùm ſitirem, intuerer pincernam, & peterem potum, claudendo oculos alternatim. Et facillimè obſequebar his omnibus, quippe quæ feciſſem tametſi nemo* me *docuiſſet: ſed timebam, ne, ſi fortè hoc facerem more hominum, nullo me docente, plerique crederent hoc præſagire ſiniſtros* eventus, *& me quaſi prodigium,*

NOTÆ.

1. *Paraſito meo.*] Aſino, quem jocülariter paraſitum vocat.

2. *Magnâ præfatus diligentiâ.*] Supple *me eſſe curandum.*

3. *Velut monſtrum, oſtentumque, &c.*] Monſtri enim ſimile fuiſſet aſinum humanos ritus effingere. Porrò monſtra prodigioſoſque fœtus in mare deportatos, aut etiam immolatos ex Aruſpicum reſponſis frequenter legitur apud Hiſtoricos, maximè apud Livium.

me obtruncatum, vulturibus opimum pabulum redderent. Jamque rumor publicè crebuerat, quo conſpectum atque famigerabilem meis miris artibus effeceram dominum: Hic eſt, qui ſodalem convivamque poſſidet luctantem aſinum, ſaltantem aſinum, jocantem aſinum, voces humanas intelligentem aſinum, ſenſum nutibus exhibentem aſinum. Sed prius eſt, ut vobis, quod initio facere debueram, vel nunc ſaltem referam, quis iſte, vel unde fuerit [1] Thyaſus. (hoc enim nomine meus nuncupabatur dominus.) Oriundus patriâ Corintho, quod caput eſt totius Achaiæ provinciæ, ut ejus proſapia atque dignitas poſtulabat, gradatim permenſis honoribus, quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus: &, ut ſplendori capeſſendorum reſponderet faſcium, munus gladiatorium triduani ſpectaculi pollicitus, latiùs munificentiam ſuam porrigebat. Denique gloriæ publicæ ſtudio tunc Theſſaliam etiam acceſſerat, nobiliſſimas feras, & famoſos inde gladiatores comparaturus. Jamque ex arbitrio diſpoſitis coëmptiſque omnibus, domuitionem parabat. Spretis luculentis illis ſuis vehiculis, ac poſthabitis decoris [2] rhedarum carpentis, quæ partim contecta, partim revelata, fruſtrà noviſſimis trahebantur conſequiis: [3] equis etiam Theſſalicis, & aliis [4] jumentis Gallicanis, quibus generoſa ſoboles per-

Interpretatio.

& portentum, abſciſſo capite, traderent vulturiis in eſcam pinguem. Et jam fama invaluerat in vulgus, quâ reddideram meum dominum ſpectabilem, atque celebrem meis mirabilibus ſolertiis: Hic eſt (inquiebant) *qui habet aſinum convivam, & contubernalem, qui luctatur, qui ſaltat, qui ludit, qui intelligit verba hominum, & declarat nutibus* ſuas *cogitationes. Sed antè oportet, ut vobis narrem, ſaltem nunc (cùm tamen debuerim id facere initio) quis, & cujas fuerit ille Thyaſus, hoc enim erat nomen mei domini. Patriam* habebat *Corinthum*, ex quâ *ortus* erat, *quæ* urbs *eſt primaria totius provinciæ Achaiæ. Cùm per gradus conſecutus eſſet omnes magiſtratus, ut genus ejus, & nobilitas poſcebat, deſtinatus fuerat ad magiſtratum quinquennalem: &, ut reſponderet honori,* quo afficiebatur, *ineundo illum magiſtratum, promiſerat* ſe exhibiturum *per tres dies ſpectaculum muneris gladiatorii;* ſed & *ampliùs extendebat ſuam liberalitatem. Denique venerat etiam tunc in Theſſaliam, deſiderio gloriæ publicæ, empturus ex illâ provincia feras præſtantiſſimas, & gladiatores inclytos. Cumque omnia comparaviſſet, atque diſpoſuiſſet ex animi ſententiâ, præparabat ſe ad redeundum domum. Ipſeque, poſthabitis ſuis illis ſplendidiſſimis curribus, contemptiſque pulchris rhedis, & carpentis, quæ trahebantur in extremo agmine vacua, partim cooperta, partim aperta: neglectis etiam equis Theſſalicis, & aliis jumentis Gallicis, quæ generoſitas ſuæ*

Notæ.

1. *Thyaſus.*] Hìc nomen proprium. Aliàs θίασος ſaltatio eſt, quæ Baccho exhibebatur. In Eclogis Virgil.

——— *Thyaſos inducere Baccho.*

2. *Rhedarum carpentis.*] Sic omninò legendum eſt, juxtà Pricæi exemplar, non *prædarum*, ut Colvius, aut *præclarum*, ut Scriverii editio habet.

3. *Equis etiam Theſſalicis.*] Strabo auctor eſt Theſſaliam eſſe commodiſſimam equis paſcendis.

4. *Jumentis Gallicanis, quibus ge-*

hibet pretioſam dignitatem: me phaleris aureis, & fucatis ephippiis, & purpureis tapetis, & frænis argenteis, & [1] pictilibus baltheis, & tintinnabulis perargutis exornatum, ipſe reſidens amantiſſimè, nonnunquam comiſſimis affatur ſermonibus. Atque inter alia pleraque, ſummè ſe delectari profitebatur, quòd haberet in me ſimul & convivam & vectorem. At, ubi partim terreſtri, partim maritimo itinere confecto, Corinthum acceſſimus; magnæ civium turbæ confluebant, ut mihi videbatur, non tam Thyaſi dantes honori, quàm mei conſpectûs cupientes. Nam tanta ibidem etiam de me fama pervaſerat; ut non mediocri quæſtui præpoſito illi meo fuerim. Qui, cùm multos videret nimio favore luſus meos ſpectare geſtientes; obſeratâ fore, atque ſingulis eorum ſeorsùs admiſſis, ſtipes acceptans non parvas, ſummulas diurnas corradere conſueverat. * * *

Deſunt hic obſcœna.

* * * * * * * *

At ille, liberto magnificè munerato, deſtinat me ſpectaculo publico. Et, * * * * * * * *

* * * * * * * *

Interpretatio.

originis commendat, & reddit chariora: amantiſſimè inequitabat mihi decorato phaleris aureis, & ephippiis tinctis, & tapetibus purpureis, & frænis argenteis, & cingulis pictis, & tintinnabulis valdè ſonoris, & alloquebatur verbis ſuaviſſimis. Et inter multa alia, quæ de me dicebat, *affirmabat ſe maximè gaudere, quòd haberet in me ſodalem ſimul, & vectorem. Verùm ſimul atque peractâ viâ, partim terreſtri, partim maritimâ, devenimus Corinthum; magna caterva oppidanorum concurrebant, non tam ad honorandum Thyaſum, ut mihi* quidem *videbatur, quàm quia avebant me videre. Tantus enim rumor de me perlatus fuerat in illam civitatem, ut ille meus præfectus non perceperit parvum lucrum ex me. Qui, cùm cerneret multos cupientes miro ſtudio videre meos ludos; clausâ januâ, introducens ſeparatim unumquemque eorum, acceptis* priùs ab illis *nummulis, ſolebat quotidie colligere non mediocres ſummas.* *

* * * * *

* * * * *

* * * *

Verùm ille, liberto ſuo largiſſimè præmiato, deſtinat me ſpectaculo publico. Et, * * * *

* * * * *

* * * * * *

Notæ.

nerosa ſoboles, &c.] Plautus tamen videtur contrà jumenta Gallica contemnere, cùm ait, Aulul. Act. 3. Scen. 5.

Ego faxim muli, pretio qui ſuperant equos,
Sient viliores Gallicis cantheriis.

1. *Pictilibus baltheis.*] Ut à *fingo fictilis*, ita Noſter à *pingo* formavit *pictilis*. Quod nomen, hoc in loco, *pictum* ſignificat. Per *baltheos* noſter Aſinus cingula intelligit, quibus ephippium adſtrictum adhæret dorſo jumenti.

grandi

grandi præmio vilis quæritur aliqua, ſententiâ præſidis beſtiis addicta: quæ mecum incorám publicam populi caveam frequentaret. ejus pœnè talem cognoveram fabulam. Maritum habuit, cujus pater peregrè proficiſcens mandavit uxori ſuæ, matri ejuſdem juvenis, quòd enim ſarcinâ prægnationis oneratam eam relinquebat: ut, ſi ſexûs ſequioris edidiſſet fœtum, protinùs, quod eſſet editum, [1] necaretur. At, illa per abſentiam mariti, [2] natam puellam inſitâ matri pietate præventa, deſcivit ab obſequio mariti: eamque prodidit vicinis alumnandam. Regreſſoque jam marito natam necatamque puellam nuntiabat. Sed, ubi flos ætatis nuptialem virgini diem flagitabat, nec, ignaro marito, dotare filiam pro natalibus quibat; quod ſolùm potuit, filio ſuo tacitum ſecretum aperuit. Nam & oppidò verebatur, ne, quo caſu, caloris juvenilis impetu lapſus, neſcius neſciam ſororem incurreret. Sed pietatis ſpectatæ [3] juvenis, & matris obſequium, & ſororis officium religiosè diſpenſat: & arcana domûs venerabilis ſilentii cuſtodiæ tradidit, [4] plebeiam facie tenùs prætendens humanitatem. Sic

INTERPRETATIO.

Mulier *quædam vilis, damnata decreto præfecti ad beſtias, comparatur magno pretio, ut deſcenderet mecum in arenam, populo ſpectante. audiveram ejuſmodi fermè hiſtoriam* narrari *de ipsâ. Habuit virum, cujus pater ſuſcipiens longinquam profectionem præcepit uxori ſuæ, matri* illius *ejuſdem juvenis, quam relinquebat gravidam, ut, ſi peperiſſet infantem deterioris ſexûs, continuò* curaret *interfici ſuum partum. Illa verò, cùm peperiſſet puellam, abſente marito, commota naturali affectu matris, non geſſit morem ſuo conjugi, & tradidit eam nutriendam vicinis* ſuis. *Et poſtquàm maritus rediit, dixit ei ſe peperiſſe puellam, eamque eſſe interfectam. Sed ſimul ac ætas puellæ jam adulta cœpit poſcere ei diem connubii, cúmque ipſa non poſſet dotem dare ſibi convenientem ejus nobilitati, quin maritus ſciret; quod ſolùm potuit* facere, *revelavit filio ſuo arcanum celatum* eâtenus. *Nam valdè etiam timebat, ne, ipſe fortè peccans impetu ardoris juvenilis, rem haberet ignoranter cum ſorore, quæ ignorabat* quoque ipſum eſſe ſuum fratrem. *At juvenis* ille *inſignis pietatis, & religiosè morem gerit matri, & præſtat ſorori debitum officium. & committit ſecreta domûs tutelæ ſacri ſilentii, oſtendens vultu tantùm vulgarem benevolentiam*

NOTÆ.

1. *Necaretur.*] Hoc ex conſuetudine veterum, quibus mos erat pro ratione rei familiaris plures pauciores-ve liberos educare, eos, cùm naſcerentur, tollere, vel necare, pro arbitrio ſuo.

2. *Natam puellam.*] Lege *natâ puellâ*, ut ſit ſenſus, quem in interpretatione expreſſi, aut ſupple *erga*, vel *in*, & lege *in natam puellam inſitâ matri pietate præventa*, id eſt, commota materno amore erga puellam, quam pepererat. Aliàs, ſi vulgatam lectionem retineas, hiulca eſt oratio, neque ſatis videtur quò pertineat illud *natam puellam.*

3. *Juvenis.*] Maritus nempè hujus, illius frater.

4 *Plebeiam facie tenùs prætendens humanitatem.*] Erga ſororem agnitam, quo ſecretum ſibi creditum meliùs ſervaret, animo verò fraternum in ipſam affectum gerens.

Apul. Vu

neceſſarium ſanguinis ſui munus aggreditur, ut deſolatam vicinam puellam, parentumque præſidio viduatam, domûs ſuæ tutelâ receptaret; ac mox arctiſſimo, multúmque ſibi dilecto contubernali, largitus de proprio dotem liberaliſſimè, traderet. Sed hæc benè atque optimè, plenâque cum ſanctimoniâ diſpoſita feralem Fortunæ nutum latere non potuerunt, cujus inſtinctu, domum juvenis protinùs ſe direxit ſcæva rivalitas. Et illicò hæc eadem uxor ejus, quæ nunc beſtiis propter hæc ipſa fuerat addicta, cœpit puellam velut æmulam tori, ſuccubamque primò ſuſpicari: dehinc deteſtari, dehinc crudeliſſimis laqueis mortis inſidiari. Tale denique comminiſcitur facinus. Annulo mariti ſurrepto, rus profecta, mittit quemdam ſervulum, ſibi quidem fidelem, ſed de ipsâ Fide peſſimè merentem, qui puellæ nuntiaret, quòd eam juvenis profectus ad villulam vocaret ad ſeſe: addito, ut ſola & ſine ullo comite, quammaturiſſimè perveniret. Et, ne qua fortè naſceretur veniendi contatio; tradit annulum marito ſubtractum, qui monſtratus, fidem verbis adſtipularetur. At illa mandato fratris obſequens, [1] hæc enim ſola ſciebat, reſpecto etiam ſigno ejus, quod offerebatur, gnaviter, ut præceptum fuerat, incomitata feſtinat. Sed ubi fraudis extremæ lapſa [2] decipulo laqueos inſidiarum acceſſit; tunc illa uxor egregia, ſororem mariti, libidinoſæ Furiæ ſti-

INTERPRETATIO.

erga ipſam, *ſic ſuſcipit præſtare officium neceſſarium ſuæ ſorori, ut reciperet* eam *in domum ſuam* tanquam *vicinam* aliquam *virginem orbam, & deſtitutam auxilio parentum ſuorum; & paulò pòſt locaret* eam cuidam *familiari* ſuo *ſibi chariſſimo, atque amiciſſimo, dans* ei *dotem ampliſſimam ex propriis* ſuis bonis. *Verùm hæc conſtituta benè, immò optimè, & cum omni ſanctitate, non potuerunt effugere funeſtum arbitrium Fortunæ, cujus impulſu crudelis zelotypia ſtatim petiit domum ejus. Et continuò hæc eadem ejus conjux, quæ nunc condemnata fuerat ad beſtias propter hæc ipſa* crimina, *cœpit primò ſuſpectam habere illam puellam, ut rivalem ſui thalami, & pellicem: deinde, ſummo* eam *odio proſequi, poſteà, tendere* ipſi *pedicas peſſimæ necis. Poſtremò excogitat ejuſmodi ſcelus. Furata annulum mariti, rus petit, atque* inde *mittit famulum quemdam ſibi quidem fidum, attamen prorsùs inimicum ipſius Fidei, ut diceret puellæ juvenem iviſſe in ſuam villam, illucque eam ad ſe accerſere, adderetque, ut iret quàm celerrimè ſola, & prorsùs incomitata; &, ne fortaſsè aliquo modo dubitaret venire, dat annulum ſubreptum marito, qui oſtenſus, fidem faceret dictis. Illa autem obediens juſſui fratris* (*nam ea ſola* id *ſciebat*) *inſpecto etiam ejus ſigillo, quod* ſibi *oſtendebatur, ſtrenuè properat ire abſque comite, quemadmodum mandatum fuerat. Verùm ſtatim atque inducta dolo ſceleſtiſſimæ fallaciæ, devenit in inſidias* ſibi *ſtructas, tum illa conjux egregia exagitata ſtimulis Zelotypiæ*

NOTÆ.

1. *Hæc enim ſola ſciebat.*] Eum eſſe ſuum fratrem.

2. *Decipulo.*] Ita legendum, non *decipula.* Sic lib. 8. *nactus fraudium opportunum decipulum.* Tranſlatio eſt à feris, quæ incidunt in laqueos, & decipulis capiuntur.

mulis efferata, primùm quidem nudam flagris [1] ultimè verberat: dehinc, quod res erat, clamantem quoque, quòd fruſtrà pellicatûs indignatione bulliret, fratriſque nomen ſæpiùs iterantem, velut mentitam, atque cuncta fingentem, titione candenti inter media femina detruſo, crudeliſſimè necavit. Tunc acerbæ mortis exciti nuntiis frater & maritus accurrunt: variiſque lamentationibus defletam puellam tradunt ſepulturæ. Nec juvenis ſororis ſuæ mortem tam miſeram, à quâ minimè par erat illatam, æquo tolerare quivit animo: ſed medullitùs dolore commotus, acerrimæque bilis noxio furore perfuſus, exin flagrantiſſimis febribus ardebat; ut ipſi quoque jam medela videretur eſſe neceſſaria. Sed uxor, quæ jampridem nomen uxoris cum fide perdiderat, medicum convenit quemdam notæ perfidiæ, qui jam [2] multarum palmarum ſpectatus prœliis, magna dextræ ſuæ trophæa numerabat, eique protinùs quinquaginta promittit ſeſtertia: ut ille quidem [3] momentarium venenum venderet: illa autem emeret mariti ſui mortem. Quo confecto, ſimulatur neceſſaria præcordiis leniendis, bilique ſubtrahendæ [4] illa prænobilis potio, quam ſacram doctiores

INTERPRETATIO.

furioſæ, primùm quidem deſpoliat ſororem ſui mariti, & flagellat eam pœnè ad extremam necem: deinde, tametſi illa exponeret *rem, ut ſe habebat, clamaretque eam immeritò fervère irâ propter* opinionem *pellicatûs, & ſæpè repeteret nomen fratris, occidit eam immaniſſimè immiſſo ardenti torre inter medias coxas* ejus, *quaſi men ita fuiſſet. & excogitaſſet* illa *omnia. Tunc frater, & maritus ejus excitati nuntiis crudelis illius mortis, advolant: & proſecuti puellam multis fletibus inhumant* eam. *At juvenis ille non potuit patienter ferre tam acerbam necem ſuæ ſororis accerſitam* ipſi ab eâ, *à quâ nequaquam decebat* inferri; *ſed affectus dolore uſque ad intimas medullas, totuſque plenus rabie nocuâ bilis ardentiſſimæ, inde* cœpit *flagrare febribus ardentiſſimis:* ita *ut jam ipſe quoque videretur opus habere medicamine. At ejus uxor, quæ jamdudum amiſerat nomen & fidem uxoris: adit quemdam medicum celebrem ſuâ improbitate, qui jam inſignis victoriis multorum certaminum, numerabat permulta trophæa ſuæ manûs. Et pollicetur ei ſtatim quinquaginta ſeſtertia: ut ipſe quidem venderet venenum præſentiſſimum, ipſa verò emeret necem ſui mariti. Quo facto,* inter ſe *fingunt opus eſſe illa excellentiſſimâ potione, quam eruditi vo-*

NOTÆ.

1. *Ultimè verberat.*] Sic Beroaldina, & antiquæ editiones *ultimè verberare* Græcum eſt ἐσχάτως μαστιγῶσαι, apud Zozimum, & idem eſt ac *verberare ad extremum uſque cruciatum.* Malè ſubſtituit *uberrimè* Colvius.

2. *Multarum palmarum, &c.*] Allegoria. Prælia improbi medici intellige propinationes venenorum, quibus vitam hominum aggreditur, palmas autem, ſeu victorias, eorum mortes, quæ venenorum hauſtum ſequuntur.

3. *Momentarium venenum.*] Quod momento interficeret. Suprà dixit *præſentarium.*

4. *Illa prænobilis potio.*] Intelligit potionem hellebori, præcipuéque nigri: de eo enim ſic Plin. lib. 25. cap. 5. *trahit alvum, & bilem pituitaſque ex aquâ. datur ad molliter leniendam alvum, &c.*

nominant: ſed in ejus vice ſubditur alia, [1] Proſerpinæ ſacra ſaluti. Jamque præſente familiâ, & nonnullis amicis & affinibus, ægroto medicus poculum probè temperatum manu ſuâ porrigebat. Sed audax illa mulier, ut ſimul & [2] conſcium ſceleris amoliretur, &, quam deſponderat pecuniam lucraretur, coràm detento calice: Non priùs, inquit, medicorum optime, non priùs cariſſimo mihi marito trades iſtam potionem, quàm de eâ bonam partem hauſeris ipſe. Unde enim ſcio, an noxium in eâ lateat venenum? quæ res utique te tam prudentem, tamque doctum virum nequaquàm offendit, ſi religioſa uxor, circa ſalutem mariti ſollicita, neceſſariam affero pietatem. Quâ mirâ deſperatione truculentæ fœminæ repentè perturbatus medicus, excuſſuſque toto conſilio, & ob anguſtiam temporis ſpatio cogitandi privatus, antequàm trepidatione aliquâ, vel contatione ipsâ daret malæ conſcientiæ ſuſpicionem; indidem de potione guſtavit ampliter. Quam fidem ſecutus adoleſcens, etiam ſumpto calice, quod offerebatur hauſit. Ad iſtum modum præſenti tranſacto negotio, medicus quàm celerrimè domum remeabat, ſalutiferâ potione peſtem præcedentis veneni feſtinans extinguere. Nec eum obſtinatione ſacrilegâ, quâ ſemel cœperat, truculenta mulier ungue latiùs à ſe diſcedere paſſa eſt: Priuſquàm, inquit, digeſtâ potione, medicinæ eventus probatus appareat. Sed ægrè, precibus & obteſtationibus ejus multùm ac diu

Interpretatio.

cant ſacram, ad demulcenda ipſi viſcera, & ſubducendam bilem: ſed ejus loco ſupponunt aliam ſacram ſaluti Proſerpinæ. Et jam medicus ſuâ manu offerebat ægro potionem benè dilutam coràm ejus familiâ, & aliquibus ejus amicis, & propinquis. At illa temeraria mulier, ut tolleret de medio participem ſui criminis, ſimulque lucraretur argentum, quod promiſerat, retinens poculum coràm omnibus: O optime medicorum, ait, non dabis hanc potionem meo dilectiſſimo conjugi, quin tu antè biberis ipſe bonam partem ejus. Nam qui ſcio num venenum nocuum ſit abſconditum in eá? Quod ſanè nullatenùs debet tibi grave eſſe, viro prudenti, & tam docto, ſi ego, ut *uxor ſcrupuloſa, anxia de ſalute mei mariti, adhibeo neceſſarium* officium *pietatis. Quá deſperatá audacia ſævæ mulieris medicus ſubitò perculſus, & prorsùs redactus ad inopiam conſilii, & deſtitutus ſpatio cogitandi ob brevitatem temporis, bibit multùm de potione ex illo calice, priuſquàm daret* ullam *ſuſpicionem ſuæ malæ conſcientiæ aliquo tremore, aut ipsâ morá. Quo exemplo juvenis inductus, accepit etiam poculum, & bibit quod* ſibi *porrigebatur. Re ſic peracta, medicus parabat redire quamcitiſſimè in domum ſuam, cupiens quamprimùm infringere vim mortiferam veneni prioris, ſumpto antidoto. Sed ſæva mulier* pergens eâdem *ſceleratá pertinaciá, qua cœperat ſemel, non ſinit eum diſcedere à ſe vel latum unguem, antequàm ſucceſſus medicaminis (ut aiebat) evidenter eſſet probatus potione diſtributá* per totum corpus. *Sed diu multumque laſſata ejus precibus, & pertinacibus* inſtantiis,

Notæ.

1. *Proſerpinæ ſacra ſaluti.*] Venenata potio, quæ homines detrudit in Proſerpinæ peculium.

2. *Conſcium ſceleris.*] Medicum nempè.

fatigata, tandem abire conceſſit. Intereà perniciem cæcam totis viſceribus furentem medullæ penitùs attraxerant. multùm denique ſaucius, & [1] gravedine ſomnolentâ jam demerſus, domum pervadit ægerrimè. Vixque enarratis cunctis, ad uxorem mandat, ut ſaltem promiſſam mercedem [2] mortis geminatæ depoſceret. Sic eliſus violenter ſpectatiſſimus medicus; effudit ſpiritum. Nec ille tamen juvenis diutiùs vitam tenuerat: ſed inter fictas mentitaſque lacrymas uxoris pari caſu mortis fuerat extinctus. Jamque, eo ſepulto, [3] paucis interjectis diebus, quîs feralia mortuis litantur obſequia, medici uxor pretium geminæ mortis petens aderat. Sed mulier uſquequaque ſui ſimilis, fidei ſupprimens faciem, prætendens imaginem, blandiculè reſpondit: & omnia prolixè accumulatéque pollicetur, & ſtatutum præmium ſine morâ ſe reddituram conſtituit; modò pauxillum de eâ potione largiri ſibi vellet ob incœpti negotii perſecutionem. Quod, pluribus laqueis fraudium peſſimarum uxor inducta medici, facilè conſentit. &, quò ſe gratiorem locupleti fœminæ faceret, properiter domo petitâ, totam protsùs veneni pyxidem mulieri tradidit. Quæ grandem ſcelerum nacta materiam, longè latéque cruentas ſuas manus porrigit. Habebat filiam parvulam de marito, quem nuper necaverat. Huic infan-

INTERPRETATIO.

vix tandem permiſit ei, ut abſcederet. Interim occulta peſtis graſſans per cuncta præcordia penetraverat uſque ad intimas medullas. Denique, difficillimè perveniens ad ſuam *domum æger, & jam oppreſſus dolore capitis ſoporifero. Et omnibus ægrè commemoratis, præcipit uxori* ſuæ, *ut ſaltem flagitaret promiſſum præmium mortis* illius *duplicatæ. Et ſic clariſſimus ille medicus violenter extinctus efflavit animam. Ille tamen juvenis non diutiùs potitus fuerat vitâ, ſed ſublatus erat ſimili exitu mortis inter falſas & ſimulatas lacrymas* ſuæ *conjugis. Eoque jam humato, interpoſitis aliquot diebus, per quos officia funebria perſolvuntur mortuis, uxor medici venit poſtulans mercedem duplicis necis. At mulier ſemper ſibi conſtans, auferens reipsâ fidem. & oſtendens* tantùm ejus *ſimulachrum, reſpondit* ei *ſatis comiter: & promittit omnia liberaliter, & uberrimè, & ſpondet ſe perſoluturam ſine cuntatione pactam mercedem, dummodò vellet ſibi dare paululum ex illo pharmaco ad perficiendam rem, quam inceperat. Quod uxor medici illaqueata multis pedicis fraudium ſceleſtiſſimarum, facilè promiſit* ſe facturam; *&, ut ſe redderet acceptiorem* illi *opulentæ mulieri, confert ſe domum celeriter, & dat ipſi totam penitùs pyxidem veneni. Quæ cùm haberet magnum inſtrumentum criminum, exerit longè latéque ſuas manus ſanguinarias. Erat ei parvula filia,* quam ſuſceperat *ex marito, quem modò extinxerat. Graviſſimè ferebat,*

NOTÆ.

1. *Gravedine ſomnolentâ.*] Hinc patet venenum illud fuiſſe ſoporiferum & ναρκωτικὸν qualis eſt cicutæ ſuccus, & opium largiùs ſumptum.

2. *Mortis geminatæ.*] Ægri, & medici.

3. *Paucis interjectis diebus.*] Novem, per quos inferiæ fiebant mortuorum, & juſta perſolvebantur, quorum ultimo ſacrificium fiebat Novendiale dictum, ſed de hoc jam egimus.

tulæ quòd leges [1] neceſſariam patris ſucceſſionem deferrent, ſuſtinebat ægerrimè: inhianſque toto filiæ patrimonio, imminebat & capiti. Ergo certa defunctorum liberorum [2] matres celeratas hæreditates excipere, talem parentem præbuit, qualem exhibuerat uxorem. prandióque commento pro tempore, & uxorem medici ſimul, & ſuam filiam veneno eodem percutit. Sed parvulæ quidem tenuem ſpiritum, & delicata ac tenera præcordia conficit protinùs virus infeſtum. at uxor medici, dum noxiis ambagibus pulmones ejus pererrat tempeſtas deteſtabilis potionis; primùm ſuſpicata quod res erat, mox urgente ſpiritu jam certò certior, contendit ad ipſius præſidis domum: magnó-

INTERPRETATIO.

quòd leges neceſſariò addicerent huic parvulæ hæreditatem patris. Et concupiſcens omne patrimonium ſuæ *filiæ, inſidiabatur etiam ejus vitæ. Cùm igitur ſciret matres adire hæreditates accelerratas filiorum mortuorum, oſtendit ſe talem matrem, qualem ſe oſtenderat conjugem, & ſimulans ſe* parare *pran dium ex* occaſione *temporis ferit eodem veneno & uxorem Medici ſimul, & ſuam filiam. At peſtiferum* illud *venenum ſtatim conſumit exilem vitam & delicata, tenellaque viſcera infantulæ. verùm uxor medici, dum furor execrabilis pharmaci percurrit ejus pulmones circuitibus peſtiferis, ſuſpicans primò quod erat deinde prementе anhelitu, facta certiſſima, pergit ad ipſam domum Præfecti* provinciæ, &c.

NOTÆ.

1. *Neceſſariam patris ſucceſſionem*] Succeſſio neceſſaria eſt eorum hæredum, qui ſui & neceſſarii ſunt, id eſt, qui omninò, ſive velint, ſive nolint, tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento hæredes fiunt, quales ſunt, ex Lege duodecim Tabularum, filius, & filia, nepos, & neptis, qui modò ſub poteſtate patris, aut avi fuerunt, cùm is moreretur, &c. Qui verò ſub teſtatoris jure non ſunt, extranei hæredes appellantur, quales fratres, cognati, cæterique ejuſmodi. *Neceſſarius* item *hæres* eſt, licet non *ſuus*, ſervus teſtamento cum libertate hæres inſtitutus, qui omninò cogitur hæreditatem adire licet oneroſam, idque propter ingens bonum libertatis. Suis autem hæredibus in oneroſis hæreditatibus Prætor ſubvenit ex ſuâ juriſdictione, abſtentionem eis concedendo. Juſtinianus beneficium inventarii accommodavit, ut in tantum duntaxat tenerentur creditoribus, quantum eſſe in bonis paternis ex confecto inventario appareret, ut patet ex Inſtit. *De Hæred. qualitate, & differentiâ.*

2. *Matres celeratas hæreditates, &c.*] Sic emendat Stevvechius, pro *matres ſceleratas hæreditates*, quod in vulgaris editionibus habetur. Hæreditates, quibus ad parentes liberorum mortuorum bona redeunt optimo epitheto *celeratæ* dicuntur, quaſi dicas *immaturas*: nam contra debitum naturæ ordinem fit, ut ante parentes moriatur filius, & nimiùm accelerata eſt illa hæreditas, quæ ad parentes redit, cùm ad venturos nepotes, multis pòſt annis, pervenire debuiſſet. Ejuſmodi hæreditates à Juriſconſultis *triſtes* dicuntur, & *luctuoſæ*. Juſtin. Imp. Inſtit. lib. 3. tit. 2. de Senatuſconſulto Tertulliano: *Et primus quidem D. Claudius matri ad ſolatium liberorum amiſſorum, legitimam eorum detulit hæreditatem. Poſteà autem Senatuſconſulto Tertulliano, quod D. Hadriani temporibus factum eſt, pleniſſimè de* TRISTI SUCCESSIONE *matri, non etiam aviæ deferendâ cautum eſt, &c.* Quod ſi lectionem vulgatam *ſceleratas* retinere velis, ad *matres* refer, non ad *hæreditates*.

que fidem ejus proteſtata clamore, & populi concitato tumultu, utpote tam immania detectura flagitia, efficit ſtatim, ſibi ſimul & domus & aures præſidis patefierent. Jamque ab ipſo exordio crudeliſſimæ mulieris cunctis atrocitatibus diligenter expoſitis, repentè mentis nubilo turbine correpta, ſemihiantes adhuc compreſſit labias: & attritu dentium longo ſtridore reddito, ante ipſos præſidis pedes exanimis corruit. Nec ille, vir alioquin exercitus, multiforme facinus execratæ veneficæ dilatione languidâ paſſus marceſcere: [1] confeſtim cubiculariis mulieris attractis, vi tormentorum veritatem eruit: atque illam, minùs quidem, quàm merebatur, ſed, quòd dignus cruciatus alius excogitari non poterat, certè beſtiis objiciendam pronuntiavit. * * * * * * ingentique angore oppidò ſuſpenſus, expectabam diem muneris: ſæpiùs quidem mortem mihi meâ volens manu conſciſcere, priuſquam * * * * * * * * vel infamiâ publici ſpectaculi depudeſcerem. Sed privatus humanâ

INTERPRETATIO.

implorans ejus opem ingenti clamore, atque excitato concurſu populi, quippe revelatura ſcelera tam horrenda, efficit protinùs ut ædes, & aures præfecti ſibi aperirentur. Cùmque narraviſſet accuratè omnia ſcelera truculentiſſimæ fœminæ ab ipſo uſque *principio, occupata ſubitò caliginosâ vertigine animi, ſtrinxit labra, quæ* habebat *adhuc ſemiaperta* ad loquendum. *Cumque diu crepitâſſet dentibus, terens* eos invicem, *cecidit mortua ante ipſos pedes præfecti. At ille, qui aliundè vir erat* uſu *peritus, non ſinit tot crimina veneficæ* illius *abominabilis langueſcere lentâ procraſtinatione; ſed juſſit ſtatim cubicularias* ancillas *mulieris* ad ſe *rapi, & cruciatibus extorſit* ab eis *veritatem: & ſententiam tulit* adverſus *illam, leniorem quidem, quàm merita erat: ſed, (quia non poterat inveniri tormentum aliud ipsâ dignum) ut ſaltem objiceretur feris.* * ij * * * * * * *Ego anxius certè magnâ ſollicitudine expectabam diem ſpectaculi: volens quidem ſæpè mihi inferre necem propriâ manu, antequàm* * * * *vel infamarer dedecore ſpectaculi publici. Sed cum eſſem deſtitutus manu*

NOTÆ.

1. *Confeſtim cubiculariis mulieris attractis vi tormentorum, &c.*] Teſtimonia, ac probationes criminum apud Romanos in tres potiſſimùm partes diſtributæ ſunt, nempè in quæſtiones, teſtes, & tabulas. Tabularum nomine omne genus ſcripturarum intelligebatur, quo cauſa confirmari poterat. Teſtes erant liberi homines, qui teſtimonium extra tormenta dicebant. Quæſtiones verò fuerunt teſtimonia ſervorum, in domeſticis criminibus, quæ aliàs vix ſciri poſſunt, vi tormentorum expreſſa. Itaque Accuſator ſervos Rei in quæſtionem poſtulare ſolebat, & datos in tormentis habebat, ut veritatem ab eis erueret. Vide Ciceronem Oratt. pro Cluentio, & pro Milone. Idem Cicero, in Oratione pro Dejotaro, & in Partitionibus, ait ſervos contra dominos torqueri non potuiſſe, exceptâ causâ inceſtûs, & conjurationis. Attamen Apuleius noſter traditas ait tormentis ancillas in hac causâ, quæ veneficii erat. Stevvechius hunc locum ſollicitat, ſed malè.

manu, privatus digitis, ungulâ rotundâ atque mutilâ gladium ſtringere nequaquàm poteram. Planè tenui [1] ſpeculâ ſolabar clades ultimas; quòd ver in ipſo ortu jam gemmulis floridis cuncta depingeret, & jam purpureo nitore prata veſtiret: & commodùm dirupto ſpineo tegmine ſpirantes cinnameos odores promicarent roſæ, quæ me priori meo Lucio redderent. Dies ecce muneri deſtinatus aderat. ad conſeptum caveæ, proſequente populo, pompatico favore deducor. Ac dum ludicris ſcenicorum choreis primitiæ ſpectaculi dedicantur; tantiſper ante portam conſtitutus pabulum lætiſſimi graminis, quod in ipſo germinabat aditu libens affectabam: ſubinde curioſos oculos patente portâ, ſpectaculi proſpectu gratiſſimo reficiens. Nam puelli puellæque virenti florentes ætatulâ, formâ conſpicui, veſte nitidi, inceſſu geſtuoſi, [2] Græcanicam ſaltantes Pyrrhicham, diſpoſitis ordinationibus decoros ambitus inerrabant nunc in orbe rotatim flexuoſi, nunc in obliquam ſeriem [3] connexi; & in quadratum patorem [4] cuneati, &

51

Interpretatio.

humanâ, deſtitutus etiam *digitis, nullatenùs poteram evaginare enſem ungulâ* meâ *rotundâ, & truncâ. Et tantùm recreabam me in meis extremis miſeriis, quòd ver jam incipiens pingeret omnia floſculis gemmantibus, & jam induceret prata ſplendore purpurantium* florum: *& quòd roſæ tunc primùm aperientes ſuos caliculos ſpinoſos erumperent exhalantes odores ſuaviſſimos, quibus ego reſtituerer in meam priſtinam* formam *Lucii. Tandem advenerat dies deſtinatus ſpectaculo, & ego deducor in arenam cum plauſu triumphali, plebe* me *ſequente. Dumque initium ſpectaculi datur ſaltationibus facetis hiſtrionum. ego interim collocatus ante portam libenter depaſcebar gramen virentiſſimum, quod pullulabat in ipſo ingreſſu: iden idem recreans* meos *oculos curioſos jucundiſſimo aſpectu ſpectaculi*, quia *porta* erat *aperta. Namque pueri virgineſque vigentes floridâ juventâ, ſpectabiles pulchritudine, veſtimentis plendentes, geſticulantes inter gradiendum, ſaltantes Pyrrhicham Græcam, peragebant pulchros circuitus diſpoſiti per ordines: modò gyrantes in orbem ad inſtar rotæ, modò cohærentes manibus in ordinem obliquum poſteà diſpoſiti in cuneum patentem aperturâ*

Notæ.

1. *Speculâ.*] Diminutivum à nomine *ſpes*, de quo jam monuimus.

2. *Græcanicam ſaltantem Pyrrhicham.*] *Pyrrhicha* ſeu *Pyrrhiche* ſaltatio erat armatorum ab auctore Pyrrho quodam Cretenſi, ut vult Plinius, aut etiam Pyrrho Achillis filio, quem Ariſtoteles tradit omnium primum Pyrrhicham ſaltâſſe ad rogum Patrocli: ſive denique à Pyrrhicho Lacedæmonio quodam, ut volunt, Ariſtoxenus, Strabo, & Solinus.

3. *Connexi.*] Ejuſmodi ſaltantium connexio, quæ per manus fiebat, dicebatur *reſtis*, & qui ſic connexis ac confertis manibus ſaltabant: ii *reſtim ductare* dicebantur. Terent. Adelphor. Act. 4. Scen. 7.

Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis? nos diceremus *danſer un branle*. Funem reverà per manus tranſmitti ſolitum in eâ ſaltatione innuere videntur hæc Livii verba Decad. 1. lib. 7. *& per manus reſte datâ virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt.* Græcis κόρδακα ἕλκειν dicitur, & κορδακίζειν.

4. *Cuneati.*] De cuneo militari ordinatione jam diximus, cui ſimilis erat

in catervæ

in catervæ diſſidium ſeparati. At ubi diſcursûs reciproci multimodas ambages [1] tubæ terminalis cantus explicuit; aulæo ſubducto, & complicitis ſipariis, Paridis ſcena diſponitur. Erat mons ligneus, ad inſtar inclyti montis illius, quem vates Homerus Idæum cecinit, ſublimi inſtructus fabricâ, conſitus viretis & vivis arboribus, ſummo cacumine, de manibus fabri fonte manante, fluviales aquas eliquans. Capellæ pauculæ tondebant herbulas: &, in modum Paridis [2] Phrygii paſtoris, [3] barbaricis amiculis humeris defluentibus, [4] pulchrè induſiatus adoleſcens, aureâ [5] tiarâ contecto capite, pecuarium ſimulabat magiſterium. Adeſt luculentus puer nudus, niſi quod [6] ephebica chla-

INTERPRETATIO.

quadratâ. Deinde ſeparati in duas turmas. Sed poſtquam clangor tubæ finem imponentis ſolvit multiplices circuitus diſcurſionis alternæ; dimoto aulæo, & velis complicatis, repræſentatio Paridis inſtruitur. Erat mons ligneus factus *ad exemplum illius montis celebris, quem Poëta Homerus vocavit in ſuis carminibus Idæum, fabricatus altâ ſtructurâ, plantatus viridariis, & arboribus vivis, evomens undas flumineas ex ſupremo* ſuo *jugo, per fontem fluentem operâ artificis. Aliquot capellæ depaſcebantur gramina: & juvenis* quidam *egregiè veſtitus, veſtimentis Phrygio opere pictis dependentibus ex humeris, operto capite tiarâ aureâ in formam Paridis paſtoris Phrygii, fingebat ſe eſſe paſtorem pecorum. Ecce venit formoſus puer, nudus, prætérquàm quòd chlamys puerilis vela-*

NOTÆ.

hic cuneus ſaltatorius, niſi quòd ille denſus erat, & militum ordinibus interiùs refertus: hic verò duobus tantùm conſtabat ſaltatorum ordinibus, qui in angulum coëuntes cuneum efficiebant, relictâ interiore & poſteriore parte vacuâ & apertâ.

1. *Tubæ terminalis.*] Terminum ſeu finem ſaltandi faciendum eſſe denuntiantis. Aliàs *Terminalis* ſignificat aliquid ad Deum Terminum pertinens, ut Terminalia feſta, ſacra, &c. Horatius:

Aut agna feſtis cæſa Terminalibus.

2. *Phrygii paſtoris.*] Trojani. Phrygia enim eſt Aſiæ minoris regio, in quâ Troja ſita erat, & mons Ida quoque.

3. *Barbaricis amiculis.*] Feſtus: *Barbari dicebantur antiquitùs omnes gentes, exceptis Græcis. Unde Plautus Nævium poëtam Latinum, Barbarum dixit. Et de ſe, cùm transferret fabulam ex Græco, dixit: M. Accius vortit barbarè.* Hinc *Barbarica* vocaverunt, quæ extra Græciam eſſent, aut fierent, ut apud Plautum Capt. Act. 4. Scen. 2. *Barbaricæ* vocantur urbes quædam Italæ: & *Barbarica amicula* hîc intellige veſtes Phrygias, nempe acu pictas; Phryges enim primi veſtes acu pinxerunt. unde etiam ejuſmodi veſtium artifices vulgò vocati ſunt *Phrygiones* & *Barbaricarii*, qui ex auro & coloratis filis, hominum atque animalium effigies in veſtimentis exprimerent.

4. *Pulchrè induſiatus.*] Ab *induſio*, quod eſt interior tunica, fit *induſiatus*, quòd propriè tunicâ illâ interiori indutum, latiùs tamen (ut hoc in loco) quâvis veſte amictum, ſignificat.

5. *Tiara*] Genus galeri eſt Troianis ac Phrygibus uſitati.

Juvenalis Sat. 6. de Sacerdote Cybeles:

—— *Et Phrygiâ veſtitur bucca tiarâ.*

6. *Ephebica chlamyda.*] Nominativus caſus eſt; cùm tamen vulgò dicatur *chlamys*, & *chlamyda* ſit ejus accuſativus ritu Græco. Sic etiam *Caſſi-*

myda ſiniſtrum tegebat humerum: flavis crinibus uſquequaque conſpicuus: &, inter comas ejus, aureæ pinnulæ cognatione ſimili ſociatæ prominebant, quem caduceum & virgula Mercurium indicabant. Is ſaltatoriè procurrens, malumque bracteis inauratum dexterâ gerens, ei, qui Paris videbatur, porrigit: quid mandaret Jupiter, nutu ſignificans. protinus gradus ſcitulè referens, è conſpectu facceſſit. Inſequitur puella, vultu honeſta, in Deæ Junonis ſpeciem ſimilis. nam & caput ſtringebat [1] diadema candida. ferebat & ſceptrum Irrupit alia, quam putares Minervam, caput contecta fulgenti galeâ, & oleagineâ coronâ tegebatur ipſa galea: [2] clypeum attollens, & haſtam quatiens, & qualis illa cùm pugnat. Super has introceſſit alia viſendo decore præpollens, gratiâ coloris ambroſei deſignans Venerem: qualis fuit Venus, cùm fuit virgo, nudo & intecto corpore perfectam formoſitatem profeſſa: niſi quòd tenui pallio bombycino inumbrabat

INTERPRETATIO.

bat ipſi lævum humerum: undique ſpectabilis flavo capillitio: & parvæ alæ aureæ inter ſe æquales & copulatæ eminebant inter ejus crines, quem puerum *caduceum & virga oſtendebant eſſe Mercurium. Hic accurrens ad numeros, & ferens* manu *dextrâ malum deauratum bracteis* aureis*, offert illi, qui videbatur* eſſe *Paris, nuntians ei ſignis, quid Jupiter præciperet: & ſtatim retrò ferens decenter veſtigia, diſcedit è conſpectu. Puella ſequitur decora facie, referens ſpecie Deam Junonem. Habebat enim caput cinctum diademate albo. Geſtabat quoque ſceptrum. Alia ingreſſa eſt, quam crederes eſſe Palladem, habens caput opertum caſſide micanti, & caſſis ipſa inumbrabatur coronâ oleagineâ: attollebat ſcutum, & concutiebat haſtam, &* talis erat, *qualis eſt illa, quando præliatur. Poſt has alia intravit præcellens pulchritudine ſpectabili, repræſentans Venerem decore coloris divini, qualis erat Venus, quando erat virgo, manifeſtè oſtendens pulchritudinem* omni ex parte *abſolutam, corpore nudo, & diſcooperto, excepto quod tegebat pudenda*

NOTÆ.

da in recto, pro *Caſſis*, dixit Virgil. Æneid. 11.

> *Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea Vati*
> *Caſſida.* ———

Ephebica chlamys ea eſt quam juvenes geſtabant, dum erant ephebi. Tempus ephebiæ Cenſorinus, *de Die Natali*, cap. 5. ita diſtinguit, ut decimo quinto ætatis anno, cùm primùm pueritiam egreſſi ſumus, dicamur μελλέφηβοι, hoc eſt, *futuri ephebi*: decimo ſexto ἔφηβοι: decimo ſeptimo ἐξέφηβοι, quaſi *ephebiam egreſſi*.

1 *Diadema candida.*] Obſerva hîc *diadema* fœminino genere poſitum. Eodem modo Plautus in Prologo Amphitr. *ſchema* uſurpavit:

> *Nuncne hunc ornatum vos meum admiremini,*
> *Quòd ego huc proceſſi ſic cum ſervili ſchemâ.*

Ubi ex uſu communi dicere debuit *ſchemate*. Quin & *diademam* reperias in Fragmentis Lucii Pomponii Atellanarum poëtæ. Sic enim habet Fragmentum Satyræ:

> *Blanda, fallax, impotens, ſuperba, diſcordis*
> *Cujuſvis leporis liber diademam dedit.*

De hac formâ nominum vide plura apud Priſcianum, lib. 6.

2. *Clypeum.*] Ægida intellige, cum Meduſæ capite in medio.

ſpectabilem pubem. * * * * *
Ipſe autem color Deæ diverſus in ſpeciem: [1] corpus candidum, quòd cœlo demeat; amictus cærulus, quòd mari remeat. Jam ſingulas virgines, quæ Deæ putabantur, ſui obibant comites. Junonem quidem [2] Caſtor & Pollux, quorum capita [3] caſſides obbatæ ſtellarum apicibus

INTERPRETATIO.

ſubtili amiculo ſerico. * * * *Ipſe verò color Deæ diverſus erat ad viſum:* nam *corpus* ejus erat *album, quia deſcendit ex cœlo; & velamen cæruleum, quia emergit è mari. Præterea unaquæque puellarum, quæ credebantur eſſe Deæ, ſtipata erat ſuis comitibus. Juno quidem Caſtore & Polluce, quorum capita operta erant galeis rotundis, quæ conſpicuæ erant ſtellis*

NOTÆ.

1. *Corpus candidum, quòd cœlo demeat; amictus cærulus, quòd mari remeat.*] Sic habet Oxon. MS. referente Pricæo, item Florent. Bert & Pal. referente Elmenhorſtio. Editio quoque Beroaldi, & aliæ veteres. Colvius ex ſua editione ſuſtulit τὸ *amictus*, & pro *cærulus*, legit *cærulum*: quo jure, ipſe viderit. Poſthabitâ ejus depravatione, priori lectioni inhærebimus. Apertus ſenſus eſt. Puella nempe, Venerem repræſentans, habebat corpus candidum, quo colore cœleſtis origo Veneris deſignatur, amiculum verò cæruleum (qui color eſt marinus) eoque oſtenditur, Venerem ortam eſſe ex mari.

2. *Caſtor & Pollux.*] Hi cum ſorore Helena fuerunt Jovis & Ledæ filii: vel, ut alii volunt, Pollux & Helena tantùm: Caſtor verò & Clytemneſtra Tindari, qui Ledæ maritus fuit, quem Caſtorem ita adamavit frater Pollux, ut immortalitatem ratione ſuæ divinæ originis ſibi debitam, cum ipſo ex æquo voluerit participare. Unde Virgil. Æneid. 6.

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,
Itque reditque viam toties.

Hi fratres Jaſonem in expeditionem Colchicam ſecuti ſunt. Cumque, ingruente maximâ tempeſtate, ac de ſalute ſuâ jam deſperantibus Argonautis, vota Orpheus ad Deos Samothraces feciſſet; ſtellæ duæ ſupra capita amborum fratrum aſtiterunt, fuitque ſedata tempeſtas. Hinc eſt, quòd caſſides eorum ſtellarum apicibus inſignitas fuiſſe hîc ait Apuleius. Sed non ſatis diſpicio cur eos hîc Junoni aſſignet comites, cùm ea Jovis filios ex pellicibus natos ſolita fuerit ſummo odio proſequi, niſi ad phyſicum ſenſum recurramus, & dicamus Junoni, per quam aër ſignificatur, ideo Caſtorem & Pollucem comites dari, quia ignes, quos ferunt nautis proſpera omnia ſignificare tempeſtateſque ſedare, in aëre gignuntur & conſpiciuntur.

3. *Caſſides obbatæ.*] Veteres editiones, & MS. Rom. habent *orbatæ*. MSs. Codd. Florentini duo Bert. & Pal. apud Elmenhorſtium, *obbatæ*. Colvius introduxit *aratæ*, quod expungendum puto, & alterutram aliarum lectionum ſubſtituendam. Si *obbatæ* legas, intellige formatas fuiſſe illas caſſides ad inſtar obbarum. Erat autem *obba* genus poculi capacioris. hanc à gravitate ſuâ & fundi capacitate Perſius ſeſſilem dicit Satyr. 5.

——— *Veientanumque rubellum*
Exhalet vapidâ læſum pice ſeſſilis obba.

Quod ſi *orbatæ* legas, ne à verbo *orbo* putes derivatum, ſed ab *orbe*, idemque eſſe *orbatæ* ac *orbiculatæ*. quam vocem etiam nonnulli ſubſtituere voluerunt hoc loco, pro *orbatæ*, ut ſenſus eſſet planior. Quid ſi *obatæ* pro *ovatæ* ſcriptum fuerit mutatione litterarum v, & b, ſatis frequenti? Certè caſſides illæ, quibus ornati conſpiciuntur in veteribus numiſmatis Dioſcuri, referunt omninò ovorum, è quibus orti perhibentur, putamina.

inſignes contegebant. ſed & iſti Caſtores erant ſcenici pueri. Hæc puella, varios modulos laſcivâ concinente tibiâ, procedens quietâ & inaffectatâ geſticulatione, nutibus honeſtis paſtori pollicetur, ſi ſibi præmium decoris addixiſſet, ſeſe regnum totius Aſiæ tributuram. At illam, quam cultus armorum Minervam fecerat, duo pueri muniebant, præliaris Deæ comites armigeri, [1] Terror & Metus, nudis inſultantes gladiis. at ponè tergum tibicen [2] Dorium canebat bellicoſum: & permiſcens bombis gravibus tinnitus acutos, in modum tubæ, ſaltationis agilis vigorem ſuſcitabat. Hæc, inquieto capite, & oculis inſpectu minacibus, citato & [3] intorto genere, geſticulatione alacri, demonſtrabat Paridi, ſi ſibi formæ victoriam tradidiſſet; fortem trophæiſque bellorum inclytum ſuis adminiculis futurum. Venus ecce cum magno favore caveæ, in ipſo meditullio ſcenæ, circumfuſo populo lætiſſimorum parvulorum, dulcè ſubridens, conſtitit amœnè. Illos teretes & lacteos puellos diceres tu Cupidines, & Cupidines veros, de cœlo vel mari commodùm involâſſe. nam & pinnulis, & ſagittulis, & habitu cætero formæ præclarè congruebant: & , velut

INTERPRETATIO.

poſitis *in vertice. Sed hi Caſtores quoque erant juvenes hiſtriones. Hæc virgo progrediens* cum *geſtu tranquillo & ſimplici* ad cantum *tibiæ mollis perſonantis diverſos modulos, promittit paſtori modeſtis geſtibus, ſe ei daturam imperium totius Aſiæ, ſi adjudicâſſet ſibi palmam pulchritudinis. Verùm duo pueri*, qui referebant *Terrorem & Metum comites armigeros Deæ bellicæ, ſaltantes cum diſtrictis enſibus, circumſtabant illam* puellam, *quam arma, quibus ornata erat, formaverant in Palladem. Tibicen verò ponè ipſam modulabatur canticum bellicoſum: & admiſcens tinnitus acutos gravibus ſonis, excitabat vigorem ſaltationis alacris ad inſtar tubæ. Hæc agitans caput, & aſpiciens oculis minantibus, incedenſque celeriter, & flexuosè, ſignificabat Paridi geſtibus promptis eum ſuo auxilio futurum ſtrenuum, & clarum trophæis bellicis. Tum Venus ſtetit decenter in mediâ ſcenâ cum magno applauſu ſpectatorum, circumdata turbâ puerorum hilariſſimorum, & ſuaviter renidens. Diceres illos pueros obeſulos & candidos*, eſſe *Cupidines, & veros* quidem *Cupidines, qui modò illuc advolâſſent ex cœlo, aut ex mari. Erant enim ſimiles ipſis, parvis alis, parvis ſagittis, & reliquo ornatu: ac præfe-*

NOTÆ.

1. *Terror & metus.*] Servius ad Æneid. II. *Terror eſt propriè qui alii infertur, &c. metus autem quem habent timentes.*

Valerius Flaccus eos facit Martis equos lib. 3. Argon. verſu 98.

Terrorque, Pavorque Martis equi.

2. *Dorium canebat bellicoſum.*] Elmenhorſtius ex MSs. Florent. & Palat. in quibus erat *Orium canebat bellicoſum*, reſtituit *Dorium. Dorius*, modus eſt muſicus, bello aptus. Noſter in Floridis: *Seu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.*

3. *Intorto genere.*] Vvovver. legit, *intorto femore.* Colvius *gradu.* Hanc poſteriorem lectionem in Interpretatione expreſſi. Si *genere* retineas, ſupple *ſaltationis*, aut *inceſſûs*, aut aliquid ſimile.

nuptiales epulas obituræ coruſcis dominæ, prælucebant facibus. Et influunt [1] innuptarum puellarum decoræ ſoboles. hinc Gratiæ gratiſſimæ : inde [2] Horæ pulcherrimæ. quæ jaculis [3] floris ſerti & ſoluti Deam ſuam propitiantes, ſcitiſſimum conſtruxerunt chorum, [4] dominæ voluptatum [5] veris comâ blandientes. Jam tibiæ [6] multiforabiles [7] cantus Lydios dulciter conſonant. Quibus ſpectatorum pectora ſuavè mulcentibus, longè ſuavior Venus placidè commoveri, contantique lentè veſtigio, & leviter [8] fluctuante ſpinulâ, & ſenſim annutante capite cœpit incedere, mollique tibiarum ſono delicatis reſpondere geſtibus: & nunc mitè conniventibus, nunc acrè comminantibus geſtire pupillis: & nonnumquam ſaltare ſolis oculis. Hæc ut primùm ante [9] Judicis conſpectum [10] facta eſt, niſu brachiorum polliceri vi-

INTERPRETATIO.

rebant tædas lucentes ante ſuam dominam, quaſi ea itura eſſet ad convivium nuptiale. Et pulcher chorus virginum innuptarum illuc *confluit. hinc Charites jucundiſſimæ, illinc Horæ formoſiſſimæ, quæ litantes Deæ ſuæ, projectionibus florum contextorum & ſolutorum, inſtituerunt choream elegantiſſimam, abblandientes Deæ voluptatum comâ veris. Jam tibiæ cavatæ multis foraminibus ſuaviter edunt modulos Lydios. Quæ dum oblectant jucundè animos ſpectatorum, Venus multò jucundior cœpit ſe movere placidè, & progredi lento & tardo gradu, & leviter quatiens ſpinam* dorſi, *& paululum motans caput, conformare delicatos geſtus ad mollem cantum tibiarum: & modò leniter connivere oculis, modò iiſdem acriter minari, & aliquando ſaltare ſolis oculis. Ubi primùm illa pervenit ad conſpectum Judicis, videbatur promittere*

NOTÆ.

1. *Innuptarum puellarum decoræ ſoboles*] Id eſt, *innuptæ puellæ, quæ erant decoræ ſoboles.*

2. *Horæ pulcherrimæ.*] Has poëtæ Gratiis & Veneri adjungunt ſæpè comites. Vide ſuprà lib. 5. pag. 168.

3. *Floris ſerti & ſoluti.*] A *ſerendo ſerviæ* & *ſerta* dicta ſunt: item *ſerti flores*, qui in *ſerta* colligati, aut in corollas implexi ſunt, opponunturque *ſolutis.*

4. *Dominæ voluptatum.*] Veneri.

5. *Veris comâ.*] Sic omninò legendum eſt, non *Veneris coma*, ut malè Colvius, aut *veris dono*, ut minùs rectè Vvovverius & Elmenhorſtius. Per *veris comam* quid hîc aliud intelligas, niſi herbas & flores? Hac metaphorâ plena ſunt Poëtarum carmina.

6. *Multiforabiles.*] Melius fortaſſe legas *multiforatiles*. Rudibus adhuc Muſicæ ſæculis non multiforatiles tibiæ in uſu erant, ſed ſimplices, quatuor tantùm foraminibus diſtinctæ. Horatius de Arte Poëticâ.

Tibia non, ut nunc, orichalco juncta, tubæque
Æmula: ſed tenuis, ſimplexque foramine pauco, &c.

7. *Cantus Lydios.*] In Floridis *ſeu Lydium querulum.* Caſſiodor. *Lydius* (modus) *contra curas animæ tædiaque repertus, remiſſione reparat, & oblectatione corroborat.* Lydios modos inveniſſe fertur Amphion.

8. *Fluctuante ſpinulâ.*] Lectionem hanc Scioppio debemus, quam eſſe ſinceram oſtendit cùm ablativus abſolutus, qui ſequitur, *& ſenſim annutante capite*, tùm ſensûs evidentia & elegantia. ſic enim optimè exprimitur mollis & infractus Veneris inceſſus.

9. *Judicis*] Paridis illius ſcenici.

10. *Facta.*] Græcum eſt, *ante Judicis conſpectum facta*, pro *conſtituta*, vel *cum perveniſſet.*

debatur, ſi fuiſſet Deabus cæteris antelata, daturam ſe nuptam Paridi [1] formâ præcipuam, ſuique conſimilem. Tunc, animo volenti, Phrygius juvenis malum, quod tenebat, aureum, velut victoriæ calculum, puellæ tradidit. Quid ergo miramini, [2] viliſſima capita, imò forenſia pecora, imò verò [3] togati vulturii, ſi toti nunc Judices ſententias ſuas pretio nundinantur? cùm [4] rerum exordio inter Deos & homines agitatum judicium corruperit gratia: & [5] originalem ſententiam magni Jovis conſiliis electus Judex, ruſticanus & opilio, lucro libidinis vendiderit, cum totius etiam ſuæ ſtirpis exitio? Sic hercules, & [6] aliud ſequens judicium inter inclytos Achivorum duces celebratum: vel cum falſis inſimulationibus eruditione doctrinâque præpollens [7] Palamedes proditionis damnatur: vel virtute Martiâ præpotenti præfertur [8] Ulyſſes mendicus Ajaci maximo. Quale autem &

INTERPRETATIO.

motu brachiorum, ſe daturam Paridi uxorem præſtantem pulchritudine, & ſibi perſimilem, ſi ipſam prætuliſſet reliquis Deabus. Tunc Phrygius adoleſcens dedit, libenti animo, virgini malum aureum, quod habebat præ manibus, tanquam ſuffragium, quo ipſi addicebat *victoriam. Quare igitur admiramini, ô abjectiſſimi homines, vel potiùs pecora forenſia, imò verò vultures togati, ſi omnes Judices nunc vendunt argento ſuas ſententias? Cùm primis temporibus favor corruperit judicium agitatum inter Deos & homines, &* juvenis *agreſtis ac paſtor, aſſumptus Judex conſiliis ſupremi Jovis, vendiderit primam* omnium *ſententiam pretio libidinis, etiam cum clade totius ſui generis? Simili modo profectò aliud judicium poſterius redditum eſt inter claros Imperatores Graiorum: vel quando Palamedes, excellens eruditione & doctrinâ, condemnatus eſt falſis accuſationibus,* quaſi *proditor: vel cùm Ulyſſes mendicus antepoſitus eſt Ajaci maximo præpollenti laude bellicâ. Cujuſ-*

NOTÆ.

1. *Formâ præcipuam.*] Ea fuit Helena Menelai uxor.

2. *Viliſſima capita.*] Apoſtrophe ad cauſidicos, oratoreſque forenſes.

3. *Togati vulturii.*] A rapacitate.

4. *Rerum exordio.*] Judicium Paridis rerum exordio fuiſſe Apuleius dicit, cum tamen ex Chronologorum ſupputatione Trojanum excidium quod paucis poſt illud judicium annis contigit, cadat in annum Periodi Julianæ 3530, hoc eſt, conditi orbis 2800, diluvii Noë 1147, diluvii verò Deucalionei 330. At ideò rerum exordium ad illius judicii tempora referri; quia, quæ excidium Trojanum præceſſerunt, tempora parum nota Ethnicis fuêre.

5. *Originalem ſententiam.*] Judicium quod veluti primum celebratum eſt

6. *Aliud ſequens judicium*] Duo judicia attingit: alterum, quo Palamedes innocens, Ulyſſis artibus, tanquam proditor ad mortem damnatus eſt à Græcis: alterum, quo mortui Achillis arma, Ajace, cui debebantur, contempto, Ulyſſi ab iiſdem Græcis delata ſunt. Vide Ovid. lib. 13. Metamorphoſ.

7. *Palamedes.*] Ovid. lib. 13. Metam.

Vellet & infelix Palamedes eſſe relictus,
Viveret, aut certè lethum ſine crimine haberet,
Quem malè convicti nimiùm memor iſte furoris
Prodere rem Danaûm finxit, fictumque probavit
Crimen, & oſtendit, quod jam præfoderat, aurum.

8. *Ulyſſes mendicus.*] Plautus Bacchid. Act. 4. Scen. 9.

Nam illic item audivi Ulyſſem, ut ego ſum, fuiſſe & audacem & malum.

illud judicium [1] apud legiferos Athenienſes, & [2] catos illos, & omnis ſcientiæ magiſtros? Nonne [3] divinæ prudentiæ ſenex, [4] quem ſapientiâ prætulit cunctis mortalibus Deus Delphicus, fraude & [5] invidiâ nequiſſimæ factionis circumventus, velut corruptor adoleſcentiæ, quam frænis coërcebat, [6] herbæ peſtilentis ſucco noxio peremptus eſt, relinquens civibus ignominiæ perpetuæ maculam? cùm nunc etiam [7] egregii Philoſophi ſectam ejus ſanctiſſimam præoptent, & ſummo beatitudinis ſtudio [8] jurent in ipſius nomen. Sed ne quis indignationis

Interpretatio.

modi autem fuit *illud judicium*, quod celebratum eſt *apud Athenienſis illos legumlatores, & prudentes, & doctores univerſarum diſciplinarum? Nonne ſenex ille præditus prudentiâ divinâ, quem Apollo antepoſuit ſapientiâ omnibus hominibus, oppreſſus dolo atque invidiâ ſceleſtiſſimæ conſpirationis, quaſi* eſſet *corruptor juventutis, quam retinebat frænis, extinctus eſt veneno ſo ſucco herbæ mortiferæ, relinquens* ſuis *civibus labem æternæ infamiæ? cùm etiamnum præſtantes Philoſophi eligant* præ cæteris *ejus ſectam ſanctiſſimam, & jurent in ipſius nomen ex maximo deſiderio felicitatis. Verùm ne aliquis vi-*

Notæ.

Dolis ego deprehenſus ſum: ille mendicans pœnè inventus interiit,
Dum ſibi exquirit fata Iliorum

Vide Odyſſ. lib. 8. & 17.

1. *Apud legiferos Athenienſes.*] Cicero in Oratione pro L. Flacco: *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur.*

2. *Catos illos.*] Idem Cicero de Fato: *Athenis tenue cœlum eſt, ex quo acutiores etiam putantur Attici.*

3. *Divinæ prudentiæ ſenex.*] Socrates. qui apud populum Athenienſem accuſatus & condemnatus, coactus eſt cicutam bibere. Cujus mortem ipſi poſteà Athenienſes, qui eum damnaverant, tam graviter tulerunt, tantaque ejus facti pœnitentia eos inceſſit, ut palæſtras ac gymnaſia clauderent.

4. *Quem ſapientiâ prætulit cunctis mortalibus Deus Delphicus.*] Reſpicit ad oraculum, quod Pythia Chæreponti Socratis diſcipulo ſe conſulenti, Delphis reddidit. Illud autem, teſte Laërtio, in Vita Socratis tale erat,

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. id eſt, *Socrates ſapientiſſimus eſt omnium hominum.*

5. *Invidiæ nequiſſimæ factionis.*] Hujus factionis conſpirationiſque, ut refert Plato in Apologia, principes erant Anytus, Lycon, & Melytus, quorum Anytus quidem opificum, adminiſtratorumque reipublicæ partes tuebatur, Lycon verò oratorum, ac denique Melitus; poëtarum: quia nimirùm eos omnes carpebat Socrates. Accuſationem detulit Melitus, quæ erat ejuſmodi, referente Laërtio ex Phavorini Metroo: Ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος, ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων. τίμημα θάνατος. Id eſt, *jus violat Socrates non exiſtimans eos eſſe Deos, quos civitas tales judicat, ſed alia nova dæmonia introducens. jus etiam violat juvenes corrumpendo. pœna illi ſit mors.*

7. *Egregii philoſophi.*] Inter illos, qui ſucceſſerunt Socrati, & appellantur Socratici, nobiliſſimi ſunt Plato, Xenophon, & Antiſthenes, teſte eodem Laërtio.

8. *Jurent in ipſius nomen.*] Id eſt, ejus placitis firmiſſimè inhæreant, ſtudio nempè beatitudinis, quam confidunt, ejus præcepta ſectando, ſe conſecuturos.

meæ reprehendat impetum, ſecum ſic reputans: Ecce nunc patiemur philoſophantem nobis aſinum? rurſus, unde diſceſſi, revertar ad fabulam. Poſtquam finitum eſt illud Paridis judicium, Juno quidem cum Minervâ triſtes, & iratis ſimiles è ſcenâ redeunt, indignationem repulſæ geſtibus profeſſæ: Venus verò gaudens & hilaris, lætitiam ſuam, ſaltando, toto cum choro, profeſſa eſt. Tunc de ſummo montis cacumine, per quamdam latentem fiſtulam, in excelſum prorumpit [1] vino crocus diluta: ſparſimque, defluens, paſcentes circà capellas odoro perpluit imbre; donec in meliorem maculatæ ſpeciem, canitiem propriam luteo colore mutarent. Jamque totâ ſuavè fragrante caveâ, montem illum ligneum terræ vorago [2] decepit. Ecce quidam miles per mediam plateam dirigit curſum, petiturus, jam

INTERPRETATIO.

ſuperet hunc *impetum meæ indignationis, ſic apud ſe cogitans; An nunc toleralimus aſinum nobis philoſophantem? revertar iterùm ad narrationem* meam, *ex quâ digreſſus ſum. Poſtquam illud judicium Paridis peractum fuit, Juno quidem & Pallas diſcedunt ex theatro mœſtæ & indignabundæ, oſtendentes ſuis geſtibus iram*, quam conceperant *ex* illâ *repulsâ: at Venus læta, & hilaris oſtendit gaudium ſuum ſaltando cum toto choro. Tunc vinum mixtum croco ſalit in altum ex ſupremo vertice montis, per quemdam tubum occultum: & decidens in guttas aſpergit pluviâ ſuavè olenti capras circùm paſcentes, donec, tinctæ in pulchriorem formam, mutarent ſuam albedinem in colorem croceum. Cùmque jam totum theatrum exhalaret jucundum odorem, hiatus terræ abſorpſit illum montem ligneum. Tunc quidam miles currit per mediam plateam, ut accerſeret ex pu-*

NOTÆ.

1. *Vino crocus diluta.*] Mos fuit in theatris & ſpectaculis crocum, dulci vino aut aquâ dilutum, per ſiphones miro artificio exprimere, & ſcenam pretioſo illo imbre conſpergere, totum verò theatrum jucundiſſimo odore perfundere. Plin. lib. 21. cap. 6. de croco ait: *Sed vino mirè congruit præcipuè dulci, tritum ad theatra replenda.* Ejuſmodi croceus imber *ſparſio* propriè dicebatur. Propert. lib. 4. Eleg. 1.

Pulpita ſolennes non oluere crocos.

Ad quem verſum videnda ſunt, quæ dicit Scaliger in commentariis ſuis ad Propertium. Ex Ciliciâ maximè crocum Romam advehi ſolitam teſtantur vel hæc loca duo: alter Lucretii lib. 2.

Et cum ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt.

Alter Martialis, de Spectaculis, Epig. 3.

Et Cilices nimbis hic maduère ſuis.

Id eſt, *croceâ ſparſione*, quam *nimbum* elegauter vocat Beroaldus legebat hic *unda croco diluta*, quæ lectio ferri poteſt. Sic enim Seneca lib. 2. Natural. Quæſt. c. 9. *Aqua autem ſine ſpiritu quemadmodum poſſet intendi? Numquid dubitas quin ſparſio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ creſcens, in ſummam altitudinem amphitheatri pervênit, cùm intenſione aquæ fiat?* Gloſſæ *ſparſio*: κρόκος ὁ ῥαινόμενος. Vide Lipſ. De Amphith.

2. *Decepit.*] *Abſorpſit*, MS Oxon: teſte Pricæo, habet *recepit*, melius, meo quidem judicio. Malè Beroaldina Editio, & quædam aliæ *decerpit*. Laus eſt machinatoris, qui montem illum ligneum tali artificio diſpoſuerat, ut, peractâ fabulâ, veluti repentino terræ hiatu abſorberetur.

populò

populo poſtulante, illam de publico carcere mulierem, quam dixi, propter multiforme ſcelus, beſtiis eſſe damnatam. * metu etiam mortis cruciabar maximè, ſic ipſe mecum reputans: Quòd * * * * * * * * quæcumque ad exitium mulieris beſtia fuiſſet immiſſa, non adeò vel prudentiâ ſolers, vel artificio docta, vel abſtinentiâ frugi, poſſet provenire; ut adjacentem lateri meo laceraret mulierem; mihi verò, quaſi indemnato & innoxio, parceret. Ergo igitur non de pudore jam, ſed de ſalute ipsâ ſollicitus, dum magiſter meus lectulo probè coaptando diſtrictus inſervit, totâ familiâ partim miniſterio venationis occupatâ, partim voluptario ſpectaculo attentâ, meis cogitationibus liberum tribuebatur arbitrium. nec magnopere quiſquam cuſtodiendum tam manſuetum putabat aſinum. Paulatim furtivum pedem proferens, portâ, quæ proxima eſt, potitus, jam curſu me celerrimo proripio: ſexque totis paſſuum millibus perniciter confectis, [1] Cenchreas pervado: [2] quod oppidum audit quidem nobiliſſimæ coloniæ Corin-

INTERPRETATIO.

blicâ cuſtodiâ illam fœminam, quam dixi addictam fuiſſe beſtiis ſententiâ præſidis, *ob plurima flagitia; quia populus jam poſcebat* eam. * * * * * * * * * * * *

Ego verò maximè torquebar quoque timore mortis, ſic apud me cogitans: Quod * * * * *quæcumque fera immiſſa fuiſſet ad necem mulieris, non futura eſſet ita prudens ac ſolers, aut ita erudita arte, aut tam frugalis, ac temperans, ut dilaniaret mulierem poſitam juxta me, mihi autem ignoſceret ut innocenti & indemnato. Igitur ego tunc anxius non de verecundiâ* meâ, *ſed de ipſâ vitâ, dum dabatur mihi libertas exequendi quæ cogitaveram, hero meo incumbente thoro aptè ſternendo, ſervis omnibus partim diſtrictis miniſterio venationis, partim intentis jucundo ſpectaculo. neque ullus credebat tam mitem aſinum eſſe valdè cuſtodiendum. Paulatim me ſubducens occultâ fugâ, cùm perveniſſem ad portam proximam, jam aufugio curſu citatiſſimo: cumque velociter emenſus fuiſſem ſex ſolida millia paſſuum, pervenio Cenchreas: quæ quidem urbs dicitur eſſe nobiliſſima colonia*

NOTÆ.

1. *Cenchreas.*] *Cenchreæ* Portus eſt Corinthiorum, ad Sinum Saronicum, ſicut & Lechææ alter Portus ad Sinum Criſſæum ſive Corinthiacum, qui Portus Iſthmum hinc atque illinc claudunt.

2. *Quod oppidum audit quidem, &c*] Ita planè legendum eſt, ex fide MS. Codd. Florr. 2. Pal. Ald. & Bert. *referente* Elmenhorſtio, non autem *adeunt*, ut vulgatæ pleræque Editiones Beroald. Eſt autem hîc *audire* idem quod *eſſe*, aut *dici eſſe*. Scriveriana Editio habet ſenſu adhuc apertiore: *quod oppidum audit quidem nobiliſſima Colonia Corinthienſium.*

thienſium: adluitur autem [1] Ægæo & Saronico mari. ubi portus etiam, tutiſſimum navium receptaculum, magno frequentatur populo. Vitatis ergo turbulis, & electo ſecreto littore, propè ipſas fluctuum aſpergines, in quodam molliſſimo arenæ gremio laſſum corpus porrectus refoveo: nam & ultimam diei metam curriculum Solis deflexerat: & veſpertinæ me quieti traditum dulcis ſomnus oppreſſerat.

INTERPRETATIO.

Corinthiorum: adjacet verò mari Ægæo, & Saronico. ubi etiam portus eſt, tutiſſimum receptaculum navium, & celebratur magnâ populi frequentiâ. Fugiens ergo cœtus hominum, eligo littus ſolitarium prope ipſas eluviones fluctuum, & reficio corpus feſſum, recubans in molliſſimo ſtrato arenæ: curſus enim ſolis declinaverat ad extremum terminum diei: & cum me dediſſem quieti veſpertinæ, gratus ſopor me corripuerat.

NOTÆ.

1. *Ægæo & Saronico mari.*] Niſi, ſub nomine Ægæi maris, ipſum quoque Saronicum ſinum comprehendas, qui reverà ipſius eſt quaſi quædam παρέγχυσις, ſeu *effuſio*; non poteſt dici *Cenchreas* allui Ægæo mari. Hoc enim oppidum in extremo ſinu Saronico ſitum eſt.

LUCII APULEII

MADAURENSIS PLATONICI

METAMORPHOSIS

LIBER UNDECIMUS.

CIRCA primam fermè noctis vigiliam experrectus pavore ſubito, video præmicantis Lunæ candore nimio completum orbem, commodùm marinis emergentem fluctibus. Nactuſque opacæ noctis ſilentioſa ſecreta, certus etiam [1] ſummatem Deam præcipuâ majeſtate pollere, reſque prorsùs humanas ipſius regi providentiâ; nec tantùm [2] pecuina & ferina, verùm inanima etiam divino ejus luminis numiniſque nutu vegetari: ipſa etiam corpora terrâ, cœlo, marique, [3] nunc incrementis conſequenter augeri; nunc decrementis obſequen-

INTERPRETATIO.

EXPERGEFACTUS *repentino metu circiter primam vigiliam noctis, conſpicor plenum diſcum Lunæ ſplendentis miro fulgore, exeuntem tunc ex undis maris. Oblatâque tacitâ ſolitudine noctis umbroſa, cùm etiam ſcirem* illam *primariam Deam valere numine præcellenti, & res humanas omninò gubernari ejus providentiâ; neque ſolùm pecora & feras corroborari divinâ potentiâ lucis, & divinitatis ejus, ſed etiam res inanimatas: ipſa quoque corpora* quæ ſunt in *terrâ*, in *cœlo, &* in *mari, modò creſcere*, ipſâ *creſcente; modo decreſcere;* ipsâ *decreſ-*

NOTÆ.

1. SUMMATEM *Deam.*] Lunam, quæ & Hecate, & Iſis eſt, atque, (ut patet ex iis quæ infrà dicit Noſter) omnia fœminina numina continet, quemadmodum Oſiris omnia maſculina. Unde eam *ſummatem Deam* vocat.

2. *Pecuina.*] Ab antiquo *pecu.*

3. *Nunc incrementis conſequenter augeri; nunc decrementis, &c.*] Plin. lib. 2. Natural. Hiſt. cap. 41. *Jam quidem Lunari poteſtate oſtrearum conchyliorumque, & concharum omnium corpora, augeri ac rurſus minui, quin & ſoricum fibras reſpondere numero Lunæ exquiſivere diligentiores* &c. Manil. Aſtron. lib. 2.

Sic, ſubmerſa fretis, concharum & carcere clauſa
Ad Lunæ motum variant animalia corpus.

Medullas quoque animalium in oſſibus augeri minui-ve ad incrementa & decrementa Lunæ, ſicut & humorem in arboribus, à veteribus proditum eſt, atque hac etiam noſtrâ ætate vulgò cre-

ter imminui, Fato ſcilicet etiam meis tot tantiſque cladibus ſatiato, & ſpem ſalutis, licet tardam, ſubminiſtrante, auguſtum ſpecimen Deæ præſentis ſtatui deprecari. Confeſtimque diſcuſsâ pigrâ quiete, alacer exſurgo: 1 meque protinus purificandi ſtudio marino lavacro trado: 2 ſeptieſque ſubmerſo fluctibus capite, quod eum numerum præcipuè 3 reli-

INTERPRETATIO.

cente ei obſequendo: decrevi orare venerandam faciem Deæ præſentis, fortunâ nempè jam ſatiatâ tot ac tantis meis calamitatibus, & offerente ſpem ſalutis, quamvis ſeram. Excuſſoque ſtatim ſopore inerti, ſurgo promptus: & confeſtim eo me ablutum aquâ maris cupiens me purgare: & capite immerſo aquæ ſepties, quia divinus ille Pythagoras memoriæ *tradidit illum præfer-*

NOTÆ.

dicitur: obſervanturque eâ de causâ à ruſticis Lunæ tempora tùm in ſerendis oleribus, tùm in putandis, inſerendis & inoculandis arboribus, cæteriſque id genus agricolationis muniis obeundis. Quanquam permulti, rerum naturæ ſtudioſi, multis accuratiſque experimentis deprehenderint ejuſmodi incrementa ac decrementa oſtreorum medullarumque abſque ullis certis legibus, modò creſcente, modò decreſcente Lunâ fieri: jamque apud omnes ferè doctos conſtat illos effectus alioſque innumeros, qui Lunæ tribuebantur, in alias ſingulares cauſas eſſe refundendos: Lunareſque illæ obſervationes in ſerendis ſeminibus, putandiſque arboribus, ut vanæ & inutiles ab iis repudiantur.

1. *Meque protinus purificandi ſtudio, marino lavacro trado.*] In more fuit apud populos ferè omnes cujuſvis religionis, ut, antequam ſacris darent operam, aut templa ingrederentur, aquâ ſe abluerent purgarentque. Liber Leviticus, & traditiones Judæorum innumerabiles habent ejuſmodi baptiſmos. De Ægyptiis idem refert Herodotus in Euterpe. Romanos idem feciſſe oſtendat vel hic locus Perſii Satyr. 2.

Hæc ſanctè ut poſcas, Tyberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Mahumetani quoque nunc, Indi, aliæque barbaræ nationes ablutionibus ſe purificant, priuſquam ſacris ſuis vacent. Quin & Chriſtianos quoque, antequam templum ingrederentur, aquam manibus lavandis ſumpſiſſe Tertull. in Apologetico, aliique Patres docent, quem morem etiam nunc aliquatenus ſervamus, dum, templa ingredientes, digitum aquæ luſtrali intingimus, frontique allinimus. Purificationibus illis aquam de flumine vivo hauriebant, aut de mari. Aquæ enim marinæ maximam ad purgandum ineſſe vim, ob ſalſam & igneam portionem, crediderunt. unde fluxit hæc parœmia.

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
Mare univerſa proluit hominum mala.

2. *Septies ſubmerſo fluctibus capite.*] Sic lib. 4 Regum qui Hebræis ſecundus eſt Melachim cap. 5. Elizæus Propheta Naamani ſyro leproſo per nuntium dicit: *Vade, & lavabis te ſeptem vicibus in Jordane.* Perſius loco ſuprà citato *ter* tantùm habet, ſicut & Juvenalis:

Ter matutino Tiberi mergetur, & ipſis
Vorticibus timidum caput abluet.

3. *Religionibus aptiſſimum.*] Sic legendum eſt ex Codd. Flor. & Berth. non autem *religionis*, ut habent vulgatæ editiones. Septenarii dotes & myſteria fusè recenſet Macrob. lib. 1. in ſomnium Scipionis, toto capite 5. &, ut ex multis aliquid huc afferam, hunc numerum ait naturæ hominis in primis convenire: conſtare enim ex ternario & quaternario, quorum hic ad corpus pertinet, utpote conſtans quatuor elementis, ille verò ad animam

gionibus aptiſſimum [1] divinus ille Pythagoras prodidit, [2] lætus & alacer Deam præpotentem lachrymoſo vultu ſic apprecabar: REGINA cœli, [3] ſive tu Ceres alma, frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, [4] vetuſtæ glandis ferino remoto pabulo, [5] miti commonſtrato cibo, nunc [6] Eleuſiniam glebam percolis: ſeu tu [7] cœleſtis Venus,

INTERPRETATIO.

tim numerum convenientiſſimum eſſe religioni, hilaris & impiger ſic orabam Deam potentiſſimam facie lachrymis madente: REGINA *cœli, ſive tu* ſis *alma Ceres, primordialis parens frugum, quæ exhilarata inventione* tuæ *filiæ, ſuſtuliſti belluinum cibum priſcæ glandis*, & *oſtendiſti alimentum mitius*, & *nunc habitas agros Eleuſinios:* ſive *tu* ſis *Venus*

NOTÆ.

tribus ſuis partibus abſolutam: quarum prima eſt ratio, quam λογικὸν appellant: ſecunda animoſitas (philoſophi noſtri *appetitum iraſcibilem* dicerent) quam θυμικὸν vocant: tertia cupiditas (*appetitus concupiſcibilis*) quæ ἐπιθυμητικὸν nuncupatur. Sed & Pythagoreos ait quaternarium, quem τετρακτὺν vocant, ad animæ quoque perfectionem pertinere putâſſe, eumque inter arcana fuiſſe veneratos, ita ut ex eo & jurisjurandi religionem ſibi fecerint

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρα ψυχᾷ παραδόντα
τετρακτύν.

Non, per eum, qui dat animæ noſtræ quaternarium numerum. Hoc eſt, per Deum qui dat animæ noſtræ ſuas quatuor perfectiones, putà fortaſſe intellectum, voluntatem, memoriam, & imaginationem. Sed de ſeptenario ſatis. Plura vide apud eundem Macrob.

1. *Divinus ille Pythagoras.*] Cui ideo impoſitum Pythagoræ nomen Diogenes Laërtius in ejus vita ex Ariſtippo Cyrenæo refert, quod veritatem perinde ac Pythius ipſe loqueretur: ὅτι τὴν ἀλήθειαν ἠγόρευεν οὐχ ἧττον τοῦ Πυθίου. Unde meritò cum Noſter *divinum* appellat.

2. *Lætus & alacer Deam præpotentem lachrymoſo vultu*, &c.] Mirum ſanè mihi videtur, quod, quamvis lætus eſſet & alacer, lachrymoſo tamen vultu Deam precaretur. quid enim lætitiæ & alacritati cum lachrymis? fortaſſe lætitiam ſuam corde premens, faciem componebat ad fletum, quo faciliùs Deam ſibi propitiaret. Notum ſupplicis orationem lachrymæ quantùm adjuvent, & quàm uſitatum apud veteres, Deos humano more credere externis ſignis capi, nec pervadere intima cordium.

3. *Sive tu Ceres alma.*] Obſervandum (quod iam monuimus, cùm de Deâ Syriâ ageremus) ſecundum abſtruſioris veterum theologiæ peritos, non eſſe niſi unum Deum & unam Deam, quæ pro ratione officiorum diverſorum diverſis nominibus appellatur. Hinc eſt quod eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem, Oſirim & Serapin vocant. Item Lunam eandem Cererem appellant, eandem Dianam, eandem Junonem, eandem Proſerpinam, Iſidem, &c. Virgil. lib. 1. Georgic.

Vos, ò clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Vide Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 18.

4. *Vetuſtæ glandis ferino remoto pabulo*, &c.] Virgil. eodem loco.

Veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta. &c.

5. *Miti commonſtrato cibo.*] Frumento.

6. *Eleuſiniam glebam percolis.*] *Solum Eleuſinium.* Eſt autem *Eleuſin* Straboni lib. 9. urbs, in qua templum eſt Eleuſiniæ Cereris, & myſticum delubrum, turbæ, quanta in Theatro ſolet eſſe, capax, opus Ictini, qui etiam Parthenonem Minervæ in arce fecit, Pericle operum procurationem ſuſtinente, quam urbem in demis, ſeu pagis curiiſve Atticis numerari quoque ait.

7. *Cœleſtis Venus.*] *Uraniæ.* Ma-

quæ primis rerum exordiis ſexuum diverſitatem generato amore ſociaſti, & æternâ ſobole humano genere propagato, [1] nunc circumfluo Paphi ſacrario coleris: [2] ſeu Phœbi ſoror, quæ [3] partu fœtarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educâſti, præclariſque nunc [4] veneraris [5] delubris Epheſi: ſeu nocturnis ululatibus horrenda Proſerpina, [6] triformi facie [7] larvales impetus comprimens, terræ-

INTERPRETATIO.

cœleſtis, quæ initio mundi conjunxiſti diverſos ſexus, producto in eis *amore, & propagato genere humano prole perpetuâ, nunc adoraris in delubro Paphio, quod circumalluitur* mari *: ſive* ſis *ſoror Apollinis, quæ levato partu gravidarum* mulierum *remediis mulcentibus, edidiſti in lucem tot populos, & nunc coleris in pulcherrimo templo Epheſi: ſive* tu ſis *Hecate formidabilis ululatibus nocturnis, quæ ſub triplici vultu cohibes furores larvarum, &*

NOTÆ.

crob. Saturnal. lib. 1. cap. 7. *Philochorus quoque in Atthide eandem* (Venerem) *affirmat eſſe Lunam, &c.*

1. *Nunc circumfluo Paphi ſacrario, &c.*] Vide quæ diximus lib. 4. ad hæc verba *Paphum nemo* pag. 132. Ideo autem *circumfluum* vocat *Paphi* ſacrarium, quia Paphos in Inſula Cypro ſita eſt, quæ mari undique alluitur.

2. *Seu Phœbi ſoror, quæ, &c.*] Juno Lucina. Macrob. Saturnal. lib. 7. cap. ultimo. *Hinc eſt quòd Diana, quæ Luna eſt, ἄρτεμις dicitur quaſi ἀερότεμις, hoc eſt, aërem ſecans. Lucina à parturientibus invocatur; quia proprium ejus munus eſt diſtendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod eſt ad celerandos partus ſalutare, &c.* ſeu potiùs Lucina dicitur, eo quod fœtus ope ejus in lucem edatur: Ilithyia verò Εἰλείθυια, quia præſto adeſt parturientibus ἀπὸ τοῦ ἐλθεῖν.

3. *Partu fœtarum.*] Ita legendum eſt, non autem *ferarum*, ut habent quædam exemplaria.

4. *Veneraris.*] Paſſivè, ut apud Virgil.

Venerata Sacerdos.

5. *Delubris Epheſi.*] Celebratiſſimum fuit templum Dianæ Epheſi, quæ urbs erat Ioniæ primaria, ab Amazonibus condita, ut refert Strabo lib. 11. vel, ut idem ait initio lib. 14. ab Androclo Codri Athenienſium regis filio, qui dux erat coloniæ Ionum. Templum illud Epheſinum inter ſeptem mundi miracula numeratum eſt. In eo faciendo tota Aſia (minorem intellige) per ducentos & viginti annos inſudavit. At mirum illud duorum ſæculorum opus temerarius Heroſtratus, nominis immortalitatem ex ſacrilegio quærens, incendit eâdem nocte, quâ natus eſt Alexander Magnus; quæ fuit anno primo centeſimæ ſextæ Olympiadis ſecundum Petavium.

6. *Triformi facie.*] Virg. Æneid. 4.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Chariclides poëta quidam apud Athenæum lib. 7.

Δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι, τρίμορφε;
τριπρόσωπε τρίγλαις κηλευμένη.

Domina Hecate trivia, triformis tres habens vultus, quæ propitiaris triglis, (Piſces ſunt *mulli* dicti.) Sed propitiabatur etiam canibus, unde *canicida*, & *canivora* dicta eſt. Sacra ejus noctu fiebant, cum ululatbus, ad imitandam Cererem, quæ raptam Proſerpinam in triviis clamans requirebat.

7. *Larvales impetus comprimens, &c.*] Dea enim Inferorum & Manium erat, Larvaſque ac phantaſmata pro arbitrio ſuo coërcebat, aut immittebat.

que clauſtra cohibens, [1] lucos diverſos inerrans, vario cultu propitiaris; [2] iſtâ luce fœmineâ colluſtrans cuncta mœnia, & udis ignibus nutriens læta ſemina, & [3] ſolis ambagibus diſpenſans incerta lumina: quoquo nomine, quoquo ritu, quaquâ facie te fas eſt invocare; tu meis jam nunc extremis ærumnis ſubſiſte, tu fortunam collapſam affirma, tu ſævis exantlatis caſibus pauſam pacemque tribue. ſit ſatis laborum, ſit ſatis periculorum. Depelle quadrupedis diram faciem. redde me conſpectui meorum: redde me meo Lucio. Ac ſi quod offenſum numen inexorabili me ſævitiâ premit; mori ſaltem liceat, ſi non licet vivere. Ad iſtum modum fuſis precibus, & adſtructis miſeris lamentationibus, rurſus mihi marcentem animum [4] in eodem illo cubili ſopor circumfuſus oppreſſit. Necdum ſatis [5] conniveram: & [6] ecce pelago medio, venerandos Diis etiam vultus attollens, emergit divina facies. ac dehinc paulatim toto corpore perlucidum ſimulachrum, excuſſo pelago, ante me conſtitiſſe viſum eſt. Ejus mirandam

INTERPRETATIO.

claudis ſepta telluris, ac diſcurrens per varia nemora, coleris diverſis ritibus: illuminans omnes urbes tuo *fulgore muliebri, & alens germina virentia* tuo *lumine humido, & effundens lucem inſtabilem propter curſum ſolis:* ſub *quocumque nomine,* ſub *quibuſcunque cærimoniis,* ſub *quacumque formâ licet te invocare; tu nunc ſuccurre meis graviſſimis miſeriis, tu fulci meam fortunam, quæ corruit, tu jam concede* mihi *requiem & tranquillitatem poſt ſuperatos tot duros caſus. ſit ſatis ærumnarum, ſit ſatis periculorum. Remove* à me *funeſtam formam aſini; reſtitue me aſpectui meorum; reforma me in meum* priſtinum *Lucium. Et ſi aliquis Deus* à me *violatus perſequitur me crudelitate implacabili; ſaltem concedatur* mihi *mori, ſi non conceditur* aliter *vivere. Ejuſmodi factâ oratione, & adjectis* inſuper *lamentationibus miſerandis, ſomnus offuſus ſopivit iterùm mihi in eodem toro* arenæ *animum* mœrore *languentem. Vix clauſeram oculos, cum divina forma prodit è medio mari extollens faciem venerabilem ipſis etiam Diis. Deindeque imago ſplendidiſſima toto corpore viſa eſt ſtare coram me, mari paulatim ſuperato. Co-*

NOTÆ.

1. *Lucos diverſos inerrans.*] Virgil. Æneid. lib. 6.
Jam ſubeunt Triviæ lucos, &c.
Eodem libro,
Sed me quùm lucis Hecate præfecit Avernis.

2. *Iſtâ luce fœmineâ.*] Plin. lib. 2. cap. 100. *Itaque ſolis ardore ſiccatur liquor, & hoc eſſe maſculum ſydus accepimus torrens cuncta, ſorbenſque.* Et cap 101. *E contrario ferunt Lunæ fœmineum ac molle ſydus atque nocturnum, ſolvere humorem, &c.*

3. *Solis ambagibus diſpenſans incerta lumina.*] Ex diverſitate curſûs ſolaris & lunaris, fit ut Luna aliquando pleno orbe fulgeat, aliquando dimidiato, aliquando falcato tantùm. atque hæ vulgò dicuntur *Lunæ phaſes*, noſtro *incerta lumina*

4. *In eodem illo cubili.*] molli ſcilicet arenæ gremio.

5. *Conniveram.*] Elmenhorſtius habet ex MS. Florent. *connipſeram*, Rom. *compſeram*: unde Beroaldus formaverat *compreſſeram*, ſupple *palpebras*. At ex *connipſeram* meliùs conjicias *conniveram*, niſi tamen retinere malis ipſum *connipſeram*, tanquam præteritum pluſquam perfectum antiquum verbi *conniveo*.

6. *Et ecce pelago.*] Somnium narrat.

ſpeciem ad vos etiam referre connitar. ſi tamen mihi diſſerendi tribuerit facultatem paupertas oris humani: vel ipſum numen ejus [1] dapſilem copiam eloquutilis facundiæ ſubminiſtraverit. Jam primùm crines uberrimi prolixique, & ſenſim intorti, per divina colla paſſivè diſperſi, molliter defluebant. Corona multiformis, variis floribus ſublimem diſtrinxerat verticem: cujus media quidem ſuper frontem plana rotunditas in modum ſpeculi, [2] vel immò, argumentum Lunæ, candidum lumen emicabat. Dextrâ lævâque [3] ſulcis inſurgentium viperarum cohibita, ſpicis etiam Cerealibus deſuper porrectis. Multicolor, byſſo tenui pertexta, [4] nunc albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, nunc roſeo rubore flammida. &, quæ longè longèque etiam meum confutabat obtutum, [5] palla nigerrima, ſplendeſcens

INTERPRETATIO.

nabor etiam vobis exponere admirabilem ejus formam. ſi tamen egeſtas humani eloquii mihi fecerit copiam narrandi: aut ipſa ejus divinitas mihi ſuppeditaverit largam ubertatem eloquentiæ. Et primùm quidem capilli denſi, & longi, paulatim cincinnati, temerè ſparſi per divinam cervicem, erant molliter promiſſi. Corona diverſæ formæ ex variis floribus circumdabat ſummum ejus *caput: quæ* habebat *quidem in mediâ fronte orbem planum inſtar ſpeculi, vel potiùs lumen candidum refulgens*, quod *argumento* erat eam eſſe *lunam. Viperæ inſurgentes in modum ſulcorum coërcebant eam à dextrâ & ſiniſtrâ, & ariſtæ Cereales extendebantur etiam deſuper. Erat ei veſtis multicolor ex lino ſubtili, nunc refulgenti albedine candens, nunc flava flore croci, nunc ardens rubore roſeo. & palla nigerrima, fulgens nitore atro, quæ perſtringebat quoque aciem meorum ocu-*

NOTÆ.

1. *Dapſilem copiam.*] Græcum eſt δαψιλὴς *abundans.*

2. *Vel immò argumentum Lunæ candidum lumen emicabat.*] Codex Urſin. habet, *vel in modum ſemeſtris lunæ* &c. quod non probatur à doctis, cùm præſertim adeo diſcrepet ab aliorum omnium lectione. Omiſſis Pricæi conjecturis, nihil in textu muto; ſed virgulam expungo, quæ inter *candidum* & *lumen* poſita eſt, atque hæc verba *argumentum lunæ* duabus virgulis includo, quæ vicem præſtent parentheſeos, ut ſit ſenſus quem in interpretatione expreſſi.

3. *Sulcis inſurgentium viperarum cohibita.*] Iſidi, quæ & Luna eſt, & Proſerpina, & Ceres, viperas circa caput addit Apuleius; ſive quòd ſulci interdum tortuoſi viperas imitentur, ſive quòd frænatis curruique admotis ſerpentibus Ceres ſulcavit cœlum, & per aëra vecta eſt. Minucius in Octavio ſerpentem Cereri dat pro cingulo. *Ceres facibus accenſis, & ſerpente circumdata.* Quid ſi hic pro *ſulcis* legas *fulcris* ex Pignorio in menſæ Iſiacæ expoſitione pag. 10?

4. *Nunc albo candore*, &c.] His coloribus veſtis deſignantur varii Lunæ colores. Quum enim exoritur, rubra videtur ob interpoſitos vapores: quùm jam aliquantum ſupra finitorem aſcendit, crocea apparet: denique cùm cœlum medium tenet, terrenis jam liberata vaporibus, candidum lumen refundit.

5. *Palla nigerrima ſplendeſcens atro nitore.*] Quædam corpora tametſi nigra, ob lævorem tamen ſuperficiecularum, quibus extima eorum ſuperficies contexta eſt, ſplendicant: qualia ſunt marmor nigrum, & ebenum, cùm polita ſunt. veſtes etiam nonnullæ ſe-

atro

atro nitore: quæ circumcircà remeans, & ſub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, [1] umbonis vice, dejectâ parte laciniæ, [2] multiplici contabulatione dependulâ, ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat. [3] Per intextam extremitatem, & in ipsâ ejus planitie, ſtellæ diſperſæ coruſcabant: earumque media [4] ſemeſtris Luna flammeos ſpirabat ignes. Quaquà tamen inſignis illius pallæ perfluebat ambitus, individuo nexu corona, totis floribus, totiſque conſtructa pomis, adhærebat. Jam geſtamina longè diverſa. nam dextera quidem ferebat [5] æreum crepitaculum: cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ

INTERPRETATIO.

lorum, quæ circumcircà rediens, & tranſiens *ſub dextrum latus, aſcendenſque ad humerum ſiniſtrum, loco umbonis demiſsâ parte veſtis pendente in multas rugas, habebat parvos nodos fimbriarum pulchrè fluctuantes in* ſuis *extremitatibus. Stellæ fulgebant ſparſæ per oram* ejus *intextam, & per totum ejus campum. Et Luna plena,* poſita *in medio earum, emittebat ſplendorem flammeum. Quacumque tamen ora illius præclara pallæ circumferebatur, corona facta ex floribus & fructibus omnis generis, adhærebat* ei *connexione indiviſâ.* Ea *verò quæ geſtabat multùm varia* erant. *Nam* manus ejus *dextra geſtabat quidem ſiſtrum æneum: per cujus mediam laminam anguſtam inflexam inſtar balthei, aliquot virgæ*

NOTÆ.

ricæ. At rarò admodùm videas ejuſmodi nigrorum corporum nitore perſtringi oculorum aciem (quod de pallâ Deæ illius noſter hîc ait.) Julianus tamen, in Cæſaribus, id affirmat de ebeno lecti Saturni. Plutarchus de Iſide & Oſiride, ſic nigras Iſidis veſtes explicat; ut deſignari illis velit occultationes Lunæ, & obumbrationes, quibus Solem, deſiderans, ſectatur.

1. *Umbonis vice.*] *Umbo* propriè clypei centrum eſt, reliquo clypeo magis prominens, aliquando in acumen deſinens. Propter hujus ſimilitudinem; centrum rugarum, ſeu plicarum collectarum in togâ, *umbo* dictus eſt.

2. *Multiplici contabulatione.*] Ne de hujus vocis ſincerâ lectione dubitem, facit Tertulliani locus, de Pallio, c. 5. *Adeò nec artifice neceſſe eſt, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum cuſtodibus forcipibus aſſignet; dehinc diluculò, tunicâ priùs cingulo correptâ, quam præſtabat, moderatiorem texuiſſe, recognito rursùs umbone, & , ſi quid exorbitavit, reformato, partem quidem de lævâ promittat: ambitum verò ejus, ex quo ſinus naſcitur, jam, deficientibus* TABULIS, *retrahat à ſcapulis, & excluſâ dexterâ, in lævam adhuc congerat, cum alio pari* TABULATO *in terga devoto, atque ita hominem ſarcinâ veſtiat.* Ubi vides *tabularum* & *tabulati* nomine ſignificari ſtrias veſtis, quæ ex umbone, oras verſus extenduntur, ſibique mutuo inſident, quemadmodum domorum tabulata ſeu contignationes.

3. *Per intextam extremitatem.*] Per oram veſtis, quæ erat picta, aut opere Phrygio; id eſt, acu, aut opere textorio.

4. *Semeſtris Luna.*] Luna plena, qualis eſt poſt dimidium menſem, à ſuâ conjunctione cum Sole. itaque *ſemeſtris* hîc, non, ut ferè ſemper, a *ex menſibus*, formatum eſt, ſed à *ſemimenſe.*

5. *Æreum crepitaculum.*] Deſcribit ſiſtrum, cujus figuram & explicationem ex Plutarcho, vide ſuprà, ſub finem libri 2. pag. 64.

virgulæ, [1] criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum ſonorem. lævâ verò [2] cymbium dependebat aureum: cujus anſulæ, quâ parte conſpicua eſt, inſurgebat [3] aſpis, caput extollens arduum, cervicibus latè tumeſcentibus. Pedes ambroſios tegebant [4] ſoleæ, palmæ victricis foliis intextæ. Talis ac tanta ſpirans [5] Arabiæ felicis germina, divinâ me voce dignata eſt: En aſſum tuis commota, Luci, precibus, [6] rerum Natura parens, elementorum omnium domina, ſæculorum progenies initialis, ſumma numinum, regina Manium, prima cœlitum, [7] Deorum, Dearumque facies uniformis: quæ cœli luminoſa cul-

Interpretatio.

tranſmiſſæ edebant ſonum acutum, dum brachium ejus *vibraret triplices jactationes. Scaphium verò aureum pendebat ex* ejus *ſiniſtrâ: ſuper cujus anſâ, eâ parte, quâ eminet, ſurgebat aſpis attollens erectum caput, collo valdè intumeſcente. Calcei intexti ex foliis palmæ,* quæ inſigne *victorum* eſt, *operiebant pedes ejus immortales. Talis, ac tanta* Dea *exhalans* odorem *plantarum Arabiæ felicis, dignata eſt* me alloqui *voce divinâ*: Ecce ego *permota tuis precibus, ô Luci, adſum* tibi *Natura mater rerum* omnium, *Domina univerſorum elementorum, primordialis ſoboles temporum, ſuprema Deorum, regina Umbrarum, prima cœlicolarum, repræſentans in me unâ Deos, Deaſque omnes*: ego, *quæ rego meo arbitrio lucida cacumina cœli,*

Notæ.

1. *Criſpante brachio tergeminos jactus.*] Id eſt, brachio tres illas virgulas, quæ in ſiſtro erant mobiles, agitante; ſicque tribus ictibus tres ſonos, licet unicâ jactatione, exprimente Hac ſiſtri jactatione ſignificari voluerunt Nili acceſſus & receſſus.

2. *Cymbium.*] Vaſculum oblongum in modum cymbæ, quod ex myſticis Ægyptiorum cærimoniis, Iſidi tribuitur, ad fluentiam lacunarum, & inundationem Nili ſignificandam, juxta Plutarchum, lib. de Iſide & Oſiride.

3. *Aſpis.*] In pompâ Iſidis Ovidius lib. 9. Metamorphoſ. ſerpentem etiam ponit.

Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.

4. *Soleæ palmæ victricis foliis intextæ.*] Lib. 2. *Et cum dicto juvenem quempiam linteis amiculis intectum, pedeſque palmeis baxeis indutum, & aduſque deraſo capite, producit in medium.* Ubi vides palmea calceamenta Iſiaco Prophetæ aſſignari, quemadmodum & hîc ipſi Iſidi. Vocat autem *palmam victricem*; quia victoriæ eſt ſymbolum, & victorum geſtamen.

5. *Arabiæ felicis germina.*] Gratos odores atque aromata, quæ naſcuntur in Arabiâ felici. Celebrata eſt Arabiæ diviſio in felicem, quæ εὐδαίμων, ἀρωματοφόρος, & λιβανοφόρος dicitur: Petræam, quæ πετρώδης, à Petra vetuſtiſſimo oppido: & deſertam, quæ ἔρημος, quam incolunt ſcenitæ Arabes in tentoriis degentes

6. *Rerum natura parens.*] Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 20. *Iſis junctâ religione* (cum Serapide ſcilicet) *celebratur: quæ eſt, vel terra, vel natura rerum ſubjacens Soli. Hinc eſt, quòd continuatis uberibus corpus Deæ omne denſetur; quia vel terra, vel rerum natura alimento nutritur univerſitas.*

7. *Deorum Dearumque facies uniformis.*] Hinc manifeſtè apparet unicum eſſe Deum rerum omnium conditorem, qui variis Deorum Dearumque nominibus appelletur. quin & priſci Deos omnes ἀρσενοθήλεις eſſe, id eſt, *maſculo-fœminas*, & utrumque ſexum participantes, putaverunt. Unde Calvus *pollentem Deum Venerem* dixit. Apud

mina, [1] maris ſalubria flamina, [2] inferorum deplorata ſilentia nutibus meis diſpenſo. cujus numen unicum, multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis. Me [3] primigenii Phryges [4] Peſſinunticam nominant Deûm matrem. hinc [5] Autochthones Attici

INTERPRETATIO.

ſalubres ventos maris, & *defleta ſilentia inferorum. cujus univerſus orbis* terrarum *colit divinitatem unicam ſub formâ multiplici, diverſis cærimoniis, & plurimis nominibus. Phryges*, qui *primogeniti* ſunt mortalium, *vocant me Peſſinunticam matrem Deorum. hinc Athenienſes indigenæ* ſuæ patriæ, nomi-

NOTÆ.

Virgilium Æneid. 2. Æneas:

Deſcendo, ac, ducente Deo, flammam inter & hoſtes
Expedior.

Ubi per *Deum* intelligenda eſt Venus, quæ modò ipſi apparuerat, monueratque ut domum rediret, ſuam ei pollicens opem,

nuſquam abero, & patrio te limine ſiſtam.

MS. Bert. apud Elmenhorſtium delet τὸ *Deorum*, & habet tantùm *Dearumque facies uniformis*, & hoc quidem meliùs ad mentem authoris noſtri, qui videtur fœminina tantùm nomina & numina Iſidi attribuere, cùm contrà maſculum Deum faciat Deorum regnatorem Oſirin, cujus ſacra peragebant Iſidis miniſtri: ſed initiationem ejus teletamque diverſam facit ab Iſidis teletâ, ut infrà patebit.

1. *Maris ſalubria flamina.*] Meurſius in Exercit. Criticis legit *aëris*, non *maris*.

2. *Inferorum deplorata ſilentia.*] Id eſt, umbras ſilentes, in inferis degentes, quæ jam apud homines defletæ ſunt.

3. *Primigenii Phryges.*] Herodotus lib. 2. num. 2. refert Pſammetichum Ægypti Regem, cum ſcire cuperet quinam primi hominum extitiſſent, pueros duos recens natos paſtori educandos tradidiſſe, & vetuiſſe ne quis ullam coram eis vocem ederet: juſſiſſe præterea, ut diligenter obſervaretur, quam vocem primam pronunciarent. Biennio itaque elapſo, paſtore ad caſam, in quâ caprino lacte alebantur, accedente, & aperiente januam, ambos pueros clamare cœpiſſe *Beccbus*, eamque vocem ſæpiùs iteraſſe. quod cùm ad Regem paſtor retuliſſet, ipſeque Rex accerſitos eos coram audiiſſet illam vocem pronuntiantes, & inquiri juſſiſſet quinam homines aliquid hoc nomine *Beccbus* vocarent; compertum fuiſſe Phrygas ſic *panem* appellare. Quo argumento Phrygas primigenios, primoſque hominum, Ægyptiiſque priores, agnitos eſſe: cùm anteà Ægytii primos ſe mortalium dicerent. quâ etiam in opinione manens Lucianus ait: Αἰγύπτιοι λέγονται πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων. Hanc Pſammetichi hiſtoriam tangit Claudianus lib. 2. in Eutropium.

——— ——— *Dat cuncta vetuſtas*
Principium Phrygibus, nec Rex Ægyptius ultra
Reſtitit, humani poſtquàm puer uberis expers
In Phrygiam primùm laxavit murmura vocem.

4. *Peſſinunticam nominant Deûm matrem.*] A Peſſinunte, oppido Phrygiæ, in quo Templum habuit maximum. Ex eo oppido ſimulachrum Deæ bello Punico ſecundo Romam tranſlatum eſt ex Sibyllæ oraculo, & hoſpitio receptum per Scipionem Naſicam, qui optimus à Senatu eſt judicatus.

5. *Autochthones Attici.*] Αὐτόχθονες, qui dicuntur etiam ἰθαγενεῖς, Latinè *Aborigines*, Solino, cap. 15. *genuini terræ*, à pronomine αὐτὸς *ipſe*, & nomine χθὼν, quod *terram* ſignificat, quaſi dicas, *ex ipsâ terrâ, ſeu regione natos.* Epitheton eſt perpetuum Athenienſium, eo quòd non aliunde in Atticam, quam incolunt, adveniſſe, ut multi alii populi, ſed in eâ ſemper fuiſ-

[1] Cecropiam Minervam; illinc [2] fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; [3] Cretes ſagittiferi [4] Dictynnam Dianam; [5] Siculi trilingues Stygiam Proſerpinam; Eleuſinii vetuſtam Deam Cererem: [6] Junonem alii, [7] alii Bellonam, alii Hecaten, [8] Rhamnuſiam alii. & , qui naſcentis Dei Solis inchoantibus radiis illuſtrantur [9] Æthiopes,

INTERPRETATIO.

nant me *Palladem Cecropiam; aliâ ex parte Cyprii ſiti in medio mari, Venerem Paphiam; Cretenſes ſagittarii Dianam Dictynnam: Siculi tribus linguis* loquentes *Proſerpinam infernalem: Eleuſinii antiquam Deam Cererem: alii Junonem, alii Bellonam, alii Hecaten, alii Nemeſin. & Æthiopes, qui collustrantur primis radiis Dei Solis exo-*

NOTÆ.

ſe dicantur. Euripides in Ione,

—— ἐλθὼν λεὼν εἰς αὐτόχθονα
Κλεινῶν Ἀθηνῶν. ——

Cùm veniſſet in populum indigenam inclytarum Athenarum.

1. *Cecropiam Minervam.*] Attica ipſa Cecropia quoque regio dicta eſt, à Cecrope rege, qui Athenas inſtauravit, & de Minervæ nomine, quæ Græcè Ἀθήνη dicitur, appellavit.

2. *Fluctuantes Cyprii.*] Quia Cyprus inſula mediterraneo in mari ſita, eo undique alluitur.

3. *Cretes ſagittiferi.*] Pomp. Mela lib. 2. *Celebrantur arte ſagittandi Cydon, Gortyna, & Gnoſſus Cretæ urbes.* Lucan. lib. 3. Pharſal.

Jam dilecta ovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnoſſuſque agitare pharetras
Docta, nec Eois pejor Gortyna ſagittis.

4. *Dictynnam Dianam.*] Eo quòd Diana retia invenerit, quæ Græcè δίκτυα vocantur. Diodorus tamen, lib. 6. Bibliothecæ, Dictynnam aliam facit à Diana, aitque eam ex Jove genitam in Cretâ, conſuetudine Dianæ familiariſſimè uſam eſſe; quæ res cauſam præbuit, ut quidam Dictynnam & Dianam eandem eſſe exiſtimarent. Illi Dictynnæ nomen fuit *Britomartis*, ferturque Gortynia fuiſſe, & matrem habuiſſe *Charmen*.

5. *Siculi trilingues.*] Cœlius Rhodiginus, antiq. lect. lib. 3. cap. 31. *Siculos ab Apuleio dici trilingues animadverto, quod barbarè* (Siculâ nimirùm Linguâ) *initio ſint locuti; Græcè mox; poſtremo etiam Latinè.*

6. *Junonem alii.*] ut Samii qui Junonem ſingulari cultu proſequebantur.

7 *Alii Bellonam, alii Hecaten.*] De his jam diximus.

8. *Rhamnuſiam alii*] Erat hæc Nemeſis, Rhamnuſia dicta à Rhamnunte Atticæ pago, in quo templum habuit, & ſimulachrum egregium, Agoracriti, Phidiæ diſcipuli, manu elaboratum. Credita eſt Nemeſis ultrix ſcelerum, præmiatrix bonorum, arbitra rerum, Juſtitiæ filia, ex abditâ quadam æternitate, terrena omnia deſpectans. Pinnas ei tribuerunt antiqui, item gubernaculum, & rotam, ut ſummâ velocitate eam ſingulis adeſſe, cunctaque ejus numine regi, ſignificarent. Martianus Nemeſin putat eandem eſſe ac Fortunam.

9. *Æthiopes.*] Orientales intellige. Videtur hîc Apuleius ex priſcorum ſententiâ loqui, qui, teſte Strabone lib. 1. Geograph. Æthiopiam vocabant regiones omnes illas Meridionali Oceano adjacentes ab ortu hiberno ad hibernum occaſum, quales ſunt Mogoli Imperium, Perſis, Arabia, & ea, quam Æthiopiam nunc dicimus, cum Mauritaniæ parte: ita ut ſinus Arabicus Orientalem Æthiopiam, ſecundum mentem veterum, dirimat ab Occidentali. Eodem modo regiones omnes Septentrionales Scythiæ nomine à veteribus fuiſſe appellatas, idem Strabo refert. Ad veterem il-

[1] Ariique, [2] priſcâque doctrinâ pollentes Ægyptii, cærimoniis me prorſùs propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Iſidem. Aſſum tuos miſerata caſus, aſſum favens & propitia. Mitte jam fletus, & lamentationes omitte: depelle mœrorem. Jam tibi providentiâ meâ illuceſcet dies ſalutaris. Ergo igitur imperiis iſtis meis animum intende ſollicitum. Diem, qui dies ex iſtâ nocte naſcetur, æterna mihi nuncupavit religio quo ſedatis hybernis tempeſtatibus, & lenitis maris procelloſis fluctibus, [3] navigabili jam pelago, [4] rudem dedicantes carinam, [5] primitias commeatus libant mei ſacerdotes. Id ſacrum, nec ſollicitâ, nec profanâ mente debebis operiri. Nam meo monitu ſacerdos, in ipſo procinctu pompæ, roſeam manu dextrâ ſiſtro cohærentem geſtabit coronam. Incontanter ergo, dimotis turbulis, alacer

INTERPRETATIO.

rientis, Ariique, & Ægyptii periti doctrinæ antiquæ, nominant me vero meo *nomine Reginam Iſidem, colentes* me *ritibus planè propriis. Ecce me affectam miſeratione tuarum calamitatum, ecce me tibi benevolam, & propitiam. Miſſas nunc facito lacrymas, & lamenta: abige triſtitiam. Mox dies ſalutaris elucebit tibi meâ providentiâ. Præbe igitur animum attentum his meis mandatis. Perpetuo cultu conſecratus eſt mihi dies, qui orietur poſt hanc noctem: quo* die *mei Sacerdotes mihi offerunt primitias navigationis, dedicantes* mihi *novam navem, cùm jam procellæ hyemales pacatæ ſunt, & undæ tempeſtuoſæ pelagi ſunt compoſitæ, ipſumque mare jam* factum eſt *navigabile. Debebis expectare illud ſacrum animo neque anxio, neque irreligioſo. Sacerdos enim admonitus à me, feret coronam roſeam in manu dextrâ adhærentem ſiſtro in ipſo apparatu pompæ. Sequere igitur ſine morâ pompam diſ-*

NOTÆ.

Jam Æthiopiæ acceptionem & diviſionem r ſo x iſſe videtur Apuleius, & Æthiopum nomine intellexiſſe Indos.

1. *Ariique.*] Arianæ incolæ. Ariana autem ſecundum Eratoſthenem, referente & probante Strabone, lib. Geogr. 15. regio eſt, quæ, ab Oriente, Indo fluvio terminatur: ab Auſtro, mari magno: ab Aquilone, Paropamiſo, aliiſque Caucaſi rupibus uſque in Caſpias portas: ab Occidente iiſdem finibus, (vel montibus. ſcripti enim codices, ut ad marginem annotavit Caſaubonus, habent ὄρεσι, cùm vulgata editio præ ſe ferat ὅροις) quibus Parthia a Mediâ, Carmania a Parætacenâ & Perſide diſtinguitur.

2. *Priſcâque doctrinâ pollentes Ægyptii.*] Herodotus, lib. 2. num 121, & 160. ſapientiſſimos mortalium eos vocat. Vide quæ diximus lib. 1. pag. 61. ad hæc verba *Zachlas adeſt Ægyptius.*

3. *Navigabili jam pelago.*] Verno tempore, cùm jam elapſa eſt hyems, & ſedatæ tempeſtates. *Ver* (ait Plinius) *aperit navigantibus maria, quæ hiberno tempore hyemant, & ſævitiâ tempeſtatum concluduntur.*

4. *Rudem dedicantes carinam.*] Novam, & mare nondum expertam. Fortaſſis hæc navis dedicabatur à Corinthus in Iſidis memoriam, quam navigio in Ægyptum vectam eſſe conſtat, non autem tranaviſſe. Hoc ſacrum tangit Lactantius lib 1. his verbis *Certus ates habetur in feſtis, in quo Iſidis navigium celebratur.*

5. *Primitias commeatûs.*] Navigationis. Sic Cæſar: *Duobus commeatibus exercitum reportare conſtituit.* Aliàs *commeatus* ſumitur pro frumento, aliiſque cibariis, quæ in caſtra ad milites comportantur, item & pro abeundi veniâ, *congé.*

continuare pompam, meâ volentiâ fretus: & de proximo clementer, velut manum ſacerdotis oſculabundus, roſis decerptis, peſſimæ mihique deteſtabilis jamdudum belluæ iſtius corio te protinus exue. Nec quidquam rerum mearum reformides, ut arduum. Nam hoc eodem momento, quo tibi venio, ſimul & ibi præſens, quæ ſunt conſequentia ſacerdoti meo per quietem facienda præcipio. Meo juſſu tibi conſtricti comitatus decedent populi. Nec inter hilares cærimonias, & feſtiva ſpectacula, quiſquam deformem iſtam, quam geris, faciem perhorreſcet: vel figuram tuam repentè mutatam, [1] ſequiùs interpretatus aliquis, malignè criminabitur. Planè memineris, & penitâ mente conditum ſemper tenebis, mihi reliqua vitæ tuæ curricula, adusque terminos ultimi ſpiritûs vadata. Nec injurium, cujus beneficio redieris ad homines, ei totum debere quod vives. Vives autem beatus, vives in meâ tutelâ glorioſus: & cùm ſpatium ſæculi tui permenſus ad inferos demeâris; [2] ibi quoque in ipſo ſubterraneo ſemirotundo, me, quam vides, Acherontis tenebris interlucentem, Stygiiſque penetralibus regnantem, [3] campos Elyſios incolens ipſe, tibi propitiam frequens adorabis. Quod ſi ſedulis obſequiis & religioſis miniſteriis, & tenacibus caſtimoniis numen noſtrum promerueris;

INTERPRETATIO.

pulſis turbis, confiſus meâ benevolentiâ: & cùm ad Sacerdotem acceſſeris, decerpe roſas leniter, quaſi volens oſculari manum ejus, *ac protinus exue pellem peſſimæ iſtius belluæ, & mihi jam pridem odioſæ. Neque pertimeſcas quidquam mearum rerum tanquam difficile. Nam hoc ipſo puncto temporis, quo ad te venio, ſimul etiam illic præſens, impero meo ſacerdoti per ſomnum, ea, quæ debet facere poſthac. Denſæ turbæ populi dabunt tibi ſpatium ad tranſeundum, meo juſſu. Et per læta* illa *ſacra, & feſtiva ſpectacula, nemo odio habebit turpem iſtam formam, quam geris: neque quiſquam* te *malignè accuſabit, explicans in deteriorem partem ſubitam mutationem tuæ formæ. Memento tantùm, & habe ſemper repoſitum in intimis præcordiis, reliquum vitæ tuæ curſum mihi eſſe obſtrictum ad extremum uſque ſpiritum. Neque iniquum eſt te debere totam tuam vitam ei* Deæ, *cujus ope reverſus fueris inter homines. Porrò vives felix, vives glorioſus ſub meâ protectione: & cùm, peracto ævi tui tempore, deſcenderis ad inferos; ibi etiam in ipſo hemiſphærio ſubterraneo, tu ipſe, habitans in campis Elyſiis, me, quam* nunc *cernis, ſæpè veneraberis fulgentem inter tenebras Averni, & regnantem in ſecretioribus* uſque *Inferni locis,* ac *tibi faventem. Quod ſi tibi devinxeris meam gratiam* tuis *accuratis obſequiis, & miniſteriis religioſis, & caſtitate invio-*

NOTÆ.

1. *Sequiùs interpretatus.*] Quaſi tu ſis magus, magiciſque artibus te in aſinum mutaveris ad aliqua flagitia perpetranda.

2. *In ipſo ſubterraneo ſemirotundo.*] In hemiſphærio inferiori, in quo habitant Antipodes, quodque Inferis aſſignabatur ab antiquis.

3. *Campos Elyſios.*] Ηλύσιον πεδίον Græcis, ἀπὸ τῆς λύσεως, à ſolutione curarum.

ſcies [1] ultra ſtatuta Fato tuo ſpatia vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere. Sic oraculi venerabilis fine prolato, [2] numen invictum in ſe receſſit. Nec mora, cùm ſomno protinus abſolutus, pavore, & gaudio, ac dein ſudore nimio permixtus exſurgo: ſummeque miratus Deæ potentis tam claram præſentiam, marino rore reſperſus, magniſque imperiis ejus intentus, monitionis ejus ordinem recolebam. Nec mora, cùm, noctis atræ fugato nubilo, Sol exſurgit aureus: & ecce, diſcurſu religioſo, ac prorſus triumphali, turbulæ complent totas plateas. Tantâque hilaritudine præter peculiarem meam geſtire mihi cuncta videbantur; ut pecua etiam cujuſcemodi, & totas domos, & ipſum diem ſerenâ facie gaudere ſentirem. nam & pruinam pridianam dies apricus ac placidus repentè fuerat inſecutus: [3] ut canoræ etiam aviculæ, prolectante verno vapore, concentus ſuaves adſonarent: matrem ſiderum, [4] parentem temporum, orbiſque totius do-

INTERPRETATIO.

labili; noveris me ſolam poſſe quoque tibi extendere vitam ultra tempus decretum tuis fatis. Sic finito venerando oraculo, potentiſſima Dea recondidit ſe in ſeipſam. Statimque ego expergefactus ſurgo correptus timore, & lætitiâ, ac deinde multo ſudore: & maximè admirans tam manifeſtam præſentiam Deæ potentis. abluo me aquâ maris, & attendens ad magna ejus juſſa, revolvebam animo *ſeriem mandatorum ejus. Et paulò pòſt Sol aureus exoritur, diſcuſſâ caligine noctis obſcuræ, continuoque turbæ* popu'i *implent omnes vias inceſſu religioſo, ac penitùs triumphali. Et omnia mihi videbantur exultare tantâ lætitiâ præter eam, quam ego* apud me *peculiariter ſentiebam, ut exiſtimarem pecora etiam omnis generis, & omnes domos, ipſumque diem lætari vultu ſereno. Dies enim clarus & tranquillus exceperat ſubito gelu diei præcedentis: ita ut aves etiam vocales ederent dulces concentus, tepore veris* eas *invitante: ſuavibus* ſuis *cantibus abblandientes matri ſtellarum, parenti*

NOTÆ.

1. *Ultra ſtatuta fato tuo ſpatia, &c.*] Infrà in Oratione ad eandem Iſidem: *Et depulſis vitæ procellis, ſalutarem porrigas dexteram, quâ fatorum etiam inexplicabiliter contorta retractas licia,* &c.

2. *Numen invictum in ſe receſſit.*] Cùm enim hæc Dea ſit *rerum naturæ parens*, ut ſuprà dixit, nuſquam poterat recedere niſi in ſeipſam. Ovidius, lib. Metamorphoſ. 1. de Tellure.

——— ——— ——— Suumque
Rettulit os in ſe. ——— ———

3. *Ut canoræ etiam aviculæ, &c. matrem ſiderum, &c blando mulcentes affamine.*] Lucret. lib. 1. de rerum Naturâ. ad Venerem, quæ hîc Iſis eſt:

Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli,
Adventumque tuum: tibi ſuaveis Dædala tellus
Summittis flores: tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet, diffuſo lumine, cœlum.
Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei,
Et reſerata viget genitabilis aura FavonI:
Aëriæ primùm volucres te, Diva, tuumque
Significant initum perculſæ corda tuâ vi, &c.

4. *Parentem temporum.*] At ſupra ſe vocat ipſa Iſis *ſæculorum progeniem initialem*, quod ſanè primogenitam filiam

minam blandò mulcentes affamine. Quid? quòd arbores etiam, quæ pomiferâ ſobole fœcundæ, quæque earum tantùm umbrâ contentæ, & ſteriles, auſtrinis laxatæ flatibus, germine foliorum renidentes, clementi motu brachiorum dulces ſtrepitus obſibilabant. magnoque procellarum ſedato fragore, ac turbido fluctuum tumore poſito, mare quietas alluvies temperabat: cœlum autem, nubiloſâ caligine diſjectâ, nudo ſudoque luminis proprii ſplendore candebat. Ecce pompæ magnæ paulatim procedunt anteludia, votivis cujuſque ſtudiis exornata pulcherrimè. Hic incinctus baltheo militem gerebat; illum ſuccinctum chlamyde [1] copides & venabula venatorem fecerant. alius [2] ſoccis obauratis, indutus ſericâ veſte, mundoque pretioſo, & adtextis capite crinibus, inceſſu perfluo fœminam mentiebatur. porrò alium ocreis, ſcuto, galeâ, ferroque inſignem, è ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille deerat, qui magiſtratum faſcibus purpurâque luderet: nec qui [3] pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philoſophum fingeret: nec qui, diverſis harundinibus, alter aucupem cum viſco, alter piſcatorem cum hamo induceret. Vidi & urſam

INTERPRETATIO.

ſæculorum, & dominæ univerſi mundi. Quid? quòd ipſæ etiam arbores, tum *quæ ferunt poma, tum quæ ex illis ſteriles* ſunt, *& tantum umbram fundunt, reſolutæ flatibus Noti, lætæ germine frondium, obſtrepunt jucundis ſibilis leni agitatione ramorum. & mare,* jam *pacato ingenti murmure tempeſtatum, & depreſsâ turbulenta tumiditate undarum, leniter alluebat* littus: *cœlum verò nitebat claro & ſereno fulgore ſuæ lucis, fugatâ obſcuritate nubium. Tunc præludia magnæ pompæ ſenſim progrediuntur, ornata decentiſſimè ſecundum vota & ſtudia uniuſcujuſque. Hic cinctus baltheo repræſentabat militem; ille indutus chlamyde, & geſtans copides, & ſpicula, ornatus erat in morem venatoris. alius* calceatus *ſoccis deauratis, amictus veſte ſericâ, & pretioſo ornatu mulicbri, & affixis capillis capiti, ſimulabat mulierem greſſu molli. alius autem ſpectabilis erat ocreis, clypeo, caſſide & gladio, &* eum *diceres exire è ſcholâ gladiatoriâ.* Erat quoque *qui magiſtratum referret faſcibus* virgarum *&* veſte *purpuratâ: & qui repræſentaret philoſophum pallio, baculo, & crepidis, ac barbâ caprinâ.* Erant *quoque qui cum diſſimilibus arundinibus repræſentarent, hic aucupem cum viſco, ille piſcatorem cum hamo. Vidi etiam urſam cicurem, quæ*

NOTÆ.

temporum, non autem matrem videtur ſignificare. niſi *progeniem*, quæ vox vulgò paſſivè ſumitur pro eo quod gignitur, activè eo loco ſumamus pro eo quod gignit.

1. *Copides.*] Gladii venatorii. Q. Curtius lib. 8. *Copides vocant gladios leniter curvatos, falcibus ſimiles, quibus appetebant belluarum manus*, id eſt, elephantorum proboſcides. Suidæ κοπὶς *machæra* eſt. Pollux verò κοπίδα accenſet culinario inſtrumento. Noſter hîc ornatus varios recenſet, quibus perſonati hiſtriones ludicra pompæ præludia obibant.

2. *Soccis obauratis.*] Soccos hîc accipe pro fœminarum calceamentis. Aliàs ſunt calcei Comœdorum.

3. *Pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio.*] Ornatus Philoſophorum deſcribitur, maximèque Cynicorum, quibus pallium, pera, & ſacculus erat omnis ſupellex.

manſuem-

[1] manſuem, quæ, cultu matronali, ſellâ vehebatur: & ſimiam pileo textili, [2] crocotiſque Phrygiis, [3] catamiti paſtoris ſpecie, aureum geſtantem poculum: & aſinum pinnis adglutinatis adambulantem cuidam ſeni debili: ut illum quidem Bellerophontem, hunc autem diceres Pegaſum; tamen rideres utrumque. Inter has oblectationes ludicras popularium, quæ paſſim vagabantur, jam ſoſpitatricis Deæ peculiaris pompa moliebatur. Mulieres candido ſplendentes amicimine, vario lætantes geſtamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, quâ ſacer incedebat comitatus, ſolum ſternebant floſculis: [4] aliæ, quæ nitentibus ſpeculis pone tergum reverſis, venienti Deæ obvium commonſtrarent obſequium: & quæ pectines eburneos ferentes [5] geſtu brachiorum, flexuque digitorum, ornatum atque oppexum crinium regalium fingerent: illæ etiam, quæ cæteris unguentis, & geniali balſamo guttatim excuſſo, conſpergebant plateas. Magnus prætereà ſexûs utriuſque numerus, lucernis, tædis, cereis, & [6] alio genere ficti lumi-

INTERPRETATIO.

geſtabatur in ſellâ, ornatu matronæ: & ſimiam indutam *pileo textili, & veſte Phrygiâ crocei coloris, ferentem calicem aureum ſub formâ Ganymedis paſtoris. & aſinum, cui alæ erant affixæ, incedentem juxta quendam ſenem infirmum:* ita *ut diceres hunc quidem* eſſe *Bellerophontem, illum verò Pegaſum; & tamen ambos derideres. Inter hujuſmodi ridicula oblectamenta plebis, quæ huc illuc diſcurrebant, jam pompa ſingularis Deæ conſervatricis progrediebatur. Mulieres nitentes amictu albo, exultantes variis geſtibus, ornatæ coronis* intextis *floribus vernis, quæ ſpargebant humum floribus* eductis *è ſuo gremio, per iter, quo ſacra turba incedebat: aliæ* erant, *quæ, poſitis poſt tergum ſuum ſpeculis, oſtendebant Deæ* turbam *illam obſequioſam*, quaſi veniret ipſi *obviam:* erant *etiam quæ geſtantes pectines eburneos, imitabantur ornatum, & pectinationem comarum regiarum motu brachiorum, & inflexione digitorum: aliæ quoque* erant, *quæ conſpergebant vias balſamo ſuavi, quod excutiebant ſtillatim, & aliis unguentis. Præterea ingens erat multitudo virorum, ac mulierum, qui ſupplicabant* Deæ *filiæ aſtrorum cœleſtium, lucernis, tædis, cereis, & alio*

NOTÆ.

1. *Manſuem.*] Antiquè pro *manſuetam.* Feſtus ex Catone, & ex Varrone Nonius.

2. *Crocotiſque Phrygiis.*] *Crocotæ*, & per diminutionem *crocotulæ*, ſunt veſtes crocei coloris, quarum infectores dicuntur *infectores crocotarii* Plauto in Aulularia.

3. *Catamiti paſtoris ſpecie.*] Vide lib. 1. Notas, pag. 20.

4. *Aliæ, quæ nitentibus ſpeculis, &c. venienti Deæ obvium commonſtrarent obſequium.*] Hoc ſic fiebat. Mulieres ſpecula pone tergum geſtantes priores incedebant, in quibus ſpeculis tota ſubſequentium pompa cernebatur, vultibus ad Deam converſis: ita ut qui ante eam reverà incedebant, obviàm ipſi venire in illis ſpeculis viderentur.

5. *Geſtu brachiorum, &c.*] Seneca lib. contra ſuperſtitiones: *Sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos diſpenant: longè à templo, non tantùm à ſimulachro ſtantes, digitos movent ornantium modo. ſunt quæ ſpeculum teneant, &c.*

6. *Alio genere ficti luminis, ſiderum cœleſtium ſtirpem, &c.*] Per fictum lumen intellige artificiale, quale eſt cereorum, tædarum, &c. quod

nis, ſiderum cœleſtium ſtirpem propitiantes. Symphoniæ dehinc ſuaves, fiſtulæque modulis dulciſſimis perſonabant. Eas amœnus lectiſſimæ juventutis, veſte niveâ, & [1] catacliſtâ prænitens ſequebatur chorus, carmen venuſtum iterantes: quod Camœnarum favore ſolers poëta modulatus, edixerat, quod argumentum referebat. [2] Inter majorum antecantamenta votorum ibant & dicati [3] magno Serapi tibicines:

INTERPRETATIO.

genere lucis artificialis. Deinde dulces concentus reſonabant ſuaviſſimis modulationibus fiſtularum, & tibiarum. Pulcher chorus exquiſitiſſimorum juvenum ſplendentium veſte albâ, & undique clauſâ, eas ſequebatur, canens ſæpiùs lepidum carmen, quod poëta ingenioſus muſarum ope compoſuerat, quod explicabat argumentum pompæ. *Inter cantica pravia majorum votorum ibant etiam tibicines conſecrati magno*

NOTÆ.

diverſum facit à naturali, id eſt, ſolis & ſiderum. Porrò quemadmodum lib. 4. dicit de Pſyche, quam, ut novam Venerem colebant homines: *vel certè rurſùm novo cœleſtium ſtellarum germine, non maria, ſed te ras Venerem aliam virginali flore præditam pullulâſſe.* Quia fabulantur Venerem ex cœli genitalibus præciſis, & in mare projectis, natam fuiſſe: ita hîc Iſidem (quæ eadem Venus eſt) ſiderum cœleſtium ſtirpem appellat.

1. *Et catacliſta.*] Beroaldus exponit catacliſtam *veſtem undique clauſam* κατακλειστόν, à Græco verbo κατακλείω, quod eſt *claudo.* Vel, ex mente aliorum, *veſtem mutilam, & ſine manicis*, quæ & *colobium* dicitur. Colvius *catacliſta* fortaſſe legendum ait, firmatque conjecturam ſuam hoc Tertulliani loco, in de Pallio: *Quanquam & pavo pluma veſtis, & quidem de cataclitis.* Nec tamen definit quid ſit *cataclita*, ſicut nec qui poſt Colvium ſcripſit Elmenhorſtius. Malim primæ expoſitioni ſtare.

2. *Interim majorum antecantamina votorum. Ibant & &c.* Alia exemplaria habent *antecantamenta*, ſed idem eſt. Locus hic corruptus eſt procuidubio. Rectè mihi videtur eum emendaviſſe Stevvechius. cum ipſo igitur repono *Inter majorum antecantamenta* (vel *antecantamina*) *votorum ibant & dicati magno Serapi, &c.* Sublatâ interpunctione, quæ vulgò ponitur inter has voces *votorum*, & *ibant*, quo facto, ſenſus eſt apertus. Per *antecantamina* quid intelligas aliud, niſi carmen illud, quod à choro canebatur? Quid per *majora vota*, niſi ea vota, quæ poſteà Deæ nuncupata ſunt, pro novi commeatûs proſperâ navigatione, cùm novum navigium pelago redditum eſt? ut infrà dicet.

3. *Magno Serapi.*] *Serapis* vocatus etiam fuit Apis, & Oſiris, & a Perſis Mithra, qui Sol erat Ægyptiis, ut teſtatur Macrobius, lib. 1. Saturnal. c. 20. ſuprà laudato. Verba ejus ſunt: *Accipe nunc quid de Sole vel Serapi pronuntietur oraculo. Nam Serapis, quem Ægyptii Deum maximum prodiderunt, oratus à Nicocreonte Cypriorum rege, quis Deorum haberetur, his verſibus ſollicitam relligionem regis inſtruxit:*

Εἰμὶ θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷόν κ' ἐγὼ εἴπω.
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται:
Ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ex his apparet Serapis, & Solis unam & individuam eſſe naturam. hactenus Macrobius Sed tamen, ex relatis ab ipſo oraculi verſibus, Serapis videtur fuiſſe non tantum ſol, ſed tota rerum omnium univerſitas Eorum enim ſenſum ſic latinè reddas: *Deus ſum talis cognitu, qualem me dico eſſe. Mundus cœleſtis mihi caput eſt, mare autem*

qui [1] per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram, familiarem templi Deique modulum frequentabant: & [2] præciæ, qui facilem ſacris viam dari prædicarent. Tunc influunt turbæ ſacris divinis initiatæ, viri fœminæque omnis dignitatis, & omnis ætatis, linteæ veſtis candore puro luminoſi: illæ limpido tegmine crines madidos obvolutæ; [3] hi capillum deraſi funditus, vertice prænitentes: [4] magnæ religionis terrena ſidera, æreis & argenteis, immò verò aureis etiam ſiſtris argutum tinnitum conſtrepentes. Sed antiſtites ſacrorum, pro-

INTERPRETATIO.

Serapi, qui canebant modulationem conſuetam Dei illius *&* ejus *templi, tibiâ obliquâ extenſâ ad aurem dexteram.* Erant *accenſi, qui clamabant, ut daretur iter commodum ſacris. Tunc turbæ initiatæ ſacris Deæ incedunt, viri & mulieres omnis gradûs atque omnis ætatis, micantes nitido candore lintei veſtimenti: hæ* habebant *capillos unctos, involutos tegmine pellucido; illi erant crinibus penitùs raſis, & capite ſplendicanti,* & illa *aſtra terreſtria magnæ religionis edebant ſonitum acutum ſiſtris æneis, & argenteis, atque etiam aureis. At primarii illi* viri, *præſules ſa-*

NOTÆ.

venter, terra verò pedes. at aures meæ ſunt in æthere, & oculus meus latè lucidus eſt clarum jubar ſolis. Diodorus, Euſebius, & alii multi aiunt Solem quidem Oſirim, Lunam verò Iſin ſignificare. *Hinc* (inquit Macrob. lib. 1. cap. 21) *Oſirin Ægyptii, ut Solem eſſe aſſerant, quoties hieroglyphicis litteris ſuis exprimere volunt, inſculpunt ſceptrum: inque eo ſpeciem oculi exprimunt, & hoc ſigno Oſirin monſtrant; ſignificantes hunc Deum Solem eſſe, regalique poteſtate ſublimem cuncta deſpicere.* Quidam tamen Oſirin eſſe Jovem dixerunt, quibus aſſentiri videtur noſter infrà, alii Nili Genium. Sed hæc de Oſiri ſatis ſint. nunquam profectò finem ſcribendi fecerim, ſi omnes Ægyptiorum de Oſiri, & Iſide Fabulas perſequi velim.

1. *Per obliquum calamum.*] Tales ſunt fiſtulæ, quas Germanicas dicimus, quæ non extremâ ſui parte ori admoventur, ſed foramen habent ad latus, ad quod tibicen os admovet.

2. *Et præciæ.*] Vulgò *plerique* legitur. ſed abſurdum pleroſque illius pompæ clamaviſſe, ut facilis via ſacris daretur: cùm illud paucorum munus eſſe debuerit. Sic tamen MSs. & editiones omnes. Douſa legebat *præciæ*, cui acceſſerunt editiones Scriveriana & Elmenhorſtiana. Ego quoque libens accedo. Sic enim Feſtus: *Præcias dicebant, qui à Flaminibus præmittebantur, ut denunciarent opificibus, manus abſtinere ab opere: ne, ſi vidiſſet ſacerdos facientem opus, ſacra pollucrentur.* Idem Feſtus eos *Præciamitatores* vocat: vel potiùs (ut habet Paulus Diaconus) *Præclamitatores.* Ego *accenſos* expoſui in interpretatione. hi tamen ab *acciendo* dicti ſunt, teſte Varrone, illi verò, ut ipſum vocabulum præ ſe fert, à *præciendo.*

3. *Hi capillum deraſi funditùs, vertice prænitentes.*] Iſiacos raſiſſe verticem, & lineis veſtibus fuiſſe amictos jam obſervavimus, lib. 2. ubi de Zachlâ Ægyptio. Dicit autem eos *vertice prænitentes* fuiſſe, quia nimirùm glabri erant, neque capillorum color nativam verticis albedinem obtegebat. Sic Valerius Maximus de Æſchylo poëta: *Eluſa* (aquila) *ſplendore capitis* (*erat enim capillis vacuum*) *perinde atque lapidi illiſit* (teſtam ſcilicet teſtudinis.)

4. *Magnæ religionis terrena ſidera.*] Sic Iſiacos honoris & religionis causâ vocat.

ceres illi, qui candido linteamine [1] cinctum pectorale aduſque veſtigia ſtrictim injecti, potentiſſimorum Deûm proferebant [2] inſignes exuvias. Quorum primus [3] lucernam præmicantem claro porrigebat lumine, non adeò noſtris illis conſimilem, quæ veſpertinas illuminant epulas: ſed aureum cymbium medio ſui patore flammulam ſuſcitans largiorem. Secundus, veſtitu quidem ſimilis, ſed manibus ambabus gerebat [4] altaria (id eſt, auxilia;) quibus nomen dedit proprium Deæ ſummatis auxiliaris providentia. Ibat tertius attollens [5] palmam auro ſubtiliter foliatam, necnon Mercurialem etiam caduceum. Quartus Æquitatis oſtendebat indicium, deformatam manum ſiniſtram porrectâ palmulâ: quæ genuinâ pigritiâ, nullâ calliditate, nullâ ſolertiâ prædita, videbatur æquitati magis aptior, quàm dextera. Idem gerebat aureum vaſculum, [6] in modum papillæ rotundatum, de quo [7] lacte libabat. Quintus [8] auream vannum aureis congeſtam ramulis;

INTERPRETATIO.

erorum, qui induti erant ſtrictâ veſte pectorali ex lino albo, pendente *uſque ad imos pedes, geſtabant inclyta ſpolia Deorum potentiſſimorum. Atque horum primus oſtendebat lampadem præfulgentem claro lumine, non ſimilem illis noſtris, quæ lucent in nocturnis conviviis; ſed* erat *aureum ſcaphium,* quod *emittebat flammam ſatis magnam ex mediâ aperturâ. Secundus erat quidem veſtitus eodem modo, ſed ferebat utrâque manu aras (hoc eſt, auxilia,) quibus providentia opitulatrix ſupremæ Deæ impoſuit hoc primum nomen. Tertius incedebat ſuſtollens palmam auream, cujus folia ſolerter ducta erant, atque unà caduceum Mercurii. Quartus oſtendebat ſymbolum juſtitiæ, manum* nempè *ſiniſtram effictam* cum *expansâ volâ: quæ videbatur magis conveniens juſtitiæ, quàm dextra; quia nempe à naturâ pigra eſt, & caret omni induſtriâ. Idem geſtabat etiam vas aureum rotundum inſtar mammillæ, ex quo effundebat lac. Quintus ferebat vannum auream plenam ramulis aureis;*

NOTÆ.

1. *Cinctum pectorale.*] Veſtem lineam talarem intellige, quæ pectus arctè circumdaret.

2. *Inſignes exuvias.*] Symbola peculiaria Deorum.

3. *Lucernam præmicantem.*] Hæc vel ſymbolum erat Vulcani, ignis inventoris, quem primùm in Ægypto regnâſſe affirmant Ægyptii ſacerdotes: vel ſymbolum Oſiridis, qui Sol eſt, & rectè per ardentem lucernam repræſentatur.

4. *Altaria, id eſt, auxilia.*] Altaria hæc ſymbola erant auxilii Iſidis: unde etiam *auxilia* appellata fuiſſe noſter ait.

5. *Palmam auro ſubtiliter foliatam.*] Symbolum victoriæ, & argumentum palmiferæ regionis. magna enim palmarum in Ægypto eſt copia.

6. *In modum papillæ rotundatum.*] Vas illud ſymbolum erat ubertatis naturæ (quæ, ut jam dixi, Iſis eſt) aut etiam Niloticæ fœcunditatis.

7. *Lacte libabat.*] *Lacte* accuſativus caſus eſt. A veteri recto *lacte* de quo jam pag 251.

8. *Auream vannum.*] Virg. Georg.
——— *Et myſticà vannus Iacchi.*
Hæc vannus ſignificabat ſacris Liberi patris (qui & Oſiris eſt, omnia maſculina numina in ſe complectens) animos hominum purgari, quemadmodum vannis frumenta purgantur. Poteſt etiam hæc vannus ad illam fabulam pertinere, quâ ferunt dilaniati Oſiridis membra, ab Iſide poſt diutinam inveſtigationem reperta, vanno ſeu cribro fuiſſe ſuperpoſita. Vide Plutarchum, de Iſide & Oſiride.

& alius ferebat [1] amphoram. Nec mora, cùm [2] Dei, dignati pedibus humanis incedere, prodeunt; hic horrendùm [3] attollens canis cervices arduas; [4] ille Superûm commeator & Inferûm, nunc atrâ, nunc aureâ facie ſublimis, lævâ caduceum gerens, dextrâ palmam virentem quatiens. cujus veſtigium continuò ſequebatur bos, in erectum levata ſtatum. [5] Erat ea bos, omniparentis Deæ fœcundum ſimulachrum: quod, reſidens humeris ſuis, proferebat unus è miniſterio beato, greſſu geſtuoſo. Ferebatur ab alio [6] ciſta ſecretorum capax, penitùs celans

INTERPRETATIO.

& alius amphoram. Et poſt hos *ſtatim Dii progrediuntur, non dedignantes incedere pedibus hominum; hic horrendo modo extollens altum caput caninum; ille nuntius Superorum & Inferorum, erectum habens vultum partim nigrum, partim aureum, geſtans* manu *ſiniſtrâ caduceum, & concutiens manu dextrâ palmam viridem. cujus greſſibus bos erecta in pedes mox inſiſtebat. Illa bos erat effigies fœcunda Deæ omnium rerum matris, quam unus è ſacro famulitio geſtabat impoſitam ſuis humeris, geſticulans inter incedendum. Alius ferebat caniſtrum, quod continebat arcana, & tegebat* ſacra *admiranda reli-*

NOTÆ.

1. *Amphoram.*] Amphora hæc fortaſſe ſymbolum fuerit augmentorum Nili, & ejus exundationis in Ægyptios agros.

2. *Dei dignati pedibus humanis incedere.*] Intellige Deorum effigies ab Iſiacis ſacerdotibus geſtatas, non autem homines Deorum habitu incedentes, ut Beroaldus, qui ſanè non reſpexit ad hunc Apuleii locum, lib. 4 *Conſequi veſtigio me pedibus fugientium alienis*, ubi ſermo eſt de puellâ raptâ, atque aſportatâ latronum humeris.

3. *Attollens canis cervices arduas.*] Hic erat Anubidis ſimulachrum. Ovidius *Latratorem* eum vocat lib. 9. Memorphoſ.

Inachis ante thorum pompâ comitata ſacrorum
Aut ſtetit, aut viſa eſt. inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus: cum quâ Latrator Anubis, &c.

Item Virgilius, Æneid 8.

Omnigenûmque Deûm monſtra, & latrator Anubis.

Hunc Oſiridis & Nephthyos filium è furtivo concubitu facit Plutarchus, cumque ait apud Ægyptios eam obtinere vim, quam apud Græcos obtinet Hecate, numen ſcilicet terreſtre & cœleſte. Sed vide plura apud eumdem Plutarchum ſuprà laudato opuſculo, de Iſide & Oſiride.

4. *Ille Superûm commeator & Inferûm.*] Mercurius, qui eam ob rem ab Ægyptiis fingebatur facie partim atrâ ſeu cærulæâ partim aureâ & clarâ, ut per atrum colorem inferorum commeator, per aureum verò ſuperorum nuntius declararetur.

5. *Erat ea bos omniparentis Deæ, &c.*] Iſidis, quæ priùs Io fuit, mutataque in bovem, cui Argus præpoſitus cuſtos, deindeque, cùm in Ægyptum tranáſſet, humanæ formæ reſtituta, ſub Iſidis nomine adorata eſt. Potuit nihilominus eſſe ſimulachrum Apis, ſeu Oſiridis, quem ſub bovis figura venerabantur. quin & vivum bovem Apim habebant, quibuſdam notis diſtinctum, quem, poſt certos vitæ annos, in ſacerdotum fonte merſum necabant, quæſituri cum luctu ac mœrore alium, quem ei ſubſtituerent. De Api bove, vide Plin. lib. 8. cap 46.

6. *Ciſta ſecretorum capax.*] Hæc ciſta ſacra occultabat Cereris, quæ & Iſis eſt. Suprà lib. 6. Pſyche Cererem orat *per tacita ſacra ciſtarum*. ad quem locum vide quæ annotavimus pag. 174.

operta magnificæ religionis. Gerebat alius felici ſuo gremio [1] ſummi numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipſius conſimilem; ſed ſolerti repertu, etiam ipſâ novitate reverendam, altioris utcumque & magno ſilentio tegendæ religionis argumentum ineffabile; ſed & ad iſtum planè modum, fulgente auro figurata [2] Urnula faberrimè cavata, fundo quàm rotundo, miris extrinſecùs [3] ſimulachris Ægyptiorum effigiata, ejus orificium non altiuſculè levatum, in canalem porrectum, longo rivulo prominebat. ex aliâ verò parte multùm recedens ſpatioſâ dilatione, adhærebat anſa: quam contorto nodulo ſuperſedebat aſpis, ſquameæ cervicis ſtriato tumore ſublimis. Et ecce præſentiſſimi numinis promiſſa nobis accedunt beneficia, & fata: ſalutemque ipſam meam gerens ſacerdos appropinquat, ad ipſum præſcriptum divinæ promiſſionis ornatum: dextrâ proferens ſiſtrum Deæ, [4] mihi coronam; & coronam hercules conſequenter: quòd tot ac tantis exantlatis laboribus, tot

INTERPRETATIO.

gionis interiùs abſcondita. Alius portabat in ſuo beato gremio reverendum ſimulachrum ſupremi Dei, quod non erat ſimile pecudi, neque volucri, neque feræ, ac ne homini quidem; ſed venerandum ſubtili ſuâ *inventione, & novitate*, quod *certè* erat *argumentum* omni *ſermone majus religionis ſublimioris, & celandæ magnâ taciturnitate: ſed erat* hæc effigies *hoc prorſus modo formata:* erat *parva urna ex auro ſplendente, ſolertiſſimè excavata, fundo rotundiſſimo, inſculpta exteriùs admirandis imaginibus Ægyptiorum. Os ejus non multùm elevatum porrigebatur longo rivulo in tubulum protenſum. Ex alterâ autem parte anſa adhærebat recedens* ab ipsâ urnâ *dilatatione amplâ: cui aſpis erigens collum ſquammeum, rugoſum, & tumidum, inſidebat, ipſam complectens uno* ſui corporis *volumine. Et ecce beneficia, & fata, quæ potentiſſima Dea mihi pollicita erat, appropinquant: & ſacerdos accedit portans meam ipſam ſalutem, prorsùs ornatus, ut* mihi *Dea promiſerat, geſtans* manu *dextrâ ſiſtrum Deæ, mihi* verò *coronam: & jure quidem coronam; quia maxima Dea providentiâ vincebam crudeliſſimam fortunam*

NOTÆ.

1. *Summi ſui numinis venerandam effigiem.*] Simulachrum aliquod Iſidis, aut Oſiridis, ſed μυστικώτερον, & arcani abſtruſioriſque ſignificatûs, qualis erat hæc urna, quam mox deſcribit, per quam fortaſſe exundationem Nili, fluentiamque omnium lacunarum ſignificabant, quam, ut maximum Ægypti bonum magno ſuo numini, Iſidi nempè, aut Oſiridi acceptam referebant.

2. *Urnula faberrimè cavata.*] Inſolita ſanè hæc erat numinis facies. ſed & Quintus Curtius tradit Jovis Ammonis effigiem umbilico ſimilem fuiſſe. Et Tacitus ſimulachrum Veneris Paphiæ non humanâ fuiſſe formâ, ſed orbem continuum latiore initio tenuem, in ambitum metæ modo exurgentem. Cujus rei rationem in obſcuro eſſe dicit.

3. *Simulachris Ægyptiorum.*] Characteribus, & hieroglyphicis.

4. *Mihi coronam, & coronam Hercules conſequenter, &c.*] Sic reponit Elmenhorſt: ex fide MSS *mihi coronam*, &c. coronam ex roſis quas ederem, quæ corona mihi verè erat, qui, poſt tot tantoſque exantlatos labores, totque pericula ſuperata, videbar tunc temporis ipſam Fortunam ſuperare adverſus me certantem.

emenſis periculis, Deæ maximæ providentiâ, adluctantem mihi ſæviſſimam Fortunam ſuperaram. Nec tamen, gaudio ſubitario commotus, inclementi me curſu proripui, verens ſcilicet ne repentino quadrupedis impetu, religionis quietus turbaretur ordo: ſed placido ac prorſus humano gradu contabundus, paulatim obliqnato corpore, ſanè divinitùs decedente populo, ſenſim irrepo. At ſacerdos, ut reapſe cognoſcere potui, nocturni commonefactus oraculi, miratuſque congruentiam mandati muneris, confeſtim reſtitit: & ultrò porrectâ dexterâ, ob os ipſum meum coronam exhibuit. Tunc ego trepidans, aſſiduo pulſu micanti corde, coronam, quæ roſis amœnis intexta fulgurabat, avido ore ſuſceptam, cupidus cupidiſſimè devoravi. nec me fefellit cœleſte promiſſum. Protinùs mihi delabitur deformis & ferina facies. ac primò quidem ſquallens pilus defluit; ac dehinc cutis craſſa tenuatur; venter obeſus reſidet; pedum plantæ per ungulas in digitos exeunt. manus non jam pedes ſunt, ſed in erecta porriguntur officia; cervix procera cohibetur: os & caput rotundatur; aures enormes repetunt parvitatem priſtinam; dentes ſaxei redeunt ad humanam minutiem: &, quæ me potiſſimùm cruciabat antè, cauda nuſquam comparuit. Populi mirantur, religioſi venerantur tam evidentem maximi numinis potentiam, & conſimilem nocturnis imaginibus magnificentiam, & facilitatem reformationis: claráque & conſonâ voce, cœlo manus attendentes, teſtantur tam illuſtre Deæ beneficium. At ego ſtupore nimio defixus, tacitus hærebam, animo meo tam repentinum tamque magnum non capiente gaudium: quid potiſſimùm præ-

INTERPRETATIO.

contra me pugnantem, poſt tot labores ſuperatos, & tot pericula evitata. Neque tamen cucurri curſu violento, quamvis *percitus eſſem repentinâ lætitiâ: timebam enim ne tranquilla ſeries ſacrorum turbaretur curſu ſubitario aſini: ſed paulatim me penetro greſſu quieto, ac penitùs humano, hæſitans,* & *obliquans tantillum corpus, cùm plebs mihi viam daret, nutu Deæ procul dubio. Sacerdos verò, (quemadmodum reverâ potui advertere) recordatus oraculi nocturni, & admirans convenientiam officii* ſibi *commiſſi, ſubſtitit ſtatim: & extendens manum ſponte ſuâ obtulit ipſi meo ori coronam. Tunc igitur ego tremens, corde ſaliente continuâ palpitatione, cœpi ore cupido coronam, quæ micabat, implexa roſis jucundis, & avidus voravi* ipſam *avidiſſimè. Nec promiſſio divina me decepit. turpis, & belluina forma ſtatim mihi excidit. & primùm quidem villi ſordidi mihi cadunt, poſteà craſſum corium attenuatur; lata alvus arctatur: plantæ pedum extenduntur in digitos per ungulas. Manus deſinunt eſſe pedes; ſed extenduntur, & eriguntur ad miniſteria* ſua*: collum longum breviatur; facies & caput contrahuntur in orbem; vaſtæ aures redeunt ad ſuam priorem brevitatem; dentes lapidei fiunt minutiores, & quales ſunt hominum; & cauda, quæ anteà me angebat maximè, prorsùs evanuit. Populi admirantur, pii adorant tam manifeſtam potentiam ſupremæ Deæ, & miraculum ſimile ſomniis nocturnis, & facilitatem* meæ *immutationis; & tendentes manus ad cœlum, prædicant voce clarâ & unanimi tam inſigne beneficium Deæ. Ego verò ſupra modum attonitus ſilebam, cùm non poſſim capere animo tantam, & tam ſubitam lætitiam.* dubitans *quid præſertim, ac primùm di-*

farer primatium, unde novæ vocis exordium caperem, quo ſermonem, tunc renatâ linguâ, feliciùs auſpicarer, quibus quantiſque verbis tantæ Deæ gratias agerem. Sed ſacerdos, utcunque divino monitu cognitis ab origine cunctis cladibus meis, quanquam & ipſe inſigni permotus miraculo, nutu ſignificato priùs, præcipit tegendo mihi linteam dari laciniam. Nam me cùm primùm nefando tegmine deſpoliaverat aſinus; compreſſis in arctum feminibus, & ſuperſtrictis accuratè manibus, quantum nudo licebat, velamento me naturali probè muniveram. Tunc è cohorte religionis unus, impigrè ſuperiorem exutus tunicam ſupertexit me celerrimè. Quo facto, ſacerdos vultu geniali, [1] & hercules in humano jam aſpectu meo attonitus, ſic effatur: MULTIS & variis exantlatis laboribus, magniſque Fortunæ tempeſtatibus, & maximis actus procellis, ad portum quietis & [2] aram Miſericordiæ tandem, Luci, veniſti. nec tibi natales, ac ne dignitas quidem, vel ipſa, quâ flores, uſquam doctrina profuit: ſed lubrico virentis ætatulæ, [3] ad ſerviles delapſus voluptates, curioſitatis improſperæ [4] ſiniſtrum præmium reportâſti. Sed utcunque Fortunæ

INTERPRETATIO.

cerem, unde ſumerem initium novi ſermonis, unde feliciùs auſpicarer orationem, linguâ jam mihi redditâ, quibus, & quàm magnificis verbis grates agerem tantæ Deæ. At ſacerdos, qui nempè monitione Deæ cognoverat omnes meas calamitates ab initio, quamvis ipſe quoque percitus eſſet illo *inſigni miraculo, ſigno antè per nutum facto, jubet dari mihi veſtem lineam ad me cooperiendum. Statim enim atque exutus fueram turpi velamine aſininæ* formæ, *pulcrè me contexeram tegmine naturali, quantùm nudus poteram, coarctatis coxis & manibus ſtudioſè ſuperinjectis. Tunc unus ex turbâ ſacerdotum exutâ promptè veſte ſuperiore, operuit me eâ velociſſimè. Quo facto, ſacerdos hilari facie, & certè ſtupens, quòd me videret jam eſſe humanâ formâ, ſic loquitur:* O LUCI, *veniſti tandem ad portum quietis, & aram Miſericordiæ, ſuperatis plurimis, & diverſis ærumnis, & jactatus magnis Fortunæ turbinibus, & maximis tempeſtatibus. neque nobilitas tui generis, ac ne dignitas quidem tua, aut ipſa ſcientia, quâ polles, ullo modo tibi profuit, ſed collapſus in libidinoſos amores ancillæ: propenſione viridis juventæ, retuliſti infauſtam mercedem tuæ infelicis curioſitatis. Verùm cæcitas*

NOTÆ.

1. *Et hercules in humano jam aſpectu meo attonitus.*] Ita excudatur ex fide & MS. Bert. & editione Scriverii. ſimiliter dixit lib. 4. *& in aſpectu alioquin attonitum.* Quod ſi legas, ut vulgatæ habent editiones, *perhumano in aſpectum meum attonitus*, interpunge poſt vocem *perhumano* eamque refer ad verba præcedentia, ut ſit *vultu geniali, & Hercules perhumano.*

2. *Aram Miſericodiæ.*] Alludit ad ἐλέȣ βωμόν *miſericordiæ aram*, quam Heraclidæ impetraro ab Athenienſibus adverſus Euryſtheum auxilio, Athenis conſecrârunt: quæ miſerorum erat perfugium. De hoc vide Statium, libro ultimo Thebaïdos.

3. *Ad ſerviles voluptates.*] Amorem ſcilicet Fotidis Milonis ancillæ.

4. *Siniſtrum præmium.*] Funeſtam in Aſinum Metamorphoſin.

cæcitas,

cæcitas, dum te peſſimis periculis diſcruciat, ad religioſam iſtam [1] habitudinem improvidâ perduxit malitiâ. Eat nunc, & ſummo furore ſæviat, & crudelitati ſuæ materiam quærat aliam. Nam in eos, quorum ſibi ſervitium Deæ noſtræ majeſtas vindicavit, non habet locum caſus infeſtus. Quid latrones, quid feræ, quid ſervitium, quid aſperrimorum itinerum ambages reciprocæ, quid metus mortis quotidianæ nefariæ Fortunæ profuit? In tutelam jam receptus es [2] Fortunæ, ſed videntis: quæ ſuæ lucis ſplendore cæteros etiam Deos illuminat. Sume jam vultum lætiorem, candido iſto habitu tuo congruentem: comitare pompam Deæ ſoſpitatricis, inovanti gradu. [3] Videant irreligioſi; videant, & [4] errorem ſuum recognoſcant. En ecce priſtinis ærumnis abſolutus, Iſidis magnæ providentiâ gaudens Lucius, de ſuâ fortunâ triumphat. Quò tamen tutior ſis, atque munitior; [5] da nomen huic ſanctæ militiæ, [6] cujus olim ſacramento etiam lætaberis:

INTERPRETATIO.

Fortunæ, dum te vexat difficillimis periculis, deduxit te utique ſuâ imprudenti malignitate ad hunc religioſum ſtatum. Eat nunc, & ſæviat maximâ rabie, & quærat aliam materiam ſuæ ſævitiæ. Adverſa enim fortuna nihil poteſt adversùs eos, quorum vitam, & famulatum noſtra veneranda Dea ſibi mancipavit. Quid prædones, quid feræ, quid ſervitus tua, quid varii anfractus viarum difficillimarum, quid timor mortis, quo afficiebaris *quotidie, profuit Fortunæ injuſtæ? nunc receptus es in protectionem Fortunæ, ſed* Fortunæ *oculatæ: quæ etiam colluſtrat reliquos Deos fulgore ſui luminis. Nunc indue faciem hilariorem, convenientem iſti tuæ veſti albæ. Comitare greſſu triumphanti pompam Deæ ſervatricis* tuæ. *Videant impii; videant, & agnoſcant ſuum errorem. Ecce nunc Lucius liberatus ſuis prioribus miſeriis, gaudens providentiâ magnæ* Deæ *Iſidis, triumphat de ſuâ fortunâ. Ut tamen ſis ſecurior, & meliùs protectus, amplectere hanc ſanctam militiam, quam gaudebis aliquando te*

NOTÆ.

1. *Habitudinem.*] Expoſui, *ſtatum.* Quid, ſi legas, cum quibuſdam editionibus, *beatitudinem?*

2. *Fortunæ, ſed videntis.*] Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 19. *Luna* (quæ Iſis eſt) τύχη (naſcentium,) *quia corporum præſul eſt. quæ fortuitorum varietate jactantur.* Iſis igitur Fortuna eſt, non cœca illa, quam vulgò homines colunt, ſed videns, & bona malaque hominibus ſecundùm merita diſpenſans.

3. *Videant irreligioſi.*] Te magnæ Iſidis providentiâ & beneficio aſininæ formæ ereptum, & humanæ reſtitutum.

4. *Errorem ſuum.*] Quo putant nullos eſſe Deos: aut, ſi ſint, res humanas non curare.

5. *Da nomen huic ſanctæ militiæ.*] Id eſt, initiare his ſacris. Metaphora eſt à re militari ducta: quaſi ſacerdotalis vita militiæ genus ſit.

6. *Cujus olim ſacramento etiam lætaberis.*] Sic habet Pricæana editio, quam lectionem in interpretatione expreſſi. Aliæ habent, *cujus non olim ſacramento etiam rogabaris:* quas ſequi ſi velis, *non olim*, expone *haud ita pridem*: nempe nocte ſuperiore, quâ Iſis, ut ſuprà habetur, Lucium in ſomnis ſic affata erat: *Planè memineris, & penitùs mente conditum ſemper tenebis mihi reliqua vitæ tuæ curricula, aduſque terminos ultimi ſpiritûs vadata, &c.*

téque jam nunc obſequio religionis noſtræ dedica, & miniſterii jugum ſubi voluntarium. nam, cùm cœperis Deæ ſervire, tunc magis ſenties fructum tuæ libertatis. Ad iſtum modum vaticinatus ſacerdos egregius, [1] fatigatos anhelitus trahens, conticuit. Exinde permixtus agmini religioſo procedens, comitabar [2] ſacrarium: [3] totæ civitati notus, ac conſpicuus, digitis hominum nutibuſque notabilis. Omnes in me populi fabulabantur: Hunc omnipotentis hodie Deæ numen auguſtum reformavit ad homines. Felix, hercules, & ter beatus! qui vitæ ſcilicet præcedentis innocentiâ fideque meruerit tam præclarum de cœlo patrocinium: ut renatus quodammodo, ſtatim ſacrorum obſequio deſponderetur. Inter hæc, & feſtorum votorum tumultum, paulatim progreſſi, jam ripam maris proximamus: atque ad ipſum illum locum, quo pridie meus ſtabulaverat aſinus, pervenimus. Ibidem [4] ſimulachris ritè diſpoſitis, navem faberrimè factam, [5] picturis miris Ægyptiorum circumſecùs variegatam, ſummus ſacerdos [6] tædâ lucidâ, & ovo, & ſulphure, ſolemniſſimas preces de ca-

INTERPRETATIO.

eſſe amplexum: & conſecra te nunc jam obſequio noſtræ religionis, & ſubde te ſponte tuâ jugo hujus *famulatûs. Cùm enim inceperis ſervire Deæ, tùm maximè frueris tuâ libertate. Sic effatus præclarus ille ſacerdos, ducens feſſos ſuſpiritus, tacuit.* Ego *poſteà incedens permixtus turbæ religioſæ, comitabar ſacram pompam: notus, & ſpectabilis toti civitati, deſignatus digitis, & capitis geſtibus hominum. tota plebs de me loquebatur,* dicens*: Venerabile numen Deæ omnipotentis reſtituit hunc formæ humanæ. Profectò ille felix eſt, & ter beatus, qui nempè meruerit innocentiâ, & probitate* ſuæ *anteactæ vitæ, tam inſignem protectionem cœlitùs: ut quâdam ratione renatus, illicò aſſumeretur ad miniſterium ſacrorum. Dum hæc* dicuntur, *& po*pulus *perſtrepit, vota læta nuncupando, ſenſim procedentes, jam accedimus ad littus maris: & pervenimus ad eum ipſum locum, in quo* ego *pridie jacueram,* dum adhuc eſſem *aſinus. Imaginibus ibidem collocatis ex more, ſacrorum antiſtes dedicavit, & conſecravit Deæ navem artificioſiſſimè fabricatam, variè ornatam undique mirabilibus picturis Ægyptiorum, mundiſſimè purificatam tædâ ardente, & ovo, & ſul-*

NOTÆ.

1. *Fatigatos anhelitus trahens.*] Ejuſmodi impoſtores ſe anhelos ſimulabant, ut divino ſpiritu afflati viderentur. De iis Tertullianus in Apologetico. *Ructando conantur, anhelando profantur.* Sic lib. 8. Gallorum Deæ Syriæ antiſtes *crebros anhelitus referens ſimulabat ſauciam vecordiam.*

2. *Sacrarium.*] Pompam ſacrorum. Aliàs ſacrarium eſt *adytum*, locus nempe ſecretior, in quo ſacra reconduntur.

3. *Totæ civitati.*] Veteres *toto* & *totæ*, *ſolo* & *ſolæ*, & ſimilia in dativo dixerunt, pro *toti*, *ſoli*, &c. ſic Terent. Eunucho: *mihi ſolæ ridiculo fuit.* Infrà noſter: *totoque populo Romano.*

4. *Simulachris.*] Quibus onuſti erant Iſiaci Sacerdotes.

5. *Picturis miris.*] Hieroglyphicis.

6. *Tædâ lucidâ & ovo & ſulphure.*] Hæc luſtrationibus, & purificationibus adhiberi ſolita teſtantur Servius ad Æneid. 6. *Luſtratio à circumlatione dicta eſt, vel tædæ, vel ſulphuris.* Ovid. Metamorphoſ. lib. 7.

Terque ſenem flammâ, ter aquâ,

ſto præfatus ore, quàm puriſſimè purificatam, Deæ nuncupavit, dedicavitque. Hujus alvei felicis nitens 1 carbaſus litteris votum ingentibus progerebat. Eæ litteræ 2 votum inſtaurabant, de novi commeatûs proſperâ navigatione. Jam malus inſurgit, pinus rotunda, ſplendore ſublimis, inſigni carcheſio conſpicua: & puppis, 3 intorta cheniſco, bracteis aureis veſtita, fulgebat: omniſque prorsùs carina citro limpido perpolita florebat. Tunc cuncti populi, tam religioſi, quàm profani, vannos onuſtas aromatis, & hujuſcemodi 4 ſuppliciis certatim congerunt: & inſuper fluctus 5 libant 6 intritum lacte confectum; donec muneribus largis, & devotionibus fauſtis completa navis, abſoluta 7 ſtrophiis anchoralibus, peculiari ſerenoque flatu, pelago red-

INTERPRETATIO.

phure, prolatis ſuo *ſancto ore precibus valdè ſolemnibus. Velum nitidum hujus beati navigii geſtabat votum* ſcriptum *magnis characteribus. Ii characteres renovabant votum, pro fauſto eventu novæ navigationis. Jam malus* illius navigii *erigitur*, qui erat *pinus rotunda, excelſa, & ſplendens, inſignis carcheſio ſpectabili. Et puppis* inſignita *anſere*, cui collum *intortum* erat, *micabat obducta bracteis aureis: & carina tota omninò fabricata ex citro nitente ſplendebat. Tunc omnis plebs, tam religioſi, quàm profani, injiciunt certatim vannos plenas aromatibus, & omnis generis rebus ad ſupplicationes pertinentibus, & infundunt in mare intritum factum ex lacte, donec navis repleta copioſis donis & fauſtis precationibus, ſolveretur funibus anchorarum, & in mare impelleretur vento*

NOTÆ.

ter ſulphure luſtrat.

Idem in libris de Arte amandi.

Et veniat, quæ luſtret anus lectumque locumque,
Refferat, & tremula ſulphur, & ova manu.

1. *Carbaſus litteris votum ingentibus progerebat. Eæ litteræ*, &c.] Sic emendavit ex vetuſtorum codicum veſtigiis Pricæus. ait ſcilicet votum pro novi commeatûs proſperâ navigatione, magnis characteribus in velo navis fuiſſe ſcriptum.

2. *Votum inſtaurabant.*] Quia jam à ſacerdotibus in littore factum, priuſquam navis mari redderetur, & carbaſus, patefaciente vento illud ſibi inſcriptum oſtendendo, renovare videbatur

3. *Intorta cheniſco.*] *Cheniſcus* χηνίσκος Bayfio pars eſt proræ unde anchoræ dependent. At videtur potiùs fuiſſe anſer inſigne navis hujus in puppe pictum aut ſculptum, intorto collo, ut vulgò pinguntur anſeres; χὴν enim Græcis eſt *anſer*: unde diminutivum χηνίσκος. Ejuſmodi porrò anſer ſæpiſſimè navibus pro inſigni erat: unde Lucianus in veris narrationibus: ὁ, πε γὰρ ἐν τῇ πρύμνῃ χηνίσκος ἄφνω ἐπτερύξατο καὶ ἀνεβόησε, *qui enim erat in puppe anſer, repentè cœpit alas quatere, & clamare.* Huc accedit quòd navem Iſidi dedicatam maximè decuerit pro inſigni habere anſerem, quæ ales eſt Iſidi ſacra. Unde Ovidius:

Nec deffenſa juvant Capitolia, quominus anſer
Det jecur in lances, Inachi, lauta, tuas.

4. *Suppliciis.*] Rebus ſacrificalibus, & ſupplicationibus Deorum accommodatum. Alias *ſupplicium*, pœnam ſignificat

5. *Libant.*] Effundunt ſacrificii ergò.

6. *Intritum lacte confectum.*] Genus aliquod pultis, aut condimenti lactei.

7. *Strophiis anchoralibus.*] Strophium

deretur. Quæ poſtquàm curſûs ſpatio proſpectum ſui nobis incertat, ſacrorum geruli, ſumptis rurſùm quæ quiſque detulerant, alacres ad fanum reditum capeſſunt, ſimili ritu pompæ decori. Ac cùm ad ipſum jam templum pervenimus; ſacerdos maximus, quique divinas effigies progerebant, & qui venerandis penetralibus pridem fuerant initiati, intra cubiculum Deæ recepti, diſponunt ritè [1] ſimulachra ſpirantia. Tunc ex his unus, quem cuncti Grammatea dicebant, pro foribus aſſiſtens, [2] cœtu Paſtophorûm, quod ſacroſancti collegii nomen eſt, velut in concionem vocato, indidem de ſublimi ſuggeſtu, de libro, de litteris, fauſta vota præfatus: PRINCIPI MAGNO, SENATUIQUE, ET EQUITI, TOTOQUE ROMANO POPULO, nauticis navibus, quæque ſub imperio [3] mundi noſtratis reguntur, renunciat ſermone rituque Græcienſi, ita: [4] ΛΑΟΙΣ ΑΦΕΣΙΣ.

INTERPRETATIO.

ſingulari, & ſereno. Quæ poſtquàm tam longè proceſſit, ut dubius jam nobis eſſet ejus aſpectus, qui ſacra geſtabant, reſumunt ſinguli quæ attulerant, & incipiunt redire alacriter ad templum decenter eodem ordine pompæ, quo venerant. *Ubi autem jam pervenimus ad ipſum delubrum, antiſtites ſacrorum, & qui ferebant divina ſimulachra, quique jam dudum initiati erant arcanis cærimoniis, ingreſſi ſacrarium Deæ, reponunt ordine effigies illas faberrimè factas* in ſuis locis. *Tunc unus ex illis, quem omnes vocabant ſcribam. ſtans ante fores, advocato veluti in concionem grege Paſtophororum, quod nomen eſt cœtûs* illius *ſacroſancti, cùm inde ex altâ cathedrâ pronuntiâſſet vota proſpera ex libro, in quo ſcripta erant:* PRO MAGNO IMPERATORE, SENATUQUE, ET EQUESTRI ORDINE, UNIVERSOQUE POPULO ROMANO, *navibus nauticis, & iis* omnibus, *quæ reguntur ſub imperio hujus noſtri mundi; ita pronuntiat linguâ, & more Græco:* Λαοῖς ἄφεσις, miſſio populis.

NOTÆ.

vulgò faſcia eſt pectoralis, quâ mulieres papillas cohibebant: at hîc nihil aliud ſunt ſtrophia quàm vincula, ſeu rudentes, quibus navis ad anchoras erat alligata. ςρόφιον Suidæ eſt ςρογγύλον ζωνάριον *zona teres.*

1. *Simulachra ſpirantia.*] Imagines illas Deorum, quæ tantâ arte erant elaboratæ, ut vivere, ac ſpirare viderentur. Arnob. lib. 6. *Spirantia hæc ſigna, quorum plantas & genua contingitis,* &c.

2. *Cœtu Paſtophorûm.*] *Paſtophori* παςοφόροι ſacerdotes erant ferentes ſacerdotale pallium in pompis publicis: & παςοφόριον *tabernaculum paſtophororum*, thalamus, in quo habitat templi præpoſitus. Venus etiam dicta eſt παςοφόρος *thalamifera.*

3. *Mundi noſtratis.*] Ad diſtinctionem inferorum, quod *ſubterraneum ſemirotundum* ſuprà dixit.

4. Λαοῖς ἄφεσις.] Michaël Ritius, lib. 2. de Regibus Francorum, pag. 539. *Antiquitùs, in illâ vanâ Deorum ſuperſtitione, peractâ re divinâ, converſus ad plebem ſacerdos, dicebat:* λαοῖς ἄφεσις, *id eſt, populis miſſio. ut eſt apud Apuleium: quo verbo poteſtatem faciebat abeundi volentibus.* Simile habemus exemplum in ſolemni hoc verſiculo, quem ſacerdotes noſtri poſt peractum ſacrum ad plebem converſi, dicere ſolent: *Ite: miſſa eſt.* ubi *miſſa* eſt *miſſio* ἄφεσις, quemadmodum & ſanctus Cyprianus *remiſſa* pro *remiſſione* dixit l. ad Fortunatum, de exhortatione martyrii. *In aquâ baptiſmo percipitur peccatorum remiſſa.*

[1] Quam vocem, feliciter cunctis evenire, ſignavit populi clamor inſecutus. Exin gaudio delibuti populares, [2] thallos, verbenas, corollas ferentes, exoſculatis veſtigiis Deæ, quæ gradibus hærebat argento formata, ad ſuos diſcedunt Lares. Nec tamen ſinebat me animus ungue latiùs indidem digredi: ſed intentus in Deæ ſpecimen, priſtinos caſus meos recordabar. Nec tamen Fama volucris, pigrâ pinnarum tarditate, ceſſaverat: ſed protinùs in patriâ Deæ providentis adorabile beneficium, meamque ipſius [3] Fortunam memorabilem narraverat paſſim. Confeſtim denique familiares ac vernulæ, quique mihi proximo nexu ſanguinis cohærebant, luctu depoſito, quem de meæ mortis falſo nuntio ſuſceperant, repentino lætati gaudio, variè quiſque munerabundi, ad meum feſtinant illicò divinum, reducemque ab Inferis conſpectum. Quorum deſperatâ ipſe etiam facie recreatus, oblationes honeſtas æqui bonique facio: quippe cùm mihi familiares, quo ad cultum ſumptumque largiter ſuccederet, deferre perſpicuè curâſſent. Affatis itaque ex officio ſingulis, narratiſque meis priſtinis ærumnis, & præſentibus gaudiis, me rurſùm ad Deæ gratiſſimum mihi refero conſpectum: ædibuſque conductis, [4] intra conſeptum

INTERPRETATIO.

Quam vocem clamor populi ſubſequens ſignificavit jucundè accidere omnibus. Poſteà populus perfuſus lætitiâ, ferens ramos oleæ, verbenas, & corollas, oſculatur veſtigia Deæ, quæ adhærebant gradibus facta ex argento, & ſinguli abeunt in ſuas domos. Neque tamen animus meus *patiebatur me diſcedere ex illo loco vel latum unguem; ſed attentus ad ſimulachrum Deæ, recogitabam meas priores fortunas. Attamen fama velox non ceſſaverat, lentâ deſidiâ ſuarum alarum: ſed illicò narraverat ubique in meâ patriâ adorandum beneficium Deæ providæ, & meos celebrandos caſus. Denique domeſtici, & ſervuli* mei, *& ii, qui mihi conjuncti erant proximo vinculo conſanguinitatis, poſito ſtatim mœrore, quem conceperant ex falsâ relatione meæ mortis, exhilarati ſubitâ lætitiâ accurrunt protinùs ad videndum me, qui* ſervatus eram *divinitùs, & quaſi reductus ab inferis, afferentes mihi ſinguli varia munera. Quorum inſperato aſpectu ego etiam exhilaratus, gratias* ago ipſis de ſuis *honeſtis muneribus: quia mei domeſtici providè dederant operam, ut mihi afferrent quod abundanter ſufficeret ad ornatum meum, & impenſam* in victum. *Appellato igitur unoquoque, prout debebam, memoratiſque meis laboribus præcedentibus, & lætitiâ præſenti, redeo iterùm ad conſpectum Deæ mihi jucundiſſimum: &, conductâ* mercede *domo, conſtituo mihi habitationem*

NOTÆ.

1. *Quam vocem, feliciter cunctis evenire, &c.*] Alii legunt, *quâ voce*, ſed parùm intereſt utro modo legas, utroque enim ſignificatur, hac voce fauſta & læta omnia omnibus portendi, quòd nempè Dea Iſis per ſuum ſcribam renuntiaret unicuique jam licere domum reverti, ſacris ritè peractis, quibus fuerat propitiata.

2. *Thallos, verbenas,* &c.] Θαλλοὶ rami ſunt, ac præſertim oleaginei, aut palmei, *Verbenas* (inquit Servius ad Æneid. 12.) *abuſivè vocamus omnes frondes ſacratas: ut eſt laurus, oliva, vel myrtus.*

3. *Fortunam memorabilem.*] Reditum nempè ex aſininâ formâ ad humanam.

4. *Intra conſeptum templi.*] Ruffinus

templi, larem temporarium mihi conſtituo: Deæ miniſteriis adhuc privatis appoſitus, contuberniiſque ſacerdotum individuus, & numinis magni cultor inſeparablis. Nec fuit nox una, vel quies aliqua, viſu Deæ monituque jejuna: ſed crebris imperiis, ſacris ſuis me jamdudum deſtinatum, nunc ſaltem cenſebat initiari. At ego, quanquam cupienti voluntate præditus, tamen religioſâ formidine renitebar. Quod enim ſeduló percontaveram, difficile religionis obſequium, & caſtimoniarum abſtinentiam ſatis arduam, cautoque circumſpectu, vitam, quæ multis caſibus ſubjacet, eſſe muniendam. hæc identidem mecum reputans, neſcio quo modo, quanquam feſtinans, differebam. Nocte quâdam, plenum gremium ſuum viſus eſt mihi ſummus ſacerdos offerre: ac requirenti, quid utique iſtud? reſpondiſſe,[1] partes illas de Theſſaliâ mihi miſſas; ſervum etiam meum indidèm ſuperveniſſe, nomine Candidum. Hanc, experrectus, imaginem, diu diuque apud cogitationes meas revolvebam, quid rei portenderet: præſertim cùm nullum unquam habuiſſe me ſervum iſto nomine nuncupatum certus eſſem. ut tamen ſeſe præſagium ſomni porrigeret, lucrum certum modis omnibus ſignificari partium oblatione credebam. Sic anxius, & in proventum proſperiorem[2] attonitus, templi

INTERPRETATIO.

ad aliquod tempus intra conſeptum templi: adhibitus adhuc privatis miniſteriis Deæ, inſeparabilis à ſocietate ſacerdotum, & adorator individuus magnæ Deæ. Neque tranſegi ullam noctem, aut illum ſomnum expertem viſionis & monitionis Deæ: ſed præcipiebat illa *mihi frequentibus mandatis, ut nunc certè initiarer ſuis ſacris,* quibus *jam pridem fueram deſtinatus. Ego verò, quamvis* id *ardenter cuperem, cohibebar nihilominùs pio timore. quia nimirum ſtudioſè ſciſcitando* cognoveram *miniſterium religionis* eſſe *difficile, & obſervationem caſtitatis valde difficilem, & vitam, quæ expoſita eſt plurimis eventibus, deffendendam* eſſe *prudenti circumſpectione. revolvens ſæpè iſta apud me, procraſtinabam, neſcio quâ ratione, quamvis avidè cuperem. Quâdam nocte, videre mihi viſus ſum ſupremum ſacerdotem mihi offerentem ſuum gremium plenum: & cùm interrogarem* eum, *quidnam eſſet iſtud? reſpondiſſe* mihi *illa eſſe fruſta ad me miſſa ex Theſſaliâ; famulum etiam meum, nomine Candidum, adveniſſe ex eàdem* provinciâ. *Poſtquàm evigilavi, agitabam animo diu multumque quid rei viſio illa mihi præſagiret; præcipuè. quia certò ſciebam me nullum unquam habuiſſe ſervum vocitatum hoc nomine. Exiſtimabam tamen quæſtum haud dubium prorsùs deſignari per oblationem fruſtorum, quoquo modo præſagium ſomni ſe explicaret. Sic ſollicitus, & intentus* illi *abundantiori lucro, expectabam templi*

NOTÆ.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 23. in deſcriptione templi Dei Serapidis: *Jam vero in ſuperioribus extrema totius ambitûs ſpatia occupant exhedræ, & paſtophoria, domuſque in excelſum porrecta: in quibus vel Æditui, vel hi, quos appellant ἁγνεύοντας, id eſt, qui ſe caſtificant* (talis erat noſter Lucius) *commanere ſoliti erant.*

1. *Partes illas.*] Quas nimirùm in gremio ſuo habebat.

2. *Attonitus.*] Idem hic eſt atque at-

matutinas apertiones opperiebat. Ac, dum [1] velis candentibus reductis in diverſum, Deæ venerabilem conſpectum apprecamur, per diſpoſitas aras circumiens ſacerdos, rem divinam procurat; ſupplicamentis ſolemnibus, de penetrali fonte [2] petitum [3] ſpondêo libat. Rebus jam ritè conſummatis, [4] inchoatæ lucis ſalutationibus, religioſi primam [5] nuntiantes horam, perſtrepunt. Et ecce ſuperveniunt de patriâ, quos ibi reliqueram famulos; cùm me Fotis malis incapiſtrâſſet erroribus. Cognatis ſcilicet famulos meos, necnon & equum quoque illum meum reducentibus, quem diversè diſtractum notæ dorſualis agnitione recuperaverant: quare ſolertiam ſomni tùm mirabar vel maximè; quòd præter congruentiam lucroſæ pollicitationis, argumento ſervi Candidi, equum mihi reddidiſſet colore candidum. Quo facto, idem ſollicitus, ſedulum colendi frequentabam miniſterium, ſpe futuri [6] beneficiis præſentibus pigneratâ. Nec minùs in dies mihi magis magiſque accipiendorum ſacrorum cupido gliſcebat, ſummiſque preci-

INTERPRETATIO.

apertionem, quæ mane fiebat. Et, dum retractis in contrarias partes *albis ſipariis, oramus venerandam faciem Deæ, ſacerdos circumiens altaria* ordine *diſpoſita, dat* in iis *operam ſacro:* & cum *ſolitis precibus effundit vaſe* aquam *hauſtam ex fonte, qui in penetralibus* templi erat. *Sacro* illo *jam debitè peracto, religioſi ſtrepitum edunt, adorationibus matutinis* Deæ, *annuntiantes primam horam* diei *Et ſubitò adveniunt ex meâ patriâ ſervi, quos ibi reliqueram, poſtquàm Fotis me ad capiſtrum adegiſſet improbo* ſuo *errore;* meis *nempe cognatis reducentibus meos ſervos, atque etiam meum illum equum, quem agnitum ex maculâ,* quam habebat *in dorſo, recuperaverant, poſtquàm venditus fuiſſet variis* emptoribus: *quapropter tunc maximè admirabar acumen* mei *ſomnii, quod præter convenientiam quæſtûs, quem* mihi *promiſerat, reſtituiſſet mihi equum albi coloris ſub deſignatione ſervi Candidi. Quo facto, ego eidem curæ ſemper intentus fungebar aſſiduè officio colendi Deam, videns ſpem,* quam conceperam *de futuris* bonis, jam *confirmatam eſſe, præſentibus beneficiis,* tanquam *pignore. Nec eò ſeciùs deſiderium ſuſcipiendorum ſacrorum mihi augebatur quotidie magis ac magis. Et ſæpiùs ad-*

NOTÆ.

tentus, quemadmodum & in hoc Juvenalis loco, Satyr. 7.

Magnæ mentis opus, nec de Lodice parandâ
Attonitæ, &c. id eſt, *attentæ*, aut *ſollicitæ*.

Alias *attonitus* mirabundum ſignificat, & veluti tonitru ſtupefactum.

1. *Velis candentibus.*] Quibus Deæ ſimulachrum à profanorum aſpectu arcebatur.

2. *Petitum.*] Subintellige *liquorem*.

3. *Spondêo.*] *Spondêum* vas erat ſacrificale, quo aquam alioſve liquores libabant. Heſychius Σπονδεῖον, ἀγγεῖον ἐν ᾧ τοῖς εἰδώλοις ἐπέσπενδον.

4. *Inchoatæ lucis ſalutationibus.*] Adorationibus, quas primâ luce faciebant. Seneca epiſt. 95. *Vetemus ſalutationibus matutinis fungi, & foribus aſſidere templorum. Humana ambitio iſtis officiis capitur: Deum colit, qui novit.*

5. *Nuntiantes.*] Strepitu ſuo ſignificantes? an conceptis verbis horam diei primam eſſe declarantes, ex aliquâ conſuetudine, quæ inter ipſos vigeret?

6. *Beneficiis præſentibus.*] Adventu ſcilicet cognatorum, & recuperatione ſervorum & equi: quæ omnia tanquam Iſidis beneficia reputabat.

bus primarium ſacerdotem ſæpiſſimè conveneram, petens, ut me [1] noctis ſacratæ tandem arcanis initiaret. At ille, vir alioquin gravis, & ſobriæ religionis obſervatione famoſus, clementer ac comiter, &, ut ſolent parentes immaturis liberorum deſideriis modificari, meam differens inſtantiam, ſpei melioris ſolatiis alioquin anxium, mihi permulcebat animum. Nam, & diem, quo quiſque poſſit initiari, Deæ nutu demonſtrari, & ſacerdotem, qui ſacra debeat miniſtrare, ejuſdem providentiâ deligi: ſumptus etiam cærimoniis neceſſarios ſimili præcepto deſtinari. Quæ cuncta nos quoque obſervabili patientiâ ſuſtinere cenſebat: quippe cùm aviditati contumaciæque ſummè cavere, & utramque culpam vitare, ac neque vocatus morari, nec, non juſſus, feſtinare deberem. nec tamen eſſe quemquam de ſuo numero tam perditæ mentis, vel immò, deſtinatæ mortis, qui, non ſibi quoque ſeorſum jubente Dominâ, temerarium atque ſacrilegum audeat miniſterium ſubire, noxamque lethalem contrahere. Nam & Inferûm clauſtra, & Salutis tutelam in Deæ manu poſita, ipſamque [2] traditionem ad inſtar voluntariæ mortis, & precariæ ſalutis celebrari: quippe cùm tranſactis vitæ temporibus, jam in ipſo finitæ lucis limine conſtitutos, [3] queis tamen tutò poſſint magna religionis committi ſilentia,

INTERPRETATIO.

iveram antiſtitem ſacrorum, flagitans inſtantiſſimis precibus, ut tandem me initiaret myſteriis noctis ſacræ. Sed ille, qui cæterùm vir erat ſeverus, & inclytus obſervatione religionis illius *abſtinentis, procraſtinans meum poſtulatum manſuetè, & leniter, atque eo modo, quo patres ſolent moderari deſideria intempeſtiva* ſuorum *filiorum, deliniebat meum animum aliundè ſollicitum ſolamine ſpei melioris.* Dicebat *enim diem, quo unuſquiſque poteſt initiari, deſignari voluntate Deæ, & providentiâ ipſius eligi ſacerdotem, quem oporteat ſacra facere: impenſas quoque neceſſarias cærimoniis, deſignari mandato ejuſdem. Quæ omnia ſuadebat, ut nos etiam expectaremus patientiâ obſequioſâ: cùm ſcilicet deberem magnoperè mihi cavere à nimiâ cupiditate, & pertinaciâ, & neque eſſe in morâ, cùm vocarer, neque properare, niſi mihi imperaretur. neque tamen ullum eſſe ex numero ſuorum tam profligati animi, aut potiùs tam addictum morti, qui audeat temerè, & impiè ſuſcipere miniſterium, ſicque committere culpam morte dignam, niſi etiam Dea ipſi peculiariter imperaverit. Valvas enim Inferni, & cuſtodiam vitæ eſſe poſitas in manu Deæ, & ipſam traditionem* ſacrorum *peragi ad exemplum mortis ſpontaneæ, & vitæ precariò* recuperatæ *: quia nempè Dea ſolet eligere* viros *peracto jam ævo poſitos in extremo termino* ſuæ *vitæ, quibus tamen magna arcana religionis poſſint ſecurè*

NOTÆ,

1. *Noctis ſacratæ:*] Ita lege ex fide plurimorum MSs. non: *noctis ſocietate,* ut malè habet Colviana editio. *Nox ſacrata* ea eſt, per quam infrà dicit *ſe à ſacerdote ad ſacrarii penetralia deductum acceſſiſſe confinium mortis: & calcato Proſerpinæ limine, per omnia vectum elementa: remeaviſſe: nocte mediâ ſolem vidiſſe candido coruſcantem lumine, &c.*

2. *Traditionem.*] Sacrorum.

3. *Queis tamen tutò poſſint magna religionis committi ſilentia.*] Id eſt, qui tamen non ſint adeò decrepiti, ut delirent, & commiſſa ſuæ fidei arcana, animi lenitate, revelent.

numen

numen Deæ ſoleat eligere, & ſuâ providentiâ quodammodo renatos, ad novæ reponere rursùs ſalutis curricula. Ergò igitur me quoque oportere cœleſte ſuſtinere præceptum, quanquam perſpicuâ evidentique magni numinis dignatione jam dudum felici miniſterio nuncupatum deſtinatumque: nec ſecùs quàm cultores cæteri, [1] cibis profanis ac nefariis jam nunc temperare; quò rectiùs ad arcana puriſſimæ religionis ſecreta pervaderem. Dixerat ſacerdos: nec impatientiâ corrumpebatur obſequium meum: ſed intentus miti quiete, & probabili taciturnitate, ſedulum quotdies obibam culturæ ſacrorum miniſterium. Nec me fefellit, nec longi temporis prolatione cruciavit potentis Deæ benignitas ſalutaris: ſed [2] noctis obſcuræ non obſcuris imperiis evidenter monuit, adveniſſe diem mihi ſemper optabilem, quo me maximi voti compotiret. quantoque ſumptu deberem procurare ſupplicamentis, [3] ipſumque Mithram illum ſuum ſacerdotem præcipuum, [4] divino quodam ſtellarum conſortio, ut aiebat, mihi conjunctum, ſacrorum miniſtrum decernit. Quibus, & cæteris benivolis præceptis ſummatis Deæ recreatus animi, necdum ſatis luce lucidâ, diſcuſsâ quiete, protinùs ad receptaculum ſacerdotis contendo: atque eum cubiculo ſuo commodùm prodeuntem continuatus, ſaluto.

INTERPRETATIO.

tredi, & eos reſtituere ſtadio novæ vitæ, quodam modo renatos ſuâ providentiâ. Oportere igitur ut ego etiam expectarem mandatum cœleſte, quamvis jam pridem deſtinatus eſſem, & dedicatus beato miniſterio, dignatione clarâ, & manifeſtâ magnæ Deæ: & ut jam tunc abſtinerem à cibis profanis, & vetitis, perinde ac cæteri Religioſi; ut meliùs pervenirem ad ſecretiora arcana ſanctiſſimæ religionis. Cùm ſacerdos hæc mihi dixiſſet, obedientia mea non infringebatur impatientiâ, ſed ego *attentè fungebar quotidie ſedulo officio colendorum ſacrorum, cum leni tranquillitate, & ſilentio laudabili. Et bonitas ſalutaris potentis Deæ non me decepit, neque cruciavit dilatione diuturni temporis: ſed me apertè monuit claris præceptis,* mihi per *noctis obſcuræ* quietem datis, *diem adveniſſe à me ſemper expetitum, quo me faceret compotem maximi voti. Et conſtituit quantâ impenſâ mihi inſtruendus eſſet apparatus ſacrorum, & ſimul deſignat mihi pro miniſtro ſacrorum illum ipſum Mithram ſuum primarium ſacerdotem, quem dicebat mihi eſſe conjunctum cœleſti quodam conſenſu aſtrorum. Quibus* dictis, *& reliquis benignis juſſis ſupremæ Deæ, ego refectus animo, expergefactus die nondum benè claro, confeſtim pergo ad domicilium ſacerdotis; & aſſecutus eum tunc exeuntem è ſuo cubiculo, ſaluto* illum.

NOTÆ.

1. *Cibis profanis ac nefariis.*] Ciborum delectus non modò apud Judæos locum habuit, ſed & apud Ethnicos. Tertull. adverſus Pſychicos: *Quale. caſtimoniæ Apim, Iſidem, & magnam matrem certorum ciborum exceptione purificant.*

2. *Noctis obſcuræ non obſcuris imperiis.*] Somnio, quo clarè & evidenter me monebat, quamvis per obſcuram noctem.

3. *Ipſumque Mithram.*] Nomen eſt Sacerdotis, quo nomine etiam Perſæ appellant Solem ipſum, qui Oſiris eſt, ſeu Serapis Ægyptiorum.

4. *Divino quodam ſtellarum conſor-*

Solito conſtantiùs deſtinaveram jam, velut debitum ſacris obſequium, flagitare. At ille, ſtatim ut me conſpexit, prior: O mi Luci, inquit, te felicem, te beatum, quem propitiâ voluntate numen auguſtum tantoperè dignatur! Et quid, inquit, jam nunc ſtas otioſus, teque ipſum demoraris? Adeſt tibi dies votis aſſiduis exoptatus, quo [1] Deæ multinominis divinis imperiis, per iſtas meas manus piiſſimis ſacrorum arcanis inſinueris. Et, injectâ dexterâ, ſenex comiſſimus ducit me protinùs ad ipſas fores ædis ampliſſimæ: rituque ſolemni apertionis celebrato miniſterio, ac matutino peracto ſacrificio, de opertis adyti profert quoſdam libros, [2] litteris ignorabilibus prænotatos: [3] partim figuris cujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes: partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, [4] capreolatimque condenſis apicibus, à curioſâ profanorum lectione munita. Indidèm mihi prædicat, quæ forent [5] ad uſum tutelæ neceſſariò præparanda. Ea protinùs gnaviter, & aliquantò liberaliùs partim ipſe, partim per meos ſocios coëmenda procuro. Jamque tempore,

INTERPRETATIO.

Jam decreveram poſtulare pertinaciùs ſolito miniſterium ſacrorum, velut mihi *debitum. Verùm ille ſimul ac me vidit,* ſic quidem cœpit *prior: O mi Luci, quàm felix es, quàm fortunatus! ſiquidem veneranda Dea adeò te honorat benigno ſuo favore. Et quare, ait, nunc ceſſas, & tibi ipſi in morâ es? Advenit tibi dies expetitus continuis deſideriis, quo initieris religioſiſſimis arcanis ſacrorum, his meis manibus, juſſu divino Deæ multinominis. Et ſenex humaniſſimus apprehenſum me manu ducit ſtatim ad ipſas valvas ampliſſimi templi: & peracto officio apertionis ſecundum morem ſolemnem, & celebrato ſacrificio matutino, depromit ex intimis ſacrarii penetralibus quoſdam libros ſcriptos characteribus incognitis, exhibentes verba orationis* in eis *contenta, partim abbreviata figuris animalium omnis generis, partim deffenſa adversùs curioſam lectionem profanorum, accentibus nodoſis, & intortis in orbem, atque etiam implicatis inter ſeſe inſtar capreolorum. Ex illis* libris *mihi declarat quænam oporteret a me præparari neceſſariò ad uſum initiationis.* Ego *confeſtim ſtrenuè efficio, ut ea, atque etiam aliquantò largiora compararentur, partim* per me *ipſum, partim per meos ſocios. Cumque*

NOTÆ.

tio, ut aiebat, mihi conjunctum.] Perſius, ad Cornutum præceptorem ſuum, Satyr. 5.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Conſentire dies, & ab uno ſidere duci, &c.

1. *Deæ multinominis.*] Hujus libri initio, pag. 363. ipſa Dea, de ſe: *Me primigenii Phryges,* &c. Vide totum locum.

2. *Litteris ignorabilibus.*] Eæ erant hieroglyphicæ litteræ. Martianus Capella, lib. II. *Erantque quidam libri ſacrâ nigredine colorati, quorum litteræ animantium credebantur effigies* &c.

3. *Partim figuris cujuſcemodi animalium.*] Sic per figuram apis mella conficientis Ægyptii Regem deſignabant, cum jucunditate imperantem: picto dracone caudam ſuam mordente, annum indicabant in ſeipſum redeuntem &c.

4. *Capreolatim.*] Inſtar capreolorum. Sunt autem *capreoli* claviculæ, ſeu manus, quibus vitis adminicula apprehendit.

5. *Ad uſum teletæ.*] Τελετὴ Græcè eſt *expiatio, initiatio,* atque *initiatio*

ut aiebat ſacerdos, id poſtulante, ſtipatum me religioſâ cohorte deducit ad proximas balneas: & priùs ſueto lavacro traditum, præfatus Deûm veniam, puriſſimè circumrotans abluit: rurſumque ad templum reductum, jam duabus diei partibus tranſactis, ante ipſa Deæ veſtigia conſtituit: ſecretòque mandatis quibuſdam, [1] quæ voce meliora ſunt, illud planè cunctis arbitris præcipit, decem continuis illis diebus cibariam voluptatem coërcerem, neque ullum animal eſſem, & [2] invinius eſſem. Quibus venerabili continentiâ ritè ſervatis, jam dies aderat [3] divino deſtinatus vadimonio: & Sol curvatus intrahebat veſperam. Tunc ecce confluunt undique turbæ, ſacrorum ritu vetuſto, variis quiſque me muneribus honorantes. Tunc ſemotis procul profanis omnibus, linteo & rudi me contectum amicimine, arreptâ manu, ſacerdos deducit ad ipſius ſacrarii penetralia. Quæras forſitan ſatis anxiè, ſtudioſe lector, quid deinde dictum, quid factum? dicerem, ſi dicere liceret; cognoſceres, ſi liceret audire. Sed parem noxam contraherent aures & linguæ temerariæ curioſitatis. Nec te tamen, deſiderio forſitan religioſo ſuſpenſum, angore diutino cruciabo. Igitur audi: ſed crede quæ vera ſunt. [4] Acceſſi confinium mortis:

INTERPRETATIO.

-mpus, (ut aiebat ſacerdos) id flagitaret, ducit me ad lavacrum proximum cinctum catervâ religioſorum: & cùm me collocâſſet in balneo ſolito, ipſe, *oratis priùs Diis, abluit* me, *aſpergens* aquâ *mundiſſimè; iterumque reducit ad templum, atque ibi me collocat ante ipſa veſtigia Deæ, tranſactis jam duabus partibus diei: imperatiſque clàm quibuſdam, quæ non licet* mihi *loqui, id certè coràm omnibus imperat, ut refrenarem voluptatem esûs per illos decem dies continuos, neque comederem de carne ullius animalis, & abſtinerem à vino. Quæ cùm legitimè obſervâſſem religiosâ continentia, & jam advenîſſet dies, quo ſacris ſiſti debebam, & ſol deſcendens adduceret veſperam: populi undique concurrunt, afficientes me quiſque diverſis donis ſecundùm antiquam conſuetudinem ſacrorum. Tunc ſacerdos procul remotis cunctis profanis, apprehensâ manu, deducit ad penetralia ipſius ſacrarii me velatum amictu lineo, & novo. Curioſe lector, ſortaſſe rogabis valdè ſolicitè quid dictum ſit, & factum poſteà? Dicerem, ſi* mihi *fas eſſet dicere, tu audires, ſi fas* tibi *eſſet audire. Verùm aures, & linguæ incurrerent in ſimilem culpam curioſitatis temerariæ. Neque tamen longâ anxietate torquebo te ſuſpenſum fortaſſe deſiderio religioſo. Audi ergo: ſed crede quæ vera ſunt. Acceſſi ad viciniam mortis:*

NOTÆ.

nis hoſtia; quo poſtremo ſenſu hîc ſumitur. Significat etiam religionem & ſacerdotium. Hoſtia autem, ſeu ſacrificium illud, quod ab initiandis fiebat ideo *teleta* dicebatur, quod magnæ eſſet impenſæ: τελεῖν enim, præter multa alia, *ſumptus facere* ſignificat.

1. *Quæ voce meliora ſunt.*] Quæ ſanctiora ſunt, quàm ut ſermone efferantur in vulgus.

2. *Invinius eſſem.*] Vox à *vino*, & *in* formata, uſitatius eſt *abſtemius*.

3. *Divino deſtinatus vadimonio.*] Quo ſcilicet debebat ſe ſiſtere coràm Deâ Iſide initiandum, quomodo & qui vadimonium dederunt, die vadimonii coràm Judice ſiſtere ſe ſolent.

4. *Acceſſi confinium mortis, &c.*]

& calcato Proſerpinæ limine, per omnia vectus elementa, remeavi. [1] nocte mediâ, vidi Solem candido coruſcantem lumine: Deos Inferos, & Deos Superos acceſſi coràm, & adoravi de proximo. Ecce tibi retuli, [2] quæ, quamvis audita, ignores tamen neceſſe eſt. Ergo, quod ſolùm poteſt ſine piaculo ad profanorum intelligentias enuntiari, referam. Manè factum eſt: & perfectis ſolemnibus, proceſſi [3] duodecim ſacratus ſtolis, habitu quidem religioſo ſatis, ſed effari de eo nullo vinculo prohibeor: quippe quod tunc temporis vidêre præſentes plurimi. Namque in ipſo ædis ſacræ meditullio, ante Deæ ſimulachrum conſtitutum tribunal ligneum juſſus ſuperſtiti, byſſinâ quidem, ſed floridè depictâ veſte conſpicuus. Et humeris dependebat ponè tergum talorum tenùs pretioſa chlamyda. quaquà tamen viſeres, colore vario circumnotatis inſignibat animalibus. [4] hinc dra-

INTERPRETATIO.

& pedem intuli in oſtium Proſerpinæ, ac redii, delatus per univerſa elementa. Vidi mediâ nocte ſolem fulgentem ſplendidâ luce: acceſſi manifeſtò ad Deos Inferos, & ad Deos Superos, & eos veneratus ſum è propinquo. En narravi tibi, quæ neceſſariò non intelliges, quamvis ea audieris. Narrabo igitur tantùm id, quod poteſt exponi captui profanorum ſine crimine. Manè advenit: &, peractis cærimoniis, ego prodii ſanctè veſtitus duodecim veſtibus, habitu quidem valdè myſtico, ſed nullâ lege impedior quin de eo loquar: quia nimirùm qui tunc aderant eum viderunt. Ego enim conſcendi juſſu ſacer*doris ſolium ligneum poſitum in ipſo medio templi* ſpatio, *ante effigiem Deæ,* eramque *pectabilis veſte, lineâ quidem, ſed eleganter pictâ. Et pretioſa chlamys pendebat* mihi *ex humeris poſt tergum uſque ad calces. undecunque tamen aſpicerer, diſtinctus eram animalibus circumpictis diverſo colore. Hic* erant

NOTÆ.

Suprà hoc libro, *quippe cùm tranſactis vitæ temporibus, jam in ipſo finitæ lucis limine conſtitutos, queis tamen tutò poſſint magna religionis committi ſilentia, numen Deæ ſoleat eligere, & ſuâ providentiâ quodam modo renatos, ad nova reponere rursùs ſalutis curricula.*

1. *Nocte mediâ vidi ſolem, &c.*] Dio Chryſoſtomus, Orat. 12. ubi de Myſter. iis initiato: Πολλὰ ὁρῶντα μυστικὰ Θεάμα- κτα, πολλῶν δ' ἀκούοντα τοιούτων φωνῶν: σκότους τε καὶ φωτὸς ἐναλλὰξ αὐτῷ φαι- νομένων, ἄλλων τε μυρίων γινο- μένων, *videntem multas myſticas viſiones, mu- ltas quoque tales voces audientem: di- m tenebræ & lumen alternatim ipſi ap- parent, & innumera alia fiunt.*

2. *Quæ, quan- nvis audita, ignores tamen neceſſe eſt.*] Quia tam obſcurè narravi, nullis adjectis circumſtantiis, ut audiens non audiveris, & ſciens neſcias. Quidam habent, *quæ quamvis audita ignores, tamen credere neceſſe eſt.* Sed malo priorem lectionem.

3. *Duodecim ſacratus ſtolis.*] Stolas hìc intellige veſtes quaſdam ſacerdotales Quod autem duodecim ejuſmodi veſtibus amictus fuerit, inde fortaſſe factum eſt, quid hìc eſt ſignorum Zodiaci numerus, quem in ſacris Iſidis (quæ Luna eſt) magnam profectò vim habere oportebat. Unde, non *indutum* ſe modò illis duodecim ſtolis, ſed *ſacratum* fuiſſe dicit.

4. *Hinc dracones Indici.*] India dracones gignit maximos cum elephantibus perpetuâ diſcordiâ bellantes, teſte Plin. lib. 7. cap. 11.

cones Indici, [1] inde gryphes Hyperborei: [2] quos, in ſpeciem pinnatæ alitis, generat mundus alter. hanc Olympiacam ſtolam ſacrati nuncupant. At manu dexterâ gerebam flammis adultam facem: & caput decorè corona cinxerat, palmæ candidæ foliis in modum radiorum proſiſtentibus. Sic ad inſtar Solis [3] exornato, & in vicem ſimulacri conſtituto, repentè velis reductis, aſpectum populi inerrabam. Exhinc feſtiviſſimum [4] celebravi natalem ſacrorum & ſuaves epulæ, & faceta convivia. Dies enim tertius pari cærimoniarum ritu celebratus, & jentaculum religioſum, & teletæ legitima conſummatio. Paucis dehinc ibidem commoratus diebus, inexplicabili voluptate ſimulacri divini perfruebar: irremunerabili quippe beneficio pigneratus. Sed tamen Deæ monitu, licet non plenè, tamen pro meo modulo, ſupplicuè gratiis perſolutis, tardam ſatis domuitionem comparo. Vix equidem abruptis ardentiſſimi deſiderii retinaculis, provolutus denique ante conſpectum Deæ, & facie meâ diu deterſis veſtigiis ejus, lacrymis obortis, ſingultu crebro ſermonem interficiens, & verba

INTERPRETATIO.

dracones Indici, illic gryphes Hyperborei, quos alter orbis procreat ad formam volucris alatæ. Religioſi vocant eam veſtem Olympiacam. Sed ferebam manu dextrâ facem accenſam flammis, & habebam caput decenter redimitum coronâ, foliis palmæ candidæ promicantibus inſtar radiorum. Cum ſic ornatus eſſem in modum Solis & poſitus in loco effigiei, retractis ſubito velis, ferebar per oculos populi. Poſteà celebravi læti ſſimum diem initiationis meæ: & appoſitæ ſunt *jucundæ dapes, &* celebrata *convivia jocis condita. Tertius etiam dies celebratus eſt iiſdem cærimoniis, & factum eſt ſacrum jentaculum, & initiatio ritè abſoluta eſt. Deinde manens ibidem per aliquot dies percipiebam voluptatem, quam exprimere non poſſum,* ex *contemplatione effigiei Deæ: addictus nempè* ipſi *beneficio omni remuneratione majori. Attamen monitione Deæ, actis* ipſi *ſuppliciter gratiis, non condignis quidem, ſed ſaltem ſecundùm meas facultates, propero me lentè admodum ad redeundum domum. Poſtquàm ægrè fregi vincula ardentiſſimi deſiderii,* quo tenebar, remanendi apud Deam, *proſtratus tandem coram ipſa & abſterſis diu ejus veſtigiis meo vultu lacrymis manantibus, interſecans orationem meam frequentibus ſingultibus, &*

NOTÆ.

1. *Inde gryphes Hyperborei.*] Servius ad Eclogam 8. Virgilii, *Gryphes genus ferarum in Hyperboreis naſcitur montibus.*

2. *Quos in ſpeciem pinnatæ alitis generat mundus alter.*] Quidam Hyperboreos, apud quos naſci gryphes dicuntur, medios fecere inter utrumque ſolem, Antipodum ſcilicet occaſum, & orientem noſtrum: ex quorum mente hic loquitur Apuleius. Plinius tamen hoc negat. Pinguntur autem Gryphes alis & roſtro aquilis ſimiles, cætera leones.

3. *Exornato.* Supple *me*: vel lege cum Ald. codice *exornatus*, & paulò pòſt *conſtitutus*: quod melius puto.

4. *Celebravi natalem ſacrorum.*] Servius ad 3. Eclog. *Natales, apud majores plenum nomen eſt. Poſteritas, natales dies, dicere cœpit.* Natalem ſacrorum vocat hic diem, quo conſecratus fuerat, quaſi illo die unâ cum religioſo ſtatu novam vitam fuiſſet auſpicatus.

devorans, aio: Tu quidem ſancta, & humani generis ſoſpitatrix perpetua, ſemper fovendis mortalibus munifica, dulcem matris affectionem miſerorum caſibus tribuis. nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue, tuis tranſcurrit beneficiis otioſum; quin mari terrâque protegas homines, &, depulſis vitæ procellis, ſalutarem porrigas dexteram, quâ Fatorum etiam inextricabiliter contorta retractas licia, & Fortunæ tempeſtates mitigas, & ſtellarum noxios meatus cohibes. Te Superi colunt: obſervant Inferi: tu rotas orbem: [1] luminas Solem: regis mundum: calcas Tartarum. Tibi reſpondent ſidera, gaudent numina, redeunt tempora, ſerviunt elementa. tuo nutu ſpirant flamina, nutriuntur nubila, germinant ſemina, creſcunt germina. Tuam majeſtatem perhorreſcunt aves cœlo meantes, feræ montibus errantes, ſerpentes ſolo latentes, belluæ ponto natantes. At ego referendis laudibus tuis exilis ingenio, & adhibendis ſacrificiis tenuis patrimonio: nec mihi vocis ubertas, ad dicenda quæ de tuâ majeſtate ſentio, ſufficit: nec ora mille, linguæque totidem, vel indefeſſi ſermonis æterna ſeries. Ergo, quod ſolùm poteſt, religioſus quidem, ſed pauper alioquin, efficere, curabo. divinos tuos vultus, numenque ſacratiſſimum intra pectoris mei ſecreta conditum perpetuò cuſtodiens, imaginabor. Ad iſtum modum deprecato ſummo numine,

INTERPRETATIO.

ſuffocans meas *voces*, *dico*: Tu *quidem ſancta*, *& aſſidua conſervatrix generis humani*, *ſemper liberalis in nutriendis hominibus*, *præſtas dulcem affectum parentis calamitatibus infortunatorum. neque dies*, *aut nox ulla*, *ac ne breviſſimum quidem punctum temporis elabitur vacuum tuis beneficiis*, *quin tucaris homines in terrâ*, *& in mari*, *&*, *diſſipatis tempeſtatibus vitæ*, *offeras* eis *manum ſervatricem*, *quâ retrahis etiam fila Parcarum inexplicabiliter contorta*, *& ſedas procellas fortunæ*, *& coërces noxios curſus aſtrorum. Superi te colunt*: *Inferi te venerantur*: *tu mundum agis in gyrum*; tu *colluſtras Solem*: tu *gubernas orbem*; tu *pedibus premis infernum. Stellæ tibi obſequuntur*, in te *Dii lætantur*, tuo juſſu *vertuntur anni tempeſtates*, *elementa tibi obediunt. ad tuum arbitrium venti flant*, *nubes concreſcunt*, *ſeminæ germinant*, *germina adoleſcunt. Volucres volantes per aërem*, *feræ vagantes in montibus*, *angues abditi in terrâ*, *cete natantia in mari*, *reformidant tuam majeſtatem. Verùm ego ſum tenuioris ingenii*, quàm ut poſſim *referre tuas laudes & patrimonii anguſtioris* quàm par eſſet, *ad offerenda* tibi *ſacrificia* condigna: *nec mihi ſuppetit copia verborum*, *ad exprimenda* ea, *quæ cogito de tuâ majeſtate*; *nec* mihi ſunt *mille ora*, *ac totidem linguæ*, *aut perpetuum filum orationis infatigabilis.* Ego *igitur faciam*, *quod poteſt* facere vir, *religioſus quidem*, *ſed inops. repræſentabo* mihi *tuam faciem divinam*, *& tuam ſanctiſſimam majeſtatem*, *atque illam ſervabo ſemper conditam in intimo meo pectore. Sic oratâ ſupremâ Deâ*,

NOTÆ.

1. *Luminas ſolem.*] Hinc evidens eſt, per Iſidem ab Apuleio non tantùm Lunam intelligi, ſed ipſam rerum naturam, ſeu animam mundi, ac ſummum numen. Quis enim à Lunâ Solem illuminari dicat?

complexus Mithram ſacerdotem, & [1] meum jam parentem, collóque ejus multis oſculis inhærens, veniam poſtulabam, quód eum condignè tantis beneficiis remunerari nequirem. Diu denique gratiarum gerendarum ſermone prolixo commoratus, tandem digredior: & rectà, patrium Larem reviſurus meum poſt aliquam multum temporis, contendo: pauciſque póſt diebus, Deæ potentis inſtinctu, raptim conſtrictis ſarcinulis, nave conſcensâ, Romam verſus profectionem dirigo: tutuſque proſperitate ventorum ferentium, [2] hauſi portum celerrimè, ac dehinc carpento pervolavi: veſperâque, quam dies inſequebatur Iduum Decembrium, [3] ſacroſanctam iſtam civitatem accedo. Nec ullum tam præcipuum mihi exinde ſtudium fuit, quàm quotidie ſupplicare ſummo numini Reginæ Iſidis: quæ, de templi ſitu ſumpto nomine [4] Campenſis, ſummâ cum veneratione propitiatur. Eram denique cultor aſſiduus, fani quidem advena, [5] religionis autem indigena. Ecce, [6] tranſcurſo ſignifero circulo, Sol magnus annum

INTERPRETATIO.

amplector Mithram ſacerdotem, quem *jam* vocabam *meum parentem*, *& affixus ejus cervici, ac ingerens crebra oſcula, rogabam eum veniam, quod non poſſem ei retribuere mercedem dignam tantis beneficiis. Denique, cùm diu demoratus eſſem in agendis ipſi gratiis longâ oratione, diſcedo tandem. & rectà eo in meam paternam domum, reviſurus eam poſt valdè longum tempus: & poſt paucos dies, monitu Deæ potentis, colligo celeriter ſarcinas* meas, *& conſcendo navem, ac dirigo iter Romam verſus: & ſecurus ſecundo flatu ventorum, quibus impellebar, intravi velociſſimè in portum. deindeque celeriter delatus ſum curru; & pervenio ad hanc ſacroſanctam civitatem pridie Idus Decembres veſperè. Nec poſteà mihi fuit ulla cura tam præcipua, quàm quotidie orare ſupremum numen Reginæ Iſidis: quæ colitur cum maximà veneratione ſub nomine* Iſidis *Campenſis, quod* nomen *ſortita eſt à ſitu* ſui *templi. Denique eram aſſiduus adorator, extraneus quidem in templo, ſed domeſticus Religionis. Ecce cùm Sol magnus, emenſus circulum ſignorum, abſol-*

NOTÆ.

1. *Meum jam parentem.*] Quia cùm eum miniſteriis initiaſſet, videbatur ipſum ſecundò genuiſſe, vitæ ſcilicet religioſæ.

2. *Hauſi portum.*] Sic vett. edit. Lipſius legebat, *Auguſti portum.* ſed abſque ullo ſenſu. Non eſt mutanda antiqua lectio. *Haurire portum* eſt *penetrare portum, intrare in portum.* Sic *gladio latus haurire*, eſt *gladio latus penetrare. Portum* autem κατ' ἐξοχὴν vocat Oſtiæ portum, qui Romanorum erat portus: quemadmodum & ipſa Roma *urbs* antonomaſticè dicebatur.

3. *Sacroſanctam iſtam civitatem.*] Romam, quæ Deorum ſedes exiſtimata, & cujus verum nomen ne in ſacris quidem eloqui licitum erat.

4. *Campenſis.*] Templum Iſidis fuit in Campo Martio: unde *Campenſis* eſt dicta. Juvenalis, Satyra 6.

calidâque petitas
A Meroë portabit aquas, ut ſpargat in ædem
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ovili.

Quod *ovile* in Campo Martio fuiſſe, notum ex Livio & aliis.

5. *Religionis autem indigena.*] Quia ſacris Iſidis Corinthi fuerat initiatus.

6. *Tranſcurſo ſignifero circulo.*] Zodiaco, cujus decurſu ſol annum complet.

compleverat; & quietem meam rursùs interpellat numinis benefici cura[1] pervigilis: & rursùs teletæ, rursùs ſacrorum commonet. Mirabar quid rei tentaret, quid pronuntiaret futurum. quidni? pleniſſimè jamdudum videbar initiatus. Ac dum religioſum ſcrupulum partim apud ſenſum meum diſputo, partim ſacratorum conſiliis examino; novum mirumque planè comperio: Deæ quidem me tantùm ſactis imbutum, at magni Dei, Deûmque ſummi parentis, invicti Oſiris necdum ſacris illuſtratum. [2] quanquam enim connexa, immò verò unica ratio numinis religioniſque eſſet, tamen teletæ diſcrimen intereſſe maximum. prohinc, me quoque peti magno etiam Deo famulum, ſentire deberem. Nec diu res in ambiguo ſtetit. Nam proximâ nocte vidi quemdam de ſacratis, linteis intectum, [3] qui thyrſos, & hederas, & tacenda quædam gerens, ad ipſos meos Lares collocaret: & occupato ſedili meo, religionis amplæ denuntiaret epulas. Is, ut agnitionem mihi ſcilicet certo aliquo ſui ſigno ſubminiſtraret, ſiniſtri pedis talo paululùm reflexo, cunctabundo clementer incedebat veſtigio. Sublata eſt ergo, poſt tam manifeſtam Deûm voluntatem, ambiguitatis tota caligo. Et illicò Deæ matutinis perfectis ſalutationibus, ſummo ſtudio percontabar ſingulos, ecqui veſtigio ſimilis, ut ſomnium?

INTERPRETATIO.

viſſet annum, vigilans cura Deæ beneficæ interrumpit iterùm ſomnum meum; & iterùm me commonefacit ſacrificii, & initiationis. Stupebam quid moliretur, quid prædicaret eventurum. Mihi *enim videbar jampridem abundantiſſimè initiatus. Dumque partim examino apud meum animum, partim expendo conſiliis ſacerdotum meum ſcrupulum religioſum; cognoſco rem novam & prorsùs admirabilem: me* nempè *initiatum quidem duntaxat ſacris Deæ, ſed nondum initiatum ſacris magni Dei, ac ſupremi patris Deorum, invicti Oſiridis. Quamvis enim ratio divinitatis, & religionis* eorum *eſſet conjuncta, quinimmò eadem prorsùs, maximam tamen eſſe differentiam inter eo*rum *initiationes. mihi itaque notum eſſe debere, me etiam poſtulari à magno Deo in miniſtrum. Neque res fuit diu in dubio. Nocte enim ſequenti vidi*, per ſomnum, *quemdam ex ſacerdotibus amictum lineis* veſtibus, *qui ferens thyrſos, & hederas, & quædam* alia, *quæ nefas eſt dicere, apponebat* ea *ipſis meis* Diis *penatibus: & ſedens in meâ ſellâ, indicebat* mihi, ut pararem *convivium magnæ religionis. Ille placidè incedebat claudicanti gradu, talo pedis ſiniſtri paululùm incurvato, ut nempè mihi daret aliquod indicium, quo ipſum agnoſcerem. Igitur tota obſcuritas dubii ſublata eſt, poſt tam evidentem* declarationem *voluntatis Deorum. Et manè ſimul ac ſalutavi Deam, ſtudioſiſſimè interrogabam unumquemque, num aliquis eſſet inceſſu ſimilis* ei, quem videram *per ſomnium?*

NOTÆ.

1. *Pervigilis.*] Pro *pervigil.*

2. *Quanquam enim connexa, &c.*] Hinc liquet unicum fuiſſe, etiam paganis, Deum, cui pro variis muneribus & attributis, varia nomina, & numina tribuebant, quorum fœminina omnia noſter Iſidi attribuit, & maſculina Oſiri, quos tamen unum idemque numen fuiſſe ait, eâdemque religione coli, excepto teletæ ritu, & apparatu.

3 *Qui thyrſos, & hederas*, &c.] Thyrſi erant haſtæ pampinis & hederis

Nec is defuit. nam de Paſtophoris unum conſpexi ſtatim, præter indicium pedis, cætero etiam ſtatu atque habitu examuſſim nocturnæ imagini congruentem : quem Aſinium Marcellum vocitari cognovi poſteà, [1] deformationis meæ non alienum nomen. Nec moratus, conveni protinùs eum, ſanè nec ipſum futuri ſermonis ignarum : quippe jamdudum conſimili præcepto ſacrorum miniſtrandorum commonefactum. Nam ſibi viſus eſt quiete proximâ, dum magno Deo coronas exaptat : [2] & de ejus ore, quo ſingulorum fata dictat, audiſſe, mitti ſibi Madaurenſem, ſed admodùm pauperem, cui ſtatim ſua ſacra deberet miniſtrare. nam & [3] illi ſtudiorum gloriam, & [4] ipſi grande compendium ſuâ comparari providentiâ. Ad iſtum modum deſponſus ſacris, ſumptuum tenuitate, contrà votum meum, retardabar. Nam & viriculas patrimonii peregrinationis attriverant impenſæ; [5] & erogationes urbicæ priſtinis illis provincialibus antiſtabant. Plurimùm ergo duritiâ paupertatis intercedente, quod ait vetus proverbium, [6] inter ſacrum & ſaxum poſitus, cruciabar. nec ſeciùs tamen identidèm

INTERPRETATIO.

Et ille inventus eſt, nam ſtatim vidi unum ex Paſtophoris apprimè convenientem cum imagine, quam *noctu* videram, *non tantùm ſigno pedis, ſed etiam reliquâ ſtaturâ, atque habitu : quem reſcivi poſteà vocari Aſinium Marcellum, quod nomen ſatis alludebat ad meam mutationem. Et abſque morâ, adivi protinùs illum, qui etiam non ignorabat, quid eſſem ſibi dicturus, quia jam pridem monitus fuerat ſimili mandato, ut me initiaret ſacris. Nam ſibi viſus eſt nocte ſuperiore, inter aptandum coronas ſummo Deo, audiviſſe etiam de ejus ore, quo pronuntiat ſortes omnium, ad ſe mitti Madaurenſem, ſed valdè egenum, quem protinùs deberet initiare ſuis ſacris. Suâ enim providentiâ* aiebat *præparari ei laudem ex ſtudiis, & ipſi magnum lucrum. Sic promiſſus ſacris, retardabar contra meum deſiderium inopiâ* pecuniæ, quâ facerem *impenſas. Sumptus enim itineris conſumpſerant meas parvas opes : & largitiones,* quas oportebat me facere *Romæ, ſuperabant illas priores,* quas feceram *in provinciâ. Igitur durâ egeſtate multùm adverſante* meis votis, *torquebar poſitus inter ſacrum & ſaxum, ut fert vetus adagium. Nihilo*

NOTÆ.

involutæ, ac circumfuſæ. Porrò thyrſi & hederæ inſignia Bacchi erant, quæ meritò Oſiri tribuuntur, cùm ipſe ſit Liber pater.

1. *Deformationis meæ non alienum nomen.*] Inter *Aſinum* enim, in quem mutatus fuerat, & *Aſinium* magna cognatio eſt.

2. *Et de ejus ore, quo ſingulorum fata dictat.*] Fata Jovi (qui idem Oſiris eſt) cum tabulis aſſiſtere, & quidquid homini cuique eventurum eſſet, ipſo dictante notare credebantur. Latinus Bacatus, in Panegyrico : *Utrum te tamen admones ipſe ? an ut illi majeſtatis tuæ participi Deo feruntur aſſiſtere Fata cum tabulis, ſic tibi aliqua vis divina ſubſervit, quæ, quod dixeris, ſcribat, & ſuggerat ?*

3. *Illi.*] Madaurenſi.

4. *Ipſi.*] Aſinio Marcello.

5. *Et erogationes urbicæ priſtinis illis, &c.*] Senſus eſt, erogationes pecuniarum, quas in urbe Româ facere cogebar, ut Oſiridis ſacris initiarer, longè majores erant, quàm illæ priores, quas Corinthi in Achaiâ Provinciâ feceram, cùm fueram Iſidis ſacris initiatus.

6. *Inter ſacrum, & ſaxum poſitus.*] Sic apud Plautum, Capt. Act. 3. Scen. 4.

——— *nunc ego omninò occidi*
Nunc ego inter ſacrum ſaxumque ſto;
nec quid faciam ſcio.

numinis premebar inſtantiâ. Jamque ſæpiculè, non ſine magnâ turbatione, ſtimulatus, poſtremò juſſus, veſte ipsâ meâ quamvis parvulâ diſtractâ, ſufficientem corraſi ſummulam. & idipſum præceptum fuerat ſpecialiter. An tu, inquit, ſi quam rem voluptati ſtruendæ molireris, laciniis tuis nequaquam parceres, nunc tantas cærimonias aditurus, impœnitendæ te pauperiei contaris committere? Ergo igitur cunctis affatim præparatis, rursùs decem diebus inanimis contentus cibis, inſuper etiam de Serapis principalis Dei nocturnis orgyis illuſtratus, plenâ jam fiduciâ germanæ religionis, obſequium divinum frequentabam. Quæ res ſummum peregrinationi meæ tribuebat ſolatium, nec minùs etiam victum uberiorem ſubminiſtrabat. [1] quidni? ſpiritu faventis Eventûs, quæſticulo forenſi nutrito, per patrocinia ſermonis Romani. Et ecce, poſt paucum tempus, inopinatis, & uſquequaque mirificis imperiis Deûm, rursùs interpellor, & cogor tertiam quoque teletam [2] ſuſceptare. Nec levi curâ ſollicitus, ſed oppidò ſuſpenſus animi, mecum ipſe cogitationes exercitiùs cogitabam. quorsùs nova hæc & inaudita ſe cœleſtium porrigeret intentio: quod ſubciſivum, quam-

INTERPRETATIO.

tamen minus urgebar ſubinde inſtantiâ Dei. Et jam ſæpè inſtigatus, non abſque ingenti perturbatione, noviſſimè juſſu Dei *adactus venditâ meâ veſte, licet tenui, collegi ſummam ſufficientem. Atque hoc mihi fuerat expreſsè imperatum. An tu (aiebat* mihi numen) *nullatenus parceres veſtibus tuis, ſi aggredereris aliquid ad procurandam* tibi *voluptatem, nunc verò cùm initiandus ſis ſacris, dubitas te committere paupertati non pœnitendæ? Omnibus igitur abundanter præparatis, rursùs contentus cibis inanimatis per decem dies, prætereà eruditus quoque nocturnis ſacris maximi Dei Serapidis, fungebar jam obſequio divino cum perfectâ confidentiâ*, quam mihi dabant *cognatæ religiones. Quod præbebat magnum ſolamen meæ peregrinationi, & ſimul ſuppeditabat* mihi *largiùs unde viverem. quippe cùm alerer lucro, quod, aſpirante bono Eventu, faciebam in foro, orando cauſas Latino ſermone. Et poſt aliquantulum temporis, iterùm excitor imperiis Deorum improviſis, & prorsùs mirificis, & compellor ad ſuſcipiendam tertiam conſecrationem. At ego non parùm anxius, ſed valdè ſollicitus animo, revolvebam ſæpiùs apud me cogitationes meas, quorsùm evaderet hæc nova & inaudita voluntas Deorum: quid ſupereſſet adhuc addendum initia-*

NOTÆ.

Proverbium hoc de iis dicitur, qui perplexi neſciunt quò ſe vertant, inſtante undique periculo. Tractum eſt ex priſcis fœderis feriendi cærimoniis, in quibus Fecialis porcum ſaxo feriebat, hæc pronuntians: *Qui prior populus fœdus rumpet, ita eum feriat Jupiter, quemadmodum ego porcum hoc lapide ferio.* Quod dum fieret, porcus ille inter ſacrum fœderis & ſaxum Fecialis ſtabat periculo proximus, & jamjam moriturus.

1. *Quidni? ſpiritu faventis Eventûs,* &c.] Hoc vult dicere, ſe poſt ſecundam illam initiationem magis faventem habuiſſe fortunam, & plures oraviſſe cauſas, & ampliores mercedes percepiſſe, quibus pauperiem ſuam reficeret. De bono Eventu Deo jam diximus, initio lib. 4 pag. 102.

2. *Suſceptare.*] Ita reponit Vowerius. Quod ſi vulgatam lectionem retinere malis, *tertiam teletam ſuſcitare*: expone *tertium ſacrificium inſtruere.*

vis iteratæ jam, traditioni remanſiſſet. Nimirùm perperàm, vel minùs plenè conſuluerunt in me [1] ſacerdotes utrique. & hercules jam de fide quoque eorum opinari cœptabam ſequiùs. Quò me cogitationis æſtu fluctuantem, ad inſtar inſaniæ percitum, ſic inſtruxit nocturnâ divinatione clemens imago: Nihil eſt, inquit, quod numeroſâ ſerie religionis, quaſi quidquam ſit priùs omiſſum, terreare. quin aſſiduâ iſtâ numinum dignatione lætum capeſſe gaudium, & potiùs exulta, ter futurus, quod aliis vel ſemel vix conceditur: téque [2] iſto numero meritò præſume ſemper beatum. Cæterùm futura tibi ſacrorum traditio perneceſſaria eſt; ſi tecum nunc ſaltem reputaveris, [3] exuvias Deæ, quas in provinciâ ſumſiſti, in eodem fano depoſitas perſeverare: nec te Romæ diebus ſolemnibus vel ſupplicare his, vel cùm præceptum fuerit, felici illo amictu illuſtrari poſſe. QUOD FELIX ITAQUE AC FAUSTUM SALUTAREQUE TIBI SIT, animo gaudiali rursùm ſacris initiare, [4] Diis magnis auctoribus. Hactenùs divini ſomnii ſuada majeſtas, quòd uſus foret, pronuntiavit.

INTERPRETATIO.

tioni jam bis repetita. Nempè (aiebam) *utrique ſacerdotes malè conſuluerunt mihi, aut* ſaltem, *non quantum opus erat. & profectò jam incipiebam quoque malè ſentire de fide eorum. Quâ agitatione cogitationis cùm jactarer, & commotus eſſem perinde ac ſi inſanirem, mite ſimulachrum* Dei *ſic me edocuit nocturnâ viſione. Non eſt, inquit, quòd terrearis longâ ſerie ſacrorum, quaſi aliquid ſit prætermiſſum antehàc. Quin potiùs percipe magnum gaudium, ob honorem, quo te Dii af*ficiunt *aſſiduè, & lætare potiùs, cùm futurus ſis ter, quod ægrè conceditur alii* ut ſit *vel ſemel: & jure confide ex iſto numero te ſemper fore felicem. Porrò initiatio futura tibi valdè neceſſaria eſt; ſi nunc ſaltem cogitaveris apud te, veſtem Deæ, quam induiſti in provinciâ, remanere depoſitam in eodem templo: neque te poſſe ſupplicare in ejuſmodi* veſte *Romæ, diebus ſolemnibus, aut etiam inſigniri illo beato veſtimento, cùm fuerit imperatum. Igitur,* QUOD TIBI SIT FELIX AC FAUSTUM, ET SALUTARE, *ſuſcipe iterùm ſacra hilari animo juſſu magnorum Deorum. Hactenùs majeſtas ſuaſoria ſomnii divini* mihi *dixit quod opus erat facere.*

NOTÆ.

1. *Sacerdotes utrique.*] Mithras ſcilicet, qui eum ſacris Iſidis initiaverat in Achaiâ, & Aſinius Marcellus, qui Serapidis, Romæ.

2. *Iſto numero.*] *Ternario*, qui myſticus admodùm, & optimi augurii eſt. Alludit ad τρὶς μάκαρες.

3. *Exuvias Deæ.*] Stolam illam, Olympiacam nuncupatam, Draconibus Indicis, & Gryphibus Hyperboreis inſignitam, quam induerat, dum Iſidis ſacra ſuſciperet, quámque Iſidi ex more dicatam, in ejus templo reliquerat. Ejuſmodi enim veſtes, in quibus initiati erant, Diis aut Deabus, quorum ſacra ſuſceperant, appendere & dedicare conſueverant, ut ex vetere Ariſtophanis Scholiaſte patet, ad hunc verſum Pluti:

Μὲν ἐν ᾗ ἐμυήθης ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;

4. *Diis magnis auctoribus.*] Oſiri ſive Serapide, & Iſide. M. Varro: *Principes Dei Cœlum & Terra, hi Dii iidem qui Ægypti Serapis, & Iſis: in Latio Saturnus, & Ops. Cœlum enim & Terra, ut Samothracum initia docent, ſunt Dii magni, & hi, quos dixi multis nominibus.* &c.

Nec deinceps poſtpoſito , vel in ſupinam procraſtinationem rejecto negotio , ſtatim ſacerdoti meo relatis quæ videram , [1] inanimæ protinus caſtimoniæ jugum ſubeo : & lege perpetuâ præſcriptis illis decem diebus ſpontali ſobrietate multiplicatis , inſtructum teletæ comparo : largiùs ex ſtudio pietatis magis , quàm menſurâ rebus collatis. Nec, hercules , laborum me , ſumptuumque quidquam pœnituit. quidni ? liberali Deûm providentiâ jam ſtipendiis forenſibus bellulè fotum. Denique per dies admodùm pauculos , Deus Deûm magnorum potior , & majorum ſummus , & ſummorum maximus , & maximorum regnator Oſiris , non in alienam quampiam perſonam reformatus , ſed coràm ſuo illo venerando me dignatus affamine , per quietem præcipere viſus eſt , quàm nunc incontanter glorioſa in foro redderem patrocinia : nec extimeſcerem malivolorum diſſeminationes , quas ſtudiorum meorum laborioſa doctrina [2] ibi exercebat. Ac, ne ſacris ſuis gregi cætero permixtus deſervirem , in collegium me Paſtophororum ſuorum , immò [3] inter ipſos Decurionum quinquennales elegit.

INTERPRETATIO.

Ego verò non neglexi negotium poſteà , neque diſtuli ignavâ cunctatione , ſed *iis , quæ videram protinùs narratis meo ſacerdoti , ſubdo me ſtatim caſtitati , &* eſui ciborum *inanimatorum : & multiplicatis ultroneâ abſtinentiâ illis decem diebus præſcriptis lege perpetuâ , emo quæ opus erant ad apparatum ſacrificii initiatorii , res erogans liberaliùs ex affectu pietatis potiùs , quàm ad menſuram* certam. *Et profectò nullatenus me pœnituit laborum , atque impenſarum* mearum. *Jam enim ſat pulchrè locupletatus* eram *mercedibus patrociniorum benignâ Deorum providentiâ. Poſtremò , poſt pauciſſimos dies , Deus præcipuus inter magnos Deos , & ſupremus majorum , & ſuprimorum maximus , & Rex maximorum Oſiris , non jam latens ſub quâpiam alienâ figurâ , ſed manifeſtò me alloquens ſuis divinis verbis , mihi viſus eſt per ſomnium imperare , ut jam abſque ullâ dubitatione cum laude agerem cauſas in foro , neque reformidarem obtrectationes invidorum , quibus doctrina mea, ſtudiis meis & labore parta , materiam præbebat. Et , ne miniſtrarem ſuis ſacris permixtus reliquæ turbæ religioſorum , adſcivit me in cœtum ſuorum Paſtophororum , quinimmò , & inter ipſos Decuriones quinquennales.*

NOTÆ.

1. *Inanimæ prorſùs caſtimoniæ.*] Caſtimoniæ, quæ erat conjuncta cum abſtinentiâ à cibis animatis.

2. *Ibi deſerviebat.*] Mendoſa procul dubio lectio. Pricæana editio habet *exercebat* , ſenſu apertiſſimo. ſed neſcio unde Pricæus id ſumpſerit : retinui tamen in Interpretatione. Beroaldus reponit *diſſerebat* , ſed malè ad rem. neque enim Apuleii doctrina malevolorum obtrectationes diſſerebat, ſed tantùm in causâ erat cur ipſi eas diſſererent. Adde , quòd *diſſeminationes diſſerere* invenuſta ſit , & putida repetio , Lucio noſtro indigna. Pricæanam lectionem retinemus donec certiorem aliquis nos doceat.

3. *Inter ipſos Decurionum quinquennales.*] Inter eos ex Decurionibus , quorum munus erat quinquennale. Per Decuriones autem intelligendi ſunt , qui aliquem dignitatis gradum inter Paſtophoros tenerent , præeſſentque certo ſacerdotum numero , putà decem , aut pluribus, paucioribus-ve. Quanquam enim

Rurſùs denique, [1] quàm raſo capillo, collegii vetuſtiſſimi, & [2] ſub illis Sullæ temporibus conditi munia, non obumbrato, vel obtecto calvitio, ſed quoquoverſùs obvio, gaudens obibam.

INTERPRETATIO.

Denique comâ rurſus penitùs deraſâ, hilariter fungebar officiis collegii antiquiſſimi, & conſtituti circà tempora Sullæ, non velans aut tegens calvitiem meam, ſed illam manifeſtans ab omni parte.

NOTÆ.

Decurionis nomen à *decem* ſit inclinatum, non ideò tamen exiſtimandum eſt Decuriones omnes decem ſemper hominibus præfuiſſe. Quin & Senatores ipſos municipiorum *Decuriones* fuiſſe appellatos, jam obſervavimus.

1. *Quam raro capillo.*] Beroaldus benè repoſuit *quam raſo.* Ex Apologiâ enim Apuleii conſtat eum non fuiſſe raripilum.

2. *Sub illis Sullæ temporibus conditi.*] Nulla apud hiſtoricos mentio extat conditum fuiſſe Syllæ temporibus Iſiacorum Paſtophororum collegium. Fortè, quia res hæc hiſtoricis digna viſa non eſt, quæ ſcriberetur. Corn. Tacitus refert, ex dignitate P. R. repertum eſſe res illuſtres ſcribendas annalibus mandare: minuta verò, & vilia (qualia ſunt hæc de collegio Paſtophororum) diurnis urbis actis tradi. Hæc conſulenda eſſent, ſi extarent.



LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI

PRO SE APUD CLARISSIMUM VIRUM CLAUDIUM MAXIMUM PROCONSULEM

*APOLOGIA

CERTUS equidem eram, próque vero obtinebam [1] Maxime

INTERPRETATIO.

O CLAUDI MAXIME, *& vos, qui ſedetis in conſeſſu, eram quidem*

NOTÆ.

* *APOLOGIA.*] Hanc Apologiam perperam editiones multæ in duas diſpeſcunt, quod temerè & abſurdè factum revincunt cùm D. Auguſtinus, qui lib. 8. *de Civitate Dei* unius tantùm meminit, quam *copioſiſſimam orationem* vocat; tùm ipſe hujus orationis tenor, qui à principio ad finem eſt uniformis, & peroratio, quæ eſt unica: quod ſanè non ſic ſe haberet, ſi duæ eſſent orationes. Idcircò eam uno titulo, atque uno tenore excudi curavimus poſt Iſaac. Caſaubonum, Scipionem Gentilem, & Joannem Pricæum, quorum operâ præcipuè in enucleandis, quæ in eâ occurrunt, difficultatibus, uſi ſumus.

1. *Maxime Claudi.*] Is erat Africæ

Claudi, [1] quíque in conſilio eſtis, [2] Sicinium Æmilianum, ſenem notiſſimæ temeritatis, accuſationem mei [3] priùs apud te cœptam, quàm apud ſe cogitatam, penuria criminum, ſolis conviciis impleturum. Quippe inſimulari quivis innocens poteſt: revinci, niſi nocens, non poteſt. Quo ego uno præcipuè confiſus, [4] gratulor medius fidius, quod mihi copia & facultas, te judice, obtigit, [5] purgandæ apud imperitos Philoſophiæ, & probandi mei. Quanquam iſtæ calumniæ, ut primâ ſpecie graves, [6] ita ad difficultatem deffenſionis repentinæ fuere. Nam, ut meminiſti, dies abhinc [7] quintus an ſextus eſt, cùm me cauſam pro uxore meâ Pudentillâ [8] adverſus Granios agere aggreſſum, de compoſito, nec opinantem, [9] patroni ejus inceſſere maledictis, & inſimulare Magicorum maleficiorum, ac denique [10] necis Pontiani

INTERPRETATIO.

certus, & pro vero habebam, Sicinium Æmilianum, ſenem audaciæ ſpectatiſſimæ, referturum tantummodò maledictis accuſationem, quam adverſus me incœpit antequàm apud ſe eam *meditatus eſſet*, ſcilicet *propter inopiam criminum. Nam quilibet inſons poteſt accuſari*, ſed *nemo poteſt convinci, niſi noxius. Quâ ſolâ re ego præſertim fretus, gaudeo profectò, quòd cùm ſis* meus *judex, poteſtas & libertas deffendendi Philoſophiam apud ignaros, & me purgandi, mihi contigit. Quamvis iſtæ calumniæ, quemadmodum erant graves primâ fronte, ita & ſubitæ fuerunt ad* majorem *difficultatem deffenſionis. Ut enim meminiſti, quinque aut ſex dies effluxerunt, ex quo, cùm cœpiſſem dicere cauſam pro Pudentillâ meâ uxore contra Granios: advocati ejus cœperunt de compacto me laceſſere conviciis inopinantem, & accuſare veneficiorum Magicorum, & poſtremò, mortis Pontiani.*

NOTÆ.

Proconſul, apud quem orationem hanc habuit Apuleius, quâ crimen Magiæ, aliaque ſibi objecta, longè à ſe removet.

1. *Quique in conſilio eſtis.*] Hi erant Conſiliarii ſeu Adſeſſores Proconſulis. Vide in eam rem Titulum Cod. *de Aſſeſſoribus & domeſticis & Cancellariis judicum.*

2. *Sicinium Æmilianum.*] Hic fuit patruus privignorum Apuleii, frater prioris mariti Pudentillæ, quæ Apuleio ſecundis nuptiis fuerat conjuncta.

3. *Priùs apud te cœptam, quàm apud ſe cogitatam.*] Maximæ temeritatis argumentum.

4. *Gratulor.*] Gaudeo. Hoc ſenſu uſurpavit etiam Mileſ. 3. *Hi gaudii nimietate gratulari*, ad quem locum vide quæ annotavimus pag. 80.

5. *Purgandæ apud imperitos Philoſophiæ.*] Cujus obſervationes & experimenta apud ignaros infamabantur, quaſi fuiſſent Magicæ ſuperſtitiones.

6. *Ita ad difficultatem deffenſionis repentinæ fuere.*] Id eſt, *fuerunt ſubitæ:* quod reddit deffenſionem difficiliorem, quia nempè non ſatis mihi reliquerunt ſpatii ad cogitandum.

7. *Quintus an ſextus eſt.*] Subintellige *neſcio*, aut *ambigo*, aut aliquid ſimile: ut ſit ſenſus: *dies eſt quintus, vel ſextus.*

8. *Adverſus Granios.*] *Granii* illi fuerint quipiam, quos inter & Pudentillam lis interceſſerit, quâ in lite advocatus ei fuit Apuleius, qui & Carthagini & Romæ quoque cauſidicus erat.

9. *Patroni ejus*] *Æmiliani*, qui fortè in illo judicio aderant. Caſaubonus reponebat *eorum*, intelligens Graniorum patronos. At quæ ſequuntur priorem lectionem & ſenſum firmant.

10. *Necis Pontiani privigni mei.*]

privigni

privigni mei cœpere. Quæ ego cùm intelligerem, non tam crimina judicio, quàm objectamenta jurgio prolata: ultrò eos ad accuſandum crebris flagitationibus provocavi. Ibi verò Æmilianus, cùm te quoque acriùs motum, & ex verbis [1] rem factam videret; quærere occepit ex diffidentiâ latibulum aliquod temeritati. Igitur Pontianum fratris ſui filium, cùm pauló priùs occiſum à me clamitaret: [2] poſtquàm ad ſubſcribendum compellitur, illicò oblitus eſt de morte cognati adoleſcentis, ſubitò tacens tanti criminis deſcriptionem. Tamen [3] ne omninò deſiſtere videretur, calumniam Magiæ, quæ faciliùs infamatur, quàm probatur, eam ſolùm ſibi delegit ad accuſandum. Ac ne id quidem de profeſſo audet; verùm poſterâ die dat libellum, nomine privigni mei Sicinii Pudentis admodùm pueri: [4] & adſcribit ſe ei aſſiſtere, novo

INTERPRETATIO.

mei privigni. Quæ cùm ego viderem non tam eſſe criminationes productas ad judicandum, quàm maledicta ad jurgandum; provocavi eos ipſe frequentibus poſtulationibus, ad me *accuſandum. Tunc verò Æmilianus, cùm cerneret te etiam graviùs commotum, & litem exortam* eſſe *ex* ſuis *verbis cœpit quærere aliquam latebram* ſuæ *audaciæ, quia non fidebat* cauſæ ſuæ. *Cùm ergo paulò antè clamaret Pontianum filium ſui fratris interfectum* fuiſſe *à me: ſimul ac juſſus eſt ſubſcribere* accuſationi, *oblitus eſt ſtatim* dicere *de nece juvenis* ſibi *conſanguinei, reticens ſubitò delationem tanti ſceleris. Nihilominùs, ne videretur prorſùs deſerere* accuſationem, *elegit ſibi tantùm ad* me *accuſandum, crimen Magiæ, quod objicitur faciliùs, quàm probatur. Et ne hoc quidem audet* facere *ex profeſſo. Sed die ſequenti offert libellum* accuſationis, *nomine Sicinii Pudentis mei privigni valdè juvenis, & adſcribit ſe ei*

NOTÆ.

Qui tamen obierat Carthagini, dum Apuleius Oeæ degeret, ut dicitur ſub finem Apologiæ hujus.

1. R*em factam.*] *Litem.* In Legibus 12. tabul. *Rei, ſive litis treis arbitros dato.* A *Re* vocatos eſſe *Reos* non ſolùm qui arguebantur criminis, ſed generatim omnes, de quorum rebus diſceptabatur, teſtis eſt Cicero in 2. *de Oratore.*

2. *Poſtquàm ad ſubſcribendum compellitur, illicò oblitus*, &c.] Subſcriptio Accuſatoris accuſationi pondus omne addebat, neque priùs cenſebatur accuſatio, quàm fuiſſet ſubſcripta. Id fiebat, ut ait Ulpianus, l. 7. ff. *de Accuſationibus & Inſcriptionibus*, ne facilè quis proſiliret ad accuſationem, cùm ſciret multam ſibi accuſationem non futuram. Subſcriptione factâ, non licebat Accuſatori ab accuſatione deſiſtere, quin pœnis ſubjaceret Senatuſconſulto Turpilliano latis in eos, qui ab accuſatione deſiſtunt. Hinc eſt quod multi multa convitio dicerent, quibus tamen ſubſcribere in accuſatione non auderent.

3. *Ne omninò deſiſtere videretur.*] Oratoriè agit Apuleius. neque enim deſiſtere dicebatur, niſi qui accuſationem ſubſcriptam desereret, neque pœna Senatuſconſulti Turpilliani cadebat in eos, qui prolata jurgio non probarent.

4. *Et adſcribit ſe ei aſſiſtere.*] Notandum diſcrimen inter *inſcribere*, *ſubſcribere* & *adſcribere*. *Inſcribere* dicitur Accuſator, cùm libello profitetur ſe Reum facere aliquem criminis alicujus, quæ inſcriptio libelli appellatur. qualis fuit hæc Æmiliani, nomine privigni adverſus Apuleium, infra relata. *Hunc ego* (nomen Apuleii præceſſit) *Domine Maxime, Reum apud te facere inſtitui plurimorum maleficio-*

more per alium laceſſendi : ſcilicet ut [1] obtentu ejus ætatulæ, ipſe inſimulationis falſæ non plecteretur. Quod cùm tu ſolertiſſimè animadvertiſſes, & idcircò eum denuò juſſiſſes proprio nomine accuſationem delatam ſuſtinere; pollicitus ita facturum, [2] ne ſic quidem quitus eſt. Ubi [3] ut cominùs ageret propellis; etiam adverſùm te contumaciter [4] eminùs calumniis velitatur. Ita toties [5] ab accuſandi periculo profugus; [6] in aſſiſtendi veniâ perſeveravit. Igitur & priuſquàm cauſa ageretur, facile intellectu cuivis fuit, qualiſnam accuſatio futura eſſet, [7] cujus qui fuerat auctor & machinator, idem fieri profeſſor timeret;

INTERPRETATIO.

adeſſe, novo ritu aggrediendi alieno nomine : ut nempè ipſe non puniretur ob falſam accuſationem, prætextu ejus teneræ ætatis. Quod cùm tu ſagaciſſimè deprehendiſſes, ideoque iterùm juſſiſſes eum tueri ſuo nomine accuſationem intentatam; ne ſic quidem potuit ad id adduci, quamvis *promiſiſſet ſe ita facturum. Et cùm ipſum urges, ut agat* adverſus me ex *proximo, jactat è longinquo etiam in te maledicta, cum eâdem pertinaciâ. Sic toties refugiens ab accuſando*, ubi erat *periculum, perſtitit in aſſiſtendo,* ubi erat *impunitas. Ergo antequàm etiam cauſa ageretur, quilibet facilè potuit cognoſcere, qualis ea accuſatio futura eſſet, quam ille non auderet profiteri, qui fuerat ejus auctor & artifex:*

NOTÆ.

rum, & manifeſtiſſimorum. Subſcribere eſt confirmare inſcriptionem, cùm is, qui libellum dedit, ſubſcribit ſe profeſſum eſſe. Et hæc ſubſcriptio eſt quaſi vinculum, quo ſe Accuſator ad pœnam talionis obligat, ſi temerè & falsò accuſaverit, aut Reum non peregerit. *Adſcribere* eſt ejus, qui non ipſe accuſat, ſed adſiſtit Accuſatori, ut Æmilianus hic Pudenti puero, vel tanquam Tutor, vel potiùs tanquam nudum præſtans miniſterium.

1. *Obtentu ejus ætatulæ.*] Non tamen adeò puer erat Pudens ille, quin jam virilem togam ſumpſiſſet, ut inferiùs dicitur. Ergo magis ei ut Curator aſſiſtebat Æmilianus, quàm ut Tutor. Pueritia porrò à pœnâ talionis, non probato crimine, pupillum exolvebat, ipſumque adeò Tutorem ob neceſſitatem officii, niſi cùm evidens erat calumnia, quo caſu nec Tutores, nec Curatores poterant infamiæ pœnam effugere. Hinc eſt, quòd Æmilianus cautè & timidè ſatis hoc in negotio ſe gerebat.

2. *Ne ſic quidem quitus eſt.*] *Nequivit, non potuit*, ſcilicet compelli ad accuſandum. ſimiliter Terentius, in Hecyrâ, Act. 4. Scena 1 *Forma in tenebris noſci non quita eſt.* Malè igitur, qui hîc *quietus* reponunt.

3. *Ut cominùs ageret.*] Directè, & de proximo me accuſaret, non autem per ambages, & nomine Pudentis.

4. *Eminùs calumniis velitatur.*] Indirectè, obliquè, & è longinquo appetit te calumniis. De hoc verbo *velitari* jam aliqua obſervavimus ad Metamorph. propriè ſignificat *eminùs jaculari.* tractum eſt à velitibus, qui milites erant levis armaturæ, quorum officium jaculis & fundis prælium eminùs auſpicari.

5. *Ab accuſandi periculo.*] Pœnâ talionis, quæ temerariis accuſatoribus impendebat.

6. *In aſſiſtendi veniâ perſeveravit.*] Aſſiſtendo enim tantùm, talionis periculo non ſubjacebat.

7. *Cujus qui fuerat auctor & machinator, idem fieri profeſſor timeret.*] Sic lege cum Pricæo. vulgò legitur *cujus qui fuerat profeſſor & machinator, idem fieri auctor timeret.* Emendationis ratio; quòd Æmilianum inſtigatorem quidem, auctorem ac ſuaſorem fuiſſe accuſationis Apuleii legimus; at eam nunquam auſum ſuo nomine profiteri.

ac præſertim Sicinius Æmilianus: qui, ſi quippiam veri in me explorâſſet, nunquam profectò tam cunctanter hominem extraneum tot tantorumque criminum poſtulâſſet; qui avunculi ſui teſtamentum, quod verum ſciebat, pro falſo infamârit, tantâ quidem pertinaciâ, ut cùm Lollius Urbicus V. C. VERUM VIDERI, ET RATUM ESSE DEBERE, [1] de conſilio Conſularium virorum pronuntiâſſet; contrà clariſſimâ voce juraverit vecordiſſimus iſte tamen, illud teſtamentum fictum eſſe, adeò ut ægrè Lollius Urbicus [2] ab ejus pernicie temperârit. [3] Quam quidem vocem, & tuâ æquitate & meâ innocentiâ fretus, ſpero in hoc quoque judicio [4] erupturum. Quippe qui ſciens innocentem criminatur: eò ſanè facilius, quòd jam, ut dixi, mentiens [5] apud præfectum urbis in ampliſſimâ causâ convictus eſt. Namque peccatum ſemel, ut bonus quiſque poſteà ſollicitiùs cavet: ita qui ingenio malo eſt, confidentiùs integrat; ac jam de cætero, quò ſæpiùs, eò apertiùs delinquit. Pudor enim, veluti veſtis, quantò ob-

INTERPRETATIO.

præcipuéque Sicinius Æmilianus: qui certè, ſi comperiſſet aliquid veri adverſus me, nunquam timidè accuſâſſet tot & tantorum criminum me *hominem* ſibi *alienum; ſiquidem diffamaverat teſtamentum avunculi ſui tanquam falſum, quod* tamen *ſciebat* eſſe *verum, idque cum tantâ obſtinatione, ut cùm Lollius Urbicus V. C. pronuntiâſſet ex ſententiâ Conſularium virorum*, illud APPARERE VERUM, ET RATUM HABENDUM ESSE: *hic tamen ſtultiſſimus contrà juraverit altiſſimâ voce, teſtamentum illud eſſe fictum; ita ut Lollius Urbicus vix abſtinuerit ab ejus exitio. Quæ quidem verba ego confiſus tuâ æquitate, & meâ innocentiâ, ſpero* eum *quoque prolaturum in hoc judicio. Quandoquidem eò certè faciliùs accuſat innocentem ſciens & prudens, quòd jam, (ut dixi) convictus eſt, mentiens apud præfectum urbis in causâ maximi momenti: ſicut enim quivis bonus, cùm peccavit ſemel, poſteà ſtudioſiùs cavet* ne iterùm peccet: *ita qui habet malam indolem, rursùs peccat audaciùs; & poſtmodùm quò ſæpiùs peccat, eò peccat manifeſtiùs. Verecundia enim* eſt *ut veſtis,*

NOTÆ.

1. *De conſilio Conſularium virorum.*] Senatores (in quibus Conſulares aliqui ſæpè erant) quinque Romæ in conſilio aderant Prætori, item quinque Equites, in provinciis Proconſuli aut Præſidi viginti viri, Recuperatores Peregrini appellati, ut ſcribit Theophilus, lib. 1. Inſtitut. Tit. 6. Paragraph. 4. adde Ulpian. Tit. 1. Paragraph. 13.

2. *Ab ejus pernicie.*] Id eſt, *quin eum damnaret capitis.* hoc enim ſonat *pernicies.* Tacitus, lib. 4. Annal. *Cremucius Cordus poſtulatur novo ac tunc primùm audito crimine, quod,* &c. *id perniciabile, reo viſum,* hoc eſt, *capitale.*

3. *Quam quidem vocem.*] Contumelioſam illam, quâ vecordiſſimus Æmilianus decretum Lollii Urbici inſectatus erat, quâ etiam, aut ejus ſimili auguratur Apuleius eundem Æmilianum pro ſuâ ſolitâ temeritate excepturum Maximi judicium, quod ipſi procul dubio futurum etiam eſt adverſum.

4. *Erupturum*] Sic Caſaubonus, pro *erupturam*, quod eſt in vulgatis. Refer ad Æmilianum, quem ſperat erupturum, id eſt, emiſſurum verba contumelioſa in Maximum. *Erumpere* hîc activè ſumitur, ut apud Terentium, Eunucho. *Erumpere gaudium.*

5. *Apud præfectum urbis,*] Lollium

ſoletior eſt, tantò incurioſiùs habetur. Et ideò neceſſarium arbitror pro integritate pudoris mei, priuſquàm ad rem aggrediar, maledicta omnia refutare. Suſtineo enim non modò meam, [1] verùm etiam Philoſophiæ defenſionem, cujus magnitudo vel minimam reprehenſionem pro maximo crimine [2] aſpernatur: propter quod paulò priùs patroni Æmiliani multa in me propriè conficta, & alia communiter in Philoſophos ficta ab imperitis, mercenariâ loquacitate effutierunt. Quæ etſi poſſunt ab his futiliter blatterata ob mercedem [3] & auctoramenta impudentiæ, deprehenſa haberi, jam conceſſo quodam more [4] rabulis id genus, quo ferinæ ſolent linguæ ſuæ virus [5] alieno dolori locare; attamen vel meâ causâ paucis refellenda ſunt: ne is, qui ſedulò laboro, ut ne quid maculæ aut inhoneſtamenti in me admittam, videar cuipiam, ſi quid ex frivolis præteriero, id agnoviſſe potiùs, quam contempſiſſe. Eſt enim prudentis animi & verecundi, ut mea opinio fert, vel falsâ vituperatione gravari; cùm etiam hi, qui ſibi delicti alicujus conſcii ſunt, tamen cùm malè audiunt, impendiò commoveantur, & obiraſcantur, quanquam, exinde ut malefacere cœperunt, conſueverint

INTERPRETATIO.

quæ *quanto eſt magis detrita, tantò magis negligitur. Atque eam ob rem puto neceſſarium eſſe ad conſervandam integram meam famam refellere omnia* ejus *convicia, antequàm ad rem ipſam veniam. Defendo enim non ſolùm me, ſed etiam Philoſophiam, cujus magnitudo reſpuit vel minimam vituperationem, quæ ad crimen accedat: quâ de causâ advocati Æmiliani paulò antè deblateraverunt garrulitate venali multa privatim exeogitata adversùs me, & alia generatim conficta ab ignaris adversùs Philoſophos. Quæ quamvis poſſit manifeſtò cognoſci vanè dicta fuiſſe ab eis propter præmium & mercedem impudentiæ* ſuæ, *cùm conſuetudo quædam jam conceſſa ſit ejuſmodi garrulis declamitatoribus, quâ ſolent pretio commodare venenum ſuæ linguæ viperinæ dolori aliorum; nihilominùs* ea *refutanda ſunt paucis verbis ſaltem meâ causâ: ne ego, qui ſtudioſè hoc ago, ne dem in me locum ulli dedecori, aut probro, ſi quid prætermiſero,* etiam *ex levioribus, alicui videar confeſſus eſſe illud potiùs, quàm aſpernatus. Nam (ut opinor) decet virum animi honeſti & verecundi non poſſe ferre vel falſum vituperium; cùm illi quoque qui ſciunt ſe commiſiſſe aliquod crimen, valdè tamen commoveantur & exardeſcant, quando audiunt* de ſe *malè* dici. *quamvis aſſueverint ſiniſtris* de ſe *rumoribus, ex quo*

NOTÆ.

Urbicum. Vetus inſcriptio lapidis Romæ:

APOLLINI
Q. LOLLIUS URBICUS
PRAEF. URB.

per *urbem* intellige Romam.

1. *Verùm etiam Philoſophiæ defenſionem.*] Cujus obſervationes & experimenta ab Æmiliano traducebantur, quaſi ad Magicas artes ſpectâſſent.

2. *Aſpernatur.*] Non poteſt pati.

3. *Et auctoramenta impudentiæ*] Lib. 2. Meram. *Hic, inquit, auctoratus ad cuſtodiam mariti tui fidenter acceſſit.* ad quem locum vide quæ annotavimus pag. 57.

4. *Rabulis id genus.*] Rabula acer eſt ac tumultuoſus declamator, ſive cauſidicus, ſic dictus à *rabie*, ut Feſtus & Nonius volunt, vel à *ravi*, hoc eſt, raucedine, quam vociferando contrahit: ut alii.

5. *Alieno dolori locare.*] Id eſt, aliis, ut ulciſcantur dolorem ſuum.

malè audire. Quod ſi à cæteris ſilentium eſt; tamen ipſi ſibimet conſcii ſunt, poſſe ſe meritò increpari. Enimverò bonus & innoxius quiſque rudes & imperitas aureis ad malè audiendum habens, & laudis aſſuetudine, quantò contumeliæ inſolens, [1] multò tantò ex animo laborat, ea ſibi immeritò dici, quæ ipſe poſſit aliis verè objectare. Quod ſi fortè inepta videbor, & oppidò frivola velle defendere, illis debet ea res vitio verti, quibus turpe eſt etiam hæc objectâſſe: non mihi culpæ dari, cui honeſtum erit etiam hæc diluiſſe. Audiſti ergo pauló priùs in principio accuſationis ita dici: *Accuſamus apud te Philoſophum* [2] *formoſum, & tam Græcè quàm Latinè*, proh nefas! *diſertiſſimum.* Niſi fallor enim, his ipſis verbis accuſationem mei ingreſſus eſt Tannonius Pudens, homo verè ille quidem non diſertiſſimus. Quòd utinam [3] tam gravia formæ & facundiæ crimina verè mihi opprobrâſſet! non difficilè ei reſpondiſſem, quod Homericus Alexander Hectori:

Οὔτι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,
Ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσι, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.

INTERPRETATIO.

inceperunt nequiter ſe gerere. Quod ſi reliqui taceant, ipſi tamen apud ſe ſciunt ſe poſſe jure reprehendi. At vir probus & innocens, qui non habet aures aſſuefactas maledictis, & qui quoniam ſolitus eſt laudari, quantò minùs aſſuevit contumeliam pati, tanto graviùs fert, ea ſibi injuſtè dici, quæ ipſe poſſit verè exprobrare aliis. Quod ſi fortè videar velle refellere inepta, & valdè futilia, culpa refundenda eſt in eos, quos etiam pudere debet objeciſſe mihi *hæc: non autem in me, cui erit etiam laudabile ea refutâſſe. Igitur audiviſti paulò antè, initio accuſationis hujus ſic dici:* Accuſamus coràm te Philoſophum pulchrum, & *proh ſcelus!* eloquentiſſimum tam in Græcâ, quàm in Latinâ Linguâ. *Nam, ni fallor, Tannonius Pudens, vir quidem haud facundiſſimus incepit meam accuſationem his ipſis verbis. Atque utinam verè mihi objeciſſet tam atrocia crimina pulchritudinis & eloquentiæ! facilè ei retuliſſem quod Paris Hectori apud Homerum:*

Non rejicienda ſunt Deorum valdè illuſtria dona,
Quæ ipſi dant, volens autem quis non conſequeretur.

NOTÆ.

1. *Multò tantò.*] *Tantò magis*, aut *tantò graviùs* Locutio Apuleio familiaris.

2. *Formoſum.*] Pulchritudinem, præſertim cum ampliori ſui cura conjunctam viris vitio ſæpè datam legimus, utpote mollitiei & impudicitiæ argumentum. quæ vitia cùm à cæteris hominibus, tum maximè a Philoſophis remota eſſe debent. At mihi valdè veriſimile videtur Æmilianum, aut potiùs ejus patronum Tannonium Pudentem formam & facundiam Apuleii commemoraſſe non per criminationem, ut fingit Apuleius, ſed tantùm ut Judicem cautiorem, & circumſpectiorem redderet, ne formæ illius & facundiæ illecebris caperetur, Apuleium autem oratorio artificio verba ejus hîc aliò detorquere, ſcilicet ut adverſarios ſuos deridendos oſtendat, tanquam parum ſanos, qui egregias illas dotes, pulchritudinem & eloquentiam objiciant tanquam vitia.

3. *Tam gravia formæ & facundiæ crimina.*] Εἰρωνικῶς.

4. Οὔτι ἀπόβλητ' ἐστὶ, &c] Habentur hi verſus lib. Iliad. 3. v. 65. Verti in interpretatione eos verius ad verbum.

Hæc ego de formâ reſpondiſſem. prætereà, licere etiam Philoſophis eſſe vultu liberali. [1] Pythagoram, [2] qui primùm ſeſe Philoſophum nuncupârit, eum ſui ſæculi excellentiſſimâ formâ fuiſſe: item [3] Zenonem illum antiquum [4] Veliâ oriundum, [5] qui primus omnium dictionem ſolertiſſimo artificio ambifariam diſſolverit, eum quoque Zenonem [6] longè decoriſſimum fuiſſe, ut Plato autumat. Itemque multos Philoſophos ab ore honeſtiſſimos memoriæ prodi, qui gratiam corporis morum honeſtamentis ornaverunt. Sed hæc defenſio, ut dixi, aliquammultùm à me remota eſt: cui, præter formæ mediocritatem, continuatio etiam litterati laboris omnem gratiam corpore deterget, habitudinem tenuat, ſuccum exorbet, colorem obliterat, vigorem debilitat.

INTERPRETATIO.

Ego hæc repoſuiſſem de pulchritudine. prætereà, licere etiam Philoſophis eſſe pulchrâ facie. Pythagoram, qui primus ſe nominavit Philoſophum, fuiſſe formoſiſſimum ſuæ ætatis. prætereà priſcum illum Zenonem Eleatem, qui primus ingenioſiſſimâ arte diviſit orationem in duas partes, illum etiam Zenonem, inquam, *fuiſſe perquàm formoſiſſimum, ut Plato dicit. Multos item Philoſophos vultu pulcherrimos celebrari, qui decoraverunt formam corporis honeſtate vitæ. Verùm, ut dixi, hæc defenſio parùm mihi congruit, cui, præterquàm quòd parùm formoſus ſum, aſſiduitas etiam ſtudiorum adimit omnem venuſtatem ex corpore, attenuat habitum* corporis, *exſugit ſuccum, delet colorem, infirmat vires.*

NOTÆ.

1 *Pythagoram, qui, &c. eum ſui ſæculi excellentiſſimâ formâ fuiſſe.*] De eo Laërtius in ejus vitâ: καὶ γὰρ καὶ σεμνοπρεπέστατος λέγεται γενέσθαι. καὶ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ δόξαν εἶχον περὶ αὐτοῦ ὡς εἴη Ἀπόλλων ἐξ Ὑπερβορέων ἀφιγμένος. *quin & venuſtiſſimæ formæ fuiſſe traditur. adeò ut illum diſcipuli opinarentur Apollinem eſſe, qui ex Hyperboreis veniſſet.* neque ſolùm dum eſſet Pythagoras, ſed etiam bello Troiano, dum Panthoïdes Euphorbus erat. cum enim à pulchritudine laudat Apollonius apud Philoſtratum lib. 8. cap. 3. & dum eſſet Alce meretrix, ut habet A. Gellius Noct. Attic. lib. 4. cap. 11. ſi tamen ejus μετεμψυχώσει credere fas eſt.

2. *Qui primùm ſeſe Philoſophum nuncuparit.*] Cùm ante eum cæteri σοφοὺς ſe, hoc eſt, *ſapientes* dictitarent.

3. *Zenonem illum antiquum Veliâ oriundum.*] Hic fuit Zeno Eleates Italicæ Philoſophiæ, qui ſucceſſit Parmenidi, & ipſi Leucippus. Fuit & alius Zeno Cittieus, Eleate poſterior, Ionicæ Philoſophiæ, qui Crateti ſucceſſit, & ei Cleanthes. Sex alios Zenones enumerat Laërtius in Cittiei vitâ, quem vide.

4. *Veliâ oriundum.*] Velia Lucaniæ oppidum eſt, in ſinu Pæſtano conditum à Phocenſibus. Velia dicta fuit priùs ἐλέα, & incolæ ipſius, Eleatæ. haud procul ſita à Promontorio Palinuro dicto. Portûs Velini meminit Virgil. Æneid. 6.

——— *Portuſque require Velinos.*

5. *Qui primus omnium dictionem, &c ambifariam diſſolveret.*] In Rhetoricam, & Dialecticam. Quintilianus, lib. 2. cap. 20. *Cùm duo ſint genera orationis: altera perpetua, quæ Rhetorice dicitur, altera conciſa, quæ Dialectice: quas quidem Zeno adeò conjunxit, ut hanc compreſſæ in pugnum manui, illam explicatæ diceret ſimilem.* &c.

6. *Longè decoriſſimum fuiſſe, ut Plato autumat.*] In Parmenide. Quin & Laërtius, in ejus vitâ ait eum fuiſſe Parmenidis delicium.

Capillus ipſe, quem iſti aperto mendacio ad lenocinium decoris promiſſum dixere, vides quàm non ſit amœnus ac delicatus, horrore implexus atque impeditus,[1] ſtuppeo tormento aſſimilis, & inæqualiter hirtus, & globoſus, & congeſtus: prorſus inenodabilis diutinâ incuriâ, non modò comendi, ſed ſaltem expediendi & diſcriminandi. Satis, ut puto, crinium crimen, quod illi quaſi capitale intenderunt, refutatum eſt. De eloquentiâ verò, ſi quá mihi fuiſſet, neque mirum, neque invidioſum deberet videri, ſi ab ineunte ævo unis ſtudiis litterarum ex ſummis viribus deditus, omnibus aliis ſpretis voluptatibus, ad hoc ævi, haud ſciam anne ſuper omnes homines impenſo labore, diúque noctuque, cum deſpectu & diſpendio bonæ valetudinis, eam quæſiſſem. Sed nihil ab eloquentiâ metuant,[2] quam ego ſi quid omninò promovi, potiùs ſpero, quàm præſto. Sanè quidem, ſi verum eſt, quod [3] Statium Cæcilium in ſuis pöëmatibus ſcripſiſſe dicunt, *Innocentiam eloquentiam eſſe*, ego verò profiteor iſtâ ratione, ac præ me

INTERPRETATIO.

Coma ipſa, quam illi manifeſtò mentientes dixerunt nutritam eſſe ad illecebras venuſtatis, cernis quàm non ſit pulchra & delicata, ſed implicata hiſpiditate, & intricata, ſimilis funi ex ſtuppis, & hirſuta inæqualiter, glomerataque, & condenſata, planè inextricabilis ob longam negligentiam, non ſolùm eam *pectendi, ſed vel extricandi, ac ſeparandi. Crimen capillorum, quod mihi objecerunt tanquam capitale, jam ſatis refutatum eſt ut arbitror. Quantum autem ad eloquentiam, ſi habuiſſem aliquam, neque* id *deberet videri mirum; neque invidendum, ſi ego incumbens totis viribus ab initio* meæ *vitæ ſolis ſtudiis litterarum poſthabitis omnibus aliis voluptatibus ad hoc* uſque *tempus, acquiſiviſſem eam die & nocte labore fortaſſe majori, quàm cæteri, cum contemptu & damno* meæ *bonæ valetudinis. Sed nihil* ſibi *timeant ab eloquentiâ, quam ego potiùs expecto, quàm exhibeo, ſi quid* tamen *omninò profeci. Certè ſi verum eſt quod Statius Cæcilius dicitur ſcripſiſſe in ſuis carminibus,* Innocentiam eſſe eloquentiam, *ego profiteor, ac palàm declaro me hoc*

NOTÆ.

1. *Stuppeo tormento.*] Rectè. Nec quidquam immutandum eſt. *Tormentum* hic funis eſt à *torquendo* ſic dictus, quòd ex ſtuppis intortis fiat, & intorqueatur.

2. *Quam, &c. potiùs ſpero, quàm præſto.*] Id eſt, quàm ad ſummum ſpero me conſecuturum, ſed nondùm ſum conſecutus.

3. *Statium Cæcilium.*] Hujus meminit Gellius, lib. Noct. Attic. 4. c. 20. *Statius autem* (inquit) *ſervile nomen fuit. Plerique apud veteres ſervi eo nomine fuerunt. Cæcilius quoque ille Comœdiarum Poëta inclutus ſervus fuit: & propterea nomen habuit Statius: ſed poſtea verſum eſt quaſi in cognomentum: appellatuſque Cæcilius Statius.* De hoc intelligendus Horatius in Arte poëticâ, cùm ait:

> ——— *Quid autem*
> *Cæcilio Plautoque dabit Romanus ademptum*
> *Virgilio, Varioque, &c.*

fuit Ennio æqualis & amiciſſimus, item Terentio. Enumerantur ſupra triginta ejus Comœdiæ à Grammaticis veteribus, quarum nihil ad nos pervenit, niſi perexigua quædam fragmenta, ex variis Auctoribus, qui eum laudaverunt, hinc inde collecta, quibus & hoc addi poſſit ex noſtro Apuleio: *Innocentia eloquentia eſt.*

fero, nemini omnium de eloquentiâ conceſſurum. Quis enim me hoc quidem pacto [1] eloquentior vivat? quippe qui nihil unquam cogitavi, quod eloqui non auderem. Eumdem me aio facundiſſimum eſſe: nam omne peccatum ſemper nefas habui. Eumdem diſertiſſimum: quòd nullum meum factum, vel dictum extet, de quo diſſerere publicè non poſſim. ita ut jam de verſibus diſſertabo, quos à me factos quaſi pudendos protulerunt; cùm quidem me animadvertiſti cum riſu illis ſuccenſentem, quòd eos abſonè & indoctè pronuntiarent. Primò igitur legerunt è ludicris meis epiſtolium de dentifricio, verſibus ſcriptum [2] ad quendam Calpurnianum: qui, cùm adverſum me eas litteras promeret, [3] invidit profectò cupiditate lædendi, ſi quid mihi ex illis fieret criminoſum, id mihi ſecum eſſe commune. Nam petiiſſe eum à me aliquid terſui dentium, verſus teſtantur:

[4] Calpurniane, ſalve, [5] properis verſibus.
Miſi, ut petiſti, [6] mundicinas dentium,

INTERPRETATIO.

modo nulli homini ceſſurum eſſe *eloquentiâ. Nam quis poteſt eſſe me eloquentior hac ratione? quandoquidem nihil unquam cogitavi, quod non auderem* apertè *eloqui. Dico etiam me eſſe facundiſſimum; nam exiſtimavi ſemper omne peccatum eſſe nefas. Item me eſſe diſertiſſimum, quia nihil unquam feci, aut dixi, de quo non poſſim palàm diſſerere. quemadmodum jam diſſeram de verſibus, quos protulerunt à me compoſitos, veluti inhoneſtos; cùm quidem vidiſti me cum riſu indignantem adverſus illos, quia pronuntiabant eos abſonè, & imperitè. Legerunt igitur primò ex jocoſis meis brevem epiſtolam de dentifricio, carminibus ſcriptam ad quendam Calpurnianum: qui, quando protulit eam epiſtolam contra me, præ* nimio *ſtudio* mihi *nocendi, non vidit ſanè, ſi quid ex illis mihi crimini verteretur, illud mihi eſſe commune cum ipſo. Nam verſus* ipſi *oſtendunt eum rogâſſe me aliquid, quo tergeret dentes.*

Calpurniane, ſaluto te carminibus
deproperatis.
Miſi ad te, ſicut petiſti, *dentificium*
purgandis dentibus,

NOTÆ.

1. *Eloquentior vivat? quippe qui, &c. quod eloqui non auderem, &c.*] Ludit in ſimilitudine, atque etymologiâ verborum, *eloquentior, eloqui. Facundiſſimus: nefas. Diſertiſſimus: diſſerere.*

2. *Ad quendam Calpurnium.*] Quaſi vix eum noverit: notiſſimum tamen & familiariſſimum fuiſſe verſus ſequentes indicant. verùm indignatus, quòd eos verſus tradidiſſet ſuis adverſariis, per contemptum vocat eum *quendam.*

3. *Invidit.*] Negat. hoc eſt, *non vidit.*

4. *Calpurniane, ſalve,* &c.] Rectè monet Pricæus hunc verſum iungendum eſſe cum illo *Miſi, ut petiſti, mundicinas dentium*, & ſequentibus. Inter hæc autem verba; *quod Philoſophus nolit ſuum videri?* & : *Vidi egomet dudum*, &c. interſerenda eſſe illa, *Niſi fortè in eo reprehendendus ſum, &c.* uſque ad *pumicare gingivam*, & parentheſi includenda, quod in hac editione fieri curavimus.

5. *Properis verſibus.*] Id eſt, in promptu, & cum feſtinatione factis, extemporaneis.

6. *Mundicinas dentium.*] Vulgò *mundicias* contra verſus modulum. Obſervare licet apud Apuleium alioſque illius ævi & poſteriores ſcriptores, plurima hujus modi atque exempli nomina. *Sic* noſter *furatrinam & indicinam* in Mileſiis dixit. Sic Tertull. *juridicinam & veſtificinam*, &c.

1 *Nitelas*

[1] Nitelas oris [2] ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem, pulviſculum,
Complanatorem tumidulæ gingivulæ,
Converritorem pridianæ reliquiæ;
Ne quà viſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis fortè ſi labellis riſeris.

Quæſo quid habent iſti verſus re aut verbo pudendum? quid omninò quod philoſophus ſuum nolit videri? Niſi fortè in eo reprehendendus ſum, quòd Calpurniano pulviſculum ex Arabicis frugibus miſerim: quem multò æquiùs erat, ſpurciſſimo ritu [3] Iberorum, [4] ut ait Catullus,

[5] ſuâ ſibi urinâ
Dentem, atque ruſſam pumicare gingivam

Vidi ego dudùm vix riſum quoſdam tenentes, cùm munditias oris videlicet orator ille aſperè accuſaret, & dentifricium tantâ indigna-

INTERPRETATIO.

Nitores oris, ex aromatis Arabiæ
Pulverem minutum, dealbantem, egregium,
Qui deprimit gingivam tumentem,
Qui expurgat reliquias *cibi* heſterni,
Ne aliquâ *parte* fœda macula ſordium videatur,
Si fortè riſeris diducendo labra.

Quidnam, oro, carmina hæc habent turpe re aut verbo? Quid prorsùs cujus philoſophum pudeat? Niſi fortè in hoc ſum redarguendus, quòd miſerim pulverem ex aromatis Arabiæ Calpurniano: quem multò juſtius erat ſibi fricare dentes & gingivam rubram, ſuo lotio, *ut ait Catullus, ſecundùm morem fœdiſſimum Hiſpanorum. Ego vidi jam pridem quoſdam ægrè temperantes à riſu, cùm nempè ille orator graviter criminaretur purgationem oris, & pronuntiaret dentifricium cum tantâ in-*

NOTÆ.

1. *Nitelas oris.*] Hac voce utitur Solinus, pro *nitore*, cap. 35. *nam præcipua viris gloria eſt in armorum nitelâ.* Item pro micis pulveris auri, quæ inter arenas reperiuntur, cap. 36. *depurgant in minium nitelas pulveris.*

2. *Ex Arabicis frugibus.*] Cinnamo, aliis-ve aromatis, quæ ex Arabiâ apportantur. Salmaſ. ad Solinum, pag. 165 legit, *Rupibus*, & intelligit de lapide Arabico ſeu Arabo, de quo Plinius, lib. 36. cap. 21. *Arabus lapis ebori ſimilis dentifriciis accommodatur crematus, &c.*

3. *Iberorum.*] Hiſpanorum, qui & Celtiberi dicebantur, à flumine Ibero, ad quem Galli quidam Celtæ ſedes fixerant. Eſt & alia Iberia juxtà Pontum, inter Colchos & Armeniam, venenorum ferax, cujus incolæ Iberi quoque, & Iberes dicti ſunt. à quibus profecti fuiſſe dicuntur, qui in Hiſpaniâ habitaverunt, teſte Varrone, & nomen Iberiæ, ipſique Ibero fluvio dediſſe.

4. *Ut ait Catullus.*] Epigrammate in Egnatium, cujus initium eſt: *Egnatius quòd candidos habet dentes.* At in vulgatis noſtris Catulli exemplaribus paulò aliter habetur, quàm in hoc Apuleii loco. Verſus Catulliani ſunt:

Nunc Celtiberus Celtiberiâ in terrâ
Quod quiſque minxit, hoc ſolet ſibi manè
Dentem, atque ruſſam defricare gingivam, &c.

5. *Suâ ſibi urinâ.*] Immò, & ſuâ & alienâ, eâque in ciſternis inveteratâ: nec dentes tantùm, ſed & corpus lavabant, ut refert Strabo, lib. 3.

tione pronuntiaret, quantâ nemo quiſquam venenum. Quidni? crimen haud contemnendum philoſopho, nihil in ſe ſordidum ſinere, nihil uſpiam corporis apertum immundum pati ac fœtulentum; præſertim os, cujus in propatulo & conſpicuo uſus homini creberrimus: ſive ille cuipiam oſculum ferat, ſeu cum quoquam ſermocinetur, ſive in auditorio diſſertet, ſive in templo preces alleget. omnem quippe hominis actum ſermo præit: qui, ut ait [1] Poëta præcipuus, [2] è dentium muro proficiſcitur. [3] Dares nunc aliquem ſimiliter grandiloquum: diceret ſuo more, cumprimis cui ulla fandi cura ſit, impenſiùs cætero corpore os colendum; quòd eſſet [4] animi veſtibulum, & orationis janua, [5] & cogitationum comitium. Ego certè pro meo captu dixerim, nihil minus quàm oris illuviem libero & liberali viro competere. Eſt enim ea pars hominis loco celſa, viſu prompta, uſu fœcunda. Nam quidem feris & pecudibus os humile, & deorſùm ad pedes dejectum, veſtigio & pabulo proximum, nunquam fermè niſi mortuis, aut ad morſum exaſperatis, conſpicitur: hominis verò nihil prius tacentis, nihil ſæpiùs loquentis, contemplere. Velim igitur cenſor meus Æmilianus reſpon-

INTERPRETATIO.

dignatione, quantâ nemo prorsùs pronunriaret *venenum. Cur non?* ſanè *crimen* eſt *non leve Philoſopho nihil pati in ſe immundiciei, nullam partem patentem corporis ſinere ſordidam* eſſe *& fœtidam; præcipuè os, quo homo ſæpiſſimè utitur apertè & conſpicuè: ſive ille oſculetur aliquem, ſive colloquatur cum aliquo, ſive verba faciat in auditorio, ſive emittat preces in fano. Verba enim præcedunt ſingula facta hominis, quæ* verba *exeunt ex ſepto dentium, ut ait Poëta primarius. Si eſſet nunc aliquis quoque magniloquus, diceret pro more ſuo,* eum *præſertim, cui cura loquendi incumbit, debere ſtudioſiùs curare os, quàm reliquum corpus; quia os eſt veſtibulum mentis, & oſtium ſermonis, & exterius atrium cogitationum. Ego ſanè dicam ſecundum modulum mei ingenii, nihil minus convenire homini libero, & honeſto, quàm ſordes oris. Nam ea pars hominis eſt poſita in loco edito, patet aſpectui. & habet plurimos uſus. Belluæ enim & pecudes habent quidem os pronum, & demiſſum deorſùm pedes versùs proximum veſtigiis ſuis & pabulo, quod ferè nunquam videtur, niſi cùm mortuæ ſunt, aut irritatæ ad mordendum: at in homine nihil aſpicias prius ore, dùm tacet, nihil ſæpius, dum loquitur. Cupiam ergo ut Æmilianus corrector meus* mihi

NOTÆ.

1. *Poëta præcipuus.*] Homerus.

2. *E dentium muro.*] Cùm aliis multis in locis, tùm hoc verſu,

Τέκνον ἐμὸν ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

quem ſic Latinè vertas,

Filia mea, quale verbum tibi exiit ex ſepto dentium?

3. *Dares nunc aliquem, &c. diceret ſuo more, &c.*] Id eſt, *ſi dares, &c. ille diceret:* vel, *da aliquem, & dicet:* aut, *ſi eſſet aliquis, &c. diceret.*

4. *Animi veſtibulum, & orationis janua, &c.*] Figurata & emphatica verba grandiloqui hominis de ore loquentis. Divus Ambroſius Hexaemer. 6. 9. *Quid eſt igitur os hominis, niſi quoddam ſermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis?*

5. *Et cogitationum comitium.*] *Comitium* hoc loco eſt *exterius atrium*, ut ex Livio, & Aſconio docet Langlæus Semeſtr. 7. 19.

deat, unquam ne ipſe ſoleat pedes lavare? vel, ſi id non negat, contendat majorem curam munditiarum pedibus, quàm dentibus impertiendam. Planè quidem, ſi quis, ita ut tu Æmiliane, nunquam fermè os ſuum niſi maledictis & calumniis aperiat; cenſeo, ne ullâ curâ os percolat, neque ille [1] exotico pulvere dentes emaculet, quos juſtiùs [2] carbone de rogo obtriverit: neque ſaltem communi aquâ perluat, quin ei nocens lingua mendaciorum & [3] amaritudinum præminiſtra, ſemper in fœtutinis & [4] olenticetis ſuis jaceat. Nam quæ, [5] malùm, ratio eſt, linguam mundam & lotam, vocem contrà ſpurcam & tetram poſſidere? viperæ ritu, niveo denticulo atrum venenum inſpirare? Cæterùm qui ſeſe ſciat rationem prompturum neque inutilem, neque injucundam, ejus meritò os, ut bono potui poculum, prælavitur. Et quid ego [6] de homine nato diutiùs? Bellua immanis Crocodilus ille, qui in Nilo gignitur, ea quoque, uti comperior, purgandos ſibi dentes innoxio hiatu præbet. Nam, quód eſt ore amplo, ſed elingui, & plerumque in aquâ recluſo, [7] multæ hirudines dentibus

INTERPRETATIO.

reſpondeat, an ipſe ſoleat aliquando lavare pedes? aut, ſi hoc fatetur, contendat pedes purgandos eſſe majori curâ, quàm dentes. Equidem ſi quis nunquam ferè aperiat os ſuum niſi ad convicia, & calumnias proferendas, ut tu facis, *ô Æmiliane; auctor ſum ut ille nullâ curâ colat os* ſuum, *neque purget dentes pulvere peregrino quos juſtiùs perfricueris carbone* ſumpto *ex buſto: neque abluat* eos *ſaltem aqua vulgari, ne* impediat *quominùs lingua ſuppeditatrix mendaciorum & amarorum* dictorum, *jaceat ſemper in ſuis fœtoribus, & ſpurcitiis. Nam æquum-ne eſt, quæſo, ut quiſpiam habeat linguam puram & purgatam, contrà verò vocem injucundam, & diram? ut inſinuet nigrum virus dente candido, more viperæ? Porrò os meritò abluitur ab eo qui ſcit ſe prolaturum orationem, neque inutilem, neque inſuavem, quemadmodùm* lavatur *calix* ad *bonum liquorem* recipiendum. *Sed quare ego diutiùs* loquor *de homine*, & qui ſe talem *natum* eſſe ſcit? *Ingens beſtia*, nempè *ille Crocodilus, qui naſcitur in Nilo* flumine, *præbet quoque, ut accipio, ſuos dentes mundandos, aperiens* os ſuum, *nec lædens* purgantem. *Nam, quia habet os vaſtum, ſed abſque linguâ, & ferè ſemper aquâ immerſum, multæ ſanguiſugæ*

NOTÆ.

1. *Exotico pulvere.*] Facto nempè ex aromatis, aut lapidibus ex Arabiâ allatis, ad dentifricia.

2. *Carbone de rogo.*] Utpote ſordido, funeſto, & mali ominis.

3. *Amaritudinum*] Convitiorum, & contumelioſorum verborum.

4. *Olenticetis.*] Repone *oleticetis* locis oleto, hoc eſt, humano ſtercore plenis.

5. *Malùm.*] Adverbium indignantis, & acriùs loquentis.

6. *De homine nato.*] περὶ ἀνθρώπου φύντος vel πεφυκότος. Apuleius ad verbum vertit *de homine nato.* At Cicero pro eo dicere ſolet, *qui ſe hominem meminerit*; hæc enim eſt vis Græcæ locutionis.

7. *Multæ hirudines.*] Sic omninò legendum eſt, non *arundines*, aut *hirundines.* Ælianus de animal. lib. 3. cap. 11. ὁ γοῦν κροκόδειλος νήχεται ἅμα καὶ κέχηνεν. ἐμπίπτουσιν οὖν αἱ βδέλλαι ἐς αὐτὸν, καὶ λυποῦσιν. ὅπερ εἰδὼς ἰατροῦ δεῖται τοῦ τροχίλου. πλήρης γὰρ αὐτῶν γενόμενος ἐπὶ τὴν ὄχθην προσελθὼν κατὰ τῆς ἀκτῖνος κέχηνεν:

impleɛ̃tuntur: eas illi, cùm egreſſus [1] in præripia fluminis hiavit, [2] una ex avibus fluvialibus amica ejus, injecto roſtro ſine noxæ periculo exſcalpit. Mitto hæc. venio ad cæteros verſus, ut illi vocant, amatorios: quos tamen tam durè & ruſticè legêre, ut odium moverent. Sed quid ad Magica maleficia, quòd ego pueros Scribonii Læti, amici mei, carmine laudavi? An ideò Magus, quia poëta? Quis unquam fando audivit tam ſimilem ſuſpicionem? tam aptam conjecturam? [3] tam proximum argumentum? Fecit verſus Apuleius: ſi malos, crimen eſt, nec tamen id philoſophi, ſed poëtæ: ſin bonos, quid accuſas? At enim ludicros & amatorios fecit. Num ergo hæc ſunt crimina mea, & nomine erratis, qui me Magiæ detuliſtis? Fecere tamen & alii talia: & (ſi vos ignoratis,) apud Græcos [4] Teius quidam, [5] & Lace-

INTERPRETATIO.

adhæreſcunt ejus *dentibus. Cùm autem exivit in marginem* fluvii, *& aperuit os, quædam ex volucribus flumineis ipſius amica extrahit eas, immittens roſtrum ſuum abſque periculo læſionis. Sed iſta miſſa facio. venio ad reliquos verſus amatorios, quemadmodum illi appellant: quos tamen legerunt adeò durè ac barbarè, ut excitarent odium. Sed quid* attinet *ad veneficia Magica, quòd ego celebravi verſibus pueros Scribonii Læti amici mei? Idcircone* ero *Magus, quia ſum poëta? Quis audivit unquam ſuſpicionem adeò* veri *ſimilem? conjecturam tam idoneam? probationem adeò urgentem? Apuleius compoſuit carmina: ſi* compoſuit *mala, crimen eſt, at illud non eſt* crimen *philoſophi: ſed poëtæ: ſin autem* fecit *bona* carmina, *quare* eum *accuſas? Sed (* inquies *) compoſuit jocularia, & amatoria. An igitur hæc ſunt mea crimina, & hallucinati eſtis in nomine, qui accuſaviſtis me Magiæ? Alii tamen compoſuerunt ejuſmodi* verſus: *&, ſi vos neſcitis, quidam ex Teo, &* quidam *La-*

NOTÆ.

ὁ τοίνυν τροχίλος ἐμβαλὼν τὸ ῥάμφος ἐξάγει τὰς προειρημένας· καρτερεῖ δὲ ὠφελούμενος ὁ κροκόδειλος, καὶ ἀτρεμεῖ, καὶ ὁ μὲν ἔχει δεῖπνον τὰς βδέλλας, ὁ δὲ ὀνίναται· καὶ τὸ μηδὲν ἀδικῆσαι τὸν τροχίλον, λογίζεται οἱ μισθόν. hoc eſt: *Crocodilus ergo natat, & ſimul hiat ore. incidunt autem in illud hirudines, & eum moleſtiâ afficiunt. id ille ſentiens, trochilo ad medicinam dolori ſuo faciendam eget. Itaque ubi hirudinibus confertus eſt, ad littus progreſſus, & Solis radios intuens hiat: túmque trochilus in illius fauces roſtrum inferens, hirudines extrahit, quod facillimè patitur Crocodilus ſentiens auxilium, ita fit ut is hirudines prandeat, ille adjuvetur: proque præmio computet trochilo, quod nihil eum lædat.* Conſimilia extant apud Philen Græcum poëtam carm. de animalibus.

1. *In præripia fluminis.*] Pricæus reponebat *prærupta*, vel potiùs *prærupia*: at ego nihil hîc mutandum cenſeo. tametſi id verbi nuſquam, niſi hoc in loco, reperiatur. Audaciſſimus eſt talium formator noſter Lucius. Per *præripia* intelligo eas partes ripæ, quæ ſunt ab ipſo alveo fluvii paulò remotiores.

2. *Una ex avibus fluvialibus.*] Ex loco Æliani ſuprà laudato, & Ariſtotele, & Phile poetâ compertum eſt avem illam eſſe *Trochilum* ſeu *Regulum.*

3. *Tam proximum argumentum?*] *Tam promptum, tam obvium & manifeſtum?* Hoc enim ſonat τὸ *proximum.*

4. *Teius quidam.*] Anacreon, ex Teo urbe Ioniæ oriundus.

5. *Et Lacedæmonius.*] Non ſatis apertum quem intelligat hîc Apuleius. fortaſſe ſit ille Dionyſodotus, cujus Pæanas memorat Athenæus, lib. 15.

dæmonius, [1] & Ceus, cum aliis innumeris; etiam mulier [2] Leſbia, laſcivè illa quidem, tantâque gratiâ, ut nobis inſolentiam [3] linguæ ſuæ, dulcedine carminum commendet: [4] apud nos verò, [5] Ædituus, & Portius, & Catulus, iſti quoque cum aliis innumeris. At philoſophi non fuere. Num igitur etiam [6] Solonem fuiſſe ſerium virum atque philoſophum negabis? cujus ille laſciviſſimus verſus eſt.

* * * * *

Et quid tam petulans habent omnes verſus mei, ſi cum iſto uno contendantur? ut taceam ſcripta Diogenis Cynici, & [7] Zenonis Stoïcæ ſectæ conditoris. Id genus plurima recitem denuò, ut ſciant me eorum non pigere.

Et Critias, mea delicia, & Sol alme Charine,
[8] *Par in amore meo vita tibi remanet.*

INTERPRETATIO.

cedæmonius, & alius *ex Ceo*, & *alii innumeri è Græcis* fecerunt ſimilia carmina; *mulier quoque Leſbia, quæ quidem* ſcripſit *molliter*, & *cum tantâ venuſtate, ut reddat novitatem ſuæ dialecti nobis gratam ſuavitate verſuum ſuorum: apud nos autem Ædituus*, & *Portius*, & *Catulus, hi etiam cum ſexcentis aliis* ſcripſerunt ejuſmodi carmina. *Sed non fuerunt philoſophi. An ergo inficiaberis etiam Solonem fuiſſe virum gravem*, & *philoſophum? cujus extat hic verſus molliſſimus:*

* * * * *

Et ſanè quid omnes mei verſus habent adeò laſcivum, ſi comparentur vel *cum hoc ſolo? ut ſilentio prætermittam quæ ſcripſerunt Diogenes Cynicus*, & *Zeno inſtitutor ſectæ Stoicorum.* Libenter *recitabo multos hujuſmodi* verſus meos, *ut cognoſcant me non pœnitere eorum.*

Critias *eſt* etiam mea voluptas, &,
ô Charine, pulcher Sol,
Similis vita tibi perdurat in meo
amore,

NOTÆ.

1. *Et Ceus.*] Simonides, aut ejus fratris filius Bacchylides, qui ambo ſcripſerunt etiam ἐρωτικὰ, nec non & παρθενικὰ, ut referunt Athenæus, & Plutarchus, nati ambo in urbe Julide Cei inſulæ, quæ una eſt ex Cycladibus juxtà Eubœam ſita, dicta etiam Hydruſſa à quibuſdam, teſte Plinio. Eadem urbs Julis patria fuit Eraſiſtrati Medici, teſte Strabone.

2. *Mulier Leſbia.*] Sappho ex Leſbo maris Ægæi inſulâ, urbe Mitylenâ. hodie ea urbs, totaque adeo inſula *Metelin.* Patria quoque fuit Alcæi Poëtæ.

3. *Inſolentiam linguæ ſuæ.*] Scripſit enim Æolicâ dialecto: vel ut Plutarchus ait, Mixolydiâ.

4. *Apud nos verò.*] Apud Romanos. Madaurenſes enim Populi Romani colonia erant.

5. *Ædituus*, & *Portius* & *Catulus.*] Sic lege, non *Catullus.* Horum meminit Gellius, lib. 19. cap. 9. *Voce admodùm quàm ſuavi verſus cecinit Valerii Æditui veteris poëtæ, item Porcii Licinii*, & *Quinti Catuli, quibus mundius, venuſtius, limatius, preſſius Græcum Latinum ve nihil quidquam reperiri puto.* Et refert illos verſus, qui ſoli nobis ſuperſunt ex verſibus trium illorum poetarum.

6. *Solonem.*] Hic Athenienſium legiſlator fuit, patriâ Salaminius.

7. *Zenonis Stoicæ ſectæ conditoris.*] Zenonem Cittieum intellige, non illum Eleatem, de quo ſuprà.

8. *Par.*] Pric. *Pax*: Scalig. ad Propert.
Par in amore meo biga tibi remanet.

Ne metuas : nam me ignis & ignis torreat ut vult :
Haſce duas flammas, dum potior, patiar.
Hos modò ſim vobis, unus ſibi quiſque quod ipſe eſt ;
Hoc mihi vos eritis, quod duo ſunt oculi.

Recitem nunc & alios, quos illi, quaſi intemperantiſſimos, poſtremùm legêre :

Florea ſerta, meum mel, & hæc tibi carmina dono.
Carmina dono tibi, ſerta [1] *tuo Genio :*
Carmina uti Critia lux hæc optata canatur,
Quæ bis ſepteno vere tibi remeat ;
Serta autem, ut læto tibi tempore tempora vernent :
Ætatis florem floribus ut decores.
Tu mihi da contrà pro verno flore tuum ver,
Ut noſtra exuperes munera muneribus.
Pro implexis ſertis, complexum corpore redde :
Proque roſis, oris ſuavia purpurei.

INTERPRETATIO.

Ne timeas : nam ignis & ignis me adurat ut voluerit :
Ego feram has duas flammas, dum fruor *vobis.*
Modò ſim vobis tanquam unuſquiſque eſt ſibi ipſi;
Vos mihi id eritis, quod duo oculi *mihi* ſunt.

Jam recitabo & alios, quos illi ultimos legerunt, tanquam petulantiſſimos.

O mea dulcedo, do tibi ſervias ex floribus, & hos verſus.
Do tibi verſus, Genio autem tuo ſervias.
Do verſus, ô Critia, ad celebrandum hunc diem deſideratiſſimum,
Qui tibi redit nunc decimo quarto vere *tuæ ætatis.*
Do autem ſervias, ut tempora tibi rideant *hac* amœnâ tempeſtate:
Ut ornes floribus florem tuæ ætatis.
Tu è contrario da mihi tuum florem pro flore veris,
Ut vincas noſtra dona *tuis* donis.
Da *mihi* amplexum tui corporis pro floribus implicatis,
Et oſcula tui oris rubicundi pro roſis.

NOTÆ.

1. *Tuo Genio.*] *Genius* (inquit Cenſorinus, *de Die Natali*, cap. 3.) *eſt Deus, cujus in tutelâ, ut quiſque natus eſt, vivit. Hic ſive quòd, ut genamur, curat ; ſive quòd unà genitur nobiſcum ; ſive etiam quòd nos genitos ſuſcipit ac tuetur : certè à genendo Genius appellatur.* Hic natali præerat, ideóque, ut ex Varrone refert idem Cenſorinus, cap. 2. *Die natali munus annale Genio ſolvebant, manus à cæde ac ſanguine abſtinentes :* (Priſcis temporibus ; Horatii enim ætate, ac poſterioribus ſæculis hoſtias eo die immolabant, ut rectè obſervat Lindenbrogius) *ne die, quâ ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.* meritò ergo, Natali Critiæ, ſerta mittit Apuleius ejus Genio, quem florali cultu affectum paſſim legimus. Tibullus lib. 2. Eleg. 2. de Natalitio ſacro

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta comas.

[1] *Quòd ſi animam inſpires, dona & jam carmina noſtra*
Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

Habes crimen meum, Maxime, quaſi improbi comeſſatoris, de ſertis & canticis compoſitum. Hîc illud etiam reprehendi animadvertiſti, quòd cùm aliis nominibus pueri vocentur, ego eos Charinum & Critiam appellitârim. Eâdem igitur operâ accuſent [2] C. Catullum, quòd Leſbiam pro Clodiâ nominârit: [3] & Ticidam ſimiliter, quòd, quæ Metella erat, Perillam ſcripſerit: & Propertium, qui Cynthiam dicat, [4] Hoſtiam diſſimulet: & Tibullum, quòd ei ſit [5] Plania in animo, Delia in verſu. Et quidem [6] C. Lucullum, quanquam ſit Iambicus, tamen improbârim, quòd [7] Gentium & Macedonem pueros directis

Interpretatio.

Quòd ſi infles *fiſtulam*, jam munera & verſus noſtri
Cedent ſuperati tuâ fiſtulâ ſuavè canenti.

Ecce crimen meum, ô Maxime, conflatum de floribus & carminibus, veluti laſcivi comeſſatoris. Vidiſti hoc etiam hîc redargui, quòd ego vocitaverim pueros illos Charinum, & Critiam, cùm appellentur aliis nominibus. Accuſent ergo ſimul C. Catullum, quòd vocaverit Leſbiam pro Clodiâ: pari modo & Ticidam, quia in ſcriptis ſuis *vocavit Perillam, quæ erat Metella: & Propertium, qui pronuntiat Cynthiam, celat autem Hoſtiam, & Tibullum, quia habet Planiam in mente, dum verſibus celebrat Deliam. Et certè damnarem* libens *C. Lucullum, quamvis ſit Iambicus* poëta, *quòd diffamaverit Gentium & Macedonem pueros*, nomi-

Notæ.

1. *Quòd ſi animam inſpires.*] Supple *fiſtulæ* aut *calamo*. Senſus hujus diſtichi, obſcuri ſatis, hic eſt quantùm arbitror: *ſi nobis, verſibus reſpondeas, & carmina rependas carminibus, noſtra munera & noſtri verſus ſuperabuntur procul dubio ſuavitate tuorum carminum.* Unde *animam inſpirare fiſtulæ*, aut *calamo* hîc μεταφορικῶς ponitur pro *carmina ſcribere*, & *calamus* pro venâ, ac ſtilo poetico. Familiaris hæc metaphora in Bucolicis.

2. *C. Catullum.*] Notior eſt Catullus poëta, notior ejus Leſbia, quàm ut de iis quidquam addam.

3. *Et Ticidam.*] Huic *Auli* prænomen tribuit Scipio Gentilis. At Crinitus *Caium* vocat. In ſcribendis Epigrammatis claruit, iis maximè temporibus, quibus Corn. Cinna, Valer. Catullus, & Cornificius floruerunt. Pervenerunt ad nos verſus ejus tantùm ſeptem aut octo. Reliqui interierunt. Nec quidquam de Perillâ ejus, ſeu Metellâ habemus, niſi quod hîc ait Lucius noſter.

4. *Hoſtiam diſſimulet.*] Quidam Propertii Interpres legit hoc loco *Hoſtiliam*, fortaſſe meliùs.

5. *Plania.*] Caſaub. *Flavia.* Pricæus *Planiam* retinet auctoritate veteris lapidis.

6. *C. Lucullum, quanquam ſit Iambicus.*] Caſaub. legit *Lucillium, quanquam ſit Satyricus*, Gentilis *Lucretium*, quem inter ἐρωτικῶν ſcriptores Plinius memorat. Gyraldus (locum hunc allegans) retinet *Lucullum*, de quo Cicero ad Atticum, & Fulgent. ad Chalcidicum.

7. *Gentium & Macedonem*] Nomina ſervilia, ab urbibus, gentibus, aut vendentibus tracta. Inſcriptio vetus à Pricæo relata:

HOSTILIAE. LL. RILL.
O. H. S. S.
GENTIUS CONLIBERT.

nominibus carmine ſuo proſtituerit. Quantò modeſtiùs tandem Mantuanus[1] poëta, qui itidem ut ego, puerum amici ſui Pollionis[2] Bucolico ludicro laudans, & abſtinens nominum, ſeſe quidem Corydonem, puerum verò Alexin vocat? Sed Æmilianus, vir ultrà Virgilianos upiliones & bubſequas ruſticanus, agreſtis quidem ſemper, & barbarus, verùm longè auſterior, ut putat, [3] Serranis, & Curiis, & Fabriciis, negat id genus verſus Platonico philoſopho competere. Etiamne, Æmiliane, ſi Platonis ipſius exemplo doceo factos? cujus nulla carmina extant, niſi amoris elegia. nam cætera omnia, credo quòd tam lepida non erant, igni deuſſit. Diſce igitur verſus Platonis philoſophi in puerum Aſtera: ſi tamen tantus natu potes litteras diſcere.

[4] Ἀστέρας εἰσαθρεῖς, ἀστὴρ ἐμός, εἴθε γενοίμην
Οὐρανός, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

INTERPRETATIO.

nando eos *apertè ſuis nominibus. Denique quantò moderatiùs* agit *vates Mantuanus, qui laudans Eclogâ Amatoriâ puerum ſui amici Pollionis, quemadmodùm ego* hìc facio, *& parcens nominibus* veris, *appellat ſe quidem Corydonem, puerum autem Alexin? Verùm Æmilianus ruſticior Virgilianis paſtoribus, & bubulcis, ſemper quidem agreſtis & barbarus, ſed (ut exiſtimat) longè ſeverior Serranis, & Curiis, & Fabriciis, ait ejuſmodi carmina non decere philoſophum Platonicum. An* hoc contendes *adhuc, ô Æmiliane, ſi oſtendo tibi ea eſſe compoſita ad exemplum Platonis ipſius? cujus nulli verſus ſuperſunt, niſi Elegiæ amatoriæ. cremavit enim igne reliquos, quia, ut puto, non erant tam venuſti. Diſce ergo carmina Platonis philoſophi in puerum Stellam: ſi tamen potes diſcere litteras, cùm ſis tam grandævus.*

Aſpicis ſtellas, ô mea ſtella, utinam fiam cœlum,
Ut ſic te intuear multis oculis.

NOTÆ.

1. *Mantuanus poëta.*] Virgilius Maro.

2. *Bucolico ludicro.*] Eclogâ 2. quæ incipit *Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.* Hic Alexis, ut ſentiunt Virgilii Interpretes, erat puer Aſinii Pollionis, cujus verum nomen Alexander.

3. *Serranis, & Curiis, & Fabriciis.*] Hi fuerunt frugaliſſimi, moribuſque ſeveriſſimi inter Romanos. Attilius quidem Serranus, ſeu potiùs Seranus, ſenator fuit nobiliſſimus, cui cognomen illud Serani à *ſerendo* fuit impoſitum: quòd, cùm Dictator adverſus Samnites dictus eſſet, à viatore ad ſe miſſo inventus ſit in agro frumentum propriâ manu ſerens. Curius verò Dentatus ille eſt, quem Samnitum Legati, magnum auri pondus publicè miſſum deferentes, offenderunt rapas in foro torrentem, cujus celebratur hoc reſponſum ad legatos illos: *M. Curium malle imperare locupletibus, quàm locupletem fieri, &, qui acie vinci non potuit, eum pecuniâ corrumpi non poſſe.* Fabricius denique non minùs celebris ob frugalitatem, aliaſque virtutes, adverſus Pyrrhum Epirotarum Regem, & Samnites graviſſima bella geſſit, adverſus quos, ut bello invictum, ita ſe præſtitit muneribus incorruptum. Hujus filiæ ob paupertatem ex publico dotatæ, ad maritos ierunt, portantes gloriam domeſticam, pecuniam publicam, ut ait Livius. Ipſe Pyrrhi medicum domini ſui mortem per venenum pollicentem, vinctum ad ipſum remiſit.

4. Ἀστέρας εἰσαθρεῖς.] Hos omnes itemque alios nonnullos refert Laërtius, in Platonis vitâ.

Aſtra

Aſtra vides, [1] *utinam fiam, mi ſidus, Olympus,*
Ut multis ſic te luminibus videam.
[2] Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος,
Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.
Lucifer antè meus rutilans mortalibus Aſter:
Heſperus à fato Manibus ecce nites.

Item ejuſdem Platonis, in Alexin Phædrumque pueros, conjuncto carmine:

Νῦν ὅτε μηδὲν Ἄλεξις ὅσον μόνον εἶφ᾽ ὅτι καλὸς
Ὦπται, καὶ πάντῃ πᾶς τις ἐπιστρέφεται.
Θυμὲ, τί μηνύεις κυσὶν ὀστέον, εἶτ᾽ [3] ἀνιήσεις
Ὕστερον; οὐχ οὕτω Φαῖδρον ἀπωλέσαμεν;
Dixerit hic tantùm cùm nil niſi pulcher Alexis
Extitit, & vertunt quilibet in te oculos.
Cur, anime, [4] *os canibus monſtras,* [5] *aficiſque dolore*
Poſtmodò? non Phædrum ſic priùs [6] *amiſimus?*

INTERPRETATIO.

O Stella mea, quæ priùs coruſcabas inter homines *ut* Lucifer,
Nunc luces poſt mortem inter mortuos *ut* Veſper.
Diſce *inſuper* verſus *ejuſdem Platonis in Alexin & Phædrum pueros* in eodem carmine:
Cùm hic nihil dixerit niſi *hoc ſolùm* Alexis formoſus
Fuit, & omnes convertunt oculos in te,
Anime *mi*, quare oſtendis os canibus, & affligis
Poſteà? nonne ſic perdidimus Phædrum olim.

NOTÆ.

1. *Utinam fiam, mi ſidus,* &c.] Similiter Catullus ad Fabullum, ſed in diſſimili argumento:

Unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donârunt Veneres Cupidineſque,
Quod tu cùm olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.

Hujus diſtichi Latini, *Aſtra vides,* &c. interpretationem vide pag. ſuperiori.

2. Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες.] Auſonius noſter ſic interpretatus eſt.

Stella priùs ſuperis fulgebas Lucifer, at nunc
Extinctus, caſſis lumine Veſper eris.

3. ἀνιήσεις.] Henricus Stephanus in ſuo judicio de Laërtii Latinâ interpretatione per fratrem Ambroſium, ejuſdemque recognitione per Benedictum Brognolum, egit ἀνιήσῃ: atque hos quatuor verſus ſic interpretatur meliùs, meâ quidem ſententiâ, & clariùs, quàm noſter Lucius:

Nunc quoniam tantum hoc, Eſt viſus pulcher Alexis,
Dixi, convertit lumina quiſque ſua.
Quid mi anime, os canibus monſtras? res iſta dolorem
Afferet. Ah Phædrum nonne ita perdidimus?

4. *Os canibus monſtras?*] *Monſtrare os canibus* proverbialiter dictum videtur pro eo, quod eſt, oſtendere aliquid excitandæ cupiditatis causâ, quam tamen explere nolis.

5. *Aficiſque dolore.*] Elmenhorſtius reponit *angiſque dolore*, ſicque meiùs conſtat metri ratio & Latinitatis. nam quis unquam *aficis* dixit, pro *afficis*?

6. *Amiſimus*] Metricarum legum ac ſyllabarum quantitatis valdè negligentem fuiſſe Apuleium oportet, qui vocem *amiſimus* in fine pentametri poſuerit. Gentilis metri causâ legit: *Non Phædrum ſic priu' perdidimus* Elmenhor-

Et, ne plures commemorem, [1] noviſſimum verſum ejus de Dione Syracuſano ſi dixero, finem faciam.

Κεῖσαι δ' εὐρυχόρῳ ἐν πατρίδι, τίμιος ἀστοῖς,
Ὦ ἐμὸν ἐκμήνας θυμὸν ἔρωτι Δίων.

[2] *Civibus ingenti in patriâ laudate jaces nunc;*
Qui inſanum me animi reddis amore, Dion.

Sed ſumne ego ineptus, qui hæc etiam in judicio? an vos potiùs calumnioſi, qui etiam hæc in accuſatione? quaſi ullum ſpecimen morum ſit, verſibus ludere. [3] Catullum ita reſpondentem malivolis non legiſtis?

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.

[4] Divus Hadrianus, cum Voconii amici ſui poëtæ tumulum verſibus muneraretur, ita ſcripſit:

Laſcivus verſu, mente pudicus eras.

INTERPRETATIO.

Et, ne neceſſe habeam recitare plures, deſinam, ſi recitavero ultimum ejus verſum de Dione Syracuſano:

O Dion, qui vertis in furorem meum animum præ amore,
Nunc jaces in amplâ patriâ honoratus à *tuis* civibus.

Verùm ego-ne ſtultus ſum, qui commemoro *etiam iſta in judicio? an vos potiùs* eſtis *calumniatores, qui* profertis *etiam hæc in accuſatione, quaſi ſit ullum argumentum vitæ, laſcivire verſibus.* An *non legiſtis Catullum ſic reſpondentem invidis?*

Nam conveniens eſt ut probus poëta ſit pudicus ipſe,
At Non eſt neceſſe ut ejus verſus *ſint caſti.*

Imperator Hadrianus, cùm ornaret verſibus ſepulchrum Voconii poëtæ amici ſui, ſic ſcripſit:

Eras mollis in tuis verſibus, *at* caſtus animo.

NOTÆ.

ſtias: *Non Phædro ſic priùs excidimus?* Sed hæc Latina diſticha non eſſe Apuleii facilè crediderim.

1. *Noviſſimum verſum ejus.*] Ultimum è tribus diſtichis, quorum prima duo a Laërtio relata, hæc ſunt:

Δάκρυα μὲν Ἑκάβῃτε, καὶ Ἰλιάδεσσι γυναιξὶ
Μοῖραι ἐπέκλωσαν δήποτε γεινομέναις·
Σοὶ δὲ, Δίων, ῥέξαντι καλῶν ἐπινίκιον ἔργων
Δαίμονες εὐρείας ἐλπίδας ἐξέχεαν.

Et lacbrymas Hecubæ, & Trojanis Fata puellis
Decrevêre recens ex genitrice ſatis:
At tibi poſt partos præclaro Marte triumphos,
Spes reliquæ eſt nullis clare Dion ſuperis.

2. *Civibus ingenti in patriâ, &c.*] Diſtichon iſtud ultimum ſic vertit interpres Laërtii:

Te patria ampla fovet, cumulat te civis honore,
Quo mihi nunc mentem perdis amore Dion?

At nulla in Græco interrogatio. Meliùs ergo vertas:

O qui mihi nunc mentem perdis amore, Dion.

3. *Catullum ita reſpondentem, &c.*] Epigrammate 16. ad Aurelium

4. *Divus Hadrianus.*] Ælius Hadrianus, qui Trajani ſucceſſor fuit. Eum non poëtis modò, ſed doctis omnibus faviſſe auctor eſt Ælius Spartianus in ejus vitâ. Porrò Voconii poëtæ illius, de quo hîc mentionem facit Apuleius, nihil ad nos pervenit. Meminit ejus

Quod nunquam ita dixiſſet, ſi forent lepidiora carmina argumentum impudicitiæ habenda. [1] Ipſius etiam divi Hadriani multa id genus legere me memini. Audeſis igitur, Æmiliane, dicere malè id fieri, [2] quod Imperator & Cenſor Divus Hadrianus fecit, & factum memoriæ reliquit. Cæterùm Maximum quidquam putas culpaturum, quod ſciat Platonis exemplo à me factum? Cujus verſus, quos nunc percenſui, tantò ſanctiores ſunt, quantò apertiores, tantò pudiciùs compoſiti, quantò ſimpliciùs profeſſi. Namque hæc, & id genus omnia diſſimulare & occultare, peccantis: profiteri & promulgare, ludentis eſt. Quippe naturâ vox innocentiæ, ſilentium maleficio diſtributa. Mitto enim dicere alta illa & divina Platonica, rariſſimo cuique piorum gnara, cæterùm omnibus profanis incognita: [3] geminam eſſe Venerem Deam, proprio quamque amore, & diverſis amatoribus pollentes. Earum alteram Vulgariam, quæ ſit percita populari amore,

INTERPRETATIO.

Quod nunquam ſic dixiſſet, ſi venuſtiores verſus exiſtimandi eſſent argumentum impudicitiæ. Recordor etiam me legiſſe multos ejuſmodi verſus *ipſius Divi Hadriani. Ergo, Æmiliane, aude, ſi vis, dicere id eſſe malefactum, quod Divus Hadrianus Imperator & Cenſor fecit, & memoriæ tradidit à ſe factum. Porrò arbitraris-ne Maximum damnaturum aliquid, quod ſciat me feciſſe exemplo Platonis? Cujus verſus, quos modò recitavi, ſunt tantò magis pudici, quantò planiores, tantò caſtiùs facti, quantò ſimplicior eſt eorum ſenſus. Nam delinquentis eſt diſſimulare, & celare hæc, & omnia ejuſmodi*: ea verò *profiteri* palàm, *& divulgare*, eſt *ludentis. Natura enim dedit vocem innocentiæ, & ſilentium pravitati. Neque enim revelo* arcana *illa Platonica profunda & divina, quæ nota ſunt exiguo numero piorum, ignota verò omnibus profanis: duplicem* ſcilicet *eſſe Deam Venerem,* quarum *utraque* habet *amorem ſibi proprium, & diverſos amatores. Alteram earum Vulgarem, quæ ſtimulata ſit*

NOTÆ.

Plinius Junior, lib. 2. Epiſt. 11.

1. *Ipſius etiam Divi Hadriani multa id genus legere me memini.*] Spartianus in ejus vitâ: *In voluptatibus nimius. nam & de ſuis deliciis multa verſibus compoſuit: amatoria carmina ſcripſit &c.*

2. *Quod Imperator, & Divus, & Cenſor Hadrianus fecit.*] Florentinus Codex habet: *quod Imperator & Cenſor Divus Hadrianus fecit.* Utrovis modo legas, obſerva Cenſoris nomen poſt vocem *Imperator* poſitum; ut intelligas Imperatoriâ præſtantiorem eſſe Cenſoriam dignitatem, quam Plutarchus in Catone majore κορυφὴν τιμῆς ἁπάσης, καὶ βίον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσιν. *Apicem omnis dignitatis, & quodammodo Reipublicæ totius complementum* appellat.

3. *Geminam eſſe Venerem Deam*] Videndus Plutarchus in ἐρωτικοῖς, & Maximus Tyrius Diſſertation. 8, 9, 10 & 11. Quidam addidêre tertiam. Pauſanias in Bœoticis tria Veneris ſimulachra apud Thebas fuiſſe ait, ab Harmoniâ poſita & fabricata è roſtris Cadmi navium, unum Veneris οὐρανίας, ſeu *Cœleſtis*, purum ſignificantis & corporum cupiditate vacantem amorem: alterum πανδήμου *Popularis*, ob Venerios congreſſus (hæc eſt Vulgaria ejus loci:) tertium Veneris ἀποστροφίας *Averſatricis* quæ homines averteret ab effræni cupiditate, & inceſtis ſtupris.

non modò humanis animis, verùm etiam pecuinis & ferinis ad libidinem imperitare, ut immodico trucique perculſorum animalium ſerva corpora complexu vincientem: alteram verò Cœlitem Venerem, prædita quæ ſit optimati amore, [1] ſolis hominibus, & eorum paucis curare, nullis ad turpitudinem ſtimulis vel illecebris ſectatores ſuos percellentem. Quippe ejus amorem non amœnum & laſcivum, ſed contrà incomptum & ſerium, pulchritudine honeſtatis virtutes amatoribus ſuis conciliare: & ſi quando decora corpora commendet, à contumeliâ eorum procul abſterrere. Neque enim quidquam aliud in corporum formâ diligendum, quàm [2] quòd admoneat divinos animos ejus pulchritudinis, quam priùs veram & ſinceram inter Deos vidêre. Quapropter, ut ſemper, eleganter [3] Afranius hoc ſcriptum reliquit:

[4] *Amabit ſapiens, cupient cæteri.*

INTERPRETATIO.

amore plebeio, impellere ſuo imperio ad voluptatem non tantùm animos hominum, ſed etiam pecorum & ferarum, & connectere amplexu immoderato & veſano mancipata corpora animalium libidine *percitorum: alteram autem Cœleſtem Venerem, quæ polleat amore nobiliſſimo, curare ſolos homines, & ex illis quidem paucos, & nullis inſtigationibus aut illecebris impellere ſuos ſectatores ad obſcœnam libidinem. Amorem enim ejus non comptum & mollem, ſed contrà inornatum & gravem, inſpirare, ſuis amatoribus amorem virtutis pulchritudine honeſtatis: & ſi aliquando inſpiret amorem formoſorum corporum, avertere procul ab eorum injuriâ. Nihil enim aliud amandum eſſe in pulchritudine corporum, quàm quòd commonefaciat mentes ſublimiores pulchritudinis illius, quam anteà viderunt veram & puram inter Deos. Quamobrem Afranius reliquit hoc eleganter ſcriptum, ut ſemper* ſolet:

Sapiens diliget, reliqui concupiſcent.

NOTÆ.

1. *Solis hominibus, & eorum paucis curare.*] Sic verbum *curare* quod vulgò accuſativum regit; dativo junctum reperias apud veteres. Plaut. in Trinummo:

Sed ego ſum inſipientior, qui rebus curem publicis.

2. *Quod admoneat divinos animos ejus pulchritudinis, quam priùs, &c.*] Ex mente Platonis loquitur, qui exiſtimabat immortales eſſe animos, & antequàm corpora ingrederentur, apud Deum extitiſſe, & cognitionem rerum habuiſſe, quam in ipſo corporum ingreſſu amitterent. unde cùm quidpiam uſu atque experientiâ diſcerent, illud eas non tam diſcere, quàm recordari, & ſcientiam ipſam nihil aliud eſſe quàm reminiſcentiam, affirmabat.

3. *Afranius hoc ſcriptum reliquit.*] Lucius Afranius poëta Comicus, cujus aliquot fragmenta extant citatus autem hic ab Apuleio verſus in ejus *Homine* extat, ut patebit mox ex Nonio.

4. *Amabit ſapiens.*] Nonius cap. 5. *Cupido & Amor idem ſignificare videntur. At eſt diverſitas. Cupido enim eſt inconſiderata neceſſitatis: Amor judicii. Plaut. Bacchidibus. Cupido te conficit, anne Amor? Idem Curculione diſcrevit, & vim ejuſdem diverſitatis expreſſit, dicens: quòd Cupidoque imperat, ſuadetque Amor. Afranius, Homine: Amabit ſapiens, cupient cæteri.* Hæc ſententia rectè cum Stoïcorum placitis congruit. Seneca Epiſt. 31. *Solus ſapiens ſcit amare, ſolus ſapiens amicus eſt.*

Tamen[1] ſi audire verum velis, Æmiliane, vel ſi hæc intelligere unquàm potes: [2] non tam amat ſapiens, quàm recordatur. Da igitur veniam Platoni philoſopho verſuum ejus de amore, ne ego neceſſe habeam, [3] contra ſententiam Neoptolemi Enniani, pluribus philoſophari: vel ſi tu id non facis, [4] ego me facilè patiar in hujuſcemodi verſibus culpari cum Platone. Tibi autem, Maxime, habeo gratiam propenſam, cùm [5] has quoque appendices defenſionis meæ, idcircò neceſſarias, quia accuſationi rependuntur, tam attentè audis: & ideò hoc etiam peto, quod mihi [6] ante ipſa crimina ſupereſt, audias, ut adhuc feciſti, libenter & diligenter. Sequitur enim de Speculo longa illa & cenſoria oratio, de quo [7] pro rei atrocitate pœnè diruptus eſt Pudens, clamitans: *Habet ſpeculum philoſophus, poſſidet ſpeculum philoſophus.* Ut igitur habere concedam, [8] ne aliquid obje-

INTERPRETATIO.

Sed *tamen ſi vis audire verum, ô Æmiliane, vel ſi potes unquam hæc mente concipere: ſapiens recordatur potiùs, quàm amat. Condona igitur Platoni philoſopho ejus verſus amatorios, ne ego cogar philoſophari pluribus* verbis, *contra quam Neoptolemus Ennianus ſentit: aut ſi id non facis, ego facilè feram me damnari cum Platone in hujuſmodi carminibus. Habeo autem tibi maximam gratiam, ô Maxime, quòd audias tam attentè etiam hæc adjuncta mea Apologiæ,* quæ *ideò neceſſaria ſunt, quia proferuntur ad reſpondendum accuſationi* contra me factæ: *proptereáque oro te etiam ut audias id, quod mihi* dicendum *reſtat ante ipſam accuſationem, volenti animo & attentè, ut feciſti hactenùs. Nam ſequitur illa longa & ſevera oratio de Speculo, de quo cùm Pudens clamaret ſecundùm atrocitatem rei:* Philoſophus habet ſpeculum, Philoſophus poſſidet ſpeculum, *ferè ruptus eſt. Quamvis ergo fatear me habere, ne ſi id inficiatus ero, credas te*

NOTÆ.

1. *Si audire verum velis.*] Id eſt, veram de hac re Platonis noſtri ſententiam, ſive Socratis, quam in Phædone & in Philebo expreſſam videre licet.

2. *Non tam amat ſapiens, quàm recordatur.*] Ejus pulchritudinis, quam priùs veram & ſinceram inter Deos viderat animus ejus, ut ait ſuprà.

3. *Contra ſententiam Neoptolemi Enniani.*] Eam refert A. Gellius lib. 5. cap. 15. *Ennianum Neoptolemum (* inquit *) probabamus, qui profectò ita ait:* PHILOSOPHANDUM EST PAUCIS: NAM OMNINÒ, HAUD PLACET. Sequenti etiam cap. ſic habet: *Ejuſdemque illius Enniani Neoptolemi, de quo ſuprà ſcripſimus, conſilio utendum eſt: qui deguſtandum ex Philoſophiâ cenſet, non in eam ingurgitandum.*

4. *Ego me facilè patiar, &c. culpari cum Platone.*] Ita Cicero aiebat malle ſe cum Platone errare, quàm cum aliis rectè ſentire. Tuſc. Q. 1. num. 39.

5. *Has quoque appendices defenſionis meæ.*] Refutationem objecti ſibi criminis de verſibus amatoriis, quod quidem crimen, ut non erat primarium ac præcipuum cujus accuſaretur, ſed Magia; ita ejus dilutio non erat niſi exigua pars defenſionis, atque ejus appendix.

6. *Ante ipſa crimina.*] Antequàm veniam ad ipſa crimina, hoc eſt, ad accuſationem primariam.

7. *Pro rei atrocitate.*] Εἰρωνικῶς dictum.

8. *Ne aliquid objeciſſe, &c.*] Id eſt, *crimen alicujus momenti.*

ciſſe te credas, ſi negâro: non tamen ex eo me accipi neceſſe eſt exornari quoque ad ſpeculum ſolere. Quid enim ſi [1] choragium Thymelicum poſſiderem; num ex eo argumentarêre etiam, uti me conſuêſſe [2] tragœdi ſyrmate, hiſtrionis crotalo ut ad Trieterica Orgia, aut mimi centunculo? non opinor. Nam & contrà plurimis rebus poſſeſſu careo, uſu fruor. Quod ſi neque habere utendi argumentum eſt, neque non utendi non habere: & ſpeculi non tam poſſeſſio culpatur, quàm inſpectio; illud etiam doceas neceſſe eſt, quando, & quibus præſentibus in ſpeculum inſpexerim. quoniam, ut res eſt, majus

INTERPRETATIO.

aliquid mihi objectâſſe, ſi inficiatus ero: non tamen neceſſariò inde inferendum eſt me etiam ſolere comi ante ſpeculum. Nam quid foret *ſi haberem penès me ſcenicum ornatum; an inde inferres etiam me ſolitum eſſe uti longâ veſte Tragœdi, crepitaculo Comœdi veluti ad* celebranda *Orgia Triennalia, vel palliolo mimi? non arbitror. Contrà enim non habeo poſſeſſionem multarum rerum, quarum tamen habeo uſum. Quod ſi ex eo, quod* quis *poſſideat* aliquid, *non probatur illum eo uti, neque* ex eo quòd *non habeat, eum non uti: & non tam damnatur poſſeſſio ſpeculi, quàm inſpectio ejus; oportet ut oſtendas etiam illud, quandonam inſpexerim ſpeculum, & coram quibus. quia, ut res* nunc *ſe ha-*

NOTÆ.

1. *Choragium Thymelicum.*] Apparatum & ſupellectilem ſcenicam, cujuſmodi qui poſſidebat ac præbebat, Choragus dicebatur. Plaut. Trinummo: *Ipſa ornamenta à Chorago hæc ſumpſit ſuo periculo.* Thymelicum hîc generatim accipe pro ſcenico. ſpecialiter tamen Thymelici dicuntur Cantores, Tibicines, Citharœdi, Saltatores, ſic dicti ἀπὸ τῆς θυμέλης eâ Orcheſtræ parte, in quâ apud Græcos cantiones ſaltationeſque ſuas peragebant; cùm, apud Romanos, eas in pulpito peragerent, ut refert Vitruvius, lib. 5. cap. 8.

2. *Tragœdi ſyrmate, hyſtrionis crotalo ut ad Trieterica Orgia, &c.*] Sic, mutatâ ſolùm interpunctione, & unâ litterâ, reponit Pricæus Bourdelotio auctore, & meliùs quidem, ut cenſeo, quàm erat priùs, *tragœdi ſyrmate hiſtrionis crotalo-ve, ad Trieterica Orgia, mimi centunculo.* Hoc vult Apuleius, ſi nempè ſyrmata, cothurnos, perſonas tragicas, crotala, palliola mimorum, aliaque ejuſmodi poſſiderem, quorum uſus in theatris ad Tragœdias, Comœdias-ve, aut mimos; an inde inferres me quoque artem exercere hiſtrionicam, & uti ſyrmatis, hoc eſt, veſtibus à poſteriori parte longiſſimis, quales geſtantur à Tragœdis; aut crotala quatere, inſtar hiſtrionis, ut fit in ludis Dionyſiacis; aut denique amiciri palliolo ex multis pannis conſuto, ut mimi in fabulis mimicis agendis ſolent. *Orgia Trieterica* ſacra erant Bacchi, ſic dicta, quòd tertio quoque anno inſtaurarentur. Pro *crotalo* Salmaſius hîc legit *crocota*, quod genus veſtis eſt crocei coloris, ut Plauti interpretes exponunt ad Aulularium. De *crotalo* mirum quàm parùm conſentiant Scriptores. Scholiaſtes Ariſtophanis in nubibus ait crotalum eſſe harundinem fiſſam σχιζόμενον κάλαμον, quæ manibus agitata ſtreperet. Euſtath. in 21 lib. Iliad. crotala dicit eſſe vaſa ſeu inſtrumenta quædam teſtacea, aut lignea, aut etiam ærea Κρόταλά ἐστι σκεῦή τινὰ ἐξ ὀστράκου τυχὸν, ἢ ξύλου, ἢ χαλκοῦ. Joannes Sariſburienſis (aut potiùs ejus Scholiaſtes) crotala ait eſſe ſphærulas ſonoras, quæ, quibuſdam granis interpoſitis, pro quantitate ſui & ſpecie metalli, varios ſonos edunt. Videtur his verbis deſcribere globulos illos, quos vernaculè dicimus (*grelots*) nomine ad *crotala* ſatis accedente.

piaculum decernis, ſpeculum philoſopho, [1] quàm Cereris mundum profano videre. Cedo nunc, ſi & inſpexiſſe me fateor, quod tandem crimen eſt imaginem ſuam nôſſe, eamque non uno loco conditam, ſed quoquo velis parvo ſpeculo promptam geſtare? An tu ignoras nihil eſſe aſpectabilius [2] homini nato, quàm formam ſuam? Equidem ſcio & filiorum cariores eſſe, qui ſimiles videntur: & publicitùs ſimulacrum ſuum cuique, quòd videat, pro meritis præmio tribui. Aut quid ſibi ſtatuæ & imagines variis artibus effigiatæ volunt? niſi fortè quod artificio elaboratum laudabile habetur, hoc naturâ oblatum culpabile judicandum eſt; cùm ſit in eâ vel magis miranda & facilitas & ſimilitudo. Quippe in omnibus manu faciundis imaginibus opera diutina ſumitur, neque tamen ſimilitudo æquè ac in ſpeculis comparet. Deeſt enim & luto vigor, & ſaxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipuâ fide ſimilitudinem repræſentat. Cùm in eo viſitur imago mirè relata, ut ſimilis, ita mobilis, & ad omnem nutum [3] hominis ſui morigera: eadem ſemper contemplantibus æquæva eſt, ab ineunte pueritiâ ad obeuntem ſenectam. tot ætatis vices induit, tam varias habitudines corporis participat: tot vultus ejuſdem lætantis vel dolentis imitatur. Enimverò quod luto fictum,

INTERPRETATIO.

bet, ſtatuis gravius eſſe nefas philoſopho videre ſpeculum, quàm profano intueri ornatum Cereris. Nunc ſi concedam quoque me inſpexiſſe, dic tandem quodnam crimen eſt cognoſcere ſuam effigiem, & non habere *eam abditam in uno loco, ſed* eam *ferre quocumque volueris in parvo ſpeculo* ſemper *paratam? An neſcis nihil eſſe dignius quod aſpiciatur ab homine, qui ſe hominem eſſe ſcit, quàm ipſius vultus? Scio equidem ex filiis* illos *eſſe cariores* parentibus, *qui videntur referre* eos: *& unicuique pro ſuis meritis loco mercedis erigi publicè effigiem ſuam, quam aſpiciat. Vel quid ſtatuæ & imagines formatæ variis artibus ſignificant? niſi fortè* velis *id, quod exiſtimatur laudandum, cùm eſt arte fabricatum, exiſtimandum eſſe vituperabile, quando exhibetur à naturâ; cùm tamen facilitas ſaltem & conformitas ſit magis admiranda in eâ. Diu enim laboratur in omnibus imaginibus manu fabricandis, nec tamen tanta ſimilitudo apparet* in eis, *quanta in ſpeculis. Lutum enim caret vigore, lapis colore, pictura firmitate: &* hæc *omnia* carent *motu, qui fideliſſimè refert ſimilitudinem. Quando effigies aſpicitur in eo mirabiliter repræſentata, non tantùm ſimilis, ſed etiam mobilis, & obſequens omnibus nutibus hominis, quem refert: eadem eſt ſemper coætanea aſpicientibus, ab initio pueritiæ uſque ad finem ſenectutis. ſumit tot mutationes ætatis, recipit tam diverſas conformationes corporis: effingit tot facies ejuſdem* hominis *vel gaudentis vel mœrentis. At* imagines *formatæ ex terrâ,*

NOTÆ.

1. *Quàm Cereris mundum profano videre.*] Unde mundus ille ſeu ſupellex Cereris in ciſtis opertis geſtabatur. Noſter Metam. l. 6. *per tacita ſacra ciſtarum.* ubi vide annotata. pag. 174.

2. *Homini nato.*] Plin. lib. 4. Nat. Hiſt. dixit *hominem genitum.* Plautus; *Qui ſuum repetunt, alienum reddunt nemini nato.* Noſter ſuprà, *quid ego de homine nato diutiùs*, ubi vide quæ diximus pag. 411.

3. *Hominis ſui.*] Hoc eſt, hominis, cujus eſt imago.

vel ære infuſum, vel lapide inciſum, vel cerâ inuſtum, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio aſſimilatum eſt, non multâ intercapedine temporis diſſimile redditur: &, ritu cadaveris, unum & immobilem vultum poſſidet. [1] tantum præſtat artibus, ad imaginis ſimilitudinem referendam, [2] lævitas illa ſpeculi fabra, & ſplendor opifex! Aut igitur unius [3] Ageſilaï Lacedæmonii ſententia nobis ſequenda eſt, qui ſe neque pingi, neque fingi unquam, [4] diffidens formæ ſuæ, paſſus eſt: aut ſi mos omnium cæterorum hominum retinendus videtur in ſtatuis & imaginibus non repudiandis; cur exiſtimes imaginem ſuam cuique viſendam potiùs in lapide, [5] quàm in argento? magis in tabulâ, quàm in ſpeculo? An turpe arbitraris formam ſuam ſpectaculo aſſiduo explorare? An non Socrates philoſophus ultrò etiam ſuaſiſſe fertur diſcipulis ſuis, [6] crebrò ut ſemet in ſpeculo contempla-

INTERPRETATIO.

aut fuſæ ex ære, aut ſculptæ ex lapide, aut impreſſæ ceræ, aut effictæ quâvis aliâ arte humanâ, redduntur diſſimiles brevi intervallo temporis: & habent faciem ſemper *eandem & immobilem, inſtar cadaveris. adeò illa artifex politura ſpeculi & nitor actuoſus ſuperat artes in repræſentandâ ſimilitudine effigiei! Ergo aut debemus ſequi ſententiam ſolius Ageſilai Lacedæmonii, qui malè ſentiens de ſuo vultu, nunquam paſſus eſt ſe pingi, neque fingi: aut ſi exiſtimamus ſervandum eſſe morem omnium aliorum hominum in non rejiciendis ſtatuis & imaginibus; quare putes unumquemque debere potiùs aſpicere ſimulachrum ſuum in lapide, quàm in argento? potiùs in tabellà pictâ, quàm in ſpeculo? Putas ne turpe eſſe explorare vultum ſuum aſſiduè ſpectando? Nonne Socrates philoſophus dicitur etiam ipſe conſilium dediſſe ſuis diſcipulis, ut ſeipſos ſæpè intuerentur in*

NOTÆ.

1. *Tantùm præſtat artibus, ad imaginis ſimilitudinem referendam, &c.*] Sic repono Pricæum ſecutus. priùs erat turbato paululùm ordine, *tantùm præſtat imaginis artibus ad ſimilitudinem,* &c. Artes ſunt, *ære infundere, lapide incidere, cerâ inurere, luto fingere,* de queis ſuprà

2. *Lævitas illa ſpeculi fabra, & ſplendor opifex.*] Ideò lævitatem ſpeculi *fabram* & ejus ſplendorem *opificem,* vocat, quia lævitas illa & ſplendor imagines effigiant, quemadmodum fabri artificeſque, pictores putà, vel ſculptores eas pingunt, aut ſculpunt.

3. *Ageſilai Lacedæmonii ſententia.*] De eo Cicero Epiſtol. ad Famil. lib. 5 Epiſt. 12. *Nec minùs enim eſt Spartiates Ageſilaüs ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quàm qui in eo genere laborárunt. Unus enim Xenophontis libellus, in eo Rege laudando, facilè omnes imagines omnium ſtatuaſque ſuperavit.*

4. *Diffidens formæ ſuæ.*] Aliam cauſam affert Plutarchus in ejus vitâ, nempè quòd diceret res à ſe geſtas inſtar omnium imaginum fore.

5. *Quàm in argento.*] Hoc eſt, in argenteo ſpeculo. Enimverò ſpecula olim ex ſtanno & ære miſtis conflabantur, qualia erant Brunduſina, de quibus Plinius, lib. 33. cap. 9. poſteà ex argento facta ſunt, non, ut nunc, ex vitro ſtanneis bracteis ab alterâ parte obducto.

6. *Crebrò ut ſemet in ſpeculo contemplarentur? ubi qui eorum foret, &c.*] Similiter apud Phædrum lib. 3. turpi filiæ formoſum fratrem, quòd ſpecu-

centur?

rentur? uti qui eorum foret pulchritudine ſibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui verò minùs ſe commendabilem formâ putaret, ſeduló operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeó [1] vir omnium ſapientiſſimus ſpeculo etiam ad diſciplinam morum utebatur. Demoſthenem verò, primarium dicendi artificem, quis eſt qui non ſciat [2] ſemper ante ſpeculum, quaſi ante magiſtrum, cauſas meditatum? ita ille ſummus orator, cùm à Platone philoſopho facundiam hauſiſſet, [3] ab Eubulide dialectico argumentationes edidiciſſet, noviſſimam pronunciandi congruentiam ab ſpeculo petivit. Utrum igitur putas majorem curam decoris in adſeverandâ oratione ſuſcipiendam [4] rhetori

INTERPRETATIO.

ſpeculo, ut is *ex eis qui ſibi ipſi placuiſſet ob pulchritudinem* ſuam, *ſtudioſè daret operam ne corrumperet pulchritudinem corporis pravis moribus: qui verò exiſtimaret ſe eſſe parum formoſum, diligenter curaret, ut operiret ſuam deformitatem virtutis pulchritudine. Ita ſapientiſſimus omnium homo adhibebat etiam ſpeculum ad mores inſtituendos. Quis verò ignorat Demoſthenem præſtantiſſimum illum magiſtrum dicendi ſemper meditatum eſſe cauſas ante ſpeculum tanquam ante magiſtrum? Sic ille ſupremus orator, cùm ſumpſiſſet eloquentiam à philoſopho Platone, & didiciſſet argumentationes ab Eubulide dialectico, ſumpſit à ſpeculo ultimam perfectionem declamationis. Utri ergo cenſes majorem curam decentiæ habendam eſſe in oratione confirmandâ, ora-*

NOTÆ.

lum inſpexiſſet, accuſanti patet:

Quotidie (inquit) ſpeculo vos uti volo,
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis,
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

1. *Vir omnium ſapientiſſimus.*] Pythiæ ipſius teſtimonio, cujus hoc reſponſum extat apud Laërtium in Socratis vitâ: Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. *Omnium hominum Socrates eſt ſapientiſſimus.*

2. *Semper ante ſpeculum quaſi ante magiſtrum, &c.*] Plutarchus ait Phalereum ex ore ipſius Demoſthenis tradidiſſe: Εἶναι αὐτῷ μέγα κάτοπτρον οἴκοι, καὶ πρὸς τοῦτο τὰς μελέτας, ἐξ ἐναντίας ἱστάμενον περαίνειν. *habere enim magnum ſpeculum domi, &, ſtantem ante illud, ſolitum eſſe ſuas exercitationes perficere.* Idem refert Quintilianus, lib. 11. cap. 3. ſed & vivorum magiſtrorum ope adjutus eſt Satyri hiſtrionis, & Andronici.

3. *Ab Eubulide dialectico argumentationes edidiciſſet.*] Eubulides ille Mileſius fuit, de quo Laërtius in vitâ Euclidis: τῆς δὲ Εὐκλείδου διαδοχῆς ἐστι καὶ Εὐβουλίδης ὁ Μιλήσιος, ὃς καὶ πολλοὺς ἐν διαλεκτικῇ λόγους ἠρώτησε, &c. ἐῴκει γὰρ αὐτοῦ καὶ Δημοσθένης ἀκηκοέναι καὶ ῥωβικώτερος ὢν παύσασθαι. *Porrò ex Euclidis ſucceſſione eſt & Eubulides Mileſius, qui & plurimos in dialecticâ modos, rationeſque interrogandi tradidit, &c. videtur Demoſthenes hunc audiviſſe, & quùm ῥῶ (r) litteram pronuntiare vix poſſet, emendâſſe jugi exercitio.*

4. *Rhetori jurganti, an philoſopho objurganti.*] Adverte in illâ homœoptoſis, & homœoteleuſis affectatione proprietatem ſermonis. quàm benè enim *cauſidicus jurgans* dicitur, cujus tota ars in altercatione verſatur, & contentione cum alio: tàm benè dicitur *philoſophus objurgans*, cujus eſt aliena vitia corripere. Gellius lib. 5. cap. 1. *Cùm philoſophus hortatur, monet, ſuadet, objurgat.*

jurganti, an philoſopho objurganti? [1] apud judices ſorte ductos pauliſper diſceptanti, an apud omnes homines ſemper diſſerenti? de finibus agrorum litiganti, an de finibus bonorum & malorum docenti? Quid? quód nec ob hæc debet tantummodò philoſophus ſpeculum inviſere. Nam ſæpè oportet non modò ſimilitudinem ſuam, verùm etiam [2] ſimilitudinis ipſius rationem conſiderare: Num, [3] ut ait Epicurus, profectæ à nobis imagines, velut quædam exuviæ, jugi fluore à corporibus manantes, cùm læve aliquid & ſolidum offenderunt, illiſæ reflectantur, & retrò expreſſæ [4] contraversùm reſpondeant: an, uti alii philoſophi diſputant, radii noſtri, ſeu [5] mediis oculis proliquati, & lumini

INTERPRETATIO.

tori altercanti, an vero *philoſopho increpanti? tantiſper diſputanti coram judicibus ſorte lectis, an ſemper verba facienti coram omnibus hominibus? altercanti de limitibus agrorum, an præcepta danti de diſcrimine bonorum & malorum? Quid? quòd philoſophus debet intueri ſpeculum non propter illa ſolùm. Nam oportet ſapè contemplari non tantùm ſuam imaginem, ſed etiam modum ipſius imaginis in ſpeculo* imprimendæ: *Utrum* ſcilicet *ſpecies profecta à nobis, quaſi quadam exuviæ fluentes ex corporibus fluxu perpetuo, cùm inciderunt in aliquod* corpus *politum & denſum, impingant in illud, & reflectantur, & educta retrorsùm videantur ex adverſo, quemadmodum Epicurus ait: an* verò, *ut diſſerunt alii philoſophi, radii noſtri; ſive per-*

NOTÆ.

1. *Apud judices ſorte ductos pauliſper diſceptanti, an, &c.*] Pergit in oppoſitione rhetoris cum philoſopho, Demoſthenis cum ſeipſo. Porrò de judicibus ſorte ducendis ſic Aſconius in 2am orationem Cic. in Verrem: *Quam multi Judices in conſilio cum Pratore ſuo judicaturi eſſent, qui quæſitor fuiſſet in causâ publicâ, &c. neceſſe fuerat eos primùm de Curiâ Senatoriâ conſcribi, quùm Senatus judicaret: deinde in urnam ſortitò mitti, ut de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet. tertiò permitti accuſatori & reo, ut ex illo numero rejiciant quot putaverint ſibi aut inimicos, aut ex aliquâ re incommodos fore, &c. Rejectione celebratâ, ſubſortiebatur Prætor alios, quibus Judicum legitimus ille numerus compleretur.*

2. *Similitudinis ipſius rationem conſiderare.*] Id eſt, quo pacto ſimilis imago exprimatur in ſpeculis.

3. *Ut ait Epicurus, profecta à nobis imagines, velut quædam exuviæ, &c.*] Hanc Epicuri ſententiam his verſibus expreſſit Lucretius, lib. 4.

Sunt igitur tenues formarum conſimileſque
Effigiæ, &c. Et infrà:
Quapropter fit ut hinc nobis ſimulachra redundent.
Et quamvis ſubitò, quovis in tempore, quamquam
Rem contra ſpeculum ponas, apparet imago:
Perpetuò fluere ut noſcas è corpore ſummo
Texturas rerum tenues, tenueſque figuras, &c.

Texturas rerum tenues dicit Lucretius, quas Epicurus ἀποῤῥοίας, & noſter hîc *exuvias*.

4. *Contraversùm.*] Vulgò eſt *controverſim*, malè. *Contraversùm* explico in contrariam partem. Sic lib. 2. Met. Aſini *poneversùm* legitur. & hîc infrà, *undiqueversùm*.

5. *Mediis oculis proliquati, & lumini extrario mixti atque ei uniti, uti Plato arbitratur.*] In Timæo, ſive libro de univerſitate. Gellius, lib. 5. Noct.

extrario mixti, atque ei uniti, uti Plato arbitratur, ſeu tantùm oculis profecti, [1] ſine ullo foris adminiculo, [2] ut Archytas putat, [3] ſeu intentu aëris fracti, ut Stoici rentur; cùm alicui corpori incidêre ſpiſſo & ſplendido & lævi, [4] paribus angulis, quibus inciderant, reſultent [5] ad facies ſuas reduces: atque ita quod extrà tangunt ac viſunt, id intra ſpeculum [6] imaginentur. Videntur-ne vobis debere philoſophi hæc omnia veſtigare & inquirere, & [7] cuncta ſpecula vel uda vel ſuda ſoli videre? Quibus præter iſta, quæ dixi, etiam illa ratiocinatio

INTERPRETATIO.

mixti luci externæ, & ei conjuncti, poſtquàm profluxerunt ex mediis noſtris *oculis, ut Plato exiſtimat: ſive exeuntes ſolùm ex oculis ſine ullo auxilio extraneo, ut Archytas arbitratur: ſive fracti intenſione aëris, ut putant Stoici; quando offenderunt ad aliquod corpus denſum nitens & politum, reſiliant & revertantur ad facies ſuas per angulos æquales iis, quibus offenderant* illud corpus: *ſicque repræſentent in ſpeculo id, quod contingunt & cernunt extra* ipſum. *Nonne videtur vobis oportere ut philoſophi ſcrutentur & inquirant hæc omnia,* & ut ipſi *ſoli aſpiciant ſpecula ſive humida ſive ſicca? Qui præter illa, quæ dixi, debent etiam rationem* quærere

NOTÆ.

Attic. cap. 16. illam Epicuri, & hanc Platonis de ratione videndi ſententiam attingit, quem vide.

1. *Sine ullo foris adminiculo.*] Id eſt, ſine concurſu ullius profluentis ex corporibus luminis, atque aëris medii converſione, quam Plato conſtituit.

2. *Ut Archytas putat.*] Tarentinus Pythagoricus philoſophus. ſed non ipſi peculiaris eſt opinio, quam refert Apuleius. eſt enim Pythagoræ & diſcipulorum ejus, ut teſtatur Plutarchus lib. 4. *de Placitis philoſophorum* cap. 14. περὶ κατοπτρικῶν ἐμφάσεων.

3. *Seu intentu aëris fracti, ut Stoici rentur.*] Gellius loco ſuprà laudato: *Stoici cauſas eſſe videndi dicunt, radiorum ex oculis in ea quæ videri queunt emiſſionem, aëriſque ſimul intenſionem.*

4. *Paribus angulis, quibus inciderant, reſultent*] Per primum theorema libri Catoptricorum Euclidis: *A ſpeculis planis, convexis, & cavis, radii ad æquales angulos reflectuntur.*

5. *Ad facies ſuas reduces.*] Revertentes ad vultus, ex quorum oculis primò proceſſerant ſpeculum verſùs, juxtà Platonis & Stoïcorum ſententiam, quæ quidem ut parùm veriſimilis meritò à doctis hujus ævi exſibilatur, quemadmodùm & effluvia ſeu exuviæ illæ & texturæ rerum tenues Epicureorum; cùm ad omnia omninò viſionis, colorumque ipſorum phænomena explicanda ſufficiant variæ lucis à corporibus, in quæ impingit, reflexiones refractioneſque ac modificationes (liceat uti Senecæ vocabulo) quibus in oculorum fundo pinguntur tenues quidem ſed vivæ corporum, quæ cernimus, imagines, ut variis iiſque clariſſimis experimentis demonſtratur. Conſule Carteſium, in Dioptricâ, & Tract. *de Luce.*

6. *Imaginentur.*] Repræſentent, exhibeant, exprimant. *Imaginari* vel *imaginare* propriè eſt imagines fingere. Gellius lib. 16. cap. 18. *Item ut ſpeculum in loco certo poſitum nihil imaginet, aliorsùm tranſlatum faciat imagines.*

7. *Cuncta ſpecula vel uda, vel ſuda.*] Id eſt, tum illa, quæ fiunt ope aquæ, quale erat illud Narciſſo exitiale, & illud Corydonis Virgiliani:

Nec ſum adeo informis; nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

Tum quæ fiunt ex ære, argento-ve politis & lævigatis. quæ quidem ſicca ſunt aſſervanda, ſi a rubigine præſervare velis.

neceſſaria eſt, cur in planis quidem ſpeculis [1] fermè pares obtutus & imagines videantur; [2] in tumidis verò & globoſis omnia defectiora: at contrà in cavis auctiora: [3] ubi, & cur læva dexteris permutentur: [4] quando ſe imago eodem ſpeculo tum recondat penitùs, tum foras exerat: cur cava ſpecula, ſi exadverſùm Soli retineantur, [5] appoſitum fomitem accendunt? quî fiat, [6] uti arcus in nubibus varii, [7] & duo Soles æmulâ ſimilitudine viſantur? Alia prætereà ejuſdem modi plurima, [8] quæ tractat volumine ingenti Archimedes Syracuſanus, vir in omni quidem Geometriâ multùm ante alios admirabili ſubtilitate;

Interpretatio.

quare aſpectus & ſimulachra videantur ferè paria in ſpeculis planis; omnia autem videantur *tenuiora in* ſpeculis *convexis & tumentibus: contrà verò majora in concavis: quo in loco, & quâ ratione* quæ *ſiniſtra* ſunt, *fiunt dextera: quandonam imago recedat profundiùs, & quando prodeat foras in eodem ſpeculo: quare ſpecula concava incendunt admotum fomitem, ſi teneantur oppoſita ſoli? quomodo fiat ut diverſi arcus appareant in nubibus, & duo ſoles* aliquando *videantur ſimiles, & æmuli? Prætereà plurima alia hujuſmodi, de quibus amplo libro agit Archimedes Syracuſanus, vir, cujus ſubtilitas in omni Geometriâ longè mirabilior fuit quàm cæterorum:*

Notæ.

1. *Fermè pares obtutus & imagines videantur.*] In plano ſpeculo imago mea talis à me videtur, qualis ab alio videretur, qui bis tantùm à me diſtaret, quantum diſtat ſpeculum.

2. *In tumidis verò & globoſis omnia defectiora, at contrà in cavis auctiora.*] Horum effectuum ratio eſt lex illa Opticæ, quam ſuprà retulit: quòd nempè radii paribus angulis, quibus inciderant, reſultent. ut fuſiùs videre eſt apud Opticorum ſcriptores.

3. *Ubi, & cur læva cum dexteris permutentur.*] Cùm quis à ſpeculo cavo ultra ejus centrum receſſit, læva cum dexteris, ſuperiora cum inferioribus permutantur, ob eandem æqualitatem angulorum incidentiæ & reflexionis.

4. *Quando ſe imago eodem ſpeculo, tum recondat penitùs, tum foras exerat.*] Hoc etiam fit in ſpeculis cavis, in quibus ſi imaginem tuam contemplans digitum promoveas ſpeculum verſus, ipſa etiam imago digitum extra ſpeculum promovere videtur, & tuo jungere, ſi retrahas ipſa quoque videtur ſuum retrahere intra ſpeculum.

5. *Appoſitum fomitem accendant.*] Hinc uſtoria dicuntur illa ſpecula. Mira narrantur de Archimedeis ſpeculis, quorum ope clariſſimus ille Mathematicus Marcelli Syracuſas obſidentis naves ex maximâ quidem diſtantiâ incenderit. Sed illa vix fidem apud doctos inveniunt. Caſaubonus hic legit: *oppoſitum fomitem*, non *appoſitum*, meliùs, meâ quidem ſententiâ.

6. *Uti arcus in nubibus varii.*] Irides, quarum rationem omnem adeò clarè & accuratè perſecutus eſt Carteſius, ut ejus explicationi quidquam addere, ſit facem admovere ſoli.

7. *Et duo ſoles æmulâ ſimilitudine viſantur.*] Aliquando tres quatuor-ve. Ejuſmodi ab Ariſtotele παρήλιοι vocantur. Hæc phænomena explicant phyſici, & egregiè inter cæteros ſuprà laudatus Carteſius in Meteoris.

8. *Quæ tractat volumine ingenti Archimedes Syracuſanus.*] Tzetzes inter alia Archimedis memorat Κατόπτρων ἐξάψεις, *incenſiones ſpeculorum*, quem fortaſſe librum Apuleius hic innuit. ſed periit ille, ut & plurimi alii.

ſed haud ſciam an propter hoc vel maximè memorandus, quòd inſpexerat ſpeculum ſæpè ac diligenter. Quem tu librum, Æmiliane, ſi nôſſes, [1] ac non modò campo & glebis, verùm etiam [2] abaco & pulviſculo te dediſſes: mihi iſtud crede, quanquam teterrimum os tuum minimùm [3] à Thyeſtâ tragico demutet, tamen profectò diſcendi cupidine ſpeculum inviſeres: & aliquando, relicto aratro, mirarere tot in facie tuâ [4] ſulcos rugarum. At ego non mirer, ſi boni conſulis me de iſto diſtortiſſimo vultu tuo dicere, de moribus tuis multò truculentioribus reticere? Ea res eſt: præterquàm quòd non ſum jurgioſus, etiam libenter te, nuper uſque, [5] albus an ater eſſes, ignoravi.

INTERPRETATIO.

ſed neſcio an non *celebrandus ſit maximè propterea quòd conſideraverat ſpeculum ſæpè & diligenter. Quem librum ſi tu cognoſceres, ò Æmiliane, & non tantùm incubuiſſes arvo & glebis, ſed etiam tabulæ, & arenulæ, crede mihi, quamvis* iſta *turpiſſima facies tua perparum diſſimilis ſit faciei Thyeſtæ tragici, certè tamen inſpiceres ſpeculum deſiderio diſcendi: & dimittens aratrum, admirareris aliquando tot liras rugarum in tuo vultu* exaratas. *Sed* an *ego non admirabor, ſi non graveris quòd ego loquar de tuâ iſtâ facie contortiſſimâ, taceam verò de moribus tuis longè turpioribus? Hæc eſt ratio: præterquàm quòd non amo rixas, ultrò etiam neſcivi, niſi à paucis diebus, an eſſes candidus, an niger,*

NOTÆ.

1. *Ac non modò campo & glebis, &c.*] Agriculturæ. erat enim Æmilianus ille agricola ruſticus.

2. *Abaco & pulviſculo.*] Geometriæ. Solebant Geometræ figuras in tabulâ pulvere conſpersâ exarare. Hinc tabula ſeu abacus & pulvis pro ipsâ Geometriâ ponitur.

3. *A Thyeſtâ Tragico.*] Thyeſtes Atrei frater fuit, cujus cùm uxorem conſtupráſſet, ille vindictæ ergò filium ei ſuum epulandum appoſuit. quæ feralis cœna Thyeſtæ fabularum multarum argumentum fuit. At, niſi Æmilianum cum Thyeſte comparet vomente poſt comeſum filium (quod ſchema fœdiſſimum ſanè eſt,) non video quorsùm ſpectet comparatio. neque enim tetro fuiſſe vultu fertur Thyeſtes. Porrò vomitûs illius meminit Euſtathius ad Iliad. B. & O. atque Etymologus hic à Pricæo citatus, Ἔμεια, inquit, τόπος ἐστὶ Μυκηνῶν, παρὰ τὸ ἐμῶ, &c. λέγεται ἢ ἐπειδὴ ἐκεῖ ἔμεσεν ὁ Κέρβερος ἀνελθὼν ἐκ τοῦ Ἅδου: ἢ ἐπειδὴ ἐκεῖ ἤμεσεν ὁ Θυέστης φαγὼν τὰ τέκνα αὐτοῦ. *Emeia locus eſt Mycenis, ſic dictus à verbo* ἐμῶ (*hoc eſt, vomo*) *Sic autem dicitur, ex quo Cerberus egreſſus ex Inferno ibi vomuit: vel ex quo Thyeſtes, comeſis filiis, ibi vomuit.* Sed alluſio illa frigidior. præterea, nota eſt *Thyeſtes fabula*: non item *Thyeſtes Tragœdus.* Suſpicatur Pricæus legendum *à Theſpi Tragico*, quem non ſolùm fuiſſe Tragicum, ſed & deformitatis captatorem præcipuum probat ex Suidâ. Certè de eo Horatius in Arte Poëticâ hæc ait:

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.

Bourdelotio non diſpliceret *à Thyade Tragicâ.* Thyas eſt Bacchans. Nihilominùs locum, quomodo ſe habet, relinquo, nec quidquam moveo.

4. *Sulcos rugarum.*] Facetè poſt aratri mentionem.

5. *Albus, an ater eſſes ignoravi,*]

Et adhuc, herculè, non ſatis novi. Id adeò factum, quod & tu ruſticando obſcurus es, & ego diſcendo occupatus. Ita & tibi umbra ignobilitatis [1] à probatore obſtitit: & ego nunquam ſtudui malefacta cujuſquam cognoſcere; ſed ſemper potiùs duxi mea peccata tegere, quàm aliena indagare. Itaque hoc mihi adverſum te uſuvenit, quod qui fortè conſtitit in loco lumine conluſtrato, atque eum alter è tenebris proſpectat. Nam ad eundem modum tu quidem, quid ego in propatulo & celebri agam, facilè è tenebris tuis arbitraris: cùm ipſe, humilitate abditus & lucifuga, non ſis mihi mutuò conſpicuus. Ego, adeò ſervos tu an habeas ad agrum colendum, [2] an ipſe mutuarias operas cum vicinis tuis cambias, neque ſcio, neque laboro. At tu me ſcis eadem die treis [3] Oeæ manumiſiſſe. idque mihi patronus tuus inter cætera à te ſibi edita objecit, quanquam modico priùs dixerat, me uno ſervo comite Oeam veniſſe. Quod quidem velim mihi reſpondeas, quî potuerim ex uno treis manumittere, niſi & hoc Magi-

Interpretatio.

ac certè parùm adhuc ſcio. Hoc factum eſt propterea quòd & tu ruri vivendo parùm notus es, & ego occupatus ſum ſtudiis. Sic obſcuritas tua ignobilitatis impedivit quominùs obſervareris: & ego nunquam cupivi ſcire crimina cujuſquam; ſed ſemper exiſtimavi ſatius eſſe occultare mea delicta, quàm inveſtigare aliena. Hoc ergo mihi accidit contra te, quod accidit ei, *qui fortè verſatur in loco illuſtrato luce, dum alter eum proſpicit ex loco obſcuro. Eâdem enim ratione tu quidem facilè obſervas ex tuâ obſcuritate quid faciam in aperto & frequenti loco: cùm tu non poſſis viciſſim à me videri,* cùm ſis *occultus propter* tuam *ignobilitatem, & fugias lucem. Ego porrò neque ſcio,* neque ſcire *cupio, an tu habeas ſervos ad colendum agrum tuum, an* tu *ipſe permutes operas tuas cum tuis vicinis. At tu ſcis me libertatem dediſſe tribus* ſervis *Oea eodem die. & tuus advocatus hoc mihi objectavit inter alia, qua tu ipſum docueras, licèt dixiſſet paulò antè, me veniſſe* Oeam *comitatum uno* tantùm *ſervo. Quod quidem cupio ut mihi reſpondeas, quo pacto potuerim manumittere tres, ex uno,* quem habebam, *niſi hoc quoque*

Notæ.

Similiter Phædrus:

Unde illa ſcivit, niger, an albus naſceret?

1. *A probatore obſtitit.*] Ita reponit Caſaub ex edit. Romanâ. Elmenhorſtius ex duobus Florent. codd. *à probatione obſtitit*, quod in idem recidit, ſignificatque, quod in interpretatione expreſſimus. Sic dictum *à probatore obſtare*, inquit Caſaub. ut apud Græcos, κρύπτειν & κρύπτεσθαι ἀπό τινός. Simile etiam eſt illud Ciceronis *à Sole obeſſe. Probator* hic explorator, obſervator: & *probatio* exploratio.

2. *An ipſe mutuarias operas cum vicinis tuis cambias.*] Id eſt, an tu, cùm ſervos non habeas, neque poſſis ſolus agrum tuum colere, cum vicinis æquè pauperibus ita paciſcaris, ut illi in eo opere te juvent, & tu viciſſim eos juves in ſuo faciundo. *Cambire* vetus verbum eſt, quod hîc *commutare* ſignificat, aliàs etiam *pugnare, iter inchoare, flectere*: unde & *campſo*. utrumque à Græco κάμπτω.

3. *Oea.*] Urbs eſt Africæ in eâ regione, quam Augylas incolere ait Plinius, lib. 5. cap. 4. inter Syrteis majorem & minorem.

cum eſt? Tantam-ne eſſe mentiendi cæcitatem dicam, an conſuetudinem? *Venit Apuleius Oeam cum uno ſervo.* dein, pauculis verbis intergannitis, *Apuleius Oeæ unâ die treis manumiſit.* Ne illud quidem credibile fuiſſet, cum tribus veniſſe, omnes liberâſſe. quod tamen ſi ita feciſſem, [1] cur potiùs treis ſervos inopiæ ſignum putares, [2] quam treis libertos opulentiæ? Neſcis profectò, neſcis, Æmiliane, philoſophum accuſare, qui famulitii paucitatem opprobraris: quam ego gloriæ causâ ementiri debuiſſem. quippe qui ſcirem, non modò philoſophos, quorum me ſectatorem fero, verùm etiam [3] Imperatores populi Romani paucitate ſervorum gloriatos. Itá-ne tandem ne hæc quidem legêre patroni tui? M. Antonium conſularem ſolos octo ſervos domi habuiſſe? [4] Carbonem verò illum, qui rebus potitus eſt, [5] uno minus? Atenim [6] Manio Curio, [7] tot adoreis longè inclyto, quippe

INTERPRETATIO.

factum eſt arte magicâ? Poteſt-ne fieri *ut tanta cæcitas aut potiùs conſuetudo mentiendi* cuiquam *ſit?* Apuleius venit Oeam cum uno ſervo (inquit advocatus) *deinde, aliquot verbis effutitis,* Apuleius manumiſit tres *ſervos* Oeæ uno die. *Ne hoc quidem fuiſſet veriſimile, me veniſſe cum tribus* ſervis, *&* eos *manumiſiſſe omnes. quod tamen ſi ſic feciſſem, quare crederes potiùs tres ſervos eſſe argumentum egeſtatis, quàm tres manumiſſos* eſſe argumentum *divitiarum? Neſcis ſanè, ô Æmiliane, neſcis quomodo philoſophus ſit accuſandus, ſiquidem objeciſti* mihi *paucitatem ſervorum, quam ego debuiſſem fingere gloriæ causâ. cùm compertum haberem non ſolùm philoſophos, quorum profiteor me eſſe ſectatorem, ſed etiam Duces populi Romani laudi duxiſſe ſe habere paucos ſervos. An tui patroni ne hæc quidem legerunt? M. Antonium* virum *conſularem habuiſſe domi tantùm octo ſervos?* illum *verò Carbonem, penes quem ſumma rerum fuit,* habuiſſe *pauciores uno? Manium verò Curium valdè clarum tot victoriis, utpote qui trium-*

NOTÆ.

1. *Cur potiùs tres ſervos inopiæ ſignum putares.*] Nempè objecerat Apuleio Æmiliani patronus, tanquam inopiæ & ſordium argumentum, quòd tres ſervos tantûm adduxiſſet Oeam. qui ſanè numerus ſervorum illis temporibus exiguus erat, cùm nonnulli multa millia eorum haberent.

2. *Quàm tres libertos opulentiæ.*] Quia trium ſervorum manumiſſio teſtari videtur plurimos alios ſupereſſe hero, qui aliàs eos non manumiſſurus fuiſſet.

3. *Imperatores Populi Romani paucitate ſervorum gloriatos.*] Quod Apuleius adſignat modeſtiæ Imperatorum Romanorum, veriùs alii, veterum parſimoniæ, qui Legatis & Imperatoribus non alium famulitii modum ſtatuerunt.

4. *Carbonem verò illum.*] Cn. Carbonem intellige, qui temporibus Sullæ & Marii maximâ fuit auctoritate, Marianaſque partes ſecutus eſt.

5. *Uno minus.*] Hoc eſt, *ſeptem.*

6. *Man. Curio.*] Vide ſuprà, quæ notavi ad hæc verba, *Serranis & Curiis & Fabriciis.* pag. 416.

7. *Tot adoreis longè inclyto.*] Adorea, ut Gloſſæ habent, eſt δόξα ἡ ἀπὸ τοῦ πολέμου *gloria bellica.* Sic dicta ab *adore,* quod eſt *far.* Feſtus: *Adorea, laus: quia glorioſum putabant, qui farris copiâ abundabat.* Ego *adoreis* verti *victoriis,* ad rem magis, quàm ad ipſum verbum attendens.

qui ter triumphum [1] unâ portâ egerit: ei igitur Manio Curio duos ſolos in caſtris calones fuiſſe? Ita ille vir de Sabinis, deque Samnitibus, deque Pyrrho triumphator, pauciores ſervos habuit, quàm triumphos. [2] M. autem Cato nihil oppertus ut alii de ſe prædicarent, ipſe in oratione ſuâ ſcriptum reliquit, cùm in Hiſpaniam Conſul proficiſceretur, treis ſervos ſolos ex Urbe duxiſſe: [3] quoniam [4] ad villam publicam venerat, parùm viſum quî uteretur: juſſiſſe duos pueros in foro [5] de mensâ emi: eos quinque in Hiſpaniam duxiſſe. Hæc [6] Pudens ſi legiſſet, ut mea opinio eſt, aut omninò huic maledicto

INTERPRETATIO.

phans ingreſſus eſt ter per unam eandemque *portam: eum, inquam, Manium Curium habuiſſe tantùm duos lixas in caſtris? Sic ille vir, qui triumphavit de Sabinis & de Samnitibus, ac de Pyrrho, habuit plures triumphos, quàm ſervos. M. autem Cato, non expectans ut alii* id *narrarent de ſe, ipſe reliquit ſcriptum in ſuâ* quadam *oratione, ſe duxiſſe tantùm tres ſervos ex Urbe, cùm iret Conſul in Hiſpaniam: poſtquàm* verò *veniſſet in villam publicam*, illos *ſibi viſos fuiſſe pauciores ad ſuum uſum:* ideòque ſe *juſſiſſe comparari duos ſervos in foro de lapide: & duxiſſe illos quinque in Hiſpaniam. Si Pudens hæc legiſſet, aut abſtinuiſſet penitùs ab hac obtrectatione (ut arbitror)*

NOTÆ.

1. *Unâ portâ.*] Triumphali nempè, quæ una tantùm erat. Cicero in Piſonem: *quaſi ad rem pertineat, quâ tu portâ introieris, modò ne triumphali.*

2. *M. autem Cato.*] Cato Cenſorius, qui & Cato Major dictus eſt. Hunc enim legimus Conſulem cum Valerio Flacco creatum citeriorem Hiſpaniam ſortitum eſſe, Uticenſem verò fruſtrà Conſulatum petiiſſe, quòd virtuti ſuæ fidens, populo non nimiùm ſubmiſsè ſupplicare voluerit.

3. *Quoniam.*] Caſaub. putabat corruptam eſſe vocem, & factam ex duabus *quom jam.* At Pricæus retinendum cenſet τὸ *quoniam*, meritò. Paulus Feſto conjunctus: Quoniam *ſignificat non ſolùm id, quod* quia, *ſed etiam id, quod* poſtquàm, *hac de cauſâ quòd Græcum* ἐπεὶ *utriuſque ſignificationem obtinet.*

4. *Ad villam publicam venerat.*] Villa publica Δημόσιον καταγώγιον. Straboni lib. 5. Δημοσία ἔπαυλις, poſita fuit in Campo Martio. Uſus ejus ad excipiendos Magiſtratus in Provincias euntes, Legatoſque exterarum gentium peregrè adventantes. Livius lib. 43. *Macedones deducti in villam publicam extra Urbem, ibique iis locus & lautia præbita.* & lib. 39. *quibus vetitis in urbem ingredi, hoſpitium in villâ publicâ Senatus ad ædem Bellonæ datus eſt. &c.*

5. *De mensâ.*] Similiter Met. l. 8. *Collatitiâ ſtipe de mensâ paratus.* ad quem locum vide quæ annotavi pag. 159. Addam ſolum Pollucis locum, quo auctoritate Ariſtophanis evidenter probatur per *menſam* intelligendam eſſe *cataſtam*, ſeu *lapidem*, in quo venales ſervi proſtabant. Sic habet ille lib. 7. Ἐφ' ὃ γὰρ βαίνοντες οἱ δοῦλοι πιπράσκονται, τοῦτο τράπεζαν Ἀριστοφάνης καλεῖ. *id autem ſuper quod aſcendentes ſervi venduntur, Ariſtophanes menſam vocat.* Malè ergo Gentilis *de mensâ* hic exponit *pecuniâ mutuò ſumptâ, ſeu nominibus factis apud argentarios.* Repugnat locus citatus noſtri Apuleii Mileſ. 8. ſi enim *collatitiâ ſtipe paratus* erat ſervus ille, quomodo *pecuniâ ab argentario ſumptâ?*

6. *Pudens.*] Tannonius Pudens Æmiliani advocatus.

ſuperſediſſet

ſuperſediſſet: aut in tribus ſervis multitudinem comitum philoſophi, quàm paucitatem reprehendere maluiſſet. Idem mihi etiam paupertatem obprobravit, acceptum philoſopho crimen, & ultró profitendum. Enimveró paupertas olim philoſophiæ vernacula eſt, frugi ſobria, [1] parvo potens, æmula laudis, [2] adverſum divitiis profeſſa, habitu ſecura, cultu ſimplex, conſilio beneſuada: neminem unquam ſuperbiâ inflavit, neminem impotentiâ depravavit, neminem tyrannide efferavit. delicias ventris & inguinum neque vult ullas, neque poteſt. Quippe hæc & alia flagitia divitiarum alumni ſolent. [3] Maxima quæque ſcelera, ſi ex omni memoriâ hominum percenſeas, nullum in illis pauperem reperies: ubi contrà haud temerè inter illuſtres viros divites comparent. ſed quemcumque in aliquâ laude miramur, eum paupertas ab incunabulis nutricata eſt. Paupertas, inquam, priſca

INTERPRETATIO.

aut maluiſſet damnare in tribus illis *ſervis* nimiam *multitudinem comitum philoſophi, quam paucitatem. Ipſe etiam mihi objecit paupertatem, crimen* ſanè *gratum philoſopho, & libenter præ ſe ferendum. Paupertas enim jam dudum eſt familiaris philoſophiæ, proba, temperans, contenta modico, ſtudioſa laudis, amplexa profeſſionem contrariam opibus, quæ tutò habetur, quæ ſimplex eſt in ſuo ornatu, quæ dat bonum conſilium: nullum unquam tumefecit ſuperbiâ, neminem corrupit libidine, nulli inſpiravit feram tyrannidem. neque cupit ullas voluptates gulæ, aut libidines, neque poteſt* eas conſequi. *Nam qui nutriuntur in opulentiâ, conſueverunt* perpetrare *hæc ſcelera & ſimilia. Si percurras maxima quæque crimina, quorum memoria extat inter homines, nullum pauperem invenies in illis: cùm contrà vix videas* ullos *divites inter claros viros. ſed quemcumque ſuſpicimus* florentem *aliquâ virtute, paupertas eum aluit à primâ infantiâ. Paupertas, inquam,* illa, *quæ antiquis*

NOTÆ.

1. *Parvo potens.*] Contenta parvo, quaſi quæ poſſit omnia ſibi neceſſaria parvo conſequi. ſimiliter Virg. Æn. 6.
——— ——— *Parvoque potentem Fabricium.*

2. *Adverſum divitiis profeſſa.*] Sic Caſaubonus, quem ſequor. In vulgatis eſt *adverſum divitias poſſeſſa*, non video quo ſenſu. ſignificat autem his verbis *adverſum divitiis profeſſa* paupertatem ferri in ſtudia & profeſſionem contrariam profeſſioni ſtudiiſque divitiarum, putà paupertatem amplecti modeſtiam, frugalitatem, continentiam, cæteraſque virtutes, cùm contrà opulentia in ſuperbiam, luxum, libidines, atque omnia alia vitia propendeat.

3. *Maxima quæque ſcelera ſi ex omni memoriâ hominum percenſeas, nullum in illis pauperem reperies: ubi contrà haud temerè inter illuſtres viros divites comparent.*] Summa laus hæc paupertatis. Sed cauſæ magis quàm veritati inſervit Apuleius. maxima enim ſcelera perpetrata aliquando invenias à pauperrimis hominibus, & contrà laudatiſſima facinora à divitibus Verùs Terentianus Chremes in Heautonim. *Ea, quæ in homine dicuntur bona, parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias, perinde eſſe* dicit, *ut illius animus, qui ea poſſidet: qui uti ſcit, ei bona: qui non utitur rectè, mala.*

apud ſæcula [1] omnium civitatum conditrix, [2] omnium artium repertrix, [3] omnium peccatorum inops, [4] omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim eſt paupertas apud Græcos [5] in Ariſtide juſta, [6] in Phocione benigna, [7] in Epaminonda ſtrenua, in Socrate ſapiens, in Homero diſerta. Eadem paupertas etiam populo Romano imperium à primordio fundavit, [8] proque eo in hodiernum Diis immortalibus [9] ſimpulo & catino fictili

Interpretatio.

temporibus extruxit omnes urbes, quæ invenit omnes artes, quæ caret omni delicto, quæ larga eſt omnis gloriæ, quæ conſecuta eſt omnes honores in nationibus cunctis. Nam eadem paupertas apud Græcos juſta eſt in Ariſtide, in Phocione humana, magnanima in Epaminonda, ſapiens in Socrate, facunda in Homero. Eadem paupertas fundamentum jecit Imperii populi Romani ab ipſo initio. & ſacrificat pro eo Diis immortalibus ſimpulo & catino fictili

Notæ.

1. *Omnium civitatum conditrix.*] Id quidem verum priſcis illis temporibus, quibus homines propter egeſtatem in unum locum congregati ſunt, quo neceſſitatibus humanis ſubvenirent. at poſteà civitates condere, opum & magnificentiæ argumentum ſimul, & oſtentatio fuit.

2. *Omnium artium repertrix.*] Plautus, in Sticho, Act. 1. Scen. 3.

Eo, quia paupertas fecit ridiculus forem;
Nam illa omnes artes perdocet, ubi quem attigit.

Hinc etiam *mater artium* dicitur, & *Artes Paupertatemque* iiſdem aris coluiſſe Gaditanos memorant Ælianus περὶ πενίας. & Philoſtratus, de Vitâ Apollonii, lib. 5. cap. 1.

3. *Omnium peccatorum inops.*] Quia pauciora poſſidet peccandi illectamenta.

4. *Omnis gloriæ munifica.*] Sæpè *vanæ gloriæ*, in illis præſertim barbâ tenus & pallio philoſophis.

5. *In Ariſtide juſta.*] Valer. Maximus, lib. 5. cap. 3. *Ariſtides etiam, quo totius Græciæ juſtitia cenſetur, continentiæ quoque eximium ſpecimen, patriâ excedere juſſus eſt, &c.* Vide Plutarch. & Corn. Nep. in ejus Vitâ.

6. *In Phocione benigna.*] De Phocione idem Valer. Maximus, lib. 3. cap. 8. *Placidi, & miſericordes, & liberales, omnique ſuavitate temperati mores Phocionis, quos optimè profectò conſenſus omnium bonitatis cognomine decorandos cenſuit.* Corn. Nepos ſimiliter eum bonum appellatum fuiſſe ait in ejus Vitâ. idem Plutarchus.

7. *In Epaminonda ſtrenua.*] Egregium ejus fortitudinis exemplum refert Maximus lib. 3. cap. 2. quod vide apud illum.

8. *Proque eo.*] Imperio Romano.

9. *Simpulo, & catino fictili ſacrificat.*] Paulus Feſto conjunctus. *Simpulum vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, unde & mulieres rebus divinis deditæ ſimpulatrices dicuntur.* legitur apud alios auctores & *ſimpuvium* eodem ſignificatu. Juvenal. Satyr. 6.

Et quis tunc hominum contemptor numinis? aut quis
Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Auſus erat?

Quin & *ſympinium* legas etiam, quod deduci aiunt à Græco Συμπίνειν, quod *compotare* eſt. *Catinus* & *catinum* vas eſt eſcarium ſatis amplum.

ſacrificat. Quod ſi modò judices de causâ iſtâ ſederent [1] C. Fabricius, Cn. Scipio, Manius Curius, quorum filiæ ob paupertatem de publico dotibus donatæ ad maritos ierunt, portantes gloriam domeſticam pecuniam publicam: ſi [2] Publicola regum exactor, & [3] Agrippa populi reconciliator, quorum funus ob tenueis opes à populo Romano collatis ſextantibus adornatum eſt: ſi [4] Attilius Regulus, cujus agellus ob ſimilem penuriam publicâ pecuniâ cultus eſt, ſi denique omnes illæ veteres proſapiæ Conſulares & Cenſoriæ & triumphales, brevi uſurâ lucis ad judicium iſtud remiſſæ, audirent: auderes-ne paupertatem philoſopho exprobrare apud tot Conſules pauperes? An tibi Claudius Maximus idoneus videtur ad irridendam paupertatem, quòd ipſe uberem & prolixam rem familiarem ſortitus eſt? Erras, Æmiliane: & longè hujus animi fruſtrà es, ſi eum ex Fortunæ indulgentiâ, non ex Philoſophiæ cenſurâ metiris: ſi virum tam auſteræ ſectæ, tamque diutinæ militiæ, non putas [5] amicitiorem eſſe coërcitæ mediocritati, quàm

INTERPRETATIO.

ad hanc uſque diem. Quod ſi nunc hujus cauſa judices eſſent C. Fabricius, Cn. Scipio, Manius Curius, quorum filiæ dotatæ ex ærario *publico, propter* ſuam *inopiam, iverunt ad* ſuos *maritos, ferentes* ſecum *laudem patriam, & pecuniam publicam: ſi Publicola expulſor Regum, & Agrippa, qui reconciliavit plebem* patribus, *quorum pompa funebris inſtructa eſt contributis ſextantibus à populo Romano propter inopiam* eorum: *ſi Attilius Regulus, cujus ager excultus eſt publico ſumptu, ob ſimilem egeſtatem: poſtremò, ſi illæ omnes antiquæ familiæ Conſulares, & Cenſoriæ, & triumphales,* impetrato *brevi uſu* vitæ, *remiſſæ ad hoc judicium audirent* nos orantes: *auderes ne objectare paupertatem philoſopho coram tot Conſulibus pauperibus? Num Claudius Maximus tibi videtur auditor dignus, coram quo derideas paupertatem, quia ipſe habet bona copioſa & ampla? Falleris, Æmiliane: & multùm aberras ab ejus mente: ſi de eo judicas ſecundùm indulgentiam fortunæ, non autem ſecundùm ſeveritatem Philoſophiæ: ſi non putas virum tam ſeveræ diſciplinæ, & militiæ tam longæ, magis amare mediocritatem* intra juſtos limites *arctatam, quàm*

NOTÆ.

1. *C. Fabricius, Cn. Scipio, Man. Curius, quorum filiæ, &c.*] Vide Valer. Maxim. lib. 4. cap. 4.

2. *Publicola.*] Valerius Publicola, ſeu Poplicola, qui ejecto Româ ob nimiam ſuperbiam Tarquinio Conſulatûs initium cum Junio Bruto auſpicatus eſt, anno ab Urbe conditâ 244. Hic, ut ait Valer. Maxim. *Patrimonio ne ad exequiarum quidem impenſam ſufficiente deceſſit: ideoque publicâ pecuniâ ductæ ſunt.*

3. *Agrippa populi reconciliator.*] Menenius Agrippa, qui, primâ ſeceſſione plebis à Patribus factâ, ob eos, qui æris alieni causâ vincti à fœneratoribus tenebantur, Patrum ad plebem orator miſſus, ejus animos flexit, narrato Apologo partium humani corporis de ventre querentium, quòd is ſolus cibos omnes deglutiret, ut refert Livius lib. 2. cap. 32. De hoc Agrippâ Val. Max. *hic niſi à populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet; ita pecuniæ inops deceſſit, ut ſepulturæ honore caruiſſet.* Sextans aſſis ſexta pars eſt.

4. *Attilius Regulus, cujus agellus, &c. publicâ pecuniâ cultus eſt.*] Primo Punico bello, dum ille prorogato ſibi ob res benè geſtas in ſequentem annum imperio in Africâ degeret Rem omnem fuſiùs vide apud eumdem Valer. Maxim. lib. 4 cap. 4. citato.

5. *Amicitiorem.*] Pro *amiciorem*, an-

delicatæ opulentiæ : [1] Fortunam, velut tunicam, magis concinnam, quàm longam probare. quippe etiam ea ſi non geſtetur, & trahatur, nihilo minùs quàm laciuia præpendens impedit, & præcipitat. Etenim in omnibus ad vitæ munia utendis, quidquid aptam moderationem ſupergreditur, oneri potiùs quàm uſui exuberat. Igitur & [2] immodicæ divitiæ, velut ingentia & enormia gubernacula, faciliùs mergunt, quàm regunt: quòd habent irritam copiam, noxiam nimietatem. Quin ex ipſis opulentioribus eos potiſſimùm video laudari, qui nullo ſtrepitu, modico cultu, diſſimulatis facultatibus agunt : & divitias magnas adminiſtrant ſine oſtentatione, ſine ſuperbiâ, ſpecie mediocritatis pauperum ſimiles. Quod ſi etiam ditibus ad argumentum modeſtiæ quæritur imago quæpiam & color paupertatis, cur ejus pudeat tenuiores, quòd eâ non ſimulatâ, ſed verè fungimur? Poſſum quidem tibi & ipſius nominis controverſiam facere: neminem noſtrûm pauperem eſſe, qui ſupervacanea nolit, poſſideat neceſſaria, quæ naturâ oppidò pauca ſunt. Namque is plurimùm habebit, qui minimùm

INTERPRETATIO.

abundantiam delicatam : malle Fortunam, ſicut & veſtem potiùs congruentem, quàm longiorem. nam ipſa etiam fortuna *, ſi non feratur, ſed trahatur, impedit & impellit in caſum, perinde ac veſtis nimiùm demiſſa: In omnibus enim, quæ uſui ſunt ad officia vitæ, quicquid excedit idoneam mediocritatem, ſuperfluum eſt,* & *gravat potiùs, quàm juvat. Ergo & nimiæ opes, quemadmodum magna & immania gubernacula, ſubmergunt faciliùs, quàm dirigunt: quia habent abundantiam inutilem, & ſuperfluitatem perniciosſam. Quin etiam video inter locupletiores illos præcipuè laudari, qui celant opes* ſuas, & *vivunt ſine ſtrepitu, veſtiti mediocriter, & adminiſtrant ingentes divitias abſque jactatione, abſque arrogantiâ, ſimiles pauperibus ſpecie mediocritatis. Quòd ſi divites ipſi quærunt quandam effigiem & ſpeciem paupertatis ad teſtandam ſuam moderationem; quare* nos *pauperiores pudeat eam verè tolerare, non ficte? Poſſum equidem diſputare adversùm te de ipſo etiam nomine,* & contendere *nullum ex nobis eſſe pauperem, ſi quidem non cupit ſuperflua, & habet neceſſaria, quæ valdè pauca ſunt ſecundùm leges naturæ. Ille enim habebit plurimum, qui perparùm*

NOTÆ.

tiquâ epentheſi. Sic Symmachus, lib. 4. Ep. 7. *te verò famæ ejus amicitiorem.* Suprà noſter: *tantò pudicitiùs compoſiti, &c.*

1. *Fortunam velut tunicam, magis concinnam.* &c.] Expreſſit hanc ſententiam Xenophontis: Αἱ μὲν ποδήρεις ἐσθῆτες τὰ σώματα, αἱ δ' ὑπέρμετροι περιουσίαι τὰς ψυχὰς ἐμποδίζουσι. *Talares quidem veſtes corporibus, immodicæ verò opes animis ſunt impedimento.* Horatius rem familiarem non tunicæ, ſed calceo comparat Sat. 10.

Cui non conveniet ſua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, ſubvertet, ſi minor, uret.

2. *Immodicæ divitiæ velut ingentia gubernacula, &c.*] Hoc eſt, nimiæ opes potiùs mergunt & præcipitant ſuos poſſeſſores, quàm eos ad bonam beatamque vitam perducant, quemadmodum & gubernacula navium, ſi enormia, & immodica ſint, faciliùs eas naves demergunt, quàm dirigunt.

deſiderabit. Habebit enim quantum volet, qui volet minimum. Et idcircò divitiæ non meliùs in fundis & in fœnore, quàm in ipſo hominis æſtimantur animo. qui ſi eſt avaritiâ egenus, & ad omne lucrum inexplebilis; nec montibus auri ſatiabitur, ſed ſemper aliquid, antè parta ut augeat, mendicabit. Quæ quidem vera confeſſio eſt paupertatis. Omnis enim [1] cupido acquirendi ex opinione inopiæ venit. Nec refert quàm magnum ſit quod tibi minus eſt. Non habuit tantam rem familiarem [2] Philus, quantam Lælius: [3] nec Lælius, quantam Scipio: nec Scipio, quantam Craſſus dives: atenim nec [4] Craſſus dives, quantam volebat. Ita cùm omnes ſuperaret, à ſuâmet avaritiâ ſuperatus eſt; omnibuſque potiùs dives viſus eſt, quàm ſibi. At contra [5] hi philoſophi, quos commemoravi, non ultrà volentes, quàm

INTERPRETATIO.

cupiet. Nam qui volet minimum, habebit quantum volet. Ideoque opes non meliùs expenduntur in agris & in fœnore, quàm in ipsâ mente hominis. qui ſi eſt inops propter avaritiam, & inſatiabilis cujuſvis quæſtûs; ne montibus quidem *auri explebitur, ſed mendicabit ſemper aliquid, quod addat iis, quæ acquiſivit priùs. Quæ quidem vera confeſſio eſt egeſtatis. Nam omne deſiderium acquirendi proficiſcitur ex opinione*, quam quis habet ſuæ *indigentiæ. Neque* quidquam *intereſt quantum ſit* illud, *quod tibi deeſt. Philus non habuit tantas opes, quantas* habuit *Lælius: neque Lælius, quantas* habuit *Scipio: nec Scipio, quantas* habuit *Craſſus Dives: ſed nec ipſe Craſſus Dives* tantas habuit, *quantas cupiebat. Sic cùm vinceret* divitiis *omnes, victus eſt à ſuâ* ipſius *avaritiâ: & viſus eſt dives omnibus potiùs, quàm ſibi* ipſi. *Sed contrà illi philoſophi, de quibus locutus ſum, jure & meritò fuerunt locupletes, & fortunati, non cupientes plura quam*

NOTÆ.

1. *Cupido acquirendi ex opinione inopiæ venit.*] Claudianus:

Semper inops quicunque cupit.

Quapropter interroganti cuidam quo pacto dives fieri poſſet, reſpondit Cleanthes: εἰ τῶν ἐπιθυμιῶν εἴης πένης, *ſi cupiditatum inops fueris.*

2. *Philus.*] De hoc Philo nihil uſquam reperio. Apud Livium quidem lib. 10. lego Publium Philonem quendam fuiſſe primùm Prætorem ex plebe factum: ſed non vocatur Philus.

3. *Nec Lælius quantam Scipio.*] Africanum intellige: hic enim erat Lælii amiciſſimus: *Par veræ amicitiæ clariſſimum Scipio & Lælius* inquit Valer. Maxim. lib. 8. cap. 8. Cicero: *nec me divitiæ movent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitii mercatores ſuperârunt.*

4. *Craſſus dives.*] Is eſt M. Craſſus, qui, à Parthis ſuperatus, interfectus eſt apud Carras. Romanorum omnium ditiſſimus fuit: unde ei Locupletis nomen inditum. negabatque divitem quempiam habendum, qui annuo reditu exercitum alere non poſſet. *Sed* (ut ait Valer. Maxim.) *eidem poſteà inopiæ turpem decoctoris ſuperlationem injunxit. ſiquidem bona ejus à creditoribus, quia ſolidum præſtare non poterat, vænierunt. Ita quoque amarâ ſugillatione non caruit: quia cùm egens ambularet, Dives ab occurrentibus ſalutabatur.*

5. *Hi philoſophi, quos commemoravi.*] Nullos præter Socratem commemoravit philoſophos, quod ſciam, niſi intelligamus Curium, Fabricium, Scipionem, atque alia illa priſcæ frugalitatis exempla.

poterant, ſed congruentibus deſideriis & facultatibus, jure meritoque dites & beati fuerunt. Pauper enim fis appetendi egeſtate, dives non egendi ſatietate. quippe quia inopia deſiderio, opulentia faſtidio cernuntur. Igitur, Æmiliane, [1] ſi pauperem me habere vis, [2] priùs avarum eſſe doceas neceſſe eſt. Quod ſi nihil in animo deeſt, de rebus extraneis quantum deſit non laboro: quarum neque laus in copiâ, neque culpa in penuriâ conſiſtit. Sed finge hæc aliter eſſe: ac me ideò pauperem, quia mihi Fortuna divitias invidit; eaſque, ut fermè evenit, aut tutor imminuit, aut inimicus eripuit, aut pater non reliquit: hoccine homini opprobrari, [3] pauperiem, quod nulli ex animalibus vitio datur: non aquilæ, non tauro, non leoni? Equus ſi virtutibus ſuis polleat, [4] ut ſit æquabilis vector, & curſor pernix: nemo ei penuriam pabuli exprobrat: tu mihi vitio dabis, non facti vel dicti alicujus pravitatem, ſed quòd vivo gracili lare, [5] quod pauciores ego ſervos habeo, parciùs paſco, leviùs veſtio, minùs obſono? Atqui ego contrà; quantulacumque tibi hæc videntur, multa etiam, & nimia arbitror, & cupio me ad pauciora coërcere: tantò beatior futurus, quantò collectior. Namque animi, ita ut corporis, ſanitas expedita,

INTERPRETATIO.

poterant, ſed habentes deſideria opibus ſuis *convenientia. Nam fis pauper inopiâ deſiderandi, locuples* autem *ſatietate non indigendi. quia nempè paupertas diſpicitur* ex *appetitu, & abundantia* ex *ſatietate. Ergo, Æmiliane, ſi vis probare me* eſſe *inopem, oportet ut antè oſtendas me eſſe avarum. Quod ſi nihil deficit in mente, non curo quantum deficiat ex rebus externis: quarum neque abundantia conciliat gloriam, neque carentia* parit *vituperium. Sed pone hæc alio modo ſe habere, & me idcircò inopem eſſe, quia Fortuna mihi negavit opes; & (quemadmodum ſolet accidere) vel tutor meus illas minuit, vel adverſarius* aliquid mihi *abſtulit, vel pater meus nullas reliquit: an hoc exprobrandum eſt homini, quod nulli animalium probro vertitur: neque aquilæ, neque tauro, neque leoni,* nempè *paupertas? Si equus habeat dotes ſibi convenientes,* ita *ut molliter vehat, & currat velociter: nemo ei vitio dat inopiam cibatûs: tu* verò *mihi exprobrabis non quòd aliquid malè fecerim, aut dixerim, ſed quòd vivam in tenui domunculâ, quòd habeam pauciores famulos, quòd eos alam frugaliùs, quòd dem eis veſtes leviores, & emam minùs obſoniorum? Ego verò contrà exiſtimo hæc plurima eſſe & nimia, licet tibi videantur pauca, & opto me reſtringere ad pauciora: futurus eò felicior, quò me coërcebo magis* intra anguſtiores poſſeſſiones. *Bona enim valetudo mentis, quemadmodum & corporis, nullis impedimentis oneratur,*

NOTÆ.

1. *Si pauperem me habere vis.*] Si vis probare, & evincere me eſſe pauperem, ut fatear & concedam me eſſe pauperem.

2. *Priùs avarum eſſe doceas*, &c.] Cùm is ſolùm pauper ſit, qui plura cupiat quàm habet, id eſt, ſolus avarus.

3. *Pauperiem.*] Videtur hæc vox à manu Gloſſatoris in textum irrepſiſſe.

4. *Ut ſit æquabilis vector.*] Ut paſſu non inæquali & ſuccuſſante, ſed æquali & uniformi gradiens, molliter vehat ſeſſorem ſuum.

5. *Quod pauciores habeo.*] Supple *domeſticos, famulos*, nec quidquam interpolandum. Quæ ſequuntur mirè qua-

[1] imbecillitas laciniosa eſt : certumque ſignum eſt infirmitatis, pluribus indigere. Prorsùs ad vivendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior. Sunt enim ſimiliter etiam in iſtâ vitæ humanæ tempeſtate levia ſuſtentatui, gravia demerſui. [2] Equidem didici, eâ re præcedere maximè Deos hominibus, quòd nullâ re ad uſum ſui indigeant. Igitur ex nobis, cui quàm minimis opus ſit, eum eſſe Deo ſimiliorem. Proinde gratum habitum, ad contumeliam diceretis, rem familiarem mihi [3] peram & baculum fuiſſe. quod utinam tantus animi forem, ut præter eam ſupellectilem nihil quidquam requirerem, ſed eumdem ornatum dignè geſtarem, [4] quem Crates ultrò divitiis abjectis appetivit! Crates, inquam, ſi quid credis, Æmiliane, vir domi inter Thebanos proceres dives & nobilis, amore hujus habitûs, quem mihi objectas, [5] rem familiarem largam & uberem populo do-

INTERPRETATIO.

infirmitas verò impedita eſt quaſi laxiore *togâ : & opus habere multis rebus, eſt certum indicium debilitatis. Is omninò aptior eſt ad vivendum, ut & ad natandum, qui magis expeditus eſt ab onere. Nam ſimili modo in hac vitâ humanæ procellâ, levia conducunt etiam ad ſuſtentandum, gravia verò ad ſubmergendum. Sanè didici Deos ſuperare homines hoc præcipuè, quòd nullâ re opus habeant ad ſuum uſum. Proindeque illum ex nobis eſſe magis ſimilem Deo, qui egeat pauciſſimis. Igitur objiceretis mihi probri loco ornatum* mihi *acceptum, me nempè habuiſſe pro bonis omnibus ſaccum & baculum. quod utinam eſſem tam forti animo, ut nihil prorſus expeterem præter illam ſupellectilem, ſed dignè ferrem eundem habitum, quem Crates exoptavit opibus ſponte amandatis! Crates, inquam (ſi tamen fidem habes aliquam* mihi, *ô Æmiliane,) qui vir erat ex optimatibus Thebanis, in ſuâ urbe locuples, & clarus genere, largitus eſt plebi bona ampla & copioſa, ſtudio hujus ornatûs, quem mihi exprobras.*

NOTÆ.

drant cum hoc intellectu. nec probo quæ hîc Pricæus habet nimis intelligendo nihil intelligens.

1. *Imbecillitas laciniosa eſt.*] *Habet multa impedimenta.* Metaphora à palliis ducta : quæ, ſi præſertim ampliora ſint, ſuis ſinuoſis rugis impedimento ſunt.

2. *Equidem didici eâ re præcedere maximè Deos hominibus, &c.*] Hoc in Stoïcorum aut Cynicorum potiùs ſcholâ didicerat. Laërtius in Menedemo : *Διογένης ἔφασκε θεῶν μὲν ἴδιον τὸ μηδενὸς δεῖσθαι· τῶν δὲ θεοῖς ὁμοίων, τὸ ὀλίγων χρῄζειν. Diogenes dicebat Deorum quidem proprium eſſe, nullâ re indigere : eorum verò, qui Diis eſſent ſimiles, indigere quàm pauciſſimis.*

3. *Peram & baculum.*] Cynicorum geſtamina, totamque adeo ſupellectilem. Auſon. Epigram. 53. de Diogene :

Pera, polenta, tribon, baculus, ſcyphus, arcta ſupellex
Iſta fuit Cynici, ſed putat hanc nimiam. &c.

4. *Quem Crates ultrò divitiis abjectis appetivit.*] De eo plura noſter in Floridis, quem vide infrà.

5. *Rem familiarem largam & uberem populo donavit.*] Laërtius in ejus vitâ refert, ex Demetrio Magneſio, illum depoſuiſſe pecuniam apud trapezitam, eâ conditione, ut ſi quidem filii idiotæ eſſent, eam illis redderet : ſin autem philoſophi, plebi diſtribueret. nihilo quippe egere philoſophos.

navit. multis ſervis à ſeſe remotis ſolitatem delegit: arbores plurimas & frugiferas præ uno baculo ſprevit: villas ornatiſſimas unâ perulâ mutavit. quam poſteà, compertâ utilitate, etiam carmine laudavit, flexis ad hoc [1] Homericis verſibus, quibus ille Cretam inſulam nobilitat. [2] Principium dicam, ne me hæc ad deffenſionem putes confinxiſſe:

Πήρη τις πόλις ἔστι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ
Καλὴ καὶ πίειρα.

[3] Jam cætera tam mirifica, quæ ſi tu legiſſes, magis mihi peram, quam nuptias Pudentillæ invidiſſes. Peram & baculum tu philoſophis exprobrares? [4] Igitur & equitibus phaleras, & peditibus clypeos,

INTERPRETATIO.

voluit eſſe ſolus, amandatis à ſe plurimis famulis: elegit unicum ſcipionem, contemptis multis arboribus, iiſque fructiferis: commutavit pulcherrimas villas pro unâ manticulâ. cujus deinde cùm cognoviſſet utilitatem, carmine quoque celebravit ejus laudes, *detortis ad hoc carminibus Homeri, quibus ille laudat inſulam Cretam. Recitabo initium* eorum; *ne credas me excogitâſſe hæc ad* meam *deffenſionem:*

Mantica quædam urbs eſt *ſita* in medio nigro fumo *ſeu* faſtu
Pulchra, & pinguis, &c.

Reliqua autem adeò mira ſunt, ut ſi legiſſes ea, invidiſſes mihi potiùs manticam quàm conjugium Pudentillæ. Tu vitio dares philoſophis manticam & baculum? Exprobrares *igitur etiam phaleras equitibus, & clypeos peditibus,*

NOTÆ.

1. *Homericis verſibus, quibus Cretam Inſulam, &c.*] Hi ſunt:

Κρήτη τις γαῖ' ἔστι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ
Καλὴ καὶ πίειρα περίρρυτος, &c.

quos imperitus aliquis huc in textum perperàm inſeruerat: cùm Cratetis, non Homeri verſuum initium referre voluiſſe Apuleium pateat.

2. *Principium dicam.*] Ecce tibi omnes illos verſus Cratetis de *perâ*, quales in ejus Vitâ refert Laërtius:

Πήρη τις πόλις ἔστι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ
Καλὴ καὶ πίειρα, περίρρυτος, οὐδὲν ἔχουσα,
Εἰς ἣν οὔτε τις εἰσπλεῖ ἀνὴρ μωρὸς παράσιτος,
Οὔτε λίχνος πόρνης ἐπαγαλλόμενος πυγῇσιν,
Ἀλλὰ θύμον καὶ σκόροδα φέρει, καὶ σῦκα, καὶ ἄρτους,
Ἐξ ὧν οὐ πολεμοῦσι πρὸς ἀλλήλους περὶ τούτων
Οὐχ ὅπλα κέκτηνται περὶ κέρματος, οὐ περὶ δόξης.

Quos verſus ſic latinè reddidit Laërtii Interpres:

Eſt quædam medio conſtructa urbs Mantica faſtu:
Pulchra quidem & pinguis, circumflua, rebus egena,
Quam nullus paraſitus adit, ſtolidusve penetrat,
Deditus aut quiſquam damnoſis ganeo ſcortis:
Allia ſed, panes, ficus, profertque lupinos,
Nec pro gloriolâ capiunt, aut ſordibus arma.

3. *Jam cætera,*] Reliqui verſus, quos ſuprà retuli.

4. *Et equitibus phaleras & peditibus clypeos, &c.*] Sicut enim illa ſunt propria eorum geſtamina & inſignia, ita pera & baculus philoſophorum inſigne eſt, Cynicorum ſcilicet. è quorum tamen numero non erat Apuleius, ſed Platonicorum. Verùm, ut cauſæ ſerviat, quod erat Cynicæ familiæ peculiare, omnibus indiſcriminatim philoſophis tribuit.

& ſigniferis

& ſigniferis vexilla, & denique [1] triumphantibus quadrigas albas, & togam palmatam. Non ſunt quidem iſta Platonicæ ſectæ geſtamina, ſed Cynicæ inſignia familiæ. Verumtamen hoc Diogeni [2] & Antiſtheni pera & baculus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus [3] paludamentum, quod Pontificibus [4] galerum, quod [5] lituus Auguribus. Diogenes quidem Cynicus, cum Alexandro Magno [6] de veritate regni certabundus. baculo ſceptri vice gloriabatur. Ipſe denique Hercules invictus, (quoniam hæc tibi ut quædam mendicabula nimis ſordent,) ipſe, inquam, Hercules luſtrator orbis, purgator ferarum, gentium domitor: is tamen Deus cùm terras peragraret, paulò priùs quàm in cœlum ob virtutes aſcitus eſt, [7] neque unâ pelle veſtitior fuit, neque uno baculo comitatior. Quod ſi hæc exempla nihili putas, ac me non ad cauſam agendam, verùm ad cenſum diſſerendum

INTERPRETATIO.

& ſigna vexilliferis, ac poſtremò equos candidos, & togam palmis pictam triumphum agentibus. Iſta quidem non ſunt ornamenta philoſophorum Platonicorum, ſed ſunt *ornatus ſectæ Cynicorum. Attamen* hæc *mantica, &* hic *baculus* fuerunt *Diogeni & Antiſtheni idipſum, quod diadema* eſt *Regibus, quod paludamentum Imperatoribus, quod galerus Pontificibus, quod lituus* eſt *Auguribus. Sanè Diogenes Cynicus, contendens cum Alexandro Magno uter veriùs eſſet rex, oſtentabat baculum ſuum loco ſceptri. Denique Hercules ipſe invictus (ſi quidem nimis faſtidis iſtos veluti quoſdam mendicos) ipſe, inquam, Hercules, qui peragravit totam terram, & purgavit* eam *monſtris, qui ſubegit nationes: is licet Deus* eſſet, *dum luſtraret orbem, paulò antè quàm adoptatus eſt in cœlum propter ſua egregia facinora, non habuit aliam veſtem quàm pellem, neque ullum alium comitem quàm clavam. Quòd ſi ſpernis hæc exempla, & me citaſti non ad dicendam cauſam, ſed ad enumerandos*

NOTÆ.

1. *Triumphantibus quadrigas albas, & togam palmatam.*] Hic erat ornatus triumphantium. Livius etiam meminit tunicæ palmatæ, lib. 10. *Eis viris, quos vos ſellis curulibus, togâ prætextâ, tunicâ palmatâ, & togâ pictâ, & coronâ triumphali, laureâque honoráritis.* Palmatam dictam fuiſſe à picturæ genere, quod palmas imitabatur, oſtendit inter cætera numiſma Auguſti, cujus figuram expreſſit ad hunc locum Pricæus.

2. *Et Antiſtheni.*] Hujus fuit diſcipulus Diogenes, ab eoque peræ & baculi uſum didicit.

3. *Paludamentum.*] Erat inſigne pallium Imperatorum. Nonius ait *paludamentum* etiam dici *chlamyda.*

4. *Galerum.*] *Galerus* etiam dicitur, eſtque pileus rotundus, ſic dictus, ut ait Varro, à galeæ ſimilitudine. Erat propè peculiaris ſacerdotibus. Solus flamen Dialis album habebat galerum, ſi Gellio credimus.

5. *Lituus.*] *Lituus* baculus erat extremâ parte incurvus, quo Augures utebantur, dum avium volatum contemplarentur. Eſt prætereà *lituus* Feſto *buccinæ genus incurvum, gracilem edens ſonum, quo in bello utebantur.* Horat. Ode 1.

Multos caſtra juvant, & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus, &c.

6. *De veritate regni certabundus.*] Id eſt, dum contenderet ſe veriùs eſſe Regem, quàm Alexandrum.

7. *Neque unâ pelle veſtitior fuit.*] Pellis illa ſpolium erat Nemeæi leonis ab ipſo Hercule interfecti.

vocâſti; ne quid tu rerum mearum neſcias, ſi tamen neſcis, profiteor mihi ac fratri meo relictum à patre [1] HS. vicies, pauló ſecùs: idque à me longâ peregrinatione, & diutinis ſtudiis, & crebris liberalitatibus modicè imminutum. Nam & amicorum pleriſque opem tuli, & magiſtris plurimis gratiam retuli, quorumdam etiam filias dote auxi. neque enim dubitâſſem equidem vel univerſum patrimonium impendere, ut adquirerem mihi, quod majus eſt, [2] contemptum patrimonii. Tu veró, Æmiliane, & id genus homines, uti tu es, inculti & agreſtes, tanti reverà eſtis, quantum habetis: ut arbor infœcunda & infelix, quæ nullum fructum ex ſe gignit, tanti eſt in pretio, quanti lignum ejus in trunco. Attamen parce poſteà, Æmiliane, paupertatem cuipiam objectare, qui nuper uſque [3] agellum Zarathenſem, quem tibi unicum pater tuus reliquerat, ſolus uno aſello, [4] ad tempeſtivum imbrem, triduo exarabas. Neque enim diu eſt, cùm te crebræ mortes propinquorum [5] immeritis hæreditatibus fulſerunt. [6] unde tibi potiùs, quàm ob iſtam teterrimam faciem,

INTERPRETATIO.

reditus meos; nec tu ignores quidquam ex meis negotiis (ſi tamen hoc *ignoras) declaro palàm patrem* meum *reliquiſſe mihi & meo fratri vicies ſeſterciûm,* aut *pauló minùs: hocque aliquantum attenuatum eſſe à me longis itineribus, & ſtudiis diuturnis, & largitionibus frequentibus. Adjuvi enim maximam partem* meorum *amicorum, & remuneravi permultos magiſtros, dedi etiam dotem filiabus quorumdam. nam ſanè non fuiſſem veritus inſumere vel omnes* meas *opes, ad comparandum mihi contemptum opum, qui præſtantior eſt* ipſis opibus. *Tu autem, Æmiliane, & homines tui ſimiles horridi & ruſtici, tantùm reipsâ valetis, quantum poſſidetis* bonorum: *quemadmodum arbor ſterilis, & infelix, quæ nullum fructum profert, tanti æſtimatur, quantum valet lignum,* quod eſt *in ejus caudice. Sed tamen deſine deinceps exprobrare cuiquam egeſtatem, ô Æmiliane, qui uſque nuper arabas ſolus unico aſino, ſpatio trium dierum, ſub impendentes pluvias, parvum agrum Zarathenſem, quem tuus pater reliquerat tibi ſolum. Nam non ita pridem eſt, ex quo frequentia funera* tuorum *conſanguineorum ſuſtentaverunt te hæreditatibus, quibus eras indignus. ex quâ re appellatus es Charon potiùs, quàm ex tuo vultu fœ-*

NOTÆ.

1. *HS vicies.*] Quinquaginta millia ſcutorum coronatorum, quorum unumquodque triginta quinque ſolidos continet, juxta Budæi ſupputationem in *de Aſſe.*

2. *Contemptum patrimonii.*] Sic legendum, auctore Lipſio, ſed præfigenda virgula. MSS, & editiones pleræque habent *contemptu patrimonii* perperàm. Hæc corruptio fluxerit ex omiſſione tituli ſuper *u* poſiti hoc modo *contemptū.*

3. *Agellum Zarathenſem.*] Ζάρατθα Ptolemæo urbs eſt Mauritaniæ Cæſarienſis.

4. *Ad tempeſtivum imbrem.*] Hoc eſt, dum adhuc impenderent imbres, pòſt in ſulcos caſuri. Virgil. in Georg.

——— ——— incumbere aratris
Dum ſiccâ tellure licet, dum nubila pendent.

5. *Immeritis hæreditatibus.*] Quas tu non mereris, quibus indignus es. *Immeritis* hìc paſſivo ſignificatu intelligendum.

6. *Unde tibi potiùs, quàm ob iſtam teterrimam faciem, Charon nomen eſt.*] Id eſt, ex quibus mortibus potiùs, quàm

Charon nomen eſt. De patriâ meâ verò, quòd eam ſitam [1] Numidiæ & Gætuliæ in ipſo confinio, meis ſcriptis oſtendiſti, quibus memet profeſſus ſum, cùm [2] Lolliano Avito C. V. præſente publicè diſſererem, Seminumidam & Semigætulum, [3] non video quid mihi ſit in eâ re pudendum: haud minùs quàm [4] Cyro majori, [5] quòd genere mixto fuit, Semimedus ac Semiperſa. Non enim, ubi prognatus, ſed uti moratus quiſque ſit, ſpectandum: nec, quâ regione, ſed quâ ratione vitam vivere inierit, conſiderandum eſt. Olitori & cauponi meritò eſt conceſſum, olus & vinum ex nobilitate ſoli commendare: [6] vinum Thaſium, [7] olus Phliaſium. Quippe [8] illa terræ alumna multùm ad

INTERPRETATIO.

diſſimo. Quantum autem ad meam patriam, quoniam demonſtrâſti eam poſitam eſſe in ipſo confinio Numidiæ & Gætuliæ, ex meis ſcriptis, quibus ego declaravi me eſſe Seminumidam, & Semigætulum, cùm publicè verba facerem coram Lolliano Avito viro clariſſimo, non diſpicio quid ſit in eâ re, cujus debeat me pudere: ſicut neque pudere debuit *Cyrum Majorem, quòd fuit origine mixtâ, Semimedus & Semiperſa. Nam non eſt conſiderandum quo in loco aliquis natus ſit, ſed quibus ſit moribus, neque inſpiciendum in quâ provinciâ cœperit vitam degere, ſed quo modo* cœperit. *Jure permittitur hortulano, & cauponi, laudare olera & vinum ex claritate regionis: putà vinum Thaſium, olus Phliaſium. Quia nempè terra fertilis, & cælum imbri-*

NOTÆ.

ex tuo teterrimo vultu, inditum tibi nomen eſt Charontis, quòd ſcilicet tu, quaſi alter Charon, propinquos illos tuos Acheronta prætervexeris.

1. *Numidiæ & Gætuliæ in ipſo confinio.*] Madaura Apuleii noſtri patria Plinio Africæ propriè oppidum erat.

2. *Lolliano Avito,*] Hunc legimus apud Capitolinum in Pertinace, fuiſſe virum Conſularem. Citatur ab Ulpiano, l. 3. Parag. 2. ff. *de Decur.* Divorum fratrum reſcriptum ad Lollianum Avitum Bithyniæ præſidem. Conſul fuit ſub Antonino Pio. Conſtat etiam fuiſſe Africæ Proconſulem.

3. *Non video quid mihi ſit in eâ re pudendum.*] Objiciebat igitur Æmilianus tanquam pudendum, ex ſoli ambiguitate avorum etiam ambiguitatem inferens. Sic Plautus in Perſâ.

At herclè te hominem & ſycophantam & ſubdolum!
Qui huc adveniſti nos captatum, Migdilybs
Biſulci-lingua, quaſi proſerpens beſtia.

4. *Cyro majori.*] Hic fuit Aſtyagis Medorum Regis ex filiâ nepos. Dicitur autem *major*, ut diſtinguatur à Cyro Artaxerxis Mnemonis fratre, qui *Cyrus minor*, & *Cyrus Junior* eſt appellatus.

5. *Quòd genere mixto fuit, Semimedus ac Semiperſa.*] Patre enim ortus eſt Cambyſe Perſâ, matre verò Mandane Medâ. Hinc etiam *mulus* dictus eſt ab oraculo, quod refert Herodotus, in Cyropædiâ.

Ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται.
At cùm jam Mulus Medis Rex imperitabit,

6. *Vinum Thaſium.*] Ex Thaſo maris Ægæi inſulâ, Thraciæ adjacente, contrà Neſſi fluminis oſtia, quæ generoſo vino & præſtanti marmore clara fuit.

7. *Olus Phliaſium.*] A Phliunte urbe inter Sicyonium Argivumque agrum ſitâ, omnis generis herbis & fructibus abundante, unde & nomen ſortita creditur ἀπὸ τοῦ φλεῖν quod eſt *fructibus abundare*.

8. *Illa terræ alumna, &c.*] Hanc lectionem ſi ſequare, voces *illa* & *alum-*

meliorem ſaporem juverit & regio fœcunda, & cælum pluvium, & ventus clemens, & Sol apricus, & ſolum ſuccidum. Enimverò animo hominis, extrinſecùs in hoſpitium corporis immigranti, quid ex iſtis addi vel minui ad virtutem vel malitiam poteſt? Quando non in omnibus gentibus varia ingenia provenêre? quanquam videantur quædam ſtultitiâ vel ſolertiâ inſigniores. [1] Apud ſocordiſſimos Scythas, Anacharſis ſapiens natus eſt: [2] apud Athenienſes catos, Meletides fatuus. Neque hoc eo dixi, quo me patriæ meæ pœniteret, etſi adhuc [3] Syphacis oppidum eſſemus. quo tamen victo, ad Maſiniſſam regem conceſſimus, munere populi Romani; ac deinceps, [4] veteranorum militum novo conditu, ſplendidiſſima colonia ſumus. in quâ coloniâ [5] patrem habui loco principe [6] Duumviralem, cunctis honori-

INTERPRETATIO.

ferum, & ventus lenis, & Sol clarus, & gleba pinguis plurimùm contulerint ad ſaporem acceptiorem harum rerum, quas tellus nutrit. Verùm quid iſta poſſunt adjicere aut detrahere ad probitatem vel improbitatem, menti hominis, dum tranſit forinſecùs in diverſorium corporis? An unquam aliter evenit, niſi ut diverſa ingenia orirentur in cunctis nationibus? quamvis quædam videntur magis celebres aliis *ſtoliditate aut induſtriâ* hominum. *Anacharſis ſapiens natus eſt inter Scythas ſtupidiſſimos; Meletides* verò *ſtultus, inter Athenienſes callidos. Neque* tamen *dixi hoc ideò, quòd pœniteret me* meæ *patriæ, etiamſi noſtra urbs eſſet adhuc Syphacis, quo tamen ſuperato, venimus in ditionem Regis Maſiniſſæ, dono populi Romani; & poſteà* facti *ſumus clariſſima colonia militum veteranorum, novâ diviſione agrorum. in quâ coloniâ habui patrem ortum primario loco, qui fuit Duumvir, & geſſit omnes Magi-*

NOTÆ.

na refer ad vinum, & olus, ac paſſivè intellige τὸ *alumna*, ut ſit ſenſus *nempè & regio fœcunda, & cœlum pluvium, &c. non mediocriter contulerit, ad hoc ut res illæ* (vinum ſcilicet & olus) *quæ aluntur à terrâ, habeant gratiorem ſaporem.*

1. *Apud ſocordiſſimos Scythas Anacharſis ſapiens, &c.*] Phædrus:

Si Phryx Æſopus potuit, Anacharſis Scytha
Æternam famam condere ingenio ſuo:
Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo, &c.

Anacharſis Gnuri filius, Caduïdæ verò Scytharum Regis frater fuit. Exprobranti ipſi Attico (ut refert Laërtius, in ejus vitâ) quòd Scytha eſſet, *At mihi*, ait, *dedecori eſt patria, ſed patriæ tu.*

2. *Apud Athenienſes catos, Meletides fatuus.*] De eo proverbium, *Meletide ſtultior.*

3. *Syphacis.*] Numidiæ Regis, qui cùm, contra promiſſam Romanis fidem, Annibalis partes ſecutus eſſet, à Maſiniſsâ victus captuſque eſt, & ad Scipionem vivus perductus, ac deinde ductus in triumphum, pòſt carcere clauſus vitam finivit inediâ, regno ejus à Scipione Maſiniſſæ dato.

4. *Veteranorum militum novo conditu ſplendidiſſima Colonia ſumus.*] *Conditus* eſt *aſſignatio* ſeu *diviſio agrorum.* inde *conditores* dicti, quorum id munus in Coloniarum deductionibus. *Splendidiſſimam Coloniam* propriè dixit; hoc enim vulgò honoris vocabulum Coloniis attributum legimus. Cic. Philippicâ 5. *Mutinam firmiſſimam & ſplendidiſſimam populi Romani Coloniam, &c.*

5. *Patrem habui.*] Theſeum nomine.

6. *Duumviralem.*] Qui fuit Duumvir. hic dignitatis gradus in munici-

bus perfunctum. [1] Cujus ego locum in eâ Republicâ, exinde ut [2] participare curiam cœpi, nequaquam degener, pari ſpero honore & exiſtimatione tueor. Cur ergo illa protuli? ut mihi tu, Æmiliane, minùs poſthac ſuccenſeas: potiúſque ut veniam impertias, ſi per negligentiam fortè non elegi [3] illud tuum Atticum Zarath, ut in eo naſcerer. Nonne vos puditum eſt, hæc crimina, tali viro audiente, tam aſſeveratè objectare? frivola & inter ſe repugnantia ſimul promere? & utraque tamen reprehendere? An non contraria accuſatis? peram & baculum, [4] ob auctoritatem: carmina & ſpeculum, ob hilaritatem: unum ſervum, ut deparci: treis libertos, ut profuſi? præterea eloquentiam Græcam, patriam barbaram? Quin igitur tandem expergiſcimini, ac vos cogitatis apud Claudium Maximum dicere, apud

INTERPRETATIO.

ſtratus. Cujus vicem ego impleo in illâ Republicâ, ex quo admiſſus ſum in Curiam, cum ſimili honore, & famâ, ut ſpero, nullatenus degenerans ab eo. *Quare igitur hæc dixi? ut tu, Æmiliane, minus iraſcaris in me deinceps, ſed ignoſcas potiùs, ſi fortè per negligentiam meam non elegi tuum illud Zarath Atticum, ad naſcendum in eo. An non puduit vos objicere tam audacter has accuſationes coram tali judice? proferre res futiles & contrarias ſibi invicem? & tamen redarguere eas omnes? Nonne culpatis* in me *res contrarias? manticam* nempè *& baculum propter ſeveritatem: verſus* verò *& ſpeculum, propter lætitiam: unum famulum, quaſi* hoc *ſit* hominis *avari; & tres manumiſſos, quaſi* ſit *prodigi? inſuper facundiam Græcam & patriam barbaram? Quin ergo evigilatis tandem: & recordamini vos cauſam agere ante Claudium Maximum, ante virum gra-*

NOTÆ.

piis coloniiſque ſupremus fuit, & apex cæterorum, ut videre eſt apud Ulpian. l. 1. ff. *De albo ſcribendo,* & Paucíroll. *de Magiſtrat. Municipal.*

1. *Cujus ego locum, &c.*] Per locum illum, ne Duumviratum intelligas, qui Magiſtratus fuit annuus & electivus; ſed famam dignitatemque propriam ejus patris. Apuleium enim ad judicis honorem nunquam evectum ex D. Auguſtino diſcimus Epiſt. 5. *Apuleius enim* (inquit) *qui nobis Afris Afer eſt notior; non dico ad regnum, ſed nec ad aliquam quidem judiciariam poteſtatem cum omnibus ſuis magicis artibus potuit pervenire, honeſto patriæ ſuæ loco natus, & liberaliter educatus, magnâque præditus eloquentiâ, &c.*

2. *Participare Curiam.*] Id eſt, in Decurionum ordinem adſciſci: abſque quo non potuiſſet evehi ad Duumviratum, ut patet ex Paulo l. 7. Paragr. 2. ff. *de Decurionibus.* Decurionum munus, officia varia, & onera, ac viciſſim privilegia vide in Notis Gothofredi ad Titulum codicis *de Decurionibus & filiis eorum, & qui Decuriones, &c.*

3. *Illud tuum Atticum Zarath.*] Εἰρωνικῶς. Erat enim Africanum non Atticum. in hoc eſt barbaries hujus vocis, quam ridet, quòd deſinat in aſpirationem contra Linguæ Græcæ analogiam, alioqui non eſt cur hoc vocabulum cujuſquam aures offendat magis, quàm Ζάρηξ, & Ζαρὰς, quæ ſunt nomina locorum in Græciæ penetralibus. Apud Ptolemæum ſcribitur hoc nomen Ζάρραθα: forſan Apuleius ſcripſerit *Zaratth.* in quo, præter aſpirationem, alius etiam eſt barbariſmus, ob geminatam conſonantem in fine.

4. *Ob auctoritatem.*] Id eſt, *ſeveritatem*, cui mox opponit *hilaritatem.* hoc ſenſu & apud Spartianum legitur. Fulvii liber habet *auſteritatem*, quod non improbant Vvovver. & Gentilis,

virum ſeverum, [1] & totius provinciæ negotiis occupatum? Quin, inquam, vana hæc convicia aufertis? quin oſtenditis, quod inſimulaviſtis, ſcelera immania, & inconceſſa maleficia, & arteis nefandas? Cur veſtra oratio rebus flaccet, ſtrepitu viget? Aggredior enim jam ad ipſum crimen Magiæ, quod ingenti tumultu, ad invidiam mei, accenſum, fruſtratâ expectatione omnium, per neſcio quas anileis fabulas deflagravit. Ecquandóne vidiſti, Maxime, flammam ſtipulâ exortam, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento? ſed enim materiâ levi, caduco incendio, nullis reliquiis? Hem tibi illa accuſatio jurgiis inita, verbis aucta, argumentis defecta, nullis poſt ſententiam tuam reliquiis calumniæ permanſura; quæ quidem omnis Æmiliano fuit in iſto uno deſtinata, me Magum eſſe. & ideò mihi libet quærere [2] ab eruditiſſimis ejus advocatis, quid ſit Magus? Nam ſi (quod ego apud plurimos lego) [3] Perſarum linguâ Magus eſt, qui noſtrâ ſacerdos; quod tandem eſt crimen, ſacerdotem eſſe? & ritè noſſe, atque ſcire, atque callere, leges cærimoniarum, fas ſacrorum, jus religionum? Si quidem Magia id eſt, [4] quod Plato interpretatur θεῶν θεραπείαν, cùm commemorat, quibus-nam diſciplinis [5] puerum regium adu-

INTERPRETATIO.

vem, & occupatum negotiis univerſæ provinciæ? Quin, inquam, removetis iſta inania maledicta? quidni probatis id, cujus me *accuſaviſtis*, nempè *enormia crimina, & maleficia illicita, & ſceleratas artes? Quare veſter ſermo valet tantùm clamore, ſed langueſcit* deſtitutus *rebus? Nam venio jam ad crimen Magiæ, quod incenſum* à vobis *cum magno ſtrepitu ad excitandum in me odium, reſedit* narratione *neſcio quarum fabularum anilium, deceptâ expectatione omnium.* O *Maxime, vidiſtine aliquando flammam enatam ex ſtipulâ,* cum *argutâ crepitatione, amplo lumine, & augmento veloci? ſed fluxo incendio, & abſque reliquiis, quia* concepta fuerat *in materiâ tenui? Habes* in eâ *veram imaginem hujus accuſationis, quæ inchoata eſt rixis, aucta verbis, deſtituta probationibus, nullas habitura* eſt *reliquias calumniæ, poſtquam* tuleris *ſententiam, quam quidem accuſationem Æmilianus eò direxit omnem,* ut diceret *me eſſe Magum. Atque idcircò animus eſt mihi interrogare doctiſſimos ejus patronos, quid ſit Magus? Si enim (ut lego in multis* auctoribus*) Magus linguâ Perſicâ* idem *eſt, qui noſtrâ ſacerdos; quodnam, quæſo, ſcelus eſt, eſſe ſacerdotem? & rectè cognoſcere, & intelligere, ac tenere ritus cærimoniarum, jus ſacrorum, fas religionum? Si quidem Magia eſt id, quod Plato exponit* miniſterium Deorum, *cùm narrat quibus doctrinis Perſæ inſtruant juvenem fi-*

NOTÆ.

& ego libens præfero.

1. *Et totius provinciæ negotiis occupatum.*] Apud quem proinde qui proferat accuſationes ejuſmodi frivolas & inanes, in publica commoda peccet.

2. *Ab eruditiſſimis ejus advocatis.*] Per ironiam dicta hæc intellige.

3. *Perſarum linguâ Magus eſt, qui noſtrâ Sacerdos.*] Lucianus, ἐν μακροβίοις, *in Longævis:* οἱ καλούμενοι Μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν, καὶ θεοῖς ἀνακείμενον παρά τε Πέρσαις, καὶ Πάρθοις, καὶ Βακτρίοις. *qui dicuntur Magi, genus eſt hominum fatidicum & Deorum cultui intentum, apud Perſas, & Parthos, & Bactrianos.*

4. *Quod Plato interpretatur* θεῶν θεραπείαν.] In Alcibiade, cap. 1.

5. *Puerum regiam adoleſcentem Per-*

leſcentem Perſæ imbuant. Verba ipſa divini viri memini, quæ tu mecum, Maxime, recognoſce: [1] δὶς ἑπτὰ δὲ γενομένων ἐτῶν τὸν παῖδα παραλαμβάνουσιν οὓς ἐκεῖνοι βασιλείους παιδαγωγοὺς ὀνομάζουσιν. εἰσὶ δὲ ἐξειλεγμένοι Περσῶν οἱ ἄριστοι δόξαντες ἐν ἡλικίᾳ τέτταρες. ὅ, τε σοφώτατος, καὶ ὁ δικαιότατος, καὶ ὁ σωφρονέστατος, καὶ ὁ ἀνδρειότατος. ὧν ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου, τοῦ Ὡρομάζου. ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία. διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικά. Auditis-ne Magiam, qui eam temerè accuſatis, artem eſſe Diis immortalibus acceptam, colendi eos ac venerandi pergnaram, piam ſcilicet, & diviniſcientem, jam inde [2] à Zoroaſtre & Oromazo auctoribus ſuis nobilem, cœlitum antiſtitam? quippe inter prima regalia docetur. nec ulli temerè inter Perſas conceſſum eſt Magum eſſe, haud magis quàm regnare Idem Plato in aliâ ſermocinatione, [3] de Zamolxi quodam Thraci generis, ſed ejuſdem artis viro, ita ſcriptum reliquit: [4] θεραπεύεσθαι δέ τὴν ψυχὴν, ἔφη, ὦ μακάριε, ἐπῳδαῖς τισί. τὰς δ' ἐπῳδὰς τοὺς λόγους εἶναι τοὺς καλούς. Quod ſi ita eſt, cur mihi noſſe

INTERPRETATIO.

lium Regis. Recordor ipſorum verborum viri illius *divini, quæ tu, ô Maxime, agnoſce mecum:* ſic habentia. Bis ſeptem autem annis elapſis, aſſumunt puerum ii, quos vocant pædagogos regios. Sunt autem illi quatuor ſelecti optimi ex Perſis, probati per ætatem, hic ſapientiſſimus, alter juſtiſſimus, tertius prudentiſſimus, quartus verò fortiſſimus. quorum hic, *primus*, quidem docet Magiam Zoroaſtri, & Oromazi. hic autem eſt cultus Deorum. Docet verò etiam regias artes, &c. *Vos qui immeritò accuſatis Magiam, auditisne eam eſſe artem gratam Diis immortalibus, quæ optimè ſcit rationem adorandi & reverendi eos, utpote religioſa, & gnara* rerum *divinarum, quæ inclyta eſt à temporibus uſque Zoroaſtris & Oromazi ſuorum inventorum, quæ eſt ſacerdos Deorum? quia ſcilicet traditur inter prima* præcepta, *quibus Reges* inſtituuntur. *neque permittitur facilè ulli Perſarum eſſe Magum, ac non magis quàm eſſe Regem. Idem Plato ſic ſcripſit in alio dialogo, de quodam Zamolxi originis Threiciæ, ſed qui erat peritus ejuſdem artis:* Dixit autem, ô beate, ipſam quoque animam deliniri quibuſdam incantationibus. incantationes autem eſſe ſanctas voces. *Quod ſi ſic ſe habet, quare*

NOTÆ.

ſæ imbuant.] Clemens Alexandrin. 5. Στρωματέων ab Ægyptiis hunc morem Perſas traxiſſe ait. Scriver. hic legit *regno*, pro *regium*.

1 Δὶς ἑπτὰ δὲ γενομένων ἐτῶν, &c.] Verba ſunt Platonis in Alcibiadis cap. 1. ſupra deſignato.

2. *A Zoroaſtre & Oromazo, &c.*] Zoroaſtres primus Bactrianorum Rex fuit, idemque Magiæ primus inventor, authore Plinio, lib. 3. cap. 1. Vixit Nini temporibus, cum quo & bellum geſſit, quadringentis ante bellum Trojanum annis. De Oromazo nihil apud Auctores reperio. Fuerit forſan aliquis ex Zoroaſtri poſteris. Florentinus codex hic habet *Oromaze*, quod nomen idem eſſe videtur ac *Oroſmades*, qui ſupremus apud Perſas Deus eſt.

3. *De Zamolxi quodam.*] Hic Pythagoræ diſcipulus ac ſervus, ad Ægyptios una cum eo penetravit, deinde eorum ritus in ſuam patriam deduxit, & a ſuis poſt mortem Deus habitus eſt, ut narrat Herodot. lib. 4.

4. Θεραπεύεσθαι δὲ τὴν ψυχὴν, *&c.*] Eadem fuit Pythagoræ diſciplina. Malchus in Vitâ ejus, τὰ ψυχὰ νοσοῦντας παρεμυθεῖτο, τοὺς μὲν ἐπῳδαῖς καὶ μαγείαις, τοὺς δὲ Μουσικῇ. *Ægros animo conſolabatur, alios quidem carminibus & magicis rebus, alios verò Muſicâ.*

non liceat [1] vel Zamolxis bona verba, vel Zoroaſtris ſacerdotia? Sin verò, more vulgari, eum iſti propriè Magum exiſtimant, qui communione loquendi cum Diis immortalibus, ad omnia quæ velit, incredibili quadam vi cantaminum polleat; oppidò miror, cur accuſare non timuerint, quem poſſe tantum fatentur Neque enim tam occulta & divina potentia caveri poteſt, itidem ut cætera. Sicarium qui in judicium vocat, comitatus venit: qui venenarium accuſat, ſcrupuloſiùs cibatur: qui furem arguit, ſua cuſtodit. Enimvero qui Magum, qualem iſti dicunt, in diſcrimen capitis deducit, quibus comitibus, quibus ſcrupulis, quibus cuſtodibus [2] perniciem cæcam & inevitabilem prohibeat? nullis ſcilicet. & ideo id genus crimen non eſt ejus accuſare, qui credit. Verùm hæc fermè communi quodam errore imperitorum philoſophis objectantur: ut partim eorum, qui corporum cauſas meras & ſimpliceis rimantur, irreligioſos putent, eóque aiant Deos abnuere; ut [3] Anaxagoram, [4] & Leucippum, & Democritum, & Epicurum, cæteroſque rerum naturæ patronos: par-

INTERPRETATIO.

non ſit mihi fas ſcire aut ſanctas voces Zamolxis, aut cultum Deorum Zoroaſtri? Sin autem iſti putant ſecundum opinionem vulgi eum eſſe propriè Magum, qui ex communicatione & colloquio Deorum immortalium comparaverit quandam virtutem incantationum, quâ poſſit facere *omnia, quæ velit*, quantumvis *incredibilia; valdè miror quare non veriti ſint accuſare* hominem, *quem confitentur habere tantam poteſtatem. Nam poteſtas tam abſcondita, & divina non poteſt præcaveri eodem modo ac reliqua.* Ille *qui citat homicidam in jus, venit ſtipatus: qui defert veneficum, ſumit cibum cautius: qui accuſat furem, cuſtodit ſua* bona. *At qui vocat in periculum vitæ* talem *Magum, qualem iſti dicunt, quibus ſtipatoribus, quibus cautionibus, quibus cuſtodibus impedire poſſit exitium occultum & certum? nullis ſanè. Atque idcircò non eſt illius, qui perſuaſum habet ejuſmodi crimen, illud deferre. Sed hæc ſolent objici philoſophis quodam communi errore ignarorum:* ita *ut exiſtiment illos ex eis, qui inveſtigant puras & ſimplices cauſas rerum naturalium, eſſe impios, dicantque eos ideò negare eſſe Deos; quales ſunt Anaxagoras, & Leucippus, & Democritus, & Epicurus, & reliqui defenſores cauſarum naturalium, illos*

NOTÆ.

1. *Vel Zamolxis bona verba, vel Zoroaſtri ſacerdotia?*] Id eſt, incantationes, ſeu carmina, quæ Zamolxis profitebatur eſſe bona verba, aut Magiam, quam θεῶν θεραπείαν, cultum Deorum, &, ut ſuprà, cælitum antiſtitam ex traditione Zoroaſtris Perſæ nominabant.

2. *Perniciem cæcam & inevitabilem.*] Qualis eſſet quæ ab ejuſmodi omnipotenti Magiâ immineret.

3. *Anaxagoram.*] Qui (ut refert Laërtius in ejus Vitâ) impietatis accuſatus eſt à Cleone quodam, quòd Solem diceret candentem eſſe laminam, ac penitùs ignitam, defenſus autem à Pericle diſcipulo, quinque talentis multatus eſt, & exilio damnatus

4. *Et Leucippum, & Democritum, & Epicurum.*] Qui hanc rerum univerſitatem ex vacuo atomiſque conflatam aiebant, quæ fortuito motu inter ſe modò coaleſcentes, modò diſſidentes, abſque mentis ullius providentiæve diſponentis neceſſitate, generationes omnes corruptioneſque efficerent.

tim autem

tim autem, qui Providentiam mundi curioſiùs veſtigant, & impenſiùs Deos celebrant, eos verò vulgò Magos nominent: quaſi facere etiam ſciant,[1] quæ ſciant fieri: ut olim fuere [2] Epimenides, & Orpheus, [3] & Pythagoras, & [4] Oſthanes. Ac deinde ſimiliter [5] ſuſpecta [6] Empedoclis καθαρμοὶ, [7] Socratis Δαιμόνιον, [8] Platonis τὸ ἀγαθόν. Gratulor igitur mihi, cùm & ego tot & tantis viris adnumeror. Cæterùm ea, quæ [9] ab illis ad oſtendendum crimen objecta ſunt vana & inepta & ſimplicia, vereor ne ideò tantùm crimina putes, quòd ob ecta ſunt. Cur, inquit, piſcium quædam genera quæſiſti? Quaſi id cognitionis gratiâ philoſopho facere non liceat, quod luxurioſo gulæ causâ liceret.

INTERPRETATIO.

verò, qui ſcrutantur diligentiùs providentiam mundi, & vehementiùs prædicant Deos, vulgò appellent Magos: perinde ac ſi nôrint etiam facere ea, *quæ noverunt fieri: quales fuerunt quondam Epimenides, & Orpheus, & Pythagoras & Oſthanes. Et poſteà ſimiliter* hæc fuerunt *ſuſpecta,* Expiationes *Empedoclis,* Dæmonium *Socratis, &* Bonum *Platonis. Lætor ergo cùm* video *me accenſeri tot & tantis viris. Porrò metuo ne tu exiſtimes res inanes & ſtolidas atque* etiam *fatuas, quas illi protulerunt adverſus me ad probandum* illud *crimen, idcircò ſolùm eſſe crimina quia prolata fuerunt* adverſum me. *Quare, ait, perquiſiviſti quædam genera piſcium? Quaſi nefas ſit philoſopho id facere diſcendi causâ, quod fas eſſet voluptuoſo facere ad* explendam *ingluviem ſuam.*

NOTÆ.

1. *Quæ ſciant fieri.*] Singulari Deorum providentiâ, cujus ſunt inveſtigatores.

2. *Epimenides.*] Cujus memorantur in primis ſomnus quinquaginta ſeptem annorum in ſpeluncâ, ſeu antro Idæo, ſumma divinationis peritia, & Athenarum peſte laborantium expiatio

3. *Et Pythagoras.*] Plin. lib. 30. c. 1. *Certè Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc* (Magiam) *diſcendam navigavere, exiliis veriùs, quàm peregrinationibus ſuſceptis. Hanc reverſi prædicavere; hanc in arcanis habuere.*

4. *Et Oſthanes.*] Duos Oſthanes agnoſcit Plin. loco modò citato. *Primus*, inquit, *extat* (*ut equidem invenio*) *commentatus de eâ* (Magiâ) *Oſthanes. Xerxem Regem Perſarum bello, quod is Græciæ intulit, comitatus: ac velut ſemina artis portentoſæ ſparſiſſe, obiter infecto quacumque commeaverat mundo.* Et inferiùs, eod. cap. *Non levem & Alexandri Magni temporibus auctoritatem addidit profeſſioni ſecundus Oſthanes, comitatu ejus exornatus, planéque, quod nemo dubitet, orbem terrarum peragravit*

5. *Suſpecta.*] Supple *fuerunt*, id eſt, in ſuſpicionem venerunt, Magiæ ſcilicet, apud ignaros & vulgus, ea, quæ recenſet; καθαρμοὶ nimirùm Empedoclis, &c.

6. *Empedoclis καθαρμοί.*] Expiationes, ſeu purificationes. Sic reſtituit Caſaubonus, cùm antè ineptiſſimè ſcriptum eſſet *eſt Eocli Catborino.* Caſauboni emendationem firmat codex Florentinus ab Elmenhorſtio laudatus. Laërtius porrò refert Empedoclem quinque millia verſuum ſcripſiſſe de Naturâ & de Expiationibus, ſeu καθαρμοῖς.

7. *Socratis Δαιμόνιον.*] Vide infrà librum *de Deo Socratis.*

8. *Platonis τὸ ἀγαθόν.*] Quia Plato multa de Diis diſſerere ſolitus erat non in vulgus nota: ideò viſus eſt imperitis novos Deos comminiſci, quos ſub novorum verborum involucro celebraret. Notum porrò quid ſit in Academiâ τ' ἀγαθόν.

9. *Ab illis.*] Apuleii adverſariis Æmiliano ejuſque advocatis.

Cûr mulier libera tibi nupſit [1] poſt annos tredecim viduitatis? Quaſi non magis mirandum ſit, quòd tot annis non nupſerit. Cur priùs, quàm tibi nuberet, [2] ſcripſit neſcio quid in epiſtolâ, quod ſibi videbatur? Quaſi quiſquam debeat cauſas alienæ ſententiæ reddere. Atenim major natu non eſt juvenem aſpernata. Igitur hoc ipſum argumentum eſt, nihil opus Magiâ fuiſſe, ut nubere vellet mulier viro, vidua cœlibi, major juniori. Jam & illa ſimilia: Habet quiddam Apuleius domi, quod ſecretò colit. Quaſi non id potiùs crimen ſit, quod colas non habere. Cecidit præſente Apuleio puer. Quid enim ſi juvenis, quid ſi etiam ſenex adſiſtente me corruiſſet, vel morbo corporis impeditus, vel lubrico ſoli prolapſus? Hiſcine argumentis Magiam probaris? caſu puerili, & matrimonio mulieris, & obſonio piſcium? Poſſem equidem bono periculo, vel his dictis contentus, perorare. Quoniam tamen mihi pro accuſationis longitudine [3] largiter aquæ ſupereſt; cedò, ſi videtur, ſingula conſideremus. Atque ego omnia objecta, ſeu vera, ſeu falſa ſint, non negabo: ſed perinde atque ſi facta ſint, fatebor; ut omnis iſta multitudo, quæ plurima undique ad

Interpretatio.

Quare fœmina ingenua nupſit tibi poſt tredecim annos viduitatis? Quaſi non mirandum ſit potiùs, quòd remanſerit vidua per tot annos. Quare ſcripſit in epiſtolâ neſcio quam cogitationem ſuam, antequàm nuberet tibi? Quaſi ullus obſtringatur ad proferendas rationes conſilii alieni. Sed illa *non reſpuit juvenem* quamvis eſſet *grandior ætate. Ergo hoc ipſum probat Magiam nullatenùs fuiſſe neceſſariam, ut ipſa* quæ erat *fœmina, vellet nubere viro,* quæ erat *vidua,* vellet nubere *cœlibi,* quæ erat *grandior natu,* vellet nubere *minori. Hæc etiam ſimilia* ſunt: *Apuleius habet aliquid domi, quod adorat clanculùm, quaſi hoc non ſit potiùs crimen, nihil habere quod adores. Puer lapſus eſt coràm Apuleio. At quid* foret, *ſi adoleſcens, aut etiam ſenex cecidiſſet me præſente, aut correptus ægritudine corporis, aut lapſus propter ſolum lubricum? An oſtenditis* crimen *Magiæ his probationibus? Lapſu pueri, & nuptiis mulieris, & emptione piſcium? Certè poſſem ſecurè finire meam orationem, contentus iis tantùm, quæ dixi. Sed quia multùm temporis mihi reſtat pro longitudine accuſationis; age* ſis, *diſpiciamus ſingula. Et ego* quidem *nihil negabo eorum, quæ protuliſti* adverſum me, *ſive* illa ſint *vera, ſive falſa: ſed confitebor ea quaſi geſta fuerint; ut tota hæc turba, quæ tanto numero confluxit ex omnibus*

Notæ.

1. *Poſt annos tredecim viduitatis?*] Rectè Caſaubonus obſervat ſequentia poſcere hîc *quatuordecim*, non *tredecim*; infrà enim duobus locis ait *quatuordecim.*

2. *Scripſit neſcio quid in epiſtolâ.*] Illud quid fuerit, infrà videbitur.

3. *Largiter aquæ ſupereſt.*] In clepſydrâ, quâ mos erat orandi ſpatium definire. Vide quæ de clepſydrâ diximus ſub initium lib. Metam. 3. pag. 73. Dixit autem *pro longitudine accuſationis*; quia in cauſis capitalibus ſpatium concedebatur reo, ad diluendas accuſationes, ſeſquialterum illius, quod accuſatori conceſſum fuerat: ut docent Plin. in Epiſtolis, & Aſconius ad Verrinam 3am. unde ex longitudine orationis accuſatorum ſuorum proſpiciebat plurimum aquæ & temporis ſibi ſupereſſe.

audiendum convenit, apertè intelligat, [1] nihil in philoſophos non modò verè dici, ſed ne falsò quidem poſſe confingi, quod non ex innocentiæ fiduciâ, quamvis liceat negare, [2] tamen habeant potius defendere. Primùm igitur argumenta eorum convincam, ac refutabo nihil ea ad Magiam pertinere: deinde, etſi maximè Magus forem, tamen oſtendam, neque cauſam ullam, neque occaſionem fuiſſe, ut me in aliquo maleficio experirentur. Ibi etiam [3] de falſo-invidiâ, deque epiſtolis mulieris perperàm lectis, & nequiùs interpretatis, dèque matrimonio meo ac Pudentillæ diſputabo. idque à me ſuſceptum [4] officii gratiâ, quàm lucri causâ, docebo. Quod quidem matrimonium noſtrum Æmiliano huic immane quanto angori, quantæque invidiæ fuit. Inde omnis hujuſce accuſationis obeundæ ira & rabies, & denique inſania exorta eſt. Quæ ſi omnia palàm & dilucidè oſtendero, tunc denique te, Claudi Maximè, & omneis, qui adſunt, conteſtabor, puerum illum Sicinium Pudentem privignum meum, cujus obtentu & voluntate à patruo ejus accuſor, nuperrimè curæ meæ ereptum,

INTERPRETATIO.

locis audiendi causâ. cognoſcat manifeſtò, nihil poſſe non modò verè dici, ſed ne excogitari quidem falsò adverſus philoſophos, quod, quamvis poſſint negare, non exiſtiment tamen ſatius eſſe tueri propter confidentiam, quam eis dat *ſua innocentia. Convincam ergo primùm, & refellam probationes eorum,* oſtendendo *eas nullatenùs ſpectare ad Magiam: poſteà demonſtrabo, quamvis eſſem in primis Magus, nullam tamen fuiſſe cauſam, aut occaſionem, cur deprehenderent me in aliquo maleficio. Differam quoque ibi de falsâ* eorum *invidiâ, & de litteris mulieris* illius, *quas malè legerunt, & pejùs explicaverunt, & de connubio meo & Pudentillæ, & oſtendam illud initum fuiſſe à me* potiùs *ad* præſtandum ei *officium, quàm propter quæſtum. Quod quidem noſtrum connubium, incredibile* eſt *quantum cruciatum* animi, *& quantam invidiam attulerit huic Æmiliano. Omnis furor & rabies ac denique veſania ſuſcipiendæ hujus delationis illinc nata eſt. Quæ omnia ſi demonſtravero apertè & clarè, tunc denique teſtem te appellabo, Claudi Maxime, & univerſos adſtantes, adoleſcentem illum Sicinium Pudentem meum privignum, cujus nomine & conſenſu patruus ejus me accuſat, nuperrimè ſubtractum* fuiſſe *meæ curæ, poſt mor-*

NOTÆ.

1. *Nihil in philoſophos non modò verè dici, &c.*] Faſtu & arrogantiâ Philoſophis Ethnicis familiari.

2. *Tamen habeant potiùs defendere*] Superba temeritas. Vera innocentia objecta ſibi falsò crimina, cum accuſatoribus ſuis damnat, atque in id unum nervos omnes intendit, ut ea probet à ſe eſſe aliena. Attamen non Magiam defendere hîc aggreditur Apuleius, ſed oſtendere parat, ea omnia, quæ vulgò tanquam ad Magiam ſpectantia infamantur, nihil ad eam pertinere, ſi res æquâ & doctâ lance perpendatur.

3. *De falſo-invidiâ.*] Caſaubonus. *An ſcripſit auctor,* de falsâ invidiâ, *an potiùs, Græcorum imitatione* falſo-invidiâ, *novè dixit, ut illi dicere poſſent* [illegible]?

4. *Officii gratiâ, quàm lucri causâ.*] Helleniſmus ſatis uſitatus bonis ſcriptoribus. Deeſt particula *potiùs*, aut *magis*. Plautus, Menæchmis.

Quin vidua vivam, quàm tuos mores perferam, id eſt, *vidua potiùs vivam, quàm, &c.*

poſtquàm frater ejus Pontianus & natu major, & moribus melior diem ſuum obiit, atque ita in me ac matrem ſuam nefariè efferatum, non meâ culpâ, deſertis liberalibus ſtudiis, ac repudiatâ omni diſciplinâ, ſceleſtis accuſationis hujus rudimentis, patruo Æmiliano potiùs, quàm fratri Pontiano ſimilem futurum. Nunc, ut inſtitui, proficiſcar ad omnia Æmiliani hujuſce deliramenta, orſus ab eo, quod ad ſuſpicionem Magiæ, [1] quaſi validiſſimum in principio dici animadvertiſti: nonnulla me piſcium genera per quoſdam piſcatores pretio quæsîſſe. Utrum igitur horum ad ſuſpectandam Magiam valet? quod-ne piſcatores mihi piſcem quæſierunt? [2] ſcilicet ergo phrygionibus aut fabris negotium iſtud dandum fuiſſe: atque ita opera cujuſque artis permutanda, ſi vellem calumnias veſtras vitare; [3] ut faber mihi piſcem everreret, ut piſcator mutuò lignum dedolaret? An ex eo intellexiſtis, maleficio quæri piſciculos, quòd pretio quærebantur? Credo ſi convivio vellem; gratis quæsîſſem. Quin igitur ex aliis pleriſque me arguitis? Nam ſæpè numero & vinum, & olus, & pomum, & panem pretio mutavi. Eo pacto cupedinariis omnibus famem decernis. Quis enim ab illis obſonare audebit? ſiquidem ſtatuitur, omnia edulia, quæ

Interpretatio.

tem fratris ejus Pontiani, qui erat ipſo *major ætate & probior vitâ, & exaſperatum adeò impiè adverſùs me & matrem ſuam, non culpâ meâ, miſſa feciſſe ſtudia honeſta, & rejeciſſe omnem inſtitutionem, & fore potiùs ſimilem patruo ſuo Æmiliano, quàm fratri Pontiano*, ut conjicere eſt *ex nefariis principiis hujus accuſationis. Nunc pergam, ut cœpi, ad omnia deliria hujus Æmiliani, incipiens ab hoc, quod obſervâſti dici initio, veluti efficaciſſimum ad* injiciendam *ſuſpicionem Magiæ: ſcilicet me conquiſiviſſe pecuniâ quædam genera piſcium, operâ piſcatorum. Quodnam ergo horum poteſt injicere ſuſpicionem Magiæ? An quod piſcatores inveſtigaverunt mihi piſcem? Nempè igitur cura iſta committenda fuiſſet phrygionibus aut fabris, ſicque opera ſingularum artium fuiſſent commutanda, ſi voluiſſem effugere veſtras calumnias*; adeò *ut faber mihi extraheret piſces, piſcator autem vice verſâ mihi deaſciaret lignum? An verò cognoviſtis piſces inveſtigari ad opus Magicum* faciendum, *quia emebantur mercede? Emiſſem abſque pecuniâ, puto, ſi voluiſſem* habere *ad convivium* celebrandum. *Quidni ergo me accuſatis quoque ex pleriſque aliis* rebus? *Comparavi enim ſæpiſſimè pecuniâ vinum, & herbas, & fructûs, & panem. Hoc modo indicis eſuriem univerſis cupedinariis. Nam quis audebit emere obſonia ab eis, ſi decernitur omnes cibos,*

Notæ.

1. *Quaſi validiſſimum in principio dici.*] Ex præſcripto Rhetorum, qui validiſſima argumenta in principio & in fine orationis, leviora verò in medio collocanda eſſe præcipiunt. eo quòd principium finiſque orationis animis auditorum altiùs inſideant.

2. *Scilicet ergo Phrygionibus aut fabris*, &c.] Nugatur otiosè Apuleius, dum iis refellendis immoratur, quæ objicere, nemini ſano in mentem venerit.

3. *Ut faber mihi piſcem everreret, piſcator*, &c.] *Everrere* propriè hîc dicitur: unde *everriculum* rete illud piſcatorium, quod à Græcis σαγήνη.

depenſo parantur, non cœnæ, ſed Magiæ deſiderari. Quòd ſi nihil remanet ſuſpicionis, neque in piſcatoribus mercede invitatis (id quod ſolent) ad piſcem capiundum, (quos tamen nullos ad teſtimonium produxêre; quippe qui nulli fuerunt;) neque in ipſo pretio rei venalis, cujus tamen quantitatem nullam taxavêre, ne, ſi mediocre pretium dixiſſent, contemneretur; ſi plurimùm, non crederetur; ſi in his, ut dico, nulla ſuſpicio eſt; reſpondeat mihi Æmilianus, quo proximo ſigno ad accuſationem Magiæ ſit inductus. Piſces, inquit, quæris. Nolo negare. Sed oro te, qui piſces quærit, Magus eſt? Equidem non magis arbitror, quàm ſi lepores quærerem, vel apros, vel altilia. An ſoli piſces habent aliquid occultum aliis, ſed Magis cognitum? Hoc ſi ſcis quid ſit, Magus es profectò: ſin neſcis, confitearis neceſſe eſt, id te accuſare, quod neſcis. Tam rudes vos eſſe omnium litterarum, omnium denique vulgi fabularum, ut ne fingere quidem poſſitis iſta veriſimiliter? [1] Quid enim competit ad amoris ardorem accendendum piſcis brutus & frigidus, aut omninò res pelago quæſita? Niſi fortè hoc vos ad mendacium induxerit, [2] quòd Venus dicitur pelago exorta. Audi ſis, Tannoni Pudens, quàm multa neſcieris, qui

INTERPRETATIO.

qui emuntur numeratâ pecuniâ, *non quæri ad cœnam* inſtruendam, *ſed ad Magiam* exercendam. *Quòd ſi nulla ſuſpicio ſupereſt, neque in piſcatoribus permotis pretio ad id, quod conſueverunt* facere, nempè *ad capiendum piſcem, (quorum tamen nullos adduxerunt in teſtimonium, qui nulli* reverâ *fuerunt;) neque in ipſo pretio rei venditæ, cujus tamen* pretii *nullatenus deſignaverunt magnitudinem, ne, ſi pronuntiâſſent pretium modicum, illud ſperneretur; ſi* verò dixiſſent *magnum, fides non haberetur: ſi nulla ſuſpicio eſt in his, ut dico, Æmilianus dicat mihi, quo judicio manifeſto impulſus ſit ad accuſationem Magiæ.* Quæris piſces, *inquit; nolo negare. Verùm dic, quæſo,* an ille *eſt Magus, qui quærit piſces? Non puto ſanè* me *potiùs* eſſe Magum, *quàm ſi inveſtigarem lepores, aut apros, aut volatilia. Soline piſces habent aliquid abſconditum aliis, at notum Magis? Si noſti quid illud ſit, certè tu es Magus; ſi verò ignoras, oportet ut fatearis te accuſare id, quod ignoras. Voſne eſſe adeò ignaros omnium diſciplinarum, denique omnium fabularum popularium, ut ne queatis quidem iſta comminiſci probabiliter? Nam quid piſcis ſtupidus & frigidus, vel ulla prorſùs res petita ex mari, confert ad excitandam flammam amoris? Niſi id forſan vos impulerit ad mentiendum, quod Venus fertur nata* fuiſſe *è mari. Auſculta, ſi vis, Tannoni Pudens, quàm multa ignoraveris, ſiquidem ſumpſiſti*

NOTÆ.

1. *Quid enim competit ad a. a. a. piſcis brutus & frigidus aut omninò res p. q.*] Attamen Heſychius ex Æſopo quodam refert Aſteriten lapidem, qui in Pane cetaceo piſce invenitur, ad philtra valere. Simile tradit Ariſtoteles de Echeneide piſce, in lib. 2. *de Animal.* cap. 14. item Ælianus, *de Muſtelâ marinâ.* Variar. Hiſtor. lib. 15. cap. 13.

2. *Quod Venus dicitur pelago exorta.*] Metam. 2. *Mari edita, fluctibus educata.*

de piſcibus argumentum Magiæ recepiſti. At, ſi Virgilium legiſſes, profectò ſciſſes, alia quæri ad hanc rem ſolere. Ille enim, quantum ſcio, [1] enumerat vittas molleis, & verbenas pingueis, [2] & thura maſcula, & licia diſcolora: prætereà laurum fragilem, limum durabilem, ceram liquabilem: nec minùs, [3] quæ jam in opere ſerio ſcripſit,

Falcibus & meſſæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni.
Quæritur & [4] naſcentis equi de fronte revulſus,
Et matri præreptus amor.

At tu piſcium inſimulator, longè diverſa inſtrumenta Magis attribuis: non frontibus teneris detergenda, [5] ſed dorſis ſquallentibus exſcindenda: [6] nec fundo revellenda, ſed profundo extrahenda: nec falcibus

Interpretatio.

probationem Magiæ ex piſcibus. Verùm, ſi legiſſes Virgilium, cognoviſſes ſanè alia ſolere conquiri ad eam rem. Nam ille, quantum memini, recenſet molles tænias, & verbenas unctuoſas, & thura maſcula, & fila variorum colorum: inſuper laurum fragilem, lutum quod dureſcit, ceram quæ liqueſcit: ſimiliter, & quæ ſcripſit in opere gravi,

Quæruntur etiam herbæ adhuc teneræ reſectæ ad Lunæ *lumen*
Falcibus æneis, cum ſucco veneni atri.
Quæritur quoque amor extractus ex fronte pulli naſcentis,
Et ſubductus matri.

Sed tu accuſator piſcium, aſſignas Magis inſtrumenta valdè diſcrepantia, non revellenda ex teneris frontibus pullorum, *ſed reſecanda ex tergis aſperis* piſcium: *neque extrahenda ex humo, ſed educenda ex mari: nec ſecanda*

Notæ.

1. *Enumerat vittas molles, &c.*] In Eclogâ illâ, cui nomen Pharmaceutria. verſus ejus ſunt:

Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vittâ,
Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura, &c.

2. *Et thura maſcula.*] Duplicis generis thus eſt, mas & fœmina Thure tantùm maſculo utebantur in ſacris.

3. *Quæ jam in opere ſerio ſcripſit.*] Lib. 4 Æneidos, ex quo deſumpti ſunt verſus hi ab Apuleio relati.

4. *Naſcentis equi de fronte revulſus, & matri præreptus amor.*] Hippomanes, de quo Plin. lib. 8. cap. 41. *Et ſanè equis amoris innaſci veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, carica magnitudine, colore nigro: quòd ſtatim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit.*

5. *Sed dorſis ſquallentibus exſcindendenda.*] Propriè vocat piſcium dorſa *ſquallentia.* nam, ut ait Gellius, lib. 2. cap. 6. *ſquallere dictum eſt, à ſquamarum crebritate aſperitateque, quæ in ſerpentium, piſciumque coriis viſuntur, &c. Accius in Pelopidis ita ſcribit.* ——— *Ejus ſerpentis ſquamæ ſquallido auro, & purpurâ prætextæ: quidquid igitur nimis inculcatum obſitumque aliquâ re erat, ut incuteret viſentibus faciē novâ horrorem, id ſquallere dicebatur &c. ſic in corporibus incultis ſquamoſi quæ alta congeries ordium ſquallor appellatur, cujus ſignificationis multo aſſiduoque uſu totum id verbum* ita *contaminatum eſt, ut jam ſquallor de re aliâ nullâ, quàm de ſolis inquinamentis dici cœperit.*

6. *Nec fundo revellenda.*] Ut radices, quæ ex terrâ evelluntur.

metenda, ſed hamis inuncanda. Poſtremò, [1] in maleficio ille venenum nominat, [2] tu pulmentum: ille herbas & ſurculos, tu ſquamas & oſſa: ille pratum decerpit, [3] tu fluctum ſcrutaris. Memorâſſem tibi etiam [4] Theocriti paria, & alia Homeri, & Orphei plurima, & ex comœdiis & tragœdiis Græcis, & ex hiſtoriis multa repetîſſem, niſi te dudùm animadvertiſſem Græcam Pudentillæ epiſtolam legere nequiviſſe. Igitur unum etiam poëtam Latinum attingam. [5] en verſus ipſos, quos agnoſcent [6] qui Lælium legêre.

Antipathes illud quærito:
[7] *Philtra omnia undique eruunt.*

Interpretatio.

falcibus, ſed figenda hamis. Denique, ille venenum vocat in magico incantamine, tu verò minutal: *ille* nominat *herbas & ramulos, tu ſquamas & oſſa: ille ſpoliat pratum, tu perſcrutaris undam. Recitâſſem etiam tibi ſimilia ex Theocrito, & alia ex Homero, & permulta ex Orpheo, reſumpſiſſem quoque plurima ex comœdiis, & tragœdiis Græcis, atque etiam ex hiſtoriis, niſi jam pridem obſervaviſſem te non potuiſſe legere epiſtolam Græcam Pudentillæ. Ergo delibabo adhuc aliquid ex uno poëtâ Latino. ecce ipſa ejus carmina, quæ illi recognoſcent qui legerunt Lælium:*

Inveſtiga illud antipathes:
Nam expromunt undique omnia amatoria.

Notæ.

1. *In maleficio ille venenum nominat.*] Hoc verſu Pharmaceutriæ,

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit Mœris. &c.

2. *Tu pulmentum.*] Id eſt, piſces ex quibus pulmenta fiunt. Horat. Sat. 1.

——— *Laudas, inſane, trilibrem*
Mullum, in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt.

3. *Tu fluctum ſcrutaris.*] Meliùs forſan *fretum* (quod eſt Colvio viſum) meliùs enim reſpondet voci *pratum*, cui opponitur, & magis propriè dicas *ſcrutari fretum*, quam *fluctum*.

4. *Theocriti paria.*] Ex ejus φαρμακεύτρια, quam pœnè ad verbum Maro tranſtulit.

5. *En verſus ipſos.*] Particulam *en* ſupplevi, auctore Pricæo.

6. *Qui Lælium legêre.*] Ignoratur quis ſit ille Lælius poëta, de quo alibi nulla mentio. Scaliger putat ſcribendum eſſe *Lævium*, cujus Feſtus hoc refert in *Redivia*: *ſcabra in legendo rediviſaque offendens.* Cui eò faciliùs aſſentior, quòd ἐρωτοπαίγνια ſcripſiſſe lego apud Gellium, lib. 2. cap. 24 ubi de Lege Liciniâ. *Hujus legis* (inquit) *Lævius poëta meminit in Erotopægniis, &c.*

Lex Licinia introducitur,
Lux liquida hœdo redditur.

Qui verſus etiam perſimiles ſunt iis, quos hic refert Apuleius, Iambici nempè dimetri. Unde & hos ex eâdem ἐρωτοπαιγνίων ſerie deſumptos libens crediderim.

7. *Philtra omnia undique eruunt.*] Mirum quàm varia ſuper his verſibus ſenſerint innumeri pœnè critici. Quæ mihi veriſimillima videtur ſententia, atque à doctioribus ſtabilita, eam proferam. Verſus illos ſic ordino, & ſcribo;

Antipathes illud quærito.
Philtra omnia undique eruunt.
Trochiſci, iynges tæniæ,
Alterplices, bicolores,
Radiculæ, herbæ, ſurculi, hinnientium dulcedines.

Salmaſius Notis ad Solinum emendat, & reponit primum verſum, ut fecimus.

[1] Trochiſci, jynges, [2] tæniæ
Alterplices, bicoloreæ,
Radiculæ, herbæ, ſurculi, [3] hinnientium dulcedines.

Hæc, & alia quæſiſſe me potiùs, quàm piſces, longè veriſimiliùs confinxiſſes, (his etenim fortaſſe per famam pervulgatam fides fuiſſet) ſi tibi ulla eruditio adfuiſſet. Enimverò piſcis ad quam rem faciat

Interpretatio.

Parvi trochi, motacillæ, licia
Duplicia, duplicis coloris,
Parvæ ſtirpes, herbæ ramuli,
Amores equarum *conquiruntur.*

Commentus fuiſſes multò probabiliùs me inveſtigâſſe hæc, & alia ejuſmodi *potiùs, quàm piſces (nam creditum fuiſſet forſan illis* rebus *propter famam quæ inolevit* de ipſis *) ſi habuiſſes aliquam cognitionem* litterarum. *Nam piſcis captus ad quid*

Notæ.

Et ſanè, ſi aliter legas, quo modo, aut quo ſenſu Antipathes philtris annumerabis? ſiquidem illud odium & averſionem creat, hæc amorem conciliant? Hoc antipathes Pricæus intelligit μῶλυ, alexipharmacum illud longè decantatiſſimum, quo Mercurius Ulyſſem muniit adverſus Circen. Verùm ego potiùs intellexerim de Antipathe lapide, cujus meminit Plin. lib. 37. cap. 10. his verbis: *Antipathes nigra non tranſlucet. Experimentum ejus ſi coquatur in lacte: facit enim hoc myrrhæ ſimile immiſſa. Eamque contra effaſcinationes auxiliari Magi volunt.* Hæc de Antipathe Plin. nec refert quòd apud Apuleium neutro genere, apud Plinium verò fœmineo efferatur. Nihil enim obſtat quominùs & τὸ ἀντιπαθές, & hæc antipathes gemma dicatur. Senſus igitur eſt, *Quare tibi lapidem illum Antipathen, qui contra effaſcinationes auxiliatur; nam ſcrutantur & eruunt undique omnia philtra (* veneficæ quæpiam mulieres *) quibus te faſcinent, &c.*

1. *Trochiſci jynges.*] Τροχὸς *rota, orbis*, & τροχίσκος *rotula*, ſeu *orbiculus* eſt. jynges verò ἴυγγες aves ſunt, *motacillæ* dictæ, quibus Scholiaſtes Theocriti, & alii ſcribunt vim ineſſe amatorii philtri, atque ideò omnia in amorem impellentia ἴυγγα dici Trochos autem ſeu orbiculos ſignatiſſimè jyngibus adjunxit. nam & ſimul poſitos reperias in uſu magico, ut probat ex Pindari Scholiaſte Caſaubonus: & ex Tzetze Pricæus.

2. *Tæniæ.*] Adde poſt hoc vocabulum verſiculum *alterplices bicoloreæ.* Tæniæ illæ ſunt licia, de quibus in Virgilianâ Pharmaceutriâ:

> *Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore*
> *Licia circundo.*

Hîc non terna, ſed duplicia licia, & duplici tantùm colore diverſa memorat Lævius: hoc enim ſunt *tæniæ alterplices bicoloreæ.* Feſtus *alterplicem* duplicem exponit. & *bicoloreæ* minùs frequens vocabulum, pro frequentiori *bicolores* ponitur. Varias hujus verſiculi mutationes, & interpolationes omitto brevitatis causâ. Poteſt etiam ferri vulgata lectio, paucioribus immutatis, nempè *aureæ illices bitortilæ*, ita ut intelligatur tænias illas eſſe ex auro, & bis tortas, & prætereà vim habere illiciendorum ad amorem animorum.

4. *Hinnientium dulcedines.*] Hippomanes quod in verſibus Virgilianis ſuperiùs ab Apuleio relatis dicitur:

> ——— *Naſcentis equi de fronte revulſus,*
> *Et matri præreptus amor.* ———

poſt hos verſiculos alium fuiſſe intellige, in quo eſſet verbum *quæruntur*, aut *colliguntur*, aut aliud ſimile, quod ad explendum ſenſum deſideratur.

captus,

captus, niſi ad epulas coctus? cæterùm ad Magiam nihil.[1] Quanquam videatur nihil adjutare, dicam unde id conjectem. Pythagoram plerique[2] Zoroaſtris ſectatorem, ſimiliterque Magiæ peritum arbitrati, eum memoriæ prodiderunt, cùm animadvertiſſet[3] proximè Metapontum, in littore Italiæ,[4] ſibi quam ſubſicivam[5] Græciam fecerat, à quibuſdam piſcatoribus everriculum trahi,[6] fortunam jactûs ejus emiſſe: &, pretio dato,[7] juſſiſſe illicò piſces eos, qui capti tenebantur, ſolvi retibus, & reddi profundo. quos ſcilicet eum de manibus miſſurum non fuiſſe, ſi quid in his utile ad Magiam comperiſſet. Sed enim vir egregiè doctus, & veterum æmulator, meminerat Homerum poëtam multiſcium, vel potiùs cunctarum rerum apprimè peritum,

INTERPRETATIO.

conducit, niſi ad epulas, cùm coctus eſt? porrò nihil conducit *ad Magiam. Dicam unde hoc conjiciam, licet nihil videatur conferre* ad cauſam meam. *Plerique putaverunt Pythagoram ſecutum fuiſſe doctrinam Zoroaſtris, & fuiſſe quoque gnarum Magicæ artis, & ſcriptum reliquerunt, eum, cùm vidiſſet quoſdam piſcatores trahentes ſaginam propè Metapontum in orâ Italiæ, quam ſibi reddiderat alteram Græciam, emiſſe ſortem illius jactûs: &, perſoluto pretio, imperâſſe ſtatim ut illi piſces, qui tenebantur capti, laxarentur ex retibus, & remitterentur in mare. quos nempè non veriſimile eſt eum dimiſſurum fuiſſe ex ſuis manibus, ſi cognoviſſet aliquid eſſe in illis conducibile ad Magicam artem. Verùm vir ſummæ doctrinæ, & imitator priſcorum, recordabatur Homerum poëtam, qui egregiè callebat multas res, vel potiùs omnes,*

NOTÆ.

1. *Quanquam videatur nihil adjutare, dicam unde id conjectem.*] Poteſt ferri hæc lectio, ita ut hæc verba: *quanquam videatur nihil adjutare*, parentheſi, aut duabus virgulis incluſa intelligantur. Senſum expreſſi in interpretatione. Acidalius tamen loco τῦ *quanquam*, reponit, paucis immutatis litteris, *quàm quur*: quæ mutatio ſenſum efficit ſatis planum, ſcilicet, *quam (Magiam) quare piſcis videatur, nullatenus adjuvare, dicam unde ego conjicio.*

2 *Zoroaſtris ſectatorem.*] Senſu, quo expoſui, neque enim ejus auditor eſſe potuit, utpote multis ſæculis ipſo junior.

3. *Proximè Metapontum.*] Oppidum eſt Italiæ in ſinu Tarentino, a Pyliis conditum, qui illuc Neſtore duce, à Trojâ navigaverunt, μεταπόντιον Ptolemæo.

4. *Sibi quam ſubſicivam, &c.*] Quia, ut refert Laërtius in ejus Vitâ, ex Ægypto rediens cùm Samum patriam ſuam à Polycrate tyranno occupatam offendiſſet, Crotonem Italiæ urbem petiit, leges Italis dedit, ibique ut plurimùm philoſophatus eſt unde & Italica dicta eſt ejus philoſophia, cùm Thaletis Ionica diceretur, ut habet idem Laërtius in proœmio.

5. *Græciam.*] *Græcia exotica* Plauto in Menæchmis, Italiæ illa pars dicta vulgò eſt *magna Græcia*, complectitur Calabriam, & illas pœnè omnes regiones, quas *regnum Neapolitanum* hodie dicimus.

6. *Fortunam jactûs ejus emiſſe.*] Hoc eſt: quoſcunque piſces illo retis jactu cepiſſent.

7. *Juſſiſſe illicò piſces, &c.*] Pietate in illos piſces, quos ex μετεμψυχώσεως ſuæ doctrinâ humanis noſtrorumque ſimilibus animis informatos credebat. Hiſtoriam hanc fuſiùs narrat Plutarchus, Sympoſ. lib. 8. quæſt. 8.

vim omnem medicaminum non mari ſed terræ adſcripſiſſe: [1] cùm de quadam ſagâ ad hunc modum memoravit:

> Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα.
> Ἐσθλά, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις
> Αἰγυπτίη. τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
> Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

[2] Itemque alibi carminum ſimiliter:

> Ὣς ἄρα φωνήσας, πόρε φάρμακον ἀργειφόντης
> Ἐκ γαίης ἐρύσας.

Cùm tamen nunquam apud eum marino aliquo, & piſciculento medicavit nec [3] Protheus faciem, [4] nec Ulyſſes ſcrobem, [5] nec Æolus follem, [6] nec Helena crateram, [7] nec Circe poculum, [8] nec Venus

INTERPRETATIO.

attribuiſſe totam virtutem pharmacorum non pelago, ſed telluri: quando ſcripſit de quadam veneficâ hoc modo:

> Filia Jovis habebat talia pharmaca præſentia
> Bona, quæ ipſi præbuit Polydamna uxor Thonis
> Ægyptia, cui alma tellus fert plurima
> Pharmaca, multa quidem bona mixta, multa verò perniciosa.

Item in alio loco ſuorum *poëmatum ſimiliter:*

> Ut verò eum vocavit interfector Argi (*Mercurius*) præbuit ei pharmacum,
> Quod extraxerat è terrâ.

Cùm tamen nunquam reperias in ejus ſcriptis, neque Protheum infeciſſe ſuum vultum aliquo medicamine marino aut piſculento, neque Ulyſſem foſſam, neque Æolum utrem, neque Helenam calicem, neque Circen potionem, neque Venerem

NOTÆ.

1. *Cùm de quadam ſagâ ad hunc modum memoravit.*] Lacunam ſequentem Caſaub. explevit verſibus deſumptis ex Ὀδυσσ. Δ. verſ. 227.

2. *Itemque alibi carminum ſimiliter.*] Explet hanc lacunam idem Caſaubonus verſibus ex Ὀδυσσ. K. v. 302. ſumptis. Tum hos, tum illos excudendos curavi, & in interpretatione expoſui. Lacunas has aliis verſibus ſupplet Fulvius. Primam duobus ſumptis ex Ιλιαδ. Λ. quorum initium

> Πρεσβυτάτην δὲ θύγατρ' ἔχε, &c.

Secundam verò decem petitis ex Ὀδυσσ. Δ.

> Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον, &c.

Reliquos vide apud Homerum.

3. *Nec Protheus faciem.*] Per *faciem* non tantùm *vultum* hîc intellige, ſed totius corporis ſpeciem & formam. Prothei varias formas vide Ὀδυσσ. Δ. verſu 455. & ſeqq. & apud Virgilium, Georgic. lib. 4.

4. *Nec Ulyſſes ſcrobem.*] Quam Ὀδυσσ. K. ex præſcripto Circes fodit cubitalem quaquaverſùm, in quâ ſacrificium faceret Plutoni, antequam ad Inferos deſcenderet Tireſiam conſulturus.

5. *Nec Æolus follem.*] In quo incluſos ventos omnes, præter Zephyrum, Ulyſſi tradidit eodem libro Ὀδυσσ. K. verſu 19.

6. *Nec Helena crateram.*] In quâ vinum pharmaco temperabat, cujus ea vis, ut omnium malorum oblivionem induceret, &, qui ex eo bibiſſet, lachrymas toto illo die non poſſet profundere, ne, ſi ei quidem mortui fuiſſent pater & mater. Vide Ὀδυσσ. Δ. verſ. 219. & ſeqq.

7. *Nec Circe poculum.*] Quo Ulyſſis ſocios in ſues mutavit Ὀδυσσ. K. verſu 230.

8. *Nec Venus cingulum.*] Κεστὸν ἱμάν-

cingulum. At vos ſoli reperti eſtis ex omni memoriâ, qui vim herbarum, & radicum, & ſurculorum, & lapillorum, quaſi quadam colluvione naturæ, de ſummis montibus in mare transferatis, & penitis piſcium ventribus inſuatis. Igitur ut ſolebat ad Magorum cærimonias advocari [1] Mercurius carminum vector, [2] & illex animi Venus, & Luna noctium conſcia, & Manium potens Trivia: vobis auctoribus, poſthac [3] Neptunus cum Salaciâ, & Portunus cum omni choro Nereidum, ab æſtibus fretorum ad æſtus amorum transferentur. Dixi cur non arbitrer quidquam negotii eſſe Magis & piſcibus. Nunc, ſi videtur, credamus Æmiliano, ſolere piſces etiam ad Magicas poteſtates adjuvare. num ergo propterea quicumque piſcem quærit, & ipſe Magus eſt? Eo quidem pacto, & qui [4] myoparones quæſierit, pirata

INTERPRETATIO.

ſuum *baltheum. Sed vos ſoli inventi eſtis ex omni ævo, qui tranſportetis, veluti quadam colluvie naturæ, virtutem herbarum, & ſtirpium, & ramuſculorum, & lapillorum, ex cacumine montium in mare, & inſuatis* eam *in intimis ventribus piſcium. Quemadmodum ergo Mercurius tranſlator animarum, & Venus conciliatrix animorum, & Luna teſtis eorum quæ noctu geruntur, & Hecate domina umbrarum, ſolebant invocari ad cærimonias magicas:* ſic, *ſi vobis credatur, Neptunus cum Salaciâ, & Portunus cum toto cœtu Nereidum tranſportabuntur ab agitationibus marium ad agitationes amorum. Expoſui quare non putem eſſe ullam rem Magis cum piſcibus. Jam, ſi vultis, credamus Æmiliano, piſces ſolere etiam conferre ad virtutes Magicas. an igitur quiſquis inveſtigat piſcem ideò ipſe Magus eſt? Hoc quidem modo & ille, qui quæſierit myoparones,*

NOTÆ.

τα, cujus miras virtutes Homerus refert Ἰλιάδ. Ξ. v. 213. & ſeqq. Apul. Met. 2. p. 45. *baltheum* vocat. *Licèt illa* (inquit) *cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni Gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, calva proceſſerit: placere non poterit nec Vulcano ſuo.* Ad quem locum vide quæ diximus.

1. *Mercurius carminum vector.*] Reponunt alii *animarum vector*, alii *Manium vector*, alii *animarum evocator.* Certè cum Laërtius in Pythagora animarum quæſtorem eſſe ait, τὸν δ' Ἑρμῆν ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν, atque ideò *ductorem* dici, & *terrenum.* Fortaſſe tamen nihil hîc mutandum. Mercurius carminum vector intelligi poteſt, quaſi qui carmina & incantationes Necromanticorum ad mortuorum Umbras deferat, quæ illis evocantur. Ipſe enim *ſuperûm eſt commeator & inferorum*, ut ait noſter, lib. Met. 11. pag. 373. ubi vide notas.

2. *Et illex animi Venus, & Luna n. c. & M. p. Trivia.*] Unum idemque Numen his nominibus intellige, Lunam nempè, quæ eſt *Deorum Dearumque facies uniformis*, ut ait Noſter, Metam. 11. ubi vide annotata.

3. *Neptunus cum Salaciâ & Portunus cum omni Choro Nereidum.*] Dii marini hi ſunt Metam. 4. *Adſunt Nerei filiæ chorum canentes, & Portunus cærulis barbis hiſpidus, & gravis piſcoſo ſinu Salacia &c.* vide quæ obſervavimus ad eum locum. Gloſſ. *Salacia.* Ἀμφιτρίτη. hæc eſt Neptuni uxor, nec aliud eſt quàm mare.

4. *Myoparones.*] Navigia ſunt piratica ſic dicta ex Scaligeri ſententiâ, quòd murium oblonga corpora referrent *μυῶνες.*

erit: & [1] qui vectem, perfoſſor: & qui gladium, ſicarius. Nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin id poſſit aliquid aliquà obeſſe: nec tam lætum, quin poſſit [2] ad triſtitudinem intelligi. Nec tamen idcircò omnia ad nequiorem ſuſpicionem trahuntur. ut ſi thus, & caſiam, & myrrham, cæteroſque id genus odores funeri tantùm emptos arbitteris; cùm & medicamento parentur, & ſacrificio. Cæterùm eodem piſcium argumento, etiam Menelai ſocios putabis Magos fuiſſe, [3] quos ait Poëta præcipuus, flexis hamulis apud Pharum inſulam famem propulsâſſe. etiam mergos, & delphinos, & [4] ſcyllas, tu eodem referes: etiam gulones omnes, qui impenſo piſces pretio à piſcatoribus mercantur: etiam ipſos piſcatores, qui omnium generum piſceis arte anquirunt. Cur ergo & tu quæris? Nolo equidem, nec neceſſarium habeo tibi dicere: ſed per te, ſi potes, ad hoc quæſiſſe me argue. ut ſi helleborum, vel cicutam, vel ſuccum papaveris emiſſem, item alia ejuſdem modi, quorum moderatus uſus ſalutaris, ſed commixtio vel quantitas noxia eſt: quis æquo animo pateretur, ſi me per hoc veneficii arceſſeres, quod ex illis poteſt homo occidi?

Interpretatio.

erit pirata: & qui quæſierit *vectem,* erit *perfoſſor* parietum*: & qui* quæſierit *enſem*, erit *homicida. Nihil nominabis ex univerſis rebus adeò innocuum, quod non poſſit aliquo pacto nocere. neque tam hilare, quod non poſſit accipi in triſtem partem. Neque tamen propterea cuncta detorquentur in deteriorem partem. velut ſi exiſtimes thus, & caſiam, & myrrham, aliaque ejuſmodi aromata, comparata eſſe duntaxat, ad funus, cùm* tamen *emantur etiam ad medicamen, & ad ſacrificium* faciendum. *Porrò credes quoque, eadem probatione piſcium comites Menelai fuiſſe Magos, ſiquidem primarius vates dicit eos arcuiſſe famem hamulis incurvis in inſulâ Pharo. Tu referes etiam ad eandem* Magiam *mergos, & delphinos, & ſcyllas: univerſos etiam helluones, qui emunt magno pretio piſces à piſcatoribus: ipſos quoque piſcatores, qui quærunt arte* ſuâ *piſces cujuſvis generis. Quare igitur*, inquis, *tu etiam quæris? Nolo quidem tibi dicere* cur quæſiverim, *neque* mihi *opus eſt: ſed oſtende tu ipſe, ſi potes, me quæſiviſſe ejuſdem rei gratiâ. Sicut ſi comparâſſem helleborum, aut cicutam, aut opium, aut alia ſimilia, quorum uſus moderatus eſt utilis ad valetudinem, ſed mixtura, aut multitudo nocet: quis patienter ferret, ſi accuſares me veneficii, propterea quòd homo poteſt neca-*

Notæ.

1. *Qui vectem, perfoſſor.*] Feſtus: *Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt, furandi gratiâ.*

2. *Ad triſtitudinem intelligi.*] P. Syrus: *Ad triſtem partem ſtrenua eſt ſuſpicio.*

3. *Quos ait p. p. fl. h. apud Pharum inſulam f. propulsâſſe.*] Homerus Oδυσσ. Δ. verſ. 355. & ſeqq. habebat prima editio *famem propulſatos eſſe*: rectè etiam. *Propulſo* & *propulſor* idem. Antiqui enim verba quamplurima ancipiti terminatione, eâdem ſignificatione protulerunt. Quorum verborum longam ſeriem vide apud Priſcianum, lib. 8.

4. *Scyllas.*] Quæ & ſquillæ dicuntur, piſces ſunt ex teſtaceorum genere. in hoc à cancris differunt, quòd caudam non habent. Horat lib. 2. Satyr. 8.

Aſſertur ſquillas inter Murana natantes.

Videamus tamen quæ fuerint piſcium genera, tam neceſſaria ad habendum, tamque rara ad reperiendum, ut meritò ſtatuto præmio quærerentur. Tria omninò nominaverunt: unum falſi, duo mentiti. Falſi, quòd [1] leporem marinum fuiſſe dixerunt, qui alius omninò piſcis fuit, quem mihi [2] Themiſon ſervus noſter, medicinæ non ignarus, ut ex ipſo audiſti, ultrò attulit ad inſpiciundum. nam quidem leporem nondum etiam invenit. Sed profiteor me quærere & cætera, non piſcatoribus modò, verùm etiam amicis negotio dato, quicunque minùs cogniti generis piſcis inciderit, ut ejus mihi aut formam commemorent, aut ipſum vivum: ſi id nequierint, vel mortuum oſtendant. Quamobrem id faciam, mox docebo. * *

Deſunt hic obſcœna.

Reſpondeo igitur ad hunc veſtrum locum, non minùs inſulsè quàm abſurdè commentum, me [3] haſce nugas marinas, & quiſquilias littorales neque pretio, neque gratis quæſiſſe. Illud etiam præterea reſpondeo, neſciiſſe vos quid à me quæſitum fingeretis. Hæc enim fri-

INTERPRETATIO.

vi illis? Diſpiciamus tamen, quænam fuerint genera piſcium, quæ tam neceſſarium erat *me habere, quæque adeo erant rara inventu, ut jure inveſtigarentur propoſitâ mercede. Nominaverunt tantùm tria:* & *decepti* ſunt *in uno, finxerant* autem *duo* alia. *Decepti, quia dixerunt piſcem fuiſſe leporem marinum, qui erat prorsùs alius, quem Themiſon meus ſervus non imperitus medicæ artis, attulit mihi ſponte, quemadmodùm accepiſti ab eo. ut illum conſiderarem. necdum enim reperit leporem. Sed palàm fateor me* cum *quærere, & alia genera, & commiſiſſe eam curam non ſolùm piſcatoribus, ſed etiam meis amicis, ut quicunque piſcis ſpeciei minùs notæ venerit in eorum manus, vel mihi deſcribant ejus figuram, vel mihi monſtrent eum vivum: ſi* verò *id non potuerint, mortuum. Modò aperiam quare id faciam.* *

* * * * * *

* * * * *

Reſpondeo ergo ad hoc argumentum veſtrum, excogitatum non minùs inſipidè quàm ineptè, me neque quæſiviſſe pecuniâ, neque gratis hæc nugamenta marina, & hæc purgamenta riparum. Inſuper reſpondeo etiam hoc, vos ignoraviſſe quid comminiſceremini fuiſſe à me quæſitum. Nam pleraque illa vana,

NOTÆ.

1. *Leporem marinum.*] Plin. lib. 32. cap. 1. *Non ſunt minùs mira, quæ de lepore marino traduntur. Venenum eſt aliis in potu, aut in cibo datus, aliis etiam viſus. Siquidem gravidæ ſi omninò aſpexerint fœminæ ex eo genere duntaxat, ſtatim nauſea, & redundatione ſtomachi vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio eſt mas, ob id induratus ſale, ut in brachialibus habeant.*

2. *Themiſon.*] Hoc nomen familiare fuit olim medicam artem profitentibus. Themiſonis medici meminit Cornel. Celſus, lib. 1., alterius etiam hoc nomine Juvenalis, Sat. 10.

Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.

3. *Haſce nugas marinas & quiſquilias littorales.*] Ita conchylia varia appellat, quæ vulgò in littore inveniuntur. Sic Meram 1. de piſcibus. *At has quiſquilias quanti paraſti?* Et continuò: *a quo iſtorum nugamenta hæc comparaſti?*

vola, quæ nominâſtis, pleraque in littoribus omnibus congeſtim & acervatim jacent, & ſine ullius operâ, quamlibet leviter motis flucticulis, ultrò foras evolvuntur. Quin ergo dicitis me eâdem operâ pretio impenſo per plurimos piſcatores quæſiſſe de littore, [1] conchulam ſtriatam, [2] teſtam hebetem, calculum teretem: præterea [3] cancrorum furcas, [4] echinorum calyculos, [5] loliginum ligulas: poſtremò [6] aſſulas, feſtucas, reſticulas, & [7] oſtrea Pergami vermiculata: denique muſcum, & algam, & cætera maris ejectamenta, quæ ubique littorum ventis expelluntur, ſalo expuuntur, tempeſtate reciprocantur, tranquillo deſeruntur. * * *
* * * * * * * *

INTERPRETATIO.

quæ nominaviſtis, jacent aggeſta, & accumulata in omnibus oris, & ejiciuntur abſque labore cujuſquam, ex mari quovis motu leviſſimo undularum. Quidni igitur dicitis ſimul me comparaſſe maximo pretio per piſcatores permultos, ex orâ maris *conchulam ſulcatam, teſtam inanimem, lapillum rotundum. præterea forcipes cancrorum, caliculos echinorum, lingulas loliginum: noviſſimè aſſulas, feſtucas, funiculos, & conchas oſtreorum variegatas: poſtremò muſcum, & algam, & cætera purgamenta pelagi, quæ ejiciuntur à ventis in omnes oras,* quæ *reſpuuntur à mari, jactantur tempeſtate,* & *relinquuntur* in littore: *per tranquillitatem* maris. * * *

* * * * *

* * * * *

NOTÆ.

1. *Conchulam ſtriatam.*] Quales ſunt muricum, & aliorum conchyliorum conchæ, quarum mira varietas à Plinio deſcribitur, lib. 9. cap. 33.

2. *Teſtam hebetem.*] Sic Rob. Titius repoſuit. Sed quid ſibi velit, non ita perſpicuum. Cod. Florent. habet *habentem*, ex quo Pricæus format *albentem*: quod ſanè ego malim. Ejuſmodi albicantes concharum teſtas quis non vidit?

3. *Cancrorum furcas.*] Plinius *denticulatos forcipes* vocat, lib. 9. cap. 31. *Cancris bina brachia denticulatis forcipibus.*

4. *Echinorum calyculos.*] Hoc eſt teſtas echinorum, quæ calicem optimè referunt.

5. *Loliginum ligulas.*] *Ligula* ſæpè pro *lingulâ*, eſtque diminutivum à *linguâ*. Nonnunquam nomen eſt à *ligando* formatum, ſignificatque *corrigiam*, aut aliud ligamentum. Plin. lib. 9. cap. 51. de loliginibus hæc habet: *Sepiæ & loligines linguis* (coëunt) *componentes inter ſe brachia, & in contrarium nantes: ore & pariunt.* Intellige ergo hîc linguas loliginum, aut, quod puto verius, oſſa eorum quædam linguæ oblongæ, aut ſcalpelli formâ, cùm alia quoque habeant inſtar calamorum, unde Italis dicitur loligo *peſce calamaio*, quia veluti theca calamaria, ſcalpellum habet & calamum.

6. *Aſſulas.*] Schidias, ſeu fragmenta lapidum plana, aut etiam fragmenta aſſerum & tabularum ex naufragiis, qualia multa in littus ejiciuntur, quemadmodum & feſtucæ, & funium fruſta.

7. *Oſtrea Pergami vermiculata.*] Locum hunc corruptum Brantius reſtituit, *oſtreorum terga vermiculata.* quod expone *diſtincta & variata maculis vermiculos repræſentantibus*: vel *carioſa, & veluti à vermibus perforata*, ut Pricæus, qui tamen mallet *lævigata*.

Næ tu, Claudi Maxime, nimis patiens vir es, & oppidò [1] proximâ humanitate, qui haſce eorum argumentationes diu herculè perpeſſus ſis. Equidem, cùm hæc ab illis quaſi gravia & invincibilia dicerentur, illorum ſtultitiam ridebam, tuam patientiam mirabar. Cæterùm, quamobrem plurimos jam piſces cognoverim, quorundam adhuc neſcius eſſe nolui, diſcat Æmilianus, quoniam uſque adeò rebus meis curat. quanquam eſt jam præcipiti ævo, & occiduâ ſenectute; tamen ſi videtur, ſuſcipiat doctrinam, ſeram planè, [2] & poſthumam. Legat veterum philoſophorum monumenta, tandem ut intelligat, non me primùm hæc requiſiſſe, ſed jampridem majores meos, Ariſtotelem dico, & Theophraſtum, [3] & Eudemum, & [4] Lyconem, cæteroſque Platonis minores: qui plurimos libros de genitu animalium, deque victu, deque particulis, deque omni differentiâ reliquerunt. Benè, quòd apud te, Maxime, cauſa agitur, qui pro tuâ eruditione legiſti profectò Ariſtotelis περὶ ζώων γενέσεως, περὶ ζώων ἀνατομῆς, περὶ ζώων ἱστορίας multijuga volumina: præterea problemata innumera ejuſdem: tum ex eâdem ſectâ cæterorum, in quibus id genus varia tractantur. Quæ tantâ curâ conquiſita, ſi honeſtum & glorioſum fuit illis ſcribere, cur

INTERPRETATIO.

Certè tu vires nimis patiens, & humanitatis valdè proclivis, ô Claudi Maxime, qui toleraveris diu profectò hæc eorum ratiocinia. Certè, dum illi hæc commemorarent tanquam res magni momenti, & quibus reſponderi non poſſet, videbam ſtoliditatem eorum, admirabar verò tuam patientiam. Cæterùm Æmilianus diſcat cur jam examinaverim quoſdam piſces, & noluerim adhuc ignorare quoſdam, ſiquidem adeò curioſus eſt eorum, quæ ad me ſpectant. quamvis eſt jam ætate declivi, & ſenectâ vergente ad occaſum, incipiat tamen ſtudia omninò tarda & poſthuma. Legat ſcripta *relicta ab antiquis philoſophis ut demùm ſciat non me primum, ſed majores meos, Ariſtotelem nempè, & Theophraſtum, & Eudemum, & Lyconem, reliquoſque Platonis* temporibus *inferiores jam dudum hæc fuiſſe ſcrutatos: qui reliquerunt permultos libros de generatione, alimentis, & partibus piſcium, & de omnibus eorum differentiis. Gaudeo, quòd agimus coràm te, ô Maxime, qui, utpote* valdè *doctus, legiſti proculdubio multos numero libros Ariſtotelis* de generatione animalium, de diſſectione animalium, de hiſtoriâ animalium. *Inſuper infinita problemata ejuſdem. Præterea, libros aliorum ejuſdem ſectæ, in quibus diverſa ejuſmodi explicantur. Quæ ſi laudabile fuit eis inveſtigare tantâ curâ, & ſcribere, quare vituperabile*

NOTÆ.

1. *Proximâ humanitate.*] Sincera lectio nullatenus ſollicitanda. *Proximum* eſt *obvium, evidens, proclive.* Ab eâdem mente *præſens auxilium*, & *præſentem Deum* dicimus.

2. *Et poſthumam.*] *Poſthumus* eſt filius mortuo jam & humato patre natus. hinc non minus elegànter, quàm facetè poſthumâm vocat doctrinam, quam ſuſciperet Æmilianus ætate adeò provectâ, ut ea jam ipſi poſt mortem advenîſſe videretur.

3. *Et Eudemum.*] De hoc nulla apud Laërtium mentio. Meminit quidem Plutarchus in vitâ Philopœmenis Eudemi oratoris Megalopolitani, qui præceptor fuit Philopœmenis.

4. *Lyconem.*] Peripat. De eo Laërt. l. 5

turpe ſit nobis experiri? præſertim cùm ordinatiùs & cohibitiùs eadem Græcè & Latinè adnitar conſcribere, & in omnibus aut omiſſa anquirere, aut defecta ſupplere? Permittite, ſi opera eſt, quædam legi [1] de Magicis meis; ut ſciat me Æmilianus, plura, quàm putat, quærere & ſeduló explorare. [2] Prome tu librum ex Græcis meis, [3] quos fortè hîc amici habuere, ſed utique Naturalium Quæſtionum: atque eum maximè, in quo plura de piſcium genere tractata ſunt. Intereà, dum hic quærit, ego exemplum rei competens dixero. Sophocles poëta [4] Euripidi æmulus [5] & ſuperſtes, [6] vixit enim ad extremam ſenectam: cùm igitur [7] accuſaretur à filio ſuomet dementiæ, [8] quaſi jam per ætatem deſiperet, protuliſſe dicitur [9] Coloneum ſuam, peregregiam tragœdiarum, quam fortè tum in eo tempore conſcribebat, eamque judicibus legiſſe, nec quidquam ampliùs pro defenſione ſuâ

INTERPRETATIO.

ſit nobis explorare, præcipuè, cùm coner ſcribere de iiſdem Græcè & Latinè, majori ordine & brevitate, & in omnibus vel perquirere quæ prætermiſſa ſunt, vel ſufficere quæ deſunt? Si vobis vacat, ſinite legi quædam ex meis Magicis ſcriptis; *ut Æmilianus diſcat me ſcrutari, & diligenter experiri plura, quàm arbitratur. Tu profer unum ex meis* libris *Græcis, quos amici* mei *habuerunt hic fortè forunâ, ſed certè Quæſtionum Naturalium: & præſertim illum, in quo differui multa de genere piſcium. Interim dùm hic quærit* locum libri, *ego narrabo exemplum conveniens* huic *rei. Sophocles poëta, qui decurrit idem ſtadium ac Euripides, quique ſupervixit ipſi, nam vixit uſque ad ultimum ſenium:* is *ergo cùm accuſaretur inſaniæ à ſuo proprio filio, perinde ac ſi jam delirarit ob ſenectutem, fertur promſiſſe ſuam Coloneum, præſtantiſſimam tragœdiarum* ſuarum, *quam fortè* fortunâ *componebat tunc temporis, & legiſſe eam* ſuis *judicibus, neque aliud prorsùs ultrà*

NOTÆ.

1. *De Magicis meis.*] Aut εἰρωνικῶς loquitur, aut legendum *Phyſicis.*

2. *Prome tu librum.*] Scribæ, aut alii cuipiam miniſtro hoc ait, penes quem depoſita erant inſtrumenta litis ab utraque parte.

3. *Quos fortè hîc amici habuere.*] Oſtendit non à ſe allatos, ſed ſumptos ab amicis, quos in eâ urbe habebat, & in quorum manus illi venerant. Fruſtrà ergo eſt Pricæus, qui hîc reponit *ſi quos fortè.*

4. *Euripidi æmulus.*] Non Euripidi ſolùm, ſed & Æſchylo, Chærilo, Ariſteæ, & aliis.

5. *Et ſuperſtes*] Annos ſex, ſi credatur Suidæ. Alii multi eodem anno mortuum narrant.

6. *Vixit enim ad extremam ſenectam.*] Ad annum propè centeſimum. Teſtes Lucianus, in Macrobiis, Valerius Maximus, & alii.

7. *Accuſaretur à filio ſuomet dementiæ.*] Ex lege Athenienſium, quâ licebat filiis patres ob legitimam cauſam παρανοίας *dementiæ* poſtulare. quod tamen cunctanter perque ambages faciendum erat, ad effugiendam tam odioſæ accuſationis invidiam. Vid. Plat. de Legib. lib. 11.

8. *Quaſi jam per ætatem deſiperet.*] Sic Græcus, qui Sophoclis vitam ſcripſit dicit eum accuſatum fuiſſe ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονῶν. Cicero, in Catone Majore, ubi hiſtoriam hanc totam refert, ait hoc factum, quia propter ſtudium, rem familiarem negligere videbatur. Sed & hoc vitium dementiæ nomine accuſabatur.

9. *Coloneum ſuam peregregiam tra-*

addidiſſe,

addidiſſe, niſi ut audacter dementiæ condemnarent, ſi [1] carmina ſenis diſplicerent. Ibi ego comperior, omnes judices tanto poëtæ [2] adſurrexiſſe, miris laudibus eum tuliſſe ob argumenti ſolertiam, [3] & cothurnum facundiæ: nec ità multùm omnes abfuiſſe, quin accuſatorem potiùs dementiæ condemnarent. Inveniſti tu librum? Beâſti. Cedò enim experiamur, an & mihi poſſint in judicio litteræ meæ prodeſſe. Lege pauca de principio, dein quædam de piſcibus. At tu, intereà dum legit, [4] aquam ſuſtine. LOCUS EX GRÆCO LIBRO APULEI NATURALIUM QUÆSTIONUM. Audiſti, Maxime, quorum pleraque ſcilicet legeras apud antiquos philoſophorum. & memento, de ſolis piſcibus hæc volumina à me conſcripta: qui eorum coïtu progignantur; qui ex limo coaleſcant; quoties, & quid anni cujuſque eorum generis [5] fœminæ ſubent, mares ſuriant; quibus membris & cauſis diſcreverit natura viviparos eorum & ovi-

INTERPRETATIO.

adjeciſſe pro ſuâ defenſione, niſi uti ſe confidenter damnarent inſaniæ, ſi verſus ſui *ſenis non placuiſſent. Ego accipio omnes judices tunc aſſurrexiſſe tanto vati*, & *proſecutos fuiſſe eum laudibus inſolitis, ob ſubtilitatem argumenti, & gravitatem elocutionis: & parùm abfuiſſe, quin damnarent potiùs inſaniæ* ipſum *accuſatorem. Tune* jam *reperiſti librum? Pergratum* mihi feciſti. *Da ergo, videamus utrum mea eruditio poſſit etiam mihi eſſe utilis in* hac *causâ. Lege pauca de initio, poſteà aliqua de piſcibus. Tu verò cohibe aquam interim dum legit:* LOCUS EX GRÆCO LIBRO APULEII NATURALIUM QUÆSTIONUM. *Audiviſti, ô Maxime,* quæ ſcripſi, *quorum nempè legeras maximam partem apud priſcos philoſophos. & adverte hos libros compoſitos eſſe à me de piſcibus tantùm:* & me examinare in iis *quinam ex piſcibus generentur congreſſu; quinam conflentur ex cœno; quoties in anno, & quo tempore mares & fœmellæ uniuſcujuſque ſpecies eorum rapiantur in Venerem; quibus partibus & rationibus natura poſuerit diſcrimen inter eos ex illis qui ſunt vivipari, & eos qui* ſunt

NOTÆ.

gœdiarum.] Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7. *Propè enim centeſimum annum attigit,* (Sophocles) *ſub ipſum tranſitum ad mortem Oedipode Coloneo ſcripto; quâ ſolâ fabulâ omnium ejuſdem ſtudii poetarum præripere gloriam potuit.*

1. *Carmina ſenis.*] Verſus à ſe in ſuâ ſenectute facti.

2. *Aſſurrexiſſe*] Honoris causâ, & in plauſum. Phædrus:

In plauſus conſurrectum eſt.

3. *Et cothurnum facundiæ.*] Malim, ut quidam, *cothurni facundiam*, hoc eſt, *eloquentiam tragœdiæ illius.* Scriptam tamen lectionem ſecutus in interpretatione expoſui *gravitatem eloquentiæ*: pro *cothurnum* qui ſeriis rebus agendis adhibetur, *gravitatem*, ſeu *majeſtatem* intelligens. ſed magis placet altera lectio.

4. *Aquam ſuſtine.*] Obtura clepſydram, ne interim labatur aqua, dum legitur liber, neve mihi aliquid pereat temporis ad defenſionem conceſſi.

5. *Fœminæ ſubent, mares ſuriant.*] Utrumque verbum tractum à *ſuibus*, ut καπρᾶν apud Græcos ἐκ τοῦ κάπρου. Supervacanea videtur Apuleii diligentia, qui iſta diſtinguat. promiſcuè enim & de maribus & de fœminis dicta invenias apud Feſtum.

paros. ita enim appello, quæ Græci ζωοτόκα καὶ ὠοτόκα. Et, [1] ne operoſè per omnes animalium genitus pergam, deinde de differentiâ & victu, & membris, & ætatibus cæteriſque plurimis, ſcitu quidem neceſſariis, ſed in judicio alienis, pauca etiam de Latinis ſcriptis meis, ad eandem peritiam pertinentibus, legi jubebo. in quibus animadvertes, cùm in eis cognitu rara, tùm nomina etiam Romanis inuſitata, & in hodiernum, quod ſciam, infecta: ea tamen nomina labore meo & ſtudio ita de Græcis provenire, ut tamen [2] Latinâ monetâ percuſſa ſint. Vel dicant nobis, Æmiliane, patroni tui, ubi legerint Latinè hæc pronuntiata vocabula. de ſolis aquatilibus dicam, nec cætera animalia, [3] niſi in communibus differentiis, attingam. Auſculta igitur quæ dicam. Jam me clamabis Magica nomina Ægyptio vel Babylonico ritu percenſere, [4] GRÆCA VOCABULA. Poſſum etiam pergere, ſed non eſt operæ in iſtis diem terere, ut ſit mihi tempus aggredi ad cætera.

INTERPRETATIO.

ovipari. Nam ſic voco animalia, *quæ Græci* vocant ζωοτόκα *&* ὠοτόκα. *Et, ut non laborioſè percurram omnes generationes animalium,* ac *poſteà* dicam *de diſcrimine* eorum, *& pabulo, & partibus, ætatibuſque, & permultis aliis, quæ neceſſe quidem eſt nôſſe, ſed quæ nihil faciunt ad* hanc *cauſam, præcipiam ut pauca etiam legantur ex meis libris Latinis ſpectantibus ad eandem diſciplinam. in quibus videbis, & quædam à paucis cognita in piſcibus, & prætereà nomina etiam nova Romanis, quæque non fuerant formata hactenùs, quantum ſcio:* videbis *tamen illa vocabula ſic derivari à Græcis, operâ & diligentiâ meâ, ut nihilominùs inſignita ſint Latino charactere. Aut tui advocati, ô Æmiliane, dicant nobis ubi legerint hæc nomina enunciata latinè. loquar de aquatilibus tantùm, neque tangam reliqua animalia, niſi in differentiis communibus. Audi ergo quæ dicam. Mox exclamabis me referre vocabula Magica more Ægyptiorum, aut Babyloniorum:* GRÆCA VOCABULA. *Poſſum etiam legere ulteriùs, ſed non eſt operæ* pretium *conſumere diem in iſtis, ne tempus mihi deſit pergendi ad reliqua.*

NOTÆ.

1. *Ne per omnes animalium genitus pergam.*] Certiſſimam Caſauboni emendationem ſecutus ſum. Legit æquè veriſimiliter Colvius *ne per omnia animalium genera.*

2. *Latinâ monetâ percuſſa ſint.*] Latinum characterem præ ſe ferant. Metaphora à re monetariâ.

3. *Niſi in communibus differentiis.*] Hæc eſt mens Apuleii. *Non attingam,* inquit, *alia animalia præter aquatilia: niſi quatenus, inter explicandum horum genera, incidet oratio in differentias ipſis communes cum reliquis.*

4. *Græca vocabula.*] Ea Elmenhorſtius ex membranis Florentinis edidit, ſed adeò monſtroſè corrupta, ut nihil certi clarique poſſit ex eis erui. Ea ſic habent *Cαλυκεcκ καλακειυ καλακο-CτPακα † οκα Pακακεα οCτϛακοΔερ-Nα χυρ † υPοαN τυCιNφιβια eNι duτυφολια ωτα depκοπτερα · πecu No nodu κο Nbph cyNA rελα eπκα* : ex quibus aliqua Pricæus emendavit, & explicuit. pro *Cαλυκεcκ* legit σπλάχνια, hoc eſt (inquit) *cartilaginea.* pro *καλακειυ*, μαλάκια, hoc eſt, *mollia.* pro *καλακοCτPακα*, μαλακόϛρακα, nempè *cruſtis tenuibus contecta.* pro *οCϛακοΔερNα*, ὀϛρακόδερμα, hoc eſt, *teſtis duris concluſa.* pro *ιNφιβια*, ἀμφίβια: hoc eſt, *in terrâ ſimul ac mari degentia.* pro *ϛολιδωτα*, φολιδωτά: hoc eſt, *ſquamoſa.* pro *depκοπτερα*, δερμόπτερα, *quibus cutis pro alis eſt.* Reliqua felicioribus ingeniis eruenda relinquit.

hæc interim, quæ dixi, pauca recita, Latinè à me enunciata.

VERSIO SUPERIORUM GRÆCORUM VOCABULORUM.

Urrum igitur putas philoſopho, non [1] ſecundum Cynicam temeritatem rudi & indocto, ſed qui ſe Platonicæ ſcholæ meminerit, utrum ei putas turpe, ſcire iſta, an neſcire? negligere, an curare? noſſe quanta ſit etiam in iſtis providentiæ ratio, an de Diis immortalibus [2] patri & matri credere? Q. Ennius [3] Ædeſphagitica, quæ verſibus ſcripſit, innumerabilia piſcium genera enumerat, quæ ſcilicet curioſè cognoverat. Paucos verſus memini. eos dicam:

[4] Omnibus at [5] Clypeæ præſtat [6] muſtela marina.

INTERPRETATIO.

Interim recita hæc pauca, quæ pronuntiavi converſa, à me Latinè.

VERSIO SUPERIORUM GRÆCORUM VOCABULORUM.

Utrum ergo arbitraris pudendum eſſe philoſopho non imperito, neque ignaro juxtà impudentem ſectam Cynicorum, ſed qui ſcit ſe eſſe ex ſectâ Platonicâ. Utrum, inquam, arbitraris pudendum eſſe ipſi noſſe iſta, an verò ignorare? contemnere hæc, *an curare? cognoſcere quantum ordo providentiæ etiam in iis eluceat, an verò credere patri & matri de Diis immortalibus? Q. Ennius in Hedyphagicis, quæ compoſuit carminibus, recenſet innumeras ſpecies piſcium, quas nimirùm obſervaverat ſtudioſè. Recordor aliquot* ejus *carminum, referam ea:*

Sèd muſtela marina, *quæ reperitur prope urbem* Clypeam, melior eſt *cæteris omnibus.*

NOTÆ.

1. *Secundùm Cynicam temeritatem.*] Cynicis enim impudentia & mordacitas pro doctrinâ erat, & dicenti cuidam, οὐδὲν εἰδὼς φιλοσοφεῖς, *philoſopharis, cùm nihil ſcias,* Diogenes reſpondit, εἰ καὶ προσποιοῦμαι σοφίαν, καὶ τοῦτο φιλοσοφεῖν ἐστί. *Etſi philoſophiam ſimulo, hoc ipſum philoſophari eſt.* ut refert Laërt. in ejus Vitâ.

2. *Patri & matri credere.*] Proverbialis locutio: pro, *non curioſè inveſtigare.*

3. *Ædeſphagitica.*] Perierunt illi Ennii verſus, ut & multi alii itaque nec eorum quidem inſcriptio, quæ hic procul dubio corruptiſſima exhibetur, certò reſtitui poteſt. Caſaub. reponebat Ἐδεστὰ ἢ ὀψητικά. Pricæus meliùs meo judicio Ἡδυφαγικὰ, aut certè Ἰχθυοφαγικὰ, *de ſuavibus*, aut *de piſculentis edulijs* MSS. veſtigiis innitens, quæ habent *Hedyſphagetica*, & *Ædeſphagetica.*

4. *Omnibus ut clypea &c.*] Verſus hos corruptos ſic repone, & lege ex Turnebi & Caſauboni emendatione.

Omnibus at Clypeæ præſtat muſtela marina.
Mures ſunt Æni, aſt aſpra oſtrea plurima Abydi.
Mitylenæ eſt pecten, caproſque apud Ambracienſes.
Brunduſii ſargus bonus eſt. hunc, magnus erit ſi,
Sume. apriclum piſcem ſcito primum eſſe Tarenti.
Surrenti phagem, glaucum Cumas apud. At quid?
Scarum præterii, cerebrum Jovi pœnè ſupremi!
Neſtoris ad patriam hic capitur magnuque bonuſque.
Melanurum, turdum, merulamque, umbramque marinam.
Polypu' Corcyræ, calvaria pinguis Atarnæ.
Purpura, muriculi, murex, dulces quoque echini.

5. *Clypeæ.*] *Clypea*, ſeu *Clupea* urbs eſt veterum Carthaginenſium, quam Plinius ponit in Promontorio Mercurii, atque in eâ emori ſcorpiones. eam

[1] *Mures ſunt Æni. aſt aſpra oſtrea plurima Abydi.*
[2] *Mitylenæ eſt pecten, caproſque apud Ambracienſes.*
[3] *Brunduſii ſargus bonus eſt. hunc, magnus erit ſi,*
Sume. [4] *apriclum piſcem ſcito primum eſſe Tarenti,*
[5] *Surrenti phagem, glaucum Cumas apud.* [6] *At quid*

INTERPRETATIO.

Reperiuntur Mures Æni. ſed & multa oſtrea ſcabra prope Abydum.
Eſt pecten apud Mitylenen, & Caper *piſcis* apud Ambracienſes.
Sargus bonus invenitur Brunduſii, cape eum, ſi ſit magnus.
Scias optimum apriculum piſcem reperiri Tarenti.
Phagen ſurrenti, glaucum *verò* apud Cumas. Sed quid *hoc eſt?*

NOTÆ.

Græci Geographi ἀσπίδα vocant. à Siculis exſtructam fuiſſe refert Solinus, in Polyhiſtore, cap. 30.

6. *Muſtela marina.*] Γαλεός. Hanc Paulus Jovius, in *de piſcibus Rom.* putat eſſe, quam nos à lambendis petris *lampetram* dicimus. Omnia hæc nomina, in his contenta verſibus, piſcium ſunt, & locorum, in quibus ſinguli inveniuntur.

1. *Mures ſunt Æni; aſt aſpra oſtrea plurima Abydi.*] Expreſſit hunc Archeſtrati verſum:

Τοὺς μύας Αἶνος ἔχει μεγάλους,
ὄστρεια δ' Ἄβυδος.

Ænus Αἶνος oppidum eſt Thraciæ, non longè ab oſtio Hebri, & portu Stentoris, Plinio. Olim dictum fuit Πολτυοβρία, teſte Strab. lib. 7. *Abydus* verò oppidum eſt ad Helleſpontum, Seſto oppoſitum. Utrumque Leandri & Erûs amoribus clarum.

2. *Mitylenæ eſt pecten, caproſque apud Ambracienſes.*] Sic ſtatuit Caſaubonus, ita ut Capros nominativus ſit Græcus καπρὸς pro *Caper* metri causâ. Lectio hæc optimè quadrat cum his Archeſtrati:

——— Τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη·
Πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει κάπρους
τε μετ' αὐτῶν.

id eſt, *Mitylene habet pectines: plurimos item Ambracia, cumque eis etiam capros.* Pectines Polyporum genus. *Saliunt pectines* (inquit Plinius lib. 9. cap. 33.) *& extrà volitant, ſeque & ipſi carinant.* Idem lib. 32. cap. ult. *Polyporum genera pectines maximi, & nigerrimi æſtate, laudatiſſimi Mitylenis, Tyndaride, Salonis, Altini, Antii, in inſulâ Alexandriæ in Ægypto. Mitylene* urbs eſt in Leſbo inſulâ, hodie *Metelin* ſicut & ipſa inſula, cui nomen urbs ſuum dedit. *Ambracia* Epiri urbs ad Ambracium ſinum pectinibus & capris abundantem. Plinius tamen capros præcipuè in Acheloo amne (qui haud multùm ab Ambraciâ diſtat) reperiri innuit lib. 11. cap. 51. *Et is, qui caper vocatur* (inquit) *in Acheloo amne grunnitum habet.*

3. *Brunduſii ſargus bonus eſt.*] *Brunduſium* Βρεντέσιον urbs eſt Calabriæ ad mare Adriaticum ſita. Sargi piſcis meminit Plin. lib. 9 cap. 17.

4. *Apriclum piſcem ſcito primum eſſe Tarenti.*] Apriculus κάπρισκος Oppiano, piſcis acutiſſimis ac validiſſimis dentibus. *Tarentum* Calabriæ oppidum ad ſinum cognominem, hodie *Tarento.*

5. *Surrenti phagem, glaucum Cumas apud.*] De Glauco piſce narrat ex Ovidio Plin. lib. 32. cap. ult. eum æſtate nunquam apparere. *Surrentum* oppidum eſt in Picentino agro juxtà Minervæ promontorium. *Cumæ* verò in Lucanis urbs ab Euboïcis Chalcidienſibus condita. Phagem ponit Gentilis auctoritate Conſtantini *de Re Ruſt.* lib. 20. cap. 7. ubi piſcium genera enumerans ſcribit: *Phages, ſcarus, Glaucus*, quos tres piſces etiam hic ſimul poſuiſſe Apuleium veriſimile eſt. *Phages* porrò piſcis eſt *phager* dictus Plinio.

6. *At quid? ſcarum præterii.*] Scarus piſcis nobilis, ab Horatio, Martiale,

Scarum præterii, [1] *cerebrum Jovis pœnè ſupremi!*
[2] *Neſtoris ad patriam hic capitur magnuſque bonuſque.*
[3] *Melanurum, turdum, merulamque, umbramque marinam.*
[4] *Polypus Corcyræ,* [5] *calvaria pinguis Atarnæ.*
[6] *Purpura, muriculi, murex,* [7] *dulces quoque echini.*

[8] Alios etiam multis verſibus decoravit, &, ubi gentium quiſque eorum

INTERPRETATIO.

Omiſi ſcarum, qui eſt ferè cerebrum ſummi Jovis!
Hic capitur magnus & bonus propè patriam Neſtoris.
Omiſi melanurum, turdum, & merulam, atque Umbram marinam.
Polypus invenitur apud Corcyram; pinquis calvaria apud Atarnam.
Item Purpura, muriculi, murex, atque etiam dulces echini.
Celebravit etiam carminibus plurimos alios, & docuit quibus in regionibus

NOTÆ.

Juvenale, Plinio, aliiſque celebratus, cui Plinius ſuo tempore datum eſſe principatum ſcribit lib. 9. cap. 17.

1. *Cerebrum Jovis pœnè ſupremi.*] Proverbialiter dictum de optimis ſuaviſſimiſque cibis Διος ἐγκέφαλος, quod proverbium à Perſis fluxit ejuſmodi res *cerebrum Jovis*, aut etiam *cerebrum regis* vocantibus. Sic enim Suidas: Διὸς ἐγκέφαλος. οὕτω λέγουσιν οἱ Πέρσαι ἐπὶ τῶν ἡδυπαθούντων, ἢ βασιλέως ἐγκέφαλος.

2. *Neſtoris ad patriam hic capitur.*] Ad Pylum Meſſeniorum urbem patriam Neſtoris illius grandævi ab Homero adeò celebrati. Petronius ſcaros mari Siculo præcipuè attribuit.

Siculo ſcarus æquore merſus.

3. *Melanurum, turdum, &c.*] Hæc omnia nomina piſcium in accuſativo regit verbum *præterii*. *Umbra marina* piſcis eſt à colore nominatus, teſte M. Varrone, quòd ſit coloris furvi & umbroſi. De hoc Auſonius, quem edemus propediem, in Edyllio Moſellæ:

Effugienſque oculos celeri levis Umbra natatu.

4. *Polypus Corcyræ.*] Præterea circa Thaſum inſulam, & propè Cariam reperiri ait Archeſtratus jam laudatus.

Πώλυποι ἔντε θάσῳ καὶ Καρίᾳ εἰσὶν ἄριστοι
Καὶ Κέρκυρα τρέφει πολλούς.

Corcyra inſula, hodie *Corfou*, in Ionio mari.

5. *Calvaria pinguis Atarnæ.*] *Calvaria* piſcis eſt, à rotunditate & duritie ſuâ ſic dictus. Plinius *orbem* vocat lib. 32. cap. 2. *duriſſimum eſſe piſcium conſtat, qui orbis vocetur: rotundus eſt, & ſine ſquamis, totuſque capite conſtat.* *Atarna* hîc urbs eſt, non piſcis, ut quidam ſomniaverunt. Ejus meminit Stephanus, eamque ponit Myſiam inter & Lydiam, propè Leſbum inſulam. Ἀταρνα, inquit, πόλις μεταξὺ Μυσίας καὶ Λυδίας πλησίον Λέσβου.

6. *Purpura. Muriculi. Murex.*] Hæc Conchylia ſunt parùm inter ſe diſcrepantia.

7. *Dulces quoque echini.*] Unde etiam Gallis, qui oram Maſſilienſem incolunt, *Ouſſins* dicuntur. Piſces illi teſtas habent ovalis ferè figuræ in inferiori parte planas, in ſuperiori gibboſas, aculeiſque brevioribus aſperas, quæ eſt eorum, cum terreſtribus echinis, ſeu herinaciis, ſimilitudo. Ab illis dicti ſunt in architecturâ echini illi, qui in Capitulis Ionici generis inſculpti videntur, & ſæpè etiam in coronicibus, quos Italico vocabulo (*oves*) dicimus. Poſt hunc verſum: *Purpura, muriculi, &c.* erant alii, in quibus (ut arbitror) locus deſignabatur, ubi reperirentur hi piſces, quemadmodum in aliis factum obſervavimus.

8. *Alios etiam multos verſibus decoravit.*] Eorum verſuum nihil ad nos pervenit, præter ſuperiores ab Apuleio relatos, eoſque, mirum quàm corruptos.

inveniatur, oſtendit: qualiter aſſus aut juſſulentus optimè ſapiat. nec tamen ab eruditis reprehenditur. Nec ego reprehendar, qui res pauciſſimis cognitas Græcè, Latinè propriis & elegantibus vocabulis conſcribo. Cùm hoc ſatis dixi, tum aliud accipe. Quid enim tandem, ſi medicinæ neque inſtudioſus, neque imperitus, quæpiam remedia ex piſcibus quæro, ut ſanè ſunt plurima, cùm in aliis omnibus rebus eodem naturæ munere interſperſa atque interſeminata, tum etiam nonnulla in piſcibus; an remedia nôſſe, & ea conquirere, Magi potiùs eſſe quàm medici, quàm denique philoſophi putas? qui illis non ad quæſtum ſed ad ſuppetias uſurus eſt. Veteres quidem medici etiam [1] carmina remedia vulnerum nôrant, ut omnis vetuſtatis certiſſimus auctor Homerus docet: [2] qui facit Ulyxi de vulnere ſanguinem profluentem ſiſti cantamine. [3] Nihil enim, quod ſalutis ferendæ gratiâ fit, criminoſum eſt. At enim, inquit, piſcem cui rei niſi malæ proſcidiſti, quem tibi Themiſon ſervus attulit? Quaſi verò non paulò priùs di-

INTERPRETATIO.

unuſquiſque eorum reperiatur: quomodo habeat optimum ſaporem, aſſatuſ-ne, an verò jure conditus. neque tamen redarguitur à doctis. Ego igitur *non ſum* quoque *redarguendus, qui explico Latinè nominibus congruis & elegantibus res, quæ Græcè* ſcriptæ *notæ erant perpaucis* hominibus. *Sed ſatis innixus ſum his* rationibus, *audi jam alias. Nam quid denium* dicant *ſi ego neque negligens, neque ignarius medicinæ, quæro aliqua medicamina ex piſcibus, ut certè permulta ſunt immixta & inſperſa, eadem largitate naturæ tum in cæteris omnibus rebus, tum etiam aliqua in piſcibus; crediſ-ne pertinere ad Magum potiùs quàm ad medicum, aut etiam ad philoſophum cognoſcere medicamina, & ea inveſtigare? qui* philoſophus *non uſurus eſt eis ad lucrum ſibi* parandum, *ſed ad auxilium* ferendum ægris? *Priſci quidem medici cognoſcebant etiam incantationes, quibus vulnera ſanabantur, quemadmodum Homerus auctor conſtantiſſimus totius antiquitatis tradit: apud quem ſanguis emanans Ulyſſi ex plagâ cohibetur incantatione. Nam nihil* eorum, *quæ fiunt ad opem ſalutarem ferendam, crimen habet. Sed (inquit) ad quam rem niſi malam ſecuiſti piſcem, quem famulus* tuus *Themiſon attulit ad te? Quaſi verò non*

NOTÆ.

1. *Carmina remedia vulnerum norant*] Virgil. Æneid. lib. 7.

neque eum juvêre in vulnere cantus.

Marcellus, de Medicamentis:

Gramine ſeu malis ægro præſtare medelam,
Carmine ſeu potiùs; namque eſt res certa ſaluti
Carmen ab occultis tribuens miracula verbis.

2. *Qui facit Ulyxi, &c.*] Οδυσσ. Τ. verſ. 456. & ſeq.

Ὠτειλὼ δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
Δῆσαν ἐπισταμένως. ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον· αἶψα δ' ἵκοντο φίλου πρὸς δώματα πατρός.

Vulnus autem Ulyſſis optimi divini
Ligaverunt ſcienter. incantatione autem ſanguinem nigrum
Tenuerunt. ſtatim autem iverunt dilecti ad ædes patris.

3. *Nihil enim quod ſ. f. gr. fit, criminoſum eſt.*] Immò verò multa, & hæ præſertim excantationes, graviſſimis ſanè ſuppliciis coërcendæ. Leo Imperator eas prohibuit Conſtitutione ſuâ 65, περὶ τῆς κολάσεως τῶν μαγγανείᾳ χρωμένων.

xerim, me de particulis omnium animalium; de ſitu earum, deque numero, deque cauſâ conſcribere, ac libros ἀνατομῶν [1] Ariſtoteli, & explorare ſtudio, & augere. Atque adeò miror, quòd unum à me piſciculum inſpectum ſciatis, cùm jam plurimos, qui ubicumque locorum oblati ſunt, æquè inſpexerim. præſertim quòd ego nihil clanculò, ſed omnia in propatulo ago; ut quivis vel extrarius arbiter aſſiſtat: more hoc & inſtituto magiſtrorum meorum, qui aiunt hominem liberum & magnificum debere, ſi queat, in primori fronte animum geſtare. Hunc adeò piſciculum, quem vos leporem marinum nominatis, plurimis, qui aderant, oſtendi. necdum etiam decerno quid vocem, niſi quæram ſanè accuratiùs; quod nec apud veteres philoſophos [2] proprietatem ejus piſcis reperio, quanquam ſit omnium rariſſima, & herculè memoranda. Quippe ſolus ille, quantum ſciam, cùm ſit cætera exoſſis, duodecim numero oſſa, ad ſimilitudinem talorum ſuillorum, in ventre ejus connexa & catenata ſunt. Quod Ariſtoteles ſi ſciſſet, nunquam profectò omiſiſſet ſcripto prodere: [3] qui aſelli piſcis ſolius omnium in mediâ alvo corculum ſitum pro maximo memoravit. Piſcem, inquit, proſcidiſti. Hoc quis ferat philoſo-

INTERPRETATIO.

dixerim paulò antè, me ſcribere de partibus omnium animalium, & de poſiturâ, numero, & causâ earum, meque experiri & augere meo labore libros Ariſtotelis diſſectionum. *Sed certè miror quòd noveritis* tantùm *me conſideràſſe unum piſcem, cùm jam conſideraverim ſimiliter permultos, qui* mihi *oblati fuerunt variis in locis. cùm præcipuè nihil faciam in occulto, ſed omnia in aperto;* ita *ut quicumque voluerit, etiam extraneus, adſit teſtis: ſecundùm hunc morem & hanc conſuetudinem meorum magiſtrorum, qui dicunt hominem ingenuum & liberalem debere ferre animum ſuum in primâ fronte, ſi poſſit. Cæterùm monſtravi multis, qui præſentes erant, hunc piſciculum, quem vos appellatis leporem marinum, neque adhuc ſtatuo quomodo eum appellem, niſi certè exquiram diligentiùs; quia non invenio apud antiquos philoſophos proprietatem illius piſcis, quamvis ſit rariſſima omnium, & ſanè digna relatu. Ille enim ſolus piſcis, quòd ſciam, habet duodecim oſſa in alvo, inſtar aſtragalorum porcinorum* inter ſe *colligata, & concatenata. Quod ſi Ariſtoteles cognoviſſet, nunquam certè oblitus eſſet mandare ſcriptis: ſiquidem ipſe retulit, tanquam* aliquid *rariſſimum* & inſigne, *parvum cor poſitum in medio ventre aſelli ſolius ex omnibus piſcibus,* qui hoc habeat. *Secuiſti piſcem, ait. Quis patiatur hoc crimi-*

NOTÆ.

1. *Ariſtoteli.*] Genitivus eſt per craſim pro *Ariſtotelei* à nominativo *Ariſtoteleus.*

2. *Proprietatem ejus piſcis.*] Non *leporis marini*, ut ſibi malè perſuaſit Bellonius, ſed illius quem ſecuerat, nec ſciebat quo nomine inſigniret, cùm proprietatem ejus valdè inſignem nuſquam apud auctores reperiret.

3. *Qui aſelli piſcis ſolius, &c.*] Hoc de aſello majore, qui Græcis ὄνος dicitur, legiſſe ſe ait Caſaub. non apud Ariſtotelem, ſed apud Athenæum & Ælianum, ſæpiùs. Hic piſcis eſt quem Germani *Stockfiſch* vocant.

pho crimen eſſe, quod lanio vel coco non fuiſſet? Piſcem proſcidiſti; quid? crudum? id accuſas? [1] ſi cocto ventrem ruſparer, hepatia ſuffoderem, ita ut apud te puerulus ille Sicinius Pudens [2] ſuomet obſonio diſcit, eam rem non putares accuſandam? Atqui [3] majus crimen eſt Philoſopho comeſſe piſceis, quam inſpicere. An hariolis licet [4] jocinera rimari, philoſopho contemplari non licebit? qui ſe ſciat omnium animalium aruſpicem, omnium Deûm ſacerdotem? Hoc in me accuſas, quod ego & Maximus in Ariſtotele miramur? cujus niſi libros bibliothecis exegeris, & ſtudioſorum manibus extorſeris, accuſare me non potes. Sed de hoc pænè plura quam debui. Nunc præterea vide, quam ipſi ſeſe revincant. Aiunt, mulierem magicis artibus, marinis illecebris à me petitam eo in tempore, quo me non negabunt [5] in Gætuliæ mediterraneis montibus fuiſſe: ubi piſces [6] per Deuca-

INTERPRETATIO.

ni dari philoſopho, quod non datum *fuiſſet lanioni, aut coquo? Diſſecuiſti piſcem, quid? crudum?* & *arguis hoc? ſi ſcrutarer alvum* piſci *coctо, ſi ei eruerem viſcera, quemadmodum ille adoleſcentulus Sicinius Pudens docetur apud te ſuo ipſius ſumptu, non exiſtimares id eſſe arguendum? Sed majus eſt crimen philoſopho edere piſces, quàm* eos *conſiderare. An fas eſt haruſpicibus ſcrutari viſcera, ea verò inſpicere nefas erit philoſopho, qui novit ſe* eſſe *aruſpicem omnium animalium,* & *ſacerdotem omnium Deorum? Tu hoc reprehendis in me, quod ego, & Maximus admiramur in Ariſtotele? cujus niſi expuleris libros ex bibliothecis, & eripueris ex manibus ſtudioſorum, non potes me accuſare. Verùm jam* dixi *de hac re plura ferè quàm opus erat. Nunc conſidera præterea quantùm ipſi ſibi contradicant. Dicunt me aggreſſum fuiſſe mulierem magicis incantaminibus ope illecebrarum ex mari petitarum illo tempore, quo non inficiabuntur me fuiſſe in montibus Gætuliæ, qui ſiti ſunt in mediis terris: ubi invenias*

NOTÆ.

1. *Si coctо ventrem ruſparer.*] Vocabulum vetus *ruſpari.* Gloſſæ Iſidori: *Ruſpantur, perquirunt. anxiè.* Porrò *ventrem piſcis ruſpari, & hepatia eruere* liguritoris eſt. piſcium enim delicatiſſima pars venter eſt.

2. *Suomet obſonio.*] Hoc eſt, in piſcibus ſuo ipſius ære emptis.

3. *Majus crimen eſt philoſopho comeſſe piſces.*] Erant enim piſces delicatiorum & luxurioſarum cœnarum fercula. Horat.

benè erat, non piſcibus urbe petitis,
Sed pullo atque hœdo, &c.

4. *Jocinera rimari.*] Petron. *Recluſo pectore extraxit fortiſſimum jecur, atque inde mihi futura prædixit.* De hariolis, omnique illâ *extiſpicinâ*, plura vide apud Antiquit. Roman. ſcriptores. & Plin. lib. 9. cap. 37.

5. *In Gætuliæ mediterraneis montibus.*] Qui montis Atlantis ſuffragines ſunt. Gætulia Libyæ regio eſt ad Nigrum fluvium. maritimæ ejus rupes ac ſcopuli muricibus & purpuris abundant.

6. *Per Deucalionis diluvia.*] Cùm ſcilicet

Obruerat tumulos immenſa licentia ponti:
Pulſabantque novi montana cacumina fluctus. Ovid. Met. lib. 1.

Non tamen Deucalionei diluvii temporibus, illud enim peculiare fuit Græciæ, nedum ad Gætuliæ montes pervenerit: ſed per diluvium Noë, quo univerſæ terræ facies aquis fuit operta. Verùm iſta diluvia non diſtinguit fabuloſa antiquitas, & quod univerſali Noë diluvio contigit, Deucalioneo, ut ſibi notiori, tribuit.

lionis

lionis diluvia reperiantur. Quod ego gratulor neſcire iſtos, legiſſe me Theophraſti quoque [1] περὶ δακετῶν καὶ βλητικῶν & [2] Nicandri θηριακά. Cæterùm me etiam veneficii poſtularent: ut qui hoc negotium ex lectione & æmulatione Ariſtoteli nactus ſim, nonnihil & Platone me adhortante, qui ait, eum, qui iſta veſtiget, [3] φρονεῖν ἀθάνατα καὶ θεῖα ἄνπερ ἀληθείας ἐφάπτηται. Nunc quoniam piſces horum ſatis patuerunt; accipe aliud, pari quidem ſtultitiâ, ſed multo tanto vaniùs & nequiùs excogitatum. Scierunt & ipſi argumentum piſcarium futile & nihili futurum: præterea novitatem ejus ridiculam. Quis enim fando audivit, ad maleficia Magica deſquammari & exdorſuari piſceis ſolere? Potiùs aliquid de rebus pervulgatioribus & jam creditis fingendum eſſet. Igitur ad præſcriptum opinionis & famæ, confinxere puerum quempiam carmine cantatum, remotis arbitris, ſecreto loco, arulâ & lucernâ, & paucis conſciis teſtibus ubi incantatus ſit, corruiſſe: poſtea neſcientem ſui excitatum. Nec ultrà iſti quidem progredi mendacio auſi. Etenim fabula ut impleretur addendum etiam illud fuit, puerum eumdem multa præſagio prædixiſſe. quippe hoc emolumentum canticis accipimus, Præſagium, & Divinationem. Nec modò vulgi opinione, verum etiam doctorum virorum auctoritate, hoc miraculum de pueris

INTERPRETATIO.

piſces, ſed *tempore diluvii Deucalionis. Ego ſanè gaudeo quòd illi ignorent, me etiam legiſſe* libros *Theophraſti* de iis, quæ morſui & vulneri patent, *& Nicandri* theriaca. *Aliàs accuſarent etiam me veneficii: utpote cum in hoc ſtudium imbuerim ex lectione & imitatione Ariſtotelis, ex aliquâ etiam exhortatione Platónis, qui dicit eum, qui quærat iſta,* cognoſcere res immortales & divinas, ſi veritatem aſſequatur. *Jam quia piſces eorum refutati ſunt ſatis evidenter; audi aliud commentum ſimili quidem ſtoliditate, ſed longè inanius & improbius. Ipſi etiam viderunt probationem* ductam *à piſcibus futuram frivolam & nullius momenti: & inſuper ridiculam propter ſuam inſolentiam. Nam quis audivit dici ſquammas & oſſa ſolere eximi piſcibus ad Magicas incantationes? Excogitandum eſſet potiùs aliquid de rebus magis communibus, & quæ jam creduntur* valere ad ejuſmodi incantationes. *Ergo commenti ſunt convenienter ad opinionem & famam* de his rebus pervulgatam, *quendam puerum* a me *incantatum carminibus, ſemotis teſtibus, in loco ſolitario, ad parvam aram, & lampadem, & paucis conſciis; & collapſum eſſe eum poſtquam incantatus fuerat: deinde experge factum fuiſſe, ignarum* eorum quæ *ſibi* contigiſſent. *Neque ipſi auſi ſunt proferre mendacium ulteriùs, ſed, ut perficeretur fabula, oportuit etiam illud adjicere eundem puerum vaticinatum eſſe multa. dicimus enim hunc eſſe fructum carminum, Prædictionem, & vaticinationem. Neque tantum exiſtimatione plebis comprobatur miraculum illud de pueris, verùm etiam teſtimonio eruditorum virorum*

NOTÆ.

1. Περὶ *] Hunc hiatum ſupplet Caſaub. hoc modo: περὶ δακετῶν καὶ βλητικῶν, quæ verba expreſſi in interpretatione. Schottus verò ſic: περὶ ζώων ἐν ξηρῷ διαμενόντων; hoc eſt, *de animalibus in ſicco morantibus.* Utraque inſcriptio apud Laërtium eſt, in Theophraſti Vitâ, & multæ item aliæ, quarum nonnullæ non minùs benè huic loco conveniant.

2. *Nicandri* θηριακά.] Addit idem Schottus: καὶ Ἀλεξιφάρμακα.

3. φρονεῖν μὲν ἀθάνατα] His verbis lacunam ſuppleo, ex loco Timæi à Ca-

confirmatur. Memini me [1] apud Varronem Philoſophum, virum accuratiſſimè doctum atque eruditum, cùm alia hujuſmodi, tùm hoc etiam legere: [2] Trallibus de eventu [3] Mithridatici belli Magicâ percontatione conſulentibus, puerum [4] in aquâ [5] ſimulacrum Mercurii contemplantem, quæ futura erant centum ſexaginta verſibus [6] ceciniſſe. Itemque [7] Fabium, cum quingentos denarios perdidiſſet, [8] ad Nigidium conſultum veniſſe: ab eo pueros carmine inſtinctos indicaſſe ubi locorum defoſſa eſſet crumena cum parte eorum, cæteri

INTERPRETATIO.

Recordor me legiſſe in ſcriptis Varronis philoſophi, viri apprimè docti & periti, præter alia ſimilia, hoc etiam maximè. Cùm Tralles inquirerent Magicâ indagatione, quis *futurus eſſet exitus belli Mithridatici, puerum vaticinatum eſſe eis centum & ſexaginta carminibus, quæ eventura erant, inſpiciendo imaginem Mercurii in aqua. Præterea Fabium, amiſſis quingentis denariis, conveniſſe Nigidium ipſius conſulendi causâ:* & *pueros, inſpiratos ab eo ope incantamenti, oſtendiſſe quo in loco marſupium eſſet infoſſum cum aliquot ex eis* denariis, *& quomodo re-*

NOTÆ.

ſaubono huc allato, deſumptis; quæ in Interpret. expoſui.

1. *Apud Varronem Philoſophum*] Hic eſt M. Terentius Varro, Ciceronis amicus, quem ipſe ait Romanorum fuiſſe doctiſſimum.

2. *Trallibus.*] Tralles hîc cives ſunt urbis Trallium, quæ in Aſia Minori ſita eſt Mæandrum inter & Cayſtrum fluvios, Cariæ annumerata à Plin. & Ptolemæo, à Strabone verò Ioniæ, à Stephano Lydiæ. Aliis nominibus *Evanthia*, *Seleucia*, & *Antiochia* appellata eſt.

3. *Mithridatici belli.*] Quod à Sullâ inceptum, à Lucullo poſteà valdè affectum, à Cn. Pompeio tandem finitum eſt, poſt quadraginta circiter annos.

4. *In aquâ, &c.*] Genus hoc divinationis ὑδρομαντεία Græcis dictum eſt. Multa fuere ejuſmodi divinationum & Magiæ genera. Plin. lib. 30. cap. 2. *Ut narravit Oſthanes, ſpecies ejus* (Magiæ) *plures ſunt. Namque & ex aquâ, & ex ſphæris, & ex aëre, & ſtellis, & lucernis, ac pelvibus, ſecuribuſque, & multis aliis modis divina promittit: præterea Umbrarum, inferorumque colloquia: quæ omnia ætate noſtrâ Princeps Nero vana falſaque comperit:*

5. *Simulacrum Mercurii.*] Deorum enim imagines in aquâ videre dicebantur vi Magicâ evocatas. D. Auguſtinus lib. 7. de Civitate Dei, cap. 35. *Hydromantiam facere compulſus eſt,* (Rex Numa) *ut in aquâ videret imagines Deorum, vel potiùs ludificationes Dæmonum; à quibus audiret, quid in ſacris conſtituere atque obſervare deberet. quod genus divinationis Varro à Perſis dicit fuiſſe allatum.* Nempè Pythagoras à Perſis Magiam edoctus, ad quos, ejus diſcendæ gratiâ, fuerat profectus, Regem Numam, cujus dicitur familiaris & magiſter fuiſſe, illâ erudierit.

6. *Ceciniſſe.*] Afflatum nempè Magico ἐνθουσιασμῷ.

7. *Fabium.*) Fuerit ille T. Fabius Ciceroni familiaris, ad quem etiam hic conſolatoriam ſcripſit epiſtolam, quæ eſt 18ª lib. 5. Epiſt. ejus ad familiares.

8. *Ad Nigidium.*] P. Nigidius Figulus Ciceroni item, & Catoni Fabioque æqualis, quem Cicero in Epiſtolâ 13. lib. 4. Famil. ad eum ſcriptâ, unum omnium doctiſſimum & ſanctiſſimum, ſibique amiciſſimum vocat. Ejus frequenter meminit Gellius, in Noct. Attic. Pythagoricus habitus eſt: unde non mirum ſi divinationis causâ, eum conſuluerit Fabius.

ut forent diſtributi : unum etiam denarium ex eo numero habere [1] M. Catonem Philoſophum, quem ſe [2] à pediſſequo in ſtipem Apollinis accepiſſe Cato confeſſus eſt. Hæc & alia apud pleroſque [3] de Magicis pueris lego equidem : ſed dubius ſententiæ ſum, dicámne fieri poſſe, an negem. Quamquam Platoni credam, inter Deos atque homines, naturâ & loco [4] medias quaſdam Divorum poteſtates interſitas, [5] eaſque divinationes cunctas & Magorum miracula gubernare. Quin & illud mecum reputo, poſſe animum humanum, & puerilem præſertim, [6] ſimplicemque, ſeu carminum avocamento, ſive odorum delinimento ſoporari, & ad oblivionem præſentium [7] externari : & pauliſper remotâ corporis memoriâ, redigi ac redire ad naturam ſuam, quæ eſt immortalis ſcilicet & divina ; atque ita

INTERPRETATIO.

liqui diſperſi eſſent : Catonem etiam philoſophum habere unum denarium ex illo numero, quem reverâ *Cato faſſus eſt ſe ſumpſiſſe à pediſſequo, ut erogaret Apollini. Lego ſanè hæc & alia in pleriſque ſcriptoribus, de pueris Magicis : ſed incertus ſum utrum dicam ea poſſe fieri, aut inficier. Quamvis credo Platoni* qui dicit *eſſe quaedam divinas virtutes interpoſitas medias, tum naturâ ſuâ, tum loco, inter Deos & homines, & eas praeſſe omnibus divinationibus, & miraculis Magorum. Quin etiam hoc quoque apud me cogito, mentem hominis, ac præcipuè pueri, quæ ſimplicior eſt, poſſe ſopiri, & alienari ad obliviſcenda præſentia, ſive avertendo* eam *incantationibus, ſive demulcendo odoribus : & depoſitâ tantiſper recordatione corporis, reduci & reverti ad naturam ſuam, quæ nimirùm eſt immortalis ; & divina ; & ſic prædicere*

NOTÆ.

1. *M. Catonem philoſophum.*] Catonem Uticenſem intellige, qui Stoicam ſectam amplexus eſt.

2. *A pediſſequo in ſtipem Apollinis accepiſſe.*] Sic lege ex emendatione Caſaub. non autem *in ſtipe.* Quia olim moris non erat, ut argentum honeſti viri per urbem incedentes ſecum geſtarent ; ſi qui eorum ad manum habere vellent, id dabant pediſſequis ſuis negotii, ut in peris pecuniam ſecum deferrent, quam ab eis ſumerent, ſi fortè opus fuiſſet.

In ſtipem Apollinis.] Seneca, de Benef. lib. 7. cap. 4. *Omnia Deorum ſunt, tamen Diis poſuimus domum, & ſtipem jecimus.* Sumpſerat ergo Cato à ſuo pediſſequo denarium, quem jaceret in ſtipem Apollini, at non jecerat, ſed habebat adhuc, ut patet ex Apuleii textu.

3. *De Magicis pueris.*] Quorum operâ utebantur Magi ad oracula promenda per hydromantiam.

4. *Medias quaſdam Divorum poteſtates.*] In de Deo Socratis : *Sunt quædam mediæ divinæ poteſtates inter ſummum æthera, & infimas terras, in iſto aëris ſpatio interſitæ, &c.* ubi vide Notas noſtras.

5. *Eaſque divinationes cunctas & Magorum miracula gubernare.*] In eodem lib. de Deo Socratis : *Per hos eoſdem, ut Plato in Sympoſio autumat, cuncta denuntiata, & varia Magorum miracula &c.*

6. *Simplicemque.*] Nullis adhuc opinionibus, curis, & affectibus præventum aut occupatum.

7. *Externari.*] Extra terminos ſuæ mentis poni. Gloſſ. *externatus* ἐκτὸς φρενῶν.

[1] veluti quodam ſopore, futura rerum præſagire. Verumenimverò, utut iſta ſeſe habent, ſi qua fides hiſce rebus impertienda eſt, debet ille neſcio qui puer providus, quantum ego audio, & corpore decorus atque [2] integer deligi, & animo ſolers, & ore facundus: ut in eo aut divina poteſtas, quaſi bonis ædibus, diverſetur, ſi dignè tamen ea pueri corpore includitur: aut ipſe animus expergitus, citò [3] ad divinationem ſuam redigatur: quæ ei promptè inſita, & [4] nullâ oblivione ſaucia & hebes, facile reſumatur. [5] Non enim ex omni ligno, ut Pythagoras dicebat, debet Mercurius exſculpi. Quod ſi ita eſt; nominate quis ille fuerit puer, ſanus, incolumis, ingenioſus, decorus, quem ego carmine dignatus ſim initiare. Cæterùm [6] Thallus,

INTERPRETATIO.

res futuras, tanquam per ſomnum quendam. At certè quidquid ſit de iſtis, ſi credendum eſt his rebus, ille puer præſcius quiſquis ſit, eligendus eſt, quantùm intelligo, formoſus corpore & integer, & ſagax mente, & diſertus ore: vel, ut virtus divina habitet in eo tanquam in bonâ domo (ſi tamen illa poſſit dignè contineri in corpore pueri:) vel, ut mens ipſa excitata reducatur celeriter ad ſuam vaticinationem, quam recipiat facilè, utpote ſibi ingenitam & expeditam ac nullo oblivio læſam aut retuſam. Nam, ut aiebat Pythagoras, Mercurius non eſt fabricandus ex quovis ligno. Quod ſi ſic ſe habet; dicite quis fuerit ille puer, ſanæ mentis, bonæ valetudinis, ingenioſus, ac formoſus, quem ego dignatus ſim conſecrare incantatione. Porro Thallus,

NOTÆ.

1. *Veluti quodam ſopore futura rerum præſagire.*] Hoc vult Platonicus noſter, animos humanos ex naturâ ſuâ, quæ divina eſt & immortalis, etiam futura cognoſcere; ſed illâ eos cognitione privari, quandiu terrenis ac corporeis ſordibus ſunt involuti: ex quibus ſi quando emerſerint, ut in illo Magico ſopore, quo fingit eas extra ſe rapi, illicò redire ad ſuam indolem, doteſque omnes ſuas recuperare.

2. *Puer Providus.*] Puer, qui ad prædicenda futura ſumitur.

3. *Integer.*] Id eſt, omnibus ſuis membris abſolutus, *non mancus, non mutilus.* Non me latet poſſe etiam aliter intelligi, pro *caſto* nempè ac *ſancto*, ſed veriſimiliùs mihi fit priore modo intelligendum. maximum enim erat ejuſmodi magicis operationibus impedimentum, ſi quid membris deeſſet, ut innuit Plinius lib. 30. cap. 2.

4. *Ad divinationem ſuam.*] Hoc eſt, ad divinum illum ſtatum, naturæ ſuæ convenientem, in quo etiam futura cognoſcit, ut ſuprà dictum eſt. Duos nempè modos affert Apuleius, quibus animus poteſt fatidicus effici. Per inſpirationem atque inhabitationem numinis, quam Græci ἐνθουσιασμὸν vocant, & per elevationem mentis ad divinam ſuam naturam, quam *externationem animi* ipſe vocat.

5. *Nullâ oblivione ſaucia & hebes.*] Quam oblivionem divinæ naturæ inducit ætas frequenti corporeatum imaginum contemplatione.

6. *Non enim ex omni ligno, ut Pyth. dicebat, debet Mercurius exſculpi.*] Plin. lib. 16. *Quidam ſuperſtitioſius exquirunt materiam unde numen exſculpant, & quanquam Priapus ille Deus facilis & craſſus haud gravatur ficulnus eſſe, non tamen idem liceat in Mercurio, Deo tam ingenioſo, totque prædito artibus.* Proverbium eſt: *Non ex quolibet ligno Mercurius.* De quo vide Eraſmum, in Chiliad.

7. *Thallus.*] Pricæus cenſet ſcribendum eſſe *Thalus*, idque probat ex

quem nominaſtis, medico potius quam Mago indiget. eſt enim miſer morbo comitiali ita confectus, ut ter aut quater die ſæpenumerò, ſine ullis cantaminibus, corruat, omniaque membra conflictationibus debilitet: [7] facie ulceroſus, fronte & occipitio conquaſſatus, [8] oculis hebes, naribus hiulcus, pedibus caducus. [9] Maximus omnium Magus eſt, quo præſente Thallus diu ſteterit. ita plerumque morbo ceu ſomno vergens inclinatur. Eum tamen vos carminibus meis ſubverſum dixiſtis, quod forte me coram ſemel decidit. Conſervi ejus plerique adſunt, quos exhiberi denuntiaſtis. Poſſunt dicere omnes [1] quid in Thallo diſpiciant: [2] cur nemo audeat cum eo ex eodem catino cænare, eodem poculo bibere. Et quid ego de ſervis? vos ipſi videtis. Negate Thallum, multo priùs quam ego Oeam venirem, corruere eo morbo ſolitum, medicis ſæpenumerò oſtenſum. Negant hoc

INTERPRETATIO.

quem dixiſtis, egere potiùs medico, quàm Mago. Ille enim infelix adeò conflictatur epilepſiâ, ut ſæpiſſimè collabatur ter vel quater per diem, abſque ullis carminibus, & lædat ſibi omnia membra concuſſibus: habens vultum plenum ulceribus, frontem verò & partem poſteriorem capitis quaſſatam, & aciem oculorum retu ſam, nares hiantes, ac pedes debiles. Ille Magus eſt maximus omnium, coràm quo Thallus diu ſteterit. Sic plerumque pronus proſternitur morbo velut ſomno. Vos tamen affirmâſtis eum proſtratum fuiſſe meis incantamentis, quia fortè lapſus eſt ſemel me præſente. Ecce maximam partem ejus conſervorum, quos mihi *ſignificâſtis eſſe producendos. Poſſunt cuncti dicere quid animadvertant in Thallo: quare nemo audeat edere cum eo in eâdem lance, & potare in eodem calice. Sed quare ego* loquor *de conſervis* ejus? *vos ipſi cernitis. Inficiemini Thallum conſueviſſe cadere ex illo morbo, & exhibitum fuiſſe ſæpiſſimè medicis longè antequàm ego venirem Oeam.*

NOTÆ.

hac veteri inſcriptione:

D. M.
TI. AUG. LIB. THALETIS.
VINICIANI. NOMENCLATORIS.
A. CENSIBUS THALUS. ET.
JANUARIA. LIB. D. S. P.

1. *Facie ulceroſus*] Ulceribus ortis ex variis plagis & contuſionibus, quibus corruens & ſeſe agitans, faciem mulcaverit, neque enim ulcera faciei ex ſeſe epilepſios ſymptoma ſunt.

2. *Oculis hebes, naribus hiulcus, pedibus caducus.*] Id accidit ob ſpirituum turbationem, quæ maxima eſt in hoc morbo, unde diſtractio, convulſio, contractioque nervorum, ac muſculorum, quibus nervi inſeruntur, hincque nares hiulcæ manent, & oculi torvi & truces hebeteſque fiunt, nec crura pedeſque ſuſtentare corpus ampliùs poſſunt.

3. *Maximus omnium Magus.*] Qui impedierit quominùs Thallus vi comitialis illius morbi correptus cadat.

4. *Quid in Thallo diſpiciant.*] Elmenhorſtius ex Florentinis membranis reponit *deſpuant*, quem ſequitur & Pricæus, adductis ad lectionis ſuæ confirmationem Plinii & Plauti locis, quibus *deſpui*, ſeu *inſpui* comitiali morbo laborantes probatur. Ego tamen nihil mutare velim. Convenientiſſimus enim & apertiſſimus ſenſus eſt verbi *diſpiciant quid in Thallo diſpiciant*, id eſt, *quid obſervent in eo, quid agnoſcant, quid animadvertant.*

5. *Cur nemo audeat cum eo ex eodem catino cœnare. &c.*] Quòd ſcilicet ſibi à comitiali morbo metuerent, qui morbus contagioſus eſt.

conſervi ejus qui ſunt in miniſterio veſtro ? Omnium rerum convictum me fatebor, niſi rus de omnium conſenſu diu ablegatus eſt, in longinquos agros, ne familiam contaminaret. Quod ita factum nec ab illis negari poteſt : [1] eò nec potuit hodie à nobis exhiberi. Nam ut omnis iſta accuſatio temeraria & repentina fuit, nudiuſtertius nobis Æmilianus denuntiavit, ut ſervos numero quindecim apud te exhiberemus. Adſunt quatuordecim, qui in oppido erant. Thallus ſolus rus ablegatus, ut dixi, ferme ad centeſimum lapidem, longè ex oculis, Thallus ſolus abeſt, ſed miſimus qui eum curriculò advehat. Interroga, Maxime, quatuordecim ſervos quos exhibemus, Thallus puer ubi ſit, & quam ſalvè agat : interroga ſervos accuſatorum meorum. non negabunt, turpiſſimum puerum corpore putri & morbido caducum, barbarum, ruſticanum. Bellum vero puerum elegiſtis, quem quis ſacrificio adhibeat, [2] cujus caput contingat, [3] quem puro pallio amiciat, à quo reſponſum ſperet! Vellem herculè adeſſet; tibi eum Æmiliane permiſiſſem, ut teneres ipſe, ut interrogares. Jam in mediâ quæſtione, hic ibidem pro tribunali oculos truces in te invertiſſet, faciem tuam ſpumabundus conſpuiſſet, manus contraxiſſet, caput

INTERPRETATIO.

An conſervi ejus, qui ſunt in veſtro famulatu hoc inficiantur? Confitebor me convictum eſſe *omnium rerum*, quarum accuſor, *ſi non fuit miſſus rus in prædia remota conſenſu omnium*, & ibi *diu* remanſit, *ne inficeret* cæteros *ſervos. Quod ne illi quidem poſſunt inficiari ſic factum eſſe. Eam ob rem etiam non potuit* huc *produci hodie à nobis. Nam cùm hæc tota accuſatio fuerit temeraria & ſubitanea, Æmilianus nobis ſignificavit nudiuſtertius; ut produceremus coràm te quindecim famulos. Ecce quatuordecim, qui erant in urbe. Solus Thallus, qui, ut jam dixi, relegatus eſt rus ad centum ferè milliaria procul à* noſtro *conſpectû, ſolus* (in quam) *ille Thallus deſideratur. Verùm miſimus* qui *eum adducat celerrimè. Quære à quatuordecim ſervis, quos ſiſtimus coràm te, Maxime, ubi ſit ſervus Thallus, & quomodo valeat : quære à famulis meorum accuſatorum. non inficiabuntur* eum eſſe *puerum maximè deformem, corpore putrido, & ægro, obnoxium caſui, barbarum, & agreſtem. Vos ſanè delegiſtis pulchrum puerum, quem aliquis admoveat ſacro, cujus tangat caput, quem induat laciniâ ſine labe, & à quo expectet oraculum! Cuperem ſanè ut hic eſſet. tradidiſſem eum tibi, Æmiliane, ut tu ipſe* eum *teneres, & interrogares. Jam in mediâ interogatione, hoc ipſo in loco ante tribunal convertiſſet ad te oculos torvos, conſputâſſet vultum tuum, ſpumam ore fundens, conſtrinxiſſet manus, quaſſa-*

NOTÆ.

1. *Eò nec potuit hodie à nobis exhiberi.*] Quia ruri adhuc erat, necdum potuerat per anguſtias temporis inde advenilſe, quanquam accerſitus.

2. *Cujus caput contingat.*] Dum carmine eum initiaret, ut ſuprà loquitur noſter. Obſervandus eſt hic locus, ritum enim peculiarem exhibet Magicorum illorum ſacrorum.

3. *Quem puro pallio amiciat.*] Sic legendum, non *pulcro*. Feſtus. *Pura veſtimenta ſacerdotes ad ſacrificium habebant, id eſt, non obſita, non fulgurita, non funeſta, non maculam habentia.*

ſuccuſſiſſet, poſtremo in ſinu tuo corruiſſet. Quatuordecim ſervos, quos poſtulaſti, exhibeo: cur illis ad quæſtionem nihil uteris? Unum puerum, atque eum caducum, requiris, quem olim abeſſe pariter mecum ſcis? quæ alia eſt evidentior calumnia? Quatuordecim ſervi petitu meo adſunt, eos diſſimulas: unus puerulus abeſt, eum inſimulas. Poſtremo quid vis? puta Thallum adeſſe. Vis probare, eum præſente me concidiſſe? ultro confiteor. Carmine id factum dicis? hoc puer neſcit: ego, non factum, revinco. Nunc, caducum eſſe puerum, nec tu audebis negare. Cur ergo carmini potiùs, quam morbo attribuatur ejus ruina? An evenire non potuit, ut forte præſente me idem pateretur, quod ſæpe alias multis præſentibus? Quod ſi magnum putarem caducum dejicere, quid opus carmine fuit? [1] cum incenſus gagates lapis, ut apud Phyſicos lego, pulcre & facile hunc morbum exploret: [2] cujus odore etiam in venaliriis vulgò ſanitatem aut morbum venalium experiantur. Etiam orbis à figulo circumactus, non difficile ejuſdem valitudinis hominem vertigine ſui corripit: ita ſpectaculum rotationis ejus animum ſaucium debilitat; ac multo plus ad caducos conſternendos figulus

INTERPRETATIO.

viſſet caput, denique cecidiſſet in tuum gremium. Siſto quatuordecim famulos, quos popoſciſti: quare nullatenùs uteris illis ad inquiſitionem? poſtulas tantùm *unum puerum, & eum laborantem comitiali morbo, quem tam benè ſcis, quàm ego, jam pridem non hic eſſe? quæ poteſt eſſe calumnia manifeſtior? Ecce tibi quatuordecim famuli, prout poſtuláſti, fingis* te non videre *eos: deſideratur unus ſervulus, criminaris* ejus abſentiam. *Quid tandem* tibi *vis? pone* ſanè *Thallum* hîc *eſſe præſentem. Vis probare eum corruiſſe coràm me? fateor ſponte* meâ. *Dicis hoc factum eſſe incantamento? ſervulus id ignorat: ego probo non eſſe factum* hac ratione. *Jam ne tu quidem audebis inficiari puerum illum eſſe epilepticum. Quare igitur caſus ejus refundatur potiùs in incantationem, quàm in morbum* illum? *An non potuit contingere, ut pateretur fortè coràm me, quod alias ſæpè* paſſus eſt *coram pluribus? Quod ſi crederem rem magnam eſſe proſternere epilepticum, quid opus fuit incantamento? ſi quidem lapis gagates, ut lego apud ſcriptores rerum naturæ, ſi accendatur, benè & facilè probat hunc morbum: cujus etiam nidore ſolent in foris venalium explorare bonam aut malam valetudinem ſervorum proſtantium. Rota etiam gyrata à figulo facilè corripit ſuâ gyratione hominem eodem illo morbo laborantem. Uſque adeò inſpectio vertiginis afficit ejus mentem infirmam; & figulus longè potentior eſt ad dejiciendos epilepticos,*

NOTÆ.

1. *Cùm incenſus gagates lapis. &c.*] De eo Plinius, lib. 36. cap 19. *Deprehendit ſonticum morbum, & virginitatem ſuffitus.* Dioſcorides, lib. 5. Sonticus morbus quis ſit; docet Gellius, lib. 20 cap. 1. *cæteroqui morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem, legum iſtarum ſcriptores alio in loco, non per ſe morbum, ſed morbum ſonticum appellant.* At loco ſuprà laudato intelligere videtur tantùm comitialem. ſic enim de eodem lapide Dioſcorides lib. 5. ὅτι τῶν ἐπιληπτικῶν ἔλεγχος ὑποθυμίασις. *Suffitus ejus probamentum eſt epilepticorum.*

2. *Cujus odore etiam in venalitiis, &c.*] Hunc modum explorandæ venalium valetudinis, non alibi commemoratum, quàm hoc Apuleii loco, invenio.

valet, quam Magus. Tu fruſtra poſtulaſti ut ſervos exhiberem: ego non de nihilo poſtulo, ut nomines, quinam teſtes huic piaculari ſacro adfuerint, cum ego ruentem Thallum impellerem. Unum omnino nominas puerulum illum Sicinium Pudentem, cujus me nomine accuſas: is enim affuiſſe ſe dicit; [1] cujus pueritia etſi nihil ad religionem ſuffragaretur [2] tamen accuſatio fidem derogaret. Facilius fuit, Æmiliane, ac multo gravius, tete ut ipſum diceres interfuiſſe, & ex eo ſacro cœpiſſe [3] dementire potiùs, quam totum negotium quaſi ludicrum pueris donares. Puer cecidit, puer vidit; num etiam puer aliquis incantavit? Hîc ſatis veteratoriè [4] Tannonius Pudens, cum hoc quoque mendacium frigere, ac prope jam omnium vultu & murmure exploſum videret; ut vel ſuſpiciones quorumdam ſpe moraretur, ait pueros alios productutum, qui ſint æque à me incantati, atque ita [5] ad aliam ſpeciem argumenti tranſgreſſus eſt. Quod quanquam diſſimulare potui, tamen ut omnia; ita hoc quoque ultrò provoco. Cupio enim produci eos pueros, quos ſpe libertatis audio confirmatos ad mentiendum. Sed nihil ampliùs dico, quam ut pro-

INTERPRETATIO.

quam Magus. Tu petiiſti inutiliter, ut ſiſterem huc *meos famulos: ego non temerè peto, ut dicas quinam teſtes præſentes fuerint huic nefario ſacro. cum ego impellerem Thallum* jam *cadentem. Nominas tantum unum adoleſcentulum, illum* ſcilicet *Sicinium Pudentem, cujus nomine me accuſas. Ipſe enim ait ſe præſentem fuiſſe, cujus quamvis pueritia nihil conferret ad religionem* movendam judici, *accuſatoris tamen perſona* quam ſuſtinet *detraheret* ei *fidem.* O *Æmiliane convenientius erat, &. longè majoris ponderis, ut diceres te ipſum adfuiſſe, & cœpiſſe inſanire ex illo incantamine, quàm ut permitteres omnem hanc rem pueris quaſi jocularem. Puer lapſus eſt, puer vidit* labentem; *an puer quoque aliquis* eum *incantavit? Hic Tannonius Pudens cum cerneret, hoc etiam mendacium parum valere, & jam exſibilatum eſſe omnium ferè nutibus ac ſuſurris, callidiſſimè dixit ſe exhibiturum alios pueros, quos incantaveram ſimiliter; ut* ſic *ſaltem ſpe* illâ *retardaret ſuſpiciones quorumdam: ſicque tranſiit ad aliud genus probationis. Quod licet potuerim prætermittere tamen,* cum *provoco ſponte* ad *hoc* probandum *ſicut & omnia* alia. *Opto enim, ut ſervuli illi exhibeantur, quibus accipio animos eſſe additos ad mentiendum* propoſitâ *ſpe manumiſſionis. Verum nihil addo ulteriùs niſi*

NOTÆ.

1. *Cujus pueritia etſi nihil ad religionem ſuffragaretur.*] Hoc eſt, *quanquam non dubitaretis, non religioni duceretis, propter ejus pueritiam, cui vulgò parva habenda eſt fides.*

2. *Tamen accuſatio fidem derogaret.*] Neque enim accuſator adversùs reum teſtimonium dicere poteſt. Neque, ſi dicat, ei creditur.

3. *Dementire.*] *Inſanire* Lucret. lib. 3.
dementit enim deliráque fatur.

4. *Tannonius Pudens.*] Æmiliani advocatus.

5. *Ad aliam ſpeciem argumenti.*] Ad aliud quidem argumentum. a Thallo enim tranſibat ad alios pueros, quos aiebat ſimiliter incantatos. Sed non ad aliud genus argumenti, in utroque enim de pueris incantatis agebatur.

ducant

ducant. Poſtulo igitur & flagito, Tannoni Pudens, ut expleas quod es pollicitus. Cedò pueros iſtos quibus confiditis. produc, nomina qui ſint. [1] meâ aquâ licet ad hoc utare. Dic, inquam, Tannoni. quid taces? quid cunctaris? quid reſpectas? Quòd ſi hic neſcit quid dixerit, aut nomina oblitus eſt, at tu Æmiliane cede huc. dic quid advocato tuo mandaveris. exhibe pueros. Quid expalluiſti? quid taces? hoccine accuſare eſt? hoccine tantum crimen deferre? an Claudium Maximum, tantum virum, ludibrio habere, me calumniâ inſectari? Quòd ſi fortè patronus tuus verbo prolapſus eſt, & nullos pueros habes quos producas; ſaltem quatuordecim ſervis, quos exhibui, ad aliquid utere: aut cur ſiſti poſtulabas tantam familiam? Magiæ accuſans de quindecim ſervis denuntiaſti: quòd [2] ſi de vi accuſares, quot tandem ſervos poſtulares? Sciunt ergo aliquid quindecim ſervi, & occultum eſt? an occultum non eſt, & Magicum eſt? Alterum horum fatearis neceſſe eſt: aut illicitum non fuiſſe, in quo tot conſcios non timuerim: aut ſi illicitum fuit, ſcire tot conſcios non debuiſſe. Magia iſta, quantum ego audio, res eſt legibus delegata, jam inde antiquitus [3] duodecim Tabulis propter incredundas

INTERPRETATIO.

ut eos *exhibeant. Peto ergo & poſco, ô Tannoni Pudens, ut praſtes quod promiſiſti. produc iſtos ſervulos quibus vos fiditis. exhibe* eos, *dic quinam illi ſint. utere meâ aquâ ad hoc*, per me *licet. Loquere, inquam, Tannoni, quare ſiles? quare hæſitas? quid reſpicis? Quòd ſi hic ignorat quid dixerit, aut oblitus eſt nomina* eorum; *tu certè, ô Æmiliane, veni huc. eloquere quid præceperis tuo patrono. Produc ſervulos. Quare palles? cur ſiles? an hoc eſt accuſare? an hoc* eſt *deferre tantum ſcelus? an* potius *irridere Claudium Maximum tantum virum, & perſequi me calumniâ? Quod ſi fortè tuus advocatus erravit loquendo, & tu nullos habes ſervulos quos* huc *ſiſtas; certè utitor ad aliquid quatuordecim famulis quos produxi: vel quare poſcebas ut tot famuli producerentur? Cum me Magiæ inſimulares, poſtulaſti quindecim famulos: quòd ſi me accuſares de vi, quot quæſo famulos peteres? Igitur quindecim ſervi norunt aliquid, &* illud *ſecretum eſt? an* verò *non eſt ſecretum, &* tamen *Magicum eſt? Oportet ut concedas alterutrum horum: vel* illud *non fuiſſe vetitum, in quo non veritus ſim tot participes: vel ſi vetitum fuit, non oportuiſſe ut tot teſtes* illud *cognoſcerent. Hæc Magia, ut ego accipio, eſt res tradita legibus ad* puniendum, *jam à primis temporibus vetita* legibus *duodecim Tabularum, ob incredibiles ex-*

NOTÆ.

1. *Meâ aquâ licet ad hoc utare.*] Tempore mihi ad dicendum conceſſo, quod aqua, è clepſydrâ guttatim fluens, metitur.

2. *Si de vi accuſares.*] Quæ neque à ſolo, neque clàm fieri poteſt, ſed multorum hominum operâ perpetratur. Magica verò ſacra alio longè modo ſe habent, utpote quorum præcipua conditio eſt ut ſecreta ſint.

3. *Duodecim tabulis propter incredundas frugum illecebras interjecta.*] Lex illa ex duodecim tabulis ſic habet: SI QUIS ALIENAS FRUGES EXCANTASSIT, KAPITAL ESTO. Porrò per incredibiles illas *frugum illecebras* intellige ſegetum attractiones & tranſlationes ex uno agro in alium, quas vi carminum

frugum illecebras interdicta. Igitur & occulta non minus, quam tetra & horribilis, plerumque noctibus vigilata, & tenebris abſtruſa, & arbitris ſolitaria, & carminibus murmurata. [1] cui non modò ſervorum, verum etiam liberorum pauci adhibentur. Et tu quindecim ſervos vis interfuiſſe? Nuptiæ-ne illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, [2] an convivium tempeſtivum? Quindecim ſervi ſacrum Magicum participant, [3] quaſi Quindecimviri ſacris faciundis creati. Cui tamen rei tot numero adhibuiſſem, ſi conſcientia unius multi ſunt? Quindecim liberi homines [4] populus eſt: totidem ſervi, familia: totidem

Interpretatio.

cantationes ſegetum. Quæque proinde non minus abſconditur, quàm dira eſt & abominanda. quæ ſæpiùs exercetur *vigilando per noctem, obſcuritate tecta, deſtituta teſtibus*, & peragitur *ſuſurris incantationum, ad quam utuntur operâ paucorum non ſervorum modò, ſed vel ingenuorum quoque. Tu vero vis quindecim ſervos adfuiſſe? An fuerunt illæ nuptiæ, an aliud officium peractum, an convivium tempeſtivum? Quindecim famuli conſcii ſunt cærimoniarum Magicarum, veluti Quindecimviri electi ad ſacra peragenda. Ad quid tamen uſus fuiſſem tot* ſervis*, ſi vel unus conſcius plures ſint* quam expediat? *Quindecim homines liberi conſtituunt populum: totidem famuli* conſtituunt *familiam: totidem* ſervi *ligati* conſti-

Notæ.

fieri poſſe, & reverà factas putabant. Virgil. in Pharmaceutriâ:

> *Atque ſatas aliò vidi traducere meſſ.s.*

Omitto Plin. Ovid. Tibullum, & alios qui rei hujus meminerunt.

1. *Cui non modò ſervorum, verùm etiam liberorum pauci adhibentur.*] Teſte Philone, in commentario, quo probat omnes, qui virtutem colunt, eſſe liberos. Athenienſes mancipia ſua excludebant, cùm rem divinam Furiabus facerent. Minutius Felix in Octavio: *etiam ſervo quibuſdam cærimoniis intereſſe piaculare flagitium eſt.*

2. *An convivium tempeſtivum.*] Turnebus Adverſariorum lib. 6. cap. 16. exponens hunc Apuleii locum, & alios tres Ciceronis in Verrem, de Senectute, & pro Murenâ, ait: *convivium tempeſtivum eſſe, quod neque ſit de die; (nam turpe, & nequam, & intempeſtivum habebatur de die convivia agitare) neque in multam noctem producitur, ſed quod tempore ſuo ſit.* Contrà verò *intempeſtivum.* Ad tempeſtivum quoque convivium pertinuiſſe ſuſpicatur, ut diebus quibuſdam, putà feſtis, agitaretur, potiùs quàm aliis.

3. *Quaſi Quindecimviri ſacris faciundis creati*] Duumviros primùm ſacris faciundis creavit Tarquinius Superbus, vel (ut quidam volunt) Tarquinius Priſcus, occaſione librorum Sibyllinorum, quos emerat, quoſque eis cuſtodiendos tradidit poſteà pro Duumviris illis creati ſunt Decemviri, quorum eſſet idem munus, permanſeruntque illi ad uſque Sullæ tempora, qui alios quinque primus addidiſſe creditur, & effeciſſe Quindecimviros ſacris faciundis. Ii libros Sibyllinos cuſtodiebant, cúmque ex Senatuſconſulto adeundi eſſent, adibant, &, quæ legiſſent, Senatui renuntiabant, ludos ſæculares celebrabant, poſtremò ea omnia peragebant, quæ Sibyllinorum librorum juſſu erant peragenda.

4. *Populus eſt.*] Hoc eſt, *pagus.* Attici Δήμους vocant pagos ſuos. Quindecim ſcilicet viros liberos, hoc eſt, patresfamilias, cum omni ſibi ſubditâ familiâ ad pagum conſtituendum ſuffeciſſe perquàm veriſimile eſt.

5. *Totidem ſervi familia.*] Immò & pauciores.

vincti, [1] ergaſtulum. An adjutorio multitudo eorum neceſſaria fuit, qui diutine hoſtias luſtraleis tenerent? At nullas hoſtias niſi gallinas nominaſtis. [2] An ut grana thuris numerarent? an ut Thallum proſternerent? Mulierem etiam liberam perductam ad me domum dixiſtis, ejuſdem Thalli valitudinis, quam ego pollicitus ſim curaturum: eam quoque incantatam à me corruiſſe. Ut video, vos [3] palæſtritam, non Magum accuſatum veniſtis: ita omneis, qui me acceſſerint, dicitis cecidiſſe. Negavit tamen quærente te, Maxime, [4] Themiſon medicus, à quo mulier ad inſpiciendum perducta eſt, quidquam ultra paſſam, niſi quæſiſſe me, ecquid illi aures obtinnirent, & utra earum magis: ubi reſponderit, dextram ſibi aurem nimis inquietam, confeſtim deceſſiſſe. Hîc ego, Maxime, quanquam ſedulò impræſentiarum à laudibus tuis tempero, necubi tibi ob cauſam iſtam videar blanditus, tamen ſolertiam tuam in percontando nequeo quin laudem. Dudum enim cùm agitarentur hæc, & illi incantatam mulierem dicerent, medicus, qui abfuerat, abnueret, quæſiſti tu nimis quàm prudenter, quod mihi emolumentum fuerit incantandi? reſponderunt, ut mulier rueret. Quid deinde? mortua eſt? inquis: negârunt. Quid ergo dicitis? quod Apuleii commodum, ſi ruiſſet? ita enim pulcrè ac perſeveranter tertiò quæ-

INTERPRETATIO.

tiunt *ergaſtulum. Num tantus eorum numerus neceſſarius fuit ad auxilium, ut* ſcilicet *tenerent diu victimas luſtrales? Verum nullas victimas nominaviſtis niſi gallinas. Num ut numerarent micas thuris? num ut dejicerent Thallum? Dixiſtis etiam fœminam ingenuam, laborantem eodem morbo, quo Thallus, deductam fuiſſe ad me in meam domum, quam promiſerim me ſanaturum:* & *illam etiam cecidiſſe incantatam à me. Quantùm video, veniſtis accuſatum luctatorem, non* autem *Magum: quandoquidem dicitis corruiſſe omnes, qui ad me venerint. Attamen Themiſon medicus, qui adduxit fœminam* illam ad me, *ut eam inſpicerem, dixit, cùm tu eum interrogâſti, ô Maxime, nihil aliud ei contigiſſe, niſi me rogâſſe num aures ei tinnirent, & utra earum magis* tinniret. *Eam autem, cùm reſpondiſſet dextram aurem ſibi nimiùm turbari* tinnitu, *ſtatim abiiſſe. O Maxime quamvis ſtudioſè abſtineo in præſens à tuis præconiis, ne videar aliquo modo tibi adulari propter hanc litem, non poſſum tamen quin prædicem tuam ſagacitatem in interrogando. Jam pridem enim cùm hæc diſputarentur, & illi affirmarent fœminam fuiſſe incantatam, medicus* autem, *qui præſens fuerat,* id *negaret, tu ſciſcitatus es prudentiſſimè ſanè, quam utilitatem ego perceperim ex incantatione? reſponderunt, ut fœmina caderet. Quid poſteà? (ais) an obiit? negaverunt. Quidnam igitur, dicitis? quænam utilitas* rediiſſet *ad Apuleium, ſi* mulier illa *cecidiſſet? nam ſic tertiò inter-*

NOTÆ.

6. *Ergaſtulum.*] Gloſſæ Philoxeni: *Ergaſtulum* τόπος ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται. *locus, in quo vincti operantur.*

7. *An ut grana thuris numerarent?*] Pricæus vult legi *mundarent.* Ex illo Eunapii in pari argumento λιβανωτοῦ χόνδρον καθαρίσας. *Cùm purgâſſet micam ſeu granum thuris.*

7. *Palæſtritam.*] Athletam, qui, quotquot ſe adeunt, humi proſternat.

8. *Themiſon medicus.*] Apuleii ſervus, de quo jam ſuprà.

ſiviſti; ut qui ſcires omnium factorum rationes diligentiùs examinandas, ac ſæpiùs cauſas quæri, facta concedi: cóque etiam patronos litigatorum cauſidicos nominari, quod, cur quæque facta ſint, expediant. Cæterùm negare factum, facilis res eſt, & nullo patrono indiget: rectè factum vel perperàm, docere, id veró multó arduum & difficile eſt. Fruſtrà igitur, an factum ſit, anquiritur, quod nullam malam cauſam habuit ut fieret. [1] Ita facti reus, apud bonum judicem, ſcrupulo quæſtionis liberatur, ſi nulla fuit ei ratio peccandi. Nunc, quoniam neque incantatam, neque proſtratam mulierem probaverunt, & ego non nego petitu medici à me inſpectam, dicam tibi, Maxime, cur illud de aurium tinnitu quæſierim, non tam purgandi mei gratiâ in eâ re quam tu jam præjudicâſti neque culpæ neque crimini confinem, quàm ut ne quid dignum auribus tuis & doctrinæ tuæ congruens reticuerim. Dicam igitur quàm breviſſimè potero. etenim admonendus es mihi, non docendus. Plato philoſophus in illo præclariſſimo Timæo cæleſti quadam facundiâ univerſum mundum molitus, poſtquàm [2] de noſtri quoque animi trinis poteſtatibus ſolertiſſimè diſſeruit, & cur quæque membra nobis divinâ providentiâ fabricata ſint, aptiſſimè demonſtravit: cauſam morborum omnium trifariàm percenſet. Primam cauſam primordiis corporis attribuit: ſi ipſæ elementorum qua-

INTERPRETATIO.

rogaſti egregiè & conſtanter; quippe qui ſciebas cauſas omnium factorum conſiderandas eſſe ſedulò, & ſæpè rationes inquiri, licet *facta concedantur: & propterea etiam advocatos litigantium dici cauſidicos, quia explicant* cauſas *quare ſingula geſta ſint. Porrò facile eſt inficiari factum, & ad hoc nullo advocato opus eſt: at difficillimum eſt & maxime arduum, oſtendere an hoc benè vel malè factum ſit. Ergò incaſſum inquiritur num aliquid perpetratum ſit, quod nullam habuit malam rationem cur perpetraretur. Sic qui accuſatur facti, exolvitur metu inquiſitionis coram probo judice, ſi ipſe nullam habuit cauſam malefaciendi. Jam quia neque oſtenderunt fœminam fuiſſe incantatam, neque dejectam* humi, *atque ego non inficior eam à me fuiſſe conſideratam rogatu medici, aperiam tibi, ô Maxime, quare hoc ſciſcitatus fuerim de tinnitu aurium, non tam ad me excuſandum in hac re, quam tu jam ante ſtatuiſti neque culpæ neque ſceleri eſſe proximam, quam ne ſileam aliquid conveniens tuis auribus, & tuæ eruditioni. Hoc ergo exponam quàm pauciſſimis verbis licebit. nam tu non es mihi inſtruendus, ſed tantum admonendus. Plato philoſophus explicans totum orbem divinâ quadam eloquentiâ, in illo egregio* Dialogo *Timæo, poſtquam ſubtiliſſimè diſputavit de tribus etiam facultatibus noſtræ mentis, & oſtendit convenientiſſimè, quamobrem providentia divina nobis formaverit artus: diſtribuit cauſam omnium ægritudinum in tres partes. Primam cauſam tribuit principiis corporis: ſi ipſæ qualitates elementorum, humida* nempe,

NOTÆ.

1. *Ita facti reus, &c.*] Quanquam hoc abſolutè fallax, tamen non leve habet ad innocentiam probandam momentum, quòd vix malum perpetretur ingratiis.

2. *De noſtri quoque animi trinis facultatibus.*] Intellectu, phantaſiâ, memoriâ.

ſitates, humida & frigida, & his duæ adverſæ, non congruant. id adeò evenit, cum quæpiam earum modum exceſſit, aut loco demigravit. Sequens cauſa morborum ineſt in eorum vitio, quæ jam concreta ex ſimplicibus elementis, unâ tamen ſpecie coaluerunt: ut eſt ſanguinis ſpecies, & viſceris, & oſſis, & medullæ: porrò illa quæ ex hiſce ſingularibus mixta ſunt. [1] Tertiò, in corpore concrementa varii fellis, & turbidi ſpiritus, & pinguis humoris, noviſſima ægritudinum incitamenta ſunt. Quorum è numero præcipua ſit materia morbi comitialis, de quo dicere exorſus ſum; cum caro in humorem craſſum & ſpumidum inimico igni conliqueſcit, [2] & ſpiritu indidèm parto ex calore compreſſi aeris albida & ſpumida tabes fluit. Ea namque tabes, ſi [3] foras corporis proſpiravit, [4] majore dedecore quam noxâ diffunditur. [5] Pectoris enim primorem cutim

INTERPRETATIO.

æ frigida, & duæ illis contrariæ, non bene inter ſe *conveniant. illud porro contingit, cum aliqua earum immoderatè abundavit, aut exivit ex ſuâ ſede. Altera cauſa morborum poſita eſt in corruptione earum rerum, quæ jam conflatæ ex primordiis ſimplicibus coadunatæ ſunt in unam ſubſtantiam: cujuſmodi eſt ſubſtantia ſanguinis, & carnis, & oſſis, & medullæ, uno verbo ea* omnia *quæ conflata ſunt ex his ſingularibus. Tertiò* loco *collectiones bilis diverſicoloris, & flatuum turbulentorum, & humorum craſſorum, ſunt ultima irritamenta morborum. Ex quorum numero præcipua eſt materia morbi comitialis, de quo incepi diſputare. Quando* nempe *caro liqueſit ardore noxio in humorem ſpiſſum, & ſpumeum, & collecto inde flatu ex fervore aëris ſtipati, ſanies ſubalba & ſpumea manat. Etenim illa ſanies ſi tranſpiravit extra corpus, effunditur* cum *majori deformitate, quam læſione. Nam notat exti-*

NOTÆ.

1. *Tertiò in corpore concrementa varii fellis. &c.*] Hoc tertium membrum etiam tripartitò dividit Plato. Alios enim morbos à ſpiritu, alios à pituitâ, alios à bile fieri dicit. quas ſingulas cauſas ordine deinceps explicat. Apuleius ſic interpretatur: *concrementa varii fellis* (χολῆς) *& turbidi ſpiritûs* (πνεύματος) *& pinguis humoris* (φλέγματος.)

2. *Et ſpiritu indidèm parto ex calore compreſſi aëris, albida & ſpumida tabes. &c.*] Sic lege, non autem *ex candore.* Ex calore enim ſpuma. Ennius apud Macrob.

Spiritus ex animâ calidâ ſpumas agit albas.

Neque legas, *& tumida tabes*, ſed *ſpumida*, ſuprà enim proximè dixit *humorem craſſum & ſpumidum.*

3. *Foras corporis.*] Magis Latinum eſſet *foras corpore.* At nihil mutandum. Syntaxis Græca eſt ἐκτὸς τοῦ σώματος. ſic lib. 8. Metamorph. dixit *intùs ædium.*

4. *Majore dedecore, quàm noxâ diffunditur*] Vitiliginem enim tantùm efficit illam, quæ Græcis Ἄλφος, in quâ, ut ait Celſus, lib 5. color albus eſt, ferè ſubaſper, & non continuus, ut quædam quaſi diſperſæ guttæ videantur. *quæ vitiligo*, ut ait idem Celſus) *quamvis per ſe nullum periculum afferat, tamen fœda eſt.*

5. *Pectoris enim, &c.*] Aut repone cum Caſaubono *corporis*, aut ſi *pectoris* retines, *pectus* pro toto corpore uſurpatum intellige, quemadmodum & Euripides τὸ στέρνον ἀντὶ τοῦ ὅλου σώματος dixit, ut notat ejus Scholiaſtes, ad hunc Phæniſſ. locum: Ἄρη δ' Αἰτωλὸν ἐν στέρνοις ἔχει.

vitiligine inſignit, & [1] omnimodis maculationibus convariat. [2] ſed cui hoc uſu venerit, nunquam poſteà comitiali morbo attentatur. Ita ægritudinem animi graviſſimam, [3] levi turpitudine corporis compenſat. Enimverò [4] ſi pernitioſa illa albedo intus cohibita, & bili atræ ſociata, venis omnibus furens pervaſit: deinde ad ſummum caput viam molita, dirum fluxum cerebro immiſcuit; illico regalem partem animi debilitat, quæ ratione pollens, verticem hominis velut arcem & regiam inſedit. Ejus quippe [5] divinas vias & ſapientes meatus [6] obruit & obturbat. [7] quod facit minore pernicie per ſoporem; cum potu & cibo plenos comitialis morbi [8] prænuntiâ ſtrangulatione modicè angit. Sed ſi uſque adeò aucta eſt, ut etiam vigilantium capiti offundatur; tum verò repentino mentis nubilo ob-

INTERPRETATIO.

mam pellem corporis vitiligine, & diſtinguit maculis omnis generis. Verùm ille, cui hoc contigerit, nunquam deinceps afficitur epilepſiâ. Sic commutat acerbiſſimum morbum animi parvâ deformitate corporis. At ſi ille exitialis humor albus introrſum retentus, & permixtus nigræ bili penetravit in omnes venas cum furore: poſteà tendens ad ſummitatem capitis, permiſcuit cerebro ſævam deſtillationem, protinùs infirmat regiam partem mentis, quæ valens ratiocinatione, fixit ſedem in ſummo capite hominis, tanquam in arce & in palatio. Nam obturat, & perturbat ſemitas ejus divinas, & poros rationi deſtinatos. Quod quidem *facit cum minore periculo per ſomnum; quando moderatè premit potu & eſcâ repletos, ſuffocatione præſagâ morbi ſacri. At ſi crevit eo uſque, ut ſe effundat etiam in caput vigilantium, tunc obſtupeſcunt*

NOTÆ.

1. *Omnimodis maculationibus convariat*] Sic exprimit illa Platonis ex ſupradicto Timæo: *καταποικίλλει τὸ σῶμα.* ex quibus veroſimillimum fit *corporis* ſuprà reponendum eſſe, loco *pectoris.*

2. *Sed cui hoc uſu venerit, nunquam poſteà, &c.*] Id non legitur apud Platonem.

3. *Levi turpitudine corporis compenſat.*] At Plato non ſolùm vitiligine corpus commaculari dicit, ſed illud præterea addit, alios cognatos morbos generari. quod omiſit Apuleius.

4. *Si perniciosa illa albedo intus cohibita, &c.*] Sic omninò legendum eſt, non *dulcedo*, quidquid in contrarium dicat Gentilis. *Albedo hæc*, eſt humor ille albus, qui vitiliginem facit, cùm in exteriorem partem corporis diffunditur. Exprimit illa Platonis: *τὸ λευκὸν φλέγμα ἀποληφθὲν μετὰ χολῆς μελαίνης κερασθέν.*

5. *Divinas vias, & ſapientes meatus.*] Cerebri ſinus ventriculos & poros intellige, quibus ſpiritus animales in nervos totumque corpus derivantur. *Sapientes meatus* interpretor *artificioſos, ſolerti ac ſapienti manu fabricatos.* vel, *quibus animus ſapiens ſuis fungitur muneribus.*

6. *Obruit, & obturbat.*] Quidam, *obſtruit, & obturat.* Nihil mutandum. Exprimit illa Platonis: *ἐπὶ τὰς περιόδους τε τὰς ἐν κεφαλῇ θειοτάτας οὔσας ἐπισκεδαννύμενον καὶ ξυνταράττον αὐτάς.*

7. *Quod facit minore pernicie per ſoporem, &c.*] Plato *καθ' ὕπνον μὲν ἰὸν πραΰτερον, ἐγρηγορόσι δὲ ἐπιτιθέμενον δυσαπαλλακτότερον.*

8 *Prænuntiâ ſtrangulatione.*] Nihil disertè de hac ſtrangulatione prænuntiâ Plato. de interclusâ quidem & impeditâ reſpiratione nonnulla dicit. Fit autem illa ſtrangulatio obrutis & obturatis viis, per quas vis ſentiens & movens tranſmittitur.

torpeſcunt, & moribundo corpore, ceſſante animo cadunt. Eum noſtri non modò [1] Majorem [2] & Comitialem, verum etiam [3] Diuinum morbum, ita ut Græci [4] ἱερὰν νόσον, verè nuncuparunt. [5] videlicet quòd animi partem rationalem, quæ longè ſanctiſſima eſt, eam violet. [6] Agnoſcis Maxime rationem Platonis, quantùm potui pro tempore, perſpicuè explicatam. [7] cui ego fidem arbitratus, cauſam divini morbi eſſe, cum illa peſtis in caput redundavit: haudquaquam videor de nihilo percontatus, an eſſet mulieri illi caput grave, cervix torpens, tempora pulſata, aures ſonoræ. Et cæterùm, quòd dextræ auris crebriores tinnitus fatebatur, ſignum erat morbi penitùs adacti. Nam dextera corporis validiora ſunt, eoque minus ſpei ad ſanitatem relinquunt, cum & ipſa ægritudini ſuccumbunt. Ariſtoteles adeò in

INTERPRETATIO.

ſubitâ caligine animi, & deficiente, jam mente corruunt, corpore ſimili morientis. Noſtri meritò nominaverunt eum, non tantum morbum *Majorem, & Comitialem, ſed etiam morbum Divinum, quemadmodum & Græci* ſacrum morbum. *quia nimirùm lædit rationalem mentis partem, quæ eſt multò ſanctiſſima. Agnoſcis, ô Maxime, rationem Platonis, expoſitam quàm clariſſimè potui* pro ratione *temporis. cui ego credens* dicenti, *cauſam morbi comitialis eſſe quando ille dirus humor refluxit in caput: nullatenùs videor fruſtrà interrogaviſſe, num caput eſſet gravatum illi fœminæ, num collum ipſi torpidum eſſet, an ipſi tempora quaterentur,* atque *an aures ei tinnirent. Et porrò, quia confitebatur aurem dextram ſibi ſæpiùs ſonare, indicium erat morbi altiùs infixi. Dextræ enim partes corporis firmiores ſunt, & proptereà permittunt minùs ſpei ſanationis, quando ipſæ quoque vincuntur morbo. Porrò*

NOTÆ.

1. *Majorem.*] Corn. Celſus vocat etiam eum *majorem morbum*, eâdem ratione quâ *vis major* Latinis dicitur, cui reſiſti non poteſt. Heſychius Μεγάλη νόσος ἢ ἐπιληψία. Galenus lib. Epidem. *Herculeum* etiam hunc morbum dici autumat, non quòd Hercules eâ laboraverit, ſed quia eſt invictus, vel, κατ᾽ ἐξοχὴν, quomodo & *ſonticus* eſt appellatus: cùm aliàs omnis morbus, qui cuique rei agendæ impedimento eſt, *ſonticus* dicatur, ut docent Plin. & Juriſconſulti.

2. *Et Comitialem.*] Sic dictus eſt, quòd in comitiis de repente cuipiam interveniens, ea turbaret. Hinc de eo Q. Sammonicus Serenus:

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
Quod fieri nobis ſuffragia juſta recuſat.
Sæpè etenim, membris atro languore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.

3. *Divinum morbum.*] Sive ob eam rationem, quam ſubjungit Apuleius, ſive quia eum crederent θεόπεμπτον à Diis immiſſum, ſeu potiùs quia habebet θεοῦ βίαν *vim majorem.*

4. ἱερὰν νόσον.] *Sacrum morbum.* Quemadmodum etiam dictus eſt à Latinis.

5. *Videlicet quod animi partem, &c.*] Interpretatur illa Platonis: νόσημα δ᾽ ἱερᾶς ὂν φύσεως ἐνδικώτατα ἱερὸν λέγεται. *morbus ad ſacram ſeu divinam naturam* (hoc eſt, ut intelligit noſter, animum hominis) *pertinens, juſtiſſimè ſacer ſeu divinus dicitur.*

6. *Agnoſcis.*] Quia ſuprà dixit: *admonendus es mihi, non docendus.*

7. *Cui ego fidem arbitratus.*] Hoc eſt, *fidem habens.* ſimiliter Plautus, in Bacchid.

Poſtremò, ſi pergis, parùm mihi fidem arbitrarier.

Problematis ſcriptum reliquit, [1] quibus æquè caducis à dextro morbus occipiat, eorum eſſe difficiliorem medelam. Longum eſt, ſi velim Theophraſti quoque ſententiam de eodem morbo recenſere. eſt enim etiam ejus egregius liber *De caducis*. Quibus tamen in alio libro, quem [2] *De invidentibus animalibus* conſcripſit, remedio eſſe ait exuvias [3] ſtellionum, quas velut ſenium, more cæterorum ſerpentium, temporibus ſtatutis exuant: ſed niſi confeſtim eripias, [5] (malignóne præſagio, an naturali adpetentiâ) illicò convertuntur, & devorant. Hæc idcircò commemoravi nobilium philoſophorum diſputata, ſimul & libros ſedulò nominavi, nec ullum ex medicis aut poëtis volui attingere, ut iſti deſinant mirari, [4] ſi philoſophi ſuâpte doctrinâ cauſas morborum & remedia noverunt. Igitur, cùm ad inſpiciendum mulier ægra, curationis gratiâ, ad me perducta ſit, atque

INTERPRETATIO.

Ariſtoteles ſcripſit in ſuis Problematis ſimiliter, difficiliorem eſſe curationem illorum epilepticorum, quibus ægritudo incepit à dexterâ parte. *Diutiùs morarer, ſi vellem referre etiam opinionem Theophraſti de eadem ægritudine. nam extat quoque præclarus ejus liber* De epilepticis. *Quibus nihilominùs dicit in alio volumine, quem compoſuit* de animalibus invidis, *medelam afferre ſpolia ſtellionum, quæ illi deponunt certis temporibus tanquam ſenectutem ſuam, ſecundùm conſuetudinem reliquorum reptilium: at ni ſtatim eis ſubtrahas, pretinùs ſe convertunt, & abſorbent* ea, neſcio *an prænotione invidâ, an* verò *appetitu naturali. Ideò narravi iſtas diſputationes inclytorum philoſophorum, ſimul & citavi accuratè libros* eorum, *neque volui citare quemquam medicorum, vel poëtarum, ut hi jam non mirentur, ſi philoſophi cognoſcunt ſuâ propriâ ſcientiâ cauſas ægritudinum, & medelas earum. Cùm ergo fœmina morbida adducta ſit ad me, ut eam viderem, & ſanarem, & conſtet teſtimo-*

NOTÆ.

1. *Quibus æquè caducis.*] τὸ *æquè* abundat, aut certè ſonat *maximè, præſertim*. Sic lib. 8. Metam. *canis adæquè venaticus.* & lib. 6. *crebris æquè ingeſtis ictibus.*

2. *Egregius liber de caducis.*] Hujus meminit Laërtius, ſed hac inſcriptione: περὶ ἐπιλήψεως. *de epilepſiâ.*

3. *De invidentibus animalibus.*] Sic Caſaubonus rectè emendavit, pro *de non videntibus*. Titulum hunc habet Laërtius in Theophraſti operum catalogo: περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν, *de iis animalibus quæ invidere dicuntur.* Hujus libri fragmentum extat in bibliothecâ Photii, pag. 862. ὅτι ὁ γαλεώτης, φασὶ, φθονῶν τῆς ὠφελείας τοῖς ἀνθρώποις, καταπίνει τὸ δέρμα, ὅταν ἐκδύνῃ. ἐστι γὰρ βοήθημα ἐπιληπτοις. Ad ea Theophraſti verba procul dubio hîc reſpicit Apuleius Stellionem Plinius, non γαλεώτην ſolùm, ſed & κωλώτην, & ἀσκαλαβώτην dici ſcribit, lib. 29. cap. 4.

4. *Stellionum.*] Rationem hujus nominis pete ex his Ovid. Metamorph. lib. 3. fab. 7.

Nomen habet variis ſtellatus corpora guttis.

5. *Malignóne præſagio.*] Quod exuvias ſuas uſui fore epilepticis ſentiat, ideoque, hominum utilitati malignè invidens, illas devoret. Hoc ſibi volunt illa Theophraſti: φθονῶν τῆς ὠφελείας τοῖς ἀνθρώποις.

6. *Si philoſophi &c.*] Inter quos Apuleius nomen profitebatur ſuum. à quo proinde alienum non erat morborum cauſas & remedia noſſe.

hoc

hoc, & medici confeſſione, qui adduxit, ad meam ratiocinationem rectè factum eſſe conveniat; aut conſtituant, Magi & malefici hominis eſſe, morbis mederi: aut ſi hoc dicere non audent, fateantur ſe in puero & muliere caducis, vanas & prorſus caducas calumnias intendiſſe. Imò enim, ſi audire verum velis, Æmiliane, tu potiùs caducus, [1] qui jam tot calumniis cecidiſti. Neque enim graviùs eſt corpore quam corde collabi: pede potiùs quam mente corruere: [2] in cubiculo deſpui, quam in iſto ſplendidiſſimo cœtu deteſtari. At tu fortaſſe te putas ſanum, quòd non domi contineris, ſed inſaniam tuam, quoquò te duxerit, ſequeris. Atqui ſi contendere vis furorem tuum cum Thalli furore, invenies non permultum intereſſe: [3] niſi quòd Thallus ſibi, tu etiam aliis furis. Cæterùm [4] Thallus oculos torquet, tu veritatem: Thallus manus contrahit tu patronos: Thallus pavimentis illiditur, tu tribunalibus. Poſtremò ille quidquid agit, in ægritudine facit, ignorans peccat: at tu miſer, prudens & ſciens delinquis. tanta vis morbi te inſtigat! falſum pro vero inſimulas, infectum pro facto criminaris. quem innocentem liquidò ſcis, tamen accuſas ut nocentem. Quinetiam, quod præterii, ſunt quæ

INTERPRETATIO.

nio medici, qui eam *adduxit, benè factum fuiſſe juxtà meum ratiocinium; vel decernant pertinere ad Magum, & veneficum hominem, ſanare morbos: vel ſi vereantur hoc dicere, concedant ſe intentâſſe accuſationes inanes, & penitùs fluxas, in puero & fœminâ epilepticis. Quinimmò, ſi vis audire verum, ô Æmiliane, tu potiùs es caducus, qui jam decidiſti tot falſis accuſationibus. Nam non eſt gravius corruere corpore, quàm mente: cadere potiùs pede, quàm animo: conſpui in cubiculo,* potiùs, *quàm execrationibus peti in hac illuſtriſſimâ concione. Sed tu forſitan credis te eſſe ſanæ mentis, quia non coërceris domi, ſed ſequeris ſtultitiam tuam quocumque te pertraxerit. Sed ſi vis comparare dementiam tuam cum dementiâ Thalli, reperies, non magnum eſſe diſcrimen; niſi quòd Thallus inſanit in ſuam tantùm perniciem, tu* verò *etiam in alienam. Porrò Thallus contorquet oculos, tu* autem *veritatem: Thallus ſtringit manus, tu Advocatos: Thallus alliditur ad pavimenta, tu ad tribunalia. Denique, quidquid ille facit,* illud *facit in morbo, delinquit ex ignorantiâ: tu verò, improbe, peccas ſciens videnſque. tanta violentia morbi te incitat! defers falſum pro vero, accuſas quod non factum eſt, tanquam ſit factum. criminaris tanquam ſontem eum, quem manifeſtò cognoſcis eſſe inſontem. Quin & (quod prætermiſeram)*

NOTÆ.

1. *Qui jam tot calumniis cecidiſti.*] Qui jam tot calumnias adverſùs me intendiſti, ſed fruſtrà, quippe quas ego egregiè ad unam omnes refutavi. Variè ludit in verbis *caducus*, & *cadere*, & alludit ad ſolemnia hæc, *causâ*, *formulâ cadere, &c.*

2. *In cubiculo deſpui.*] Quod fieri ſolitum epilepticis probet vel hic Plauti locus ex Captivis.

Illic iſti, qui inſputatur, morbus interdum venit.

3. *Niſi quòd Thallus ſibi, tu etiam aliis furis.*] Id eſt, *Thalli morbus nemini nocet, niſi ipſi, tuus verò furor, ô Æmiliane, nocet aliis.*

4. *Thallus oculos torquet, tu veritatem, &c.*] Frigidiuſculæ alluſiones.

fatearis neſcire : & eadem rursùs, quaſi ſcias, criminaris. Ais enim me habuiſſe quædam ſudariola involuta apud Lareis Pontiani. Ea involuta quæ & cujuſmodi fuerint, neſciſſe te confiteris : neque prætereà quemquam eſſe qui viderit. tamen illa contendis inſtrumenta Magiæ fuiſſe. Nemo tibi blandiatur Æmiliane. non eſt tua iſta in accuſando verſutia, [1] ac ne impudentia quidem, ne tu arbitreris. Quid igitur? furor infelix acerbi animi, & [2] miſera inſania crudæ ſenectutis. His enim pænè verbis cum tam gravi & perſpicaci judice egiſti : *Habuit Apuleius quæpiam linteolo involuta* [3] *apud Lareis Pontiani. hæc quoniam ignoro quæ fuerint, idcircò Magica fuiſſe contendo. crede igitur mihi quod dico, quia id dico quod neſcio.* O pulchra argumenta, & apertè crimen revincentia! Hoc fuit, quoniam quid fuerit ignoro. Solus repertus es, Æmiliane, qui ſcias etiam illa quæ neſcis. tantum ſuper omneis ſtultitiâ evectus es! quippe, qui ſolertiſſimi & acerrimi Philoſophorum fuerunt, ne iis quidem confidendum eſſe aiunt, quæ videmus. At tu de illis quoque affirmas, quæ neque conſpexiſti unquam, neque audiſti. Pontianus ſi viveret, atque

Interpretatio.

quædam ſunt, quæ confiteris te *ignorare: quæ tamen accuſas perinde, ac ſi* ea *cognoſceres. Nam dicis me habuiſſe apud penates Pontiani quædam linteola involuta. Fateris te ignoraviſſe, quæ & qualia fuerint, quæ involuta erant : & inſuper neminem eſſe qui* ea *viderit.* & *tamen affirmas illa fuiſſe inſtrumenta Magiæ. Nemo aduletur tibi, ô Æmiliane. non eſt hæc tua calliditas in accuſando, & ne audacia quidem, ne tu* id *putes. Quidnam* eſt *ergo?* eſt *rabies miſera mentis exaſperatæ, & infortunata dementia ſenectæ acerbæ. Etenim accusâſti* me *apud judicem tam gravem & ſolertem his ferè verbis :* Apuleius habuit apud Penates Pontiani, quædam circumdata ſudariolo. quia neſcio quænam illa fuerint, ideò affirmo *ea* fuiſſe Magica. ergo crede mihi quod dico, quoniam illud dico quod ignoro. O *ratiocinia egregia, & quæ manifeſtè probant crimen! Fuit hoc, quia neſcio quid fuerit. Tu unus es inventus, ô Æmiliane, qui noveris etiam illa, quæ ignoras. uſque adeò ſuperas omnes dementiâ! illi enim ex philoſophis, qui fuerunt ſagaciſſimi & conſtantiſſimi dicunt, ne illis quidem, quæ cernimus, omninò credendum eſſe. Tu verò pronuntias etiam de illis, quæ nunquam vidiſti, neque audiviſti. Si Pontianus viveret, & quæreres ab eo,*

Notæ.

1. *Ac ne impudentia quidem, &c.*] Quam tibi exprobrari, ut aſſuetus es, & ita non admodùm graviter ferres, quinimmò fortaſſe gloriareris; adeò fronte perfricta es : ſed eſt furor ac mera rabies, cujus te accuſari iniquiori animo toleras. Hic, ut puto, ſenſus hujus loci eſt, nec τὸ *impudentia* in τὸ *imprudentia* mutatum velim, quidquid dicat Pricæus.

2. *Miſera inſania crudæ ſenectutis.*] Hinc non ſatis me expedio. Inſania enim ſeu delirium decrepitæ potiùs, quàm crudæ ſenectutis eſt, quin & hunc Æmilianum infrà *Capularem* vocat, & alibi *hominem præcipitis ævi, & occiduæ ſenectutis.* niſi (quod unum occurrit) dicere velimus *crudam ſenectutem* hîc intelligendam non *viridem,* qualem Charonti tribuit Virgilius, ſed quæ in corpore caduco animum habeat crudum adhuc, & immaturum.

3. *Apud Lares Pontiani.* In Lario, ubi & bibliothecam habebat.

eum interrogares quæ fuerint in illo involucro; neſcire ſe reſponderet. Libertus etiam ille qui claves ejus loci in hodiernum habet, & à vobis ſtat, nunquam ſe ait inſpexiſſe; quanquam ipſe aperiret (utpote promus librorum qui illic erant conditi) pænè quotidie, & clauderet; ſæpe nobiſcum, multò ſæpiùs ſolus intraret, linteum in menſâ poſitum cerneret, ſine ullo ſigillo, ſine vinculo. Quidni enim? Magicæ res in eo occultabantur; eo negligentius adſervabam. Sed enim liberè ſcrutandum & inſpiciendum, ſi libêret, etiam auferendum temere exponebabam, alienæ cuſtodiæ commendabam, alieno arbitrio committebam. Quid igitur impræſentiarum vis tibi credi, quod ne Pontianus quidem ſciret, qui in individuo contubernio mecum vixit, id te ſcire, quem nunquam viderim niſi pro tribunali? An quod libertus aſſiduus, cui omnis facultas inſpiciendi fuit, quod is libertus non viderit, te, qui nunquam eo acceſſeris, vidiſſe? denique ut quod non vidiſti, id tale fuerit, quale dicis? Atqui ſtulte, ſi hodie illud ſudariolum tu intercepiſſes, quidquid ex eo promeres, ego Magicum negarem. Tibi adeo permitto. finge quidvis, [1] reminiſcere, excogita, quod poſſit Magicum videri; tamen de eo tecum decertarem. aut ego ſubjectum dicerem, aut remedio acceptum, aut ſacro traditum, aut [2] ſomnio imperatum. Mille alia ſunt, quibus

INTERPRETATIO.

quænam fuerint in illo involucro: reſponderet ſe ignorare. Ille quoque libertus, qui habet claves illius loci uſque ad hodiernum diem, *quique eſt veſtrarum partium, dicit ſe nunquam intuitum eſſe: quamvis ipſe recluderet ferè quotidie (quippe qui depromebat libros, qui in eo aſſervabantur) & clauderet; frequenter nobiſcum, at ipſe ſolus ingrederetur longè ſæpius, videretque linteum poſitum in menſâ abſque ullo ſigillo, abſque ligamine. Cur non enim? Res magicæ abſconditæ erant in eo, proptereà cuſtodiebam illud incurioſiùs. Quin & objiciebam* illud *negligenter, ut liberè pervestigaretur. & conſideraretur, & aſportaretur* etiam, *ſi libitum eſſet, committebam* illud *tutelæ alienæ, relinquebam alienæ voluntati. Quid ergo vis nunc, ut tibi credatur? an te, quem nunquam aſpexi niſi ante tribunal, cognoſcere* illud, *quod ne Pontianus quidem cognoſceret, qui vixit mecum ſocietate inſeparabili? An quia libertus perpetuò præſens* fuit, *& ei omnimoda poteſtas fuit illud conſiderandi*, vis credi *te, qui nunquam illuc veneris, aſpexiſſe id, quod ille libertus non aſpexerit? poſtremò, vis-ne* credi *id, quod non aſpexiſti, tale fuiſſe, quale ais? Sed ô ſtolide, ſi tu intervertiſſes hodie illud linteolum, quidquid proferres ex illo, ego inficiarer* illud eſſe *Magicum. Cæterùm per me licet, excogita, reputa, comminiſcere quidlibet, quod poſſit exiſtimari Magicum; contenderem tamen de eo tecum. vel ego dicerem* illud eſſe *ſuppoſitum, vel me accepiſſe in medicamen, vel* mihi fuiſſe *datum ad ſacrum* faciendum, *vel mihi præceptum fuiſſe in ſomnis. Sunt mille aliæ* reſponſio-

NOTÆ.

1 *Reminiſcere.*] Id eſt, *comminiſcere.* ſimili ſenſu infrà: *fingite aliquid, reminiſcimini quid reſponderetis.*

2. *Aut ſomnio imperatum.*] Petronius: *Medicinam ſomno petii, juſſaque ſum vos perquirere, &c.*

poſſem more communi, & vulgatiſſimâ obſervationum conſuetudine verè refutare. Nunc id poſtulas, ut quod deprehenſum & detentum, tamen nihil me apud bonum judicem læderet, id inani ſuſpicione incertum & incognitum condemnet. Haud ſciam an rursùs, ut ſoles, dicas: *Quid ergo illud fuit, quod linteo tectum* [1] *apud Lares potiſſimum depoſuiſti?* ita-ne eſt, Æmiliane? ſic accuſas, [2] ut omnia à reo percontêre, nihil ipſe adferas cognitum. *Quamobrem piſceis quæris? Cur ægram mulierem inſpexiſti? quid in ſudario habuiſti inſutum?* Accuſatum, an interrogatum veniſti? ſi accuſatum tutè argue quæ dicis: ſi interrogatum, noli præjudicare quid fuerit, quod ideò te neceſſe eſt interrogare, quia neſcis. Cæterùm hoc quidem pacto omneis homines rei conſtituentur; ſi ei, qui nomen cujuſpiam detulerit, nulla neceſſitas ſit probandi, omnis contrà facultas percontandi. Quippe omnibus, ſi cui fortè negotium Magiæ faceſſetur, quidquid omninò egerint, objicietur. [3] Votum in alicujus ſtatuæ femore aſſignâſti; igitur Magus es: aut cur aſſignâſti? [4] Tacitas preces in

INTERPRETATIO.

nes, *quibus poſſem verè* hoc *refellere, juxtà morem communem, & conſuetas obſervationes. Nunc vis ut hoc, quod eſt dubium ex vanâ ſuſpicione, & ignotum, me damnet, quod nullatenùs mihi noceret coràm probo judice, quamvis eſſet deprehenſum & patefactum. Neſcio an iterùm dicturus ſis, ſicut conſueviſti:* Quid igitur illud erat, quod poſuiſti apud Penates Pontiani opertum linteo? *Siccine eſt, Æmiliane? ita accuſas, ut quæras omnia à reo, tu verò nihil proferas notum.* Quare inveſtigas piſces? quare conſideraviſti fœminam ægrotam? quidnam habuiſti inſutum in linteo? *Veniſti-ne me inſimulatum, an* verò *percontatum? ſi* veniſti *inſimulatum; proba tu ipſe* ea, *quæ dicis: ſi* veniſti *percontatum, ne antè judices quid fuerit, quod propter eà tu cogeris percontari* quid ſit, *quoniam ignoras. Porrò cuncti homines quidem fient rei hac ratione; ſi ille, qui accuſaverit quempiam, non cogatur probare, ſed contrà poſſit interrogare* ut libuerit. *Nam objectabitur omnibus id omne quod fecerint (ſi fortè lis intentabitur cuipiam ob Magiam.) Affixiſti votum cruri alicujus ſimulachri; ergo tu es Magus: aut quare affixiſti? Emi-*

NOTÆ.

1. *Apud Lares potiſſimùm.*] Benè ex ſuperioribus reſtituas *apud Lares Pontiani.*

2. *Ut omnia à reo percontere, nihil ipſe afferas cognitum.*] Non licet accuſatori, vel actori, reum interrogare lite non conteſtatâ, nec accuſatione inſtitutâ, id eſt, crimine ipſo non propoſito. iniquiſſimum enim eſſet ex interrogatione Rei, vel reſponſione, accuſationem formare. immò accuſatione jam inſtitutâ, Accuſator Reum interrogare non poteſt, & jure renuat Reus reſpondere. præſertim ubi de crimine ſuo interrogatur: ſed illud eſt officium judicis.

3. *Votum in alicujus ſtatuæ femore aſſignâſti.*] Mos hic fuit veteribus, ut vota ſua & preces tabellis conceptas conſcriptaſque, & cerâ obſignatas Deorum genibus affigerent. atque hoc vocabant *votum*, ſeu *preces*, ſeu *orationem ſignare, adſignare.* Juvenalis dixit:

-genua incerare Deorum

ſenſu, ut arbitror, eodem, quo noſter hîc *votum in ſtatuæ femore Aſſignaſti.*

4. *Tacitas preces, &c.*] Veteribus tamen etiam tacitæ preces damnatæ

templo Deis allegaſti; igitur Magus es : aut quid optaſti? Contrà, nihil in templo precatus es ; igitur Magus es : aut cur Deos non rogaſti? Similiter ſi poſueris donum aliquod , ſi ſacrificaveris , [1] ſi verbenam ſumpſeris. Dies me deficiet, ſi omnia velim perſequi, quorum rationem ſimiliter calumniator flagitabit. Præſertim quod conditum cunque, quod obſignatum, quod incluſum domi adſervatur, id omne eodem argumento Magicum dicetur : aut è cellâ promptuariâ in forum atque in judicium proferetur. Hæc quanta ſint , & cujuſmodi , Maxime , quantuſque campus calumniis hoc Æmiliani tramite aperiatur , [2] quantique ſudores innocentibus hoc uno ſudariolo adferantur , poſſem equidem pluribus diſputare. ſed faciam quod inſtitui. etiam quod non neceſſe eſt confitebor : & interrogatus ab Æmiliano reſpondebo. Interrogas Æmiliane quid in ſudario habuerim. at ego, quanquam omnino poſitum ullum ſudarium meum in bibliotheca Pontiani poſſim negare, tamen maximè fuiſſe conce-

INTERPRETATIO.

ſiſti ad Deos preces ſecretas in fano; ergo tu es Magus : vel quid petiviſti? E contrario, nullas preces fudiſti in fano; ergo tu es Magus: aut quare non precatus es Deos? Eodem modo ſi obtuleris aliquod munus, ſi feceris ſacrum, ſi ceperis verbenam. Dies mihi deerit, ſi voluero enumerare omnia, quorum improbus accuſator poſtulabit rationem in hunc modum. In primis, quidquid abſconditum, quidquid obſignatum, quidquid clauſum cuſtoditur in ædibus, id totum dicetur eſſe *Magicum, eodem ratiocinio: vel deprometur ex apothecâ in forum, & in judicium. Poſſem ſanè oſtendere longo ſermone, quanta hæc ſint, & qualia, & quantum ſpatium calumniis pateſiat hac ſemitâ Æmiliani, ô Maxime, & quanti labores creentur inſontibus hoc ſolo linteolo. ſed faciam quod cœpi* facere. *fatebor etiam quod non eſt neceſſe: & reſpondebo licèt interroger ab Æmiliano. Quæris, ô Æmiliane, quidnam habuerim in ſudario. Ego verò tametſi poſſim inficiari ullum prorsùs ſudarium meum poſitum fuiſſe in bliothecâ Pontiani; nihilominùs, ô Maxime, dabo fuiſſe* poſitum *: cùm ſu-*

NOTÆ.

quoque ſunt, & ſceleratorum hominum creditæ, qui ea Deos rogarent, quæ audientibus aliis hominibus pronuntiare erubuiſſent, putà cognatorum mortes, &c. Unde Perſius, Sat. 2.

Mens bona, fama, fides. hæc clarè, & ut audiat hoſpes:
Illa ſibi introrsùm, & ſub linguâ murmurat: ô ſi
Ebullit patrui præclarum funus! &c. ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam, &c.

1. *Si verbenam ſumpſeris.*] Ornandæ aræ, aut ex ipsâ arâ, ut tecum feras domum.

2. *Quantique ſudores innocentibus hoc uno ſudariolo afferantur.*] Feſtivè ſuo more ludit in vocibus *ſudores* & *ſudariolo*, quo ſudores detergeri ſolent, non afferri. Senſus eſt : Si trahatur in exemplum futilis hæc Æmiliani de ſudario accuſatio, & ex quo quis involutum quidpiam linteo habuerit, Magiæ eum illicò accuſare liceat; quanti labores, & quanta pericula innocentibus imminent!

dam: cùm habeam dicere, nihil in eo involutum fuiſſe. quæ ſi dicam; neque teſtimonio aliquo, neque argumento revincat. Nemo enim qui attigerit eſt : unus libertus, ut ais, qui viderit. tamen, inquam, per me licet fuerit repertiſſimum. ſic enim, ſi vis, arbitrare : [1] ut olim Ulixis ſocii theſaurum reperiſſe arbitrati ſunt, cùm [2] utrem ventoſiſſimum [3] manticularentur. Vin' dicam, cujuſmodi illas res in ſudario obvolutas Laribus Pontiani commendarim? Mos tibi geretur. [4] Sacrorum pleraque initia in Græciâ participavi. Eorum quædam ſigna & monumenta, tradita mihi à ſacerdotibus, ſeduló conſervo. Nihil inſolitum, nihil incognitum dico: [5] vel unius Liberi patris ſymmiſtæ, qui adeſtis, ſcitis, quid domi conditum celetis, & abſque omnibus profanis tacitè veneremini. At ego, ut dixi, multijuga ſacra, & plurimos ritus, varias cerimonias, ſtudio veri, & officio erga Deos didici. Nec hoc ad tempus compono : ſed abhinc fermè triennium eſt, cum primis diebus quibus Oeam veneram, publicè diſſerens de Æſculapii majeſtate, eadem iſta præ me tuli, & quot ſacra noſſem

INTERPRETATIO.

perſit mihi quod dicam, nihil fuiſſe abſconditum in eo. quæ ſi dixero, nullo teſtimonio refellar, neque ullâ probatione. Nam nullus eſt, qui illud *contrectaverit : unus* eſt tantùm *libertus, qui aſpexerit, ut dicis. ſed eſto, inquam, fuerit maximè compertum. crede enim ita, ſi vis : ut quondam comites Ulyſſis crediderunt ſe inveniſſe theſaurum, cùm ſecarent corium refertiſſimum ventis. Vis-ne* ut tibi *aperiam quales fuerint illæ res involutæ ſudario,* quas *commiſerim Penatibus Pontiani? Parebitur tibi. Initiatus fui maximâ parte ſacrorum in Græciâ. Servo diligenter quaſdam notas, & inſignia eorum, data mihi à ſacerdotibus. Nihil dico inſuetum, nihil ignotum. vel vos ſoli conſacranei patris Bacchi, qui hîc adſtatis, noſtis, quid tegatis domi abſconditum, & colatis ſecretò procul ab omnibus profanis. Ego autem, ut* jam *dixi, inſtructus ſum variis religionibus, permultis ritibus, diverſis cærimoniis, amore veritatis, & obſequio erga Deos. Neque hoc comminiſcor* nunc *ex tempore : ſed tres anni ferè ſunt, ex quo hæc eadem profeſſus ſum, & enumeravi quot ſacris eſſem imbutus, cùm publicè verba facerem de numine Æſculapii, primis diebus, quibus*

NOTÆ.

1. *Ut olim Ulyxis ſocii, &c.*] Refertur hoc Ὀδυσσείας K.

2. *Utrem ventoſiſſimum.*] In quo nempè concluſos ventos omnes Ulyſſi, præter eum, qui ipſi eſſet opus ad patriam petendam, Æolus tradiderat.

3. *Manticularentur.*] Secarent, ſurripiendorum, quos ei ineſſe credebant, nummorum gratiâ. *Manticularum uſus,* inquit Feſtus, *pauperibus in nummis recondendis etiam noſtro ſæculo fuit. unde manticulari dicebantur, qui furandi gratiâ, manticulas attrectabant.*

4. *Sacrorum pleraque initia in Græciâ participavi.*] Metamorph. 3. *ſacris pluribus initiatus.* Vide ejuſdem initiationem ſacris Iſidis, lib. Metamorph. ultimo pag. 386. & ſeqq.

5. *Vel unius Liberi patris Symmyſtæ, qui adeſtis.*] Hoc eſt, *vos, qui ſacris Bacchi, itidem atque ego, initiati eſtis.* Gloſſ. Συμμύστης *Conſacraneus.*

percenſui. [1] Ea diſputatio celebratiſſima eſt: vulgo legitur: in omnium manibus verſatur, non tam facundiâ illâ, quam [2] mentione Æſculapii, religioſis Oeenſibus commendata. Dicite aliqui, ſi quis fortè meminit, hujus loci principium. [3] Audiſne, Maxime, multos ſuggerentes? immò ecce etiam liber offertur. recitari ipſa hæc jubebo: quoniam oſtendis humaniſſimo vultu, auditione te iſtâ non gravari. LOCUS EX ORATIONE APULEI OEÆ HABITA. Etiámne cuiquam mirum videri poteſt, cui ſit ulla memoria religionis, hominem [4] tot myſteriis Deûm conſcium, [5] quædam ſacrorum crepundia domi adſervare: atque ea lineo texto involvere, quod puriſſimum eſt rebus divinis velamentum? Quippe lana, [6] ſegniſſimi

INTERPRETATIO.

veneram Oeam. Oratio illa eſt pervulgatiſſima: legitur ab omnibus: teritur manibus omnium, accepta piis Oeenſibus, non tam eloquentiâ meâ, quàm quòd de Æſculapio loquitur. Referte, heus aliqui, *initium hujus loci, ſi fortè aliquis veſtrûm recordatur. Maxime, audiſne plurimos ſuggerente? quin imò & liber quoque exhibetur. præcipiam. ut hæc ipſa legantur: quia indicas tuâ comiſſimâ facie, te hæc audire non illibenter.* LOCUS EX ORATIONE APULEII OEÆ HABITA. *An quiſquam, qui aliquo modò recordetur ſacrorum, poteſt adhuc mirari, quòd vir, particeps tot myſteriorum divinorum, conſervet domi quædam monumenta ſacrorum, & illa involvat telâ lineâ, quæ eſt puriſſimum involucrum rerum ſacrarum? Lana enim*, quæ eſt *excrementum cor-*

NOTÆ.

1. *Ea diſputatio celebratiſſima eſt, &c.*] Periit hæc de Æſculapio oratio. Periit & alia, quam Lucium noſtrum apud eoſdem Oeenſes, de ſtatuâ ſibi locandâ, adversùs contradictionem quorumdam civium habuiſſe, refert D. Auguſtinus, ad Marcellinum Epiſtolâ 5. quanquam in Floridis Fragmentum extat Apuleianæ orationis non apud Oeenſes quidem, ſed Carthaginienſes, ſtatuæ decretæ causâ, habitæ.

2. *Mentione Æſculapii religioſis Oeenſibus commendata.*] Æſculapius enim tutelare Oeenſium numen erat, ut refert Tertullianus. fuitque Oeæ nobile illius Dei templum. ideò oratio hæc non potuit non eſſe Oeenſibus gratiſſima. Celebratus etiam ſingulari cultu fuit Æſculapius apud Carthaginienſes. lib. 4. Florid. *Nunc quoque igitur principium apud veſtras aures auſpicatiſſimum ab Æſculapio Deo capiam, qui arcem veſtræ Carthaginis indubitabili numine propitius reſpicit.* ad quem locum vide quæ obſervavimus.

3. *Audis ne. Maxime, multos ſuggerentes, &c.*] Hui! tam attemperatè! ne credas hoc fortuitò factum. de compacto res gerebatur. præmonuerat ac conduxerat, qui initium ſuæ orationis ſuggererent roganti, librumque etiam ipſum offerrent. eſt hoc oratorium artificium.

4. *Tot myſteriis Deûm conſcium.*] Pro *tot myſteriorum conſcium*. Sic Avienus, in Perieg.

qua ſurgenti terræ pars conſcia Phœbo eſt.

Et Tibullus:

levis occultis conſcia ciſta ſacris.

5. *Quædam ſacrorum crepundia.*] *Crepundia* ſunt ſunt propriè, quæ pueris initio dari ſolent munuſcula, ad oblectationem. Transfert hoc verbum noſter ad ea ſignificanda, quæ infrà appellat *ſacrorum ſigna & memoracula*. Sicut enim crepundiis plerumque expoſititii pueri à ſuis agnoſcebantur parentibus, ita his ſacrorum monimentis agnoſcebantur, qui iis fuerant initiati.

6. *Segniſſimi corporis.*] Ovium nempè. quod genus pecoris maximè ſegne eſt & imbelle.

corporis excrementum, pecori detracta, jam inde [1] Orphei & Pythagoræ ſcitis, profanus veſtitus eſt. Sed enim mundiſſima lini ſeges, inter optimas fruges terrâ exorta, [2] non modò indutui & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum ſacerdotibus, ſed opertui quoque in rebus ſacris uſurpatur. Atqui ego ſcio nonnullos, & cum primis Æmilianum iſtum, facetiæ ſibi habere, res divinas deridere. Nam, ut audio, percenſentibus iis qui iſtum novere, nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit, nullum templum frequentavit. ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet, [3] adorandi gratiâ manum labris admovere. Iſte verò nec [4] Diis rurationis, qui eum paſcunt ac veſtiunt, ſegetis ullas, aut vitis, aut gregis primitias impartit. [5] nullum in villâ ejus delubrum ſitum, nullus locus aut lucus conſecratus. Et quid ego de luco &

INTERPRETATIO.

poris inertiſſimi, utpote *detonſa pecudibus, jam pridem habetur veſtimentum profanum ex placitis Orphei & Pythagoræ. At verò puriſſima herba lini enata è terrâ inter optimas fruges, non ſolùm adhibetur ad veſtimentum & amictum caſtiſsimorum ſacerdotum Ægyptiorum, verùm etiam ad velamentum rerum ſacrarum. Sed ego compertum habeo aliquos, & in primis hunc Æmilianum, joco ducere, ludibrio habere res ſacras. Quantum enim intelligo ex narratione eorum qui cognoſcunt eum, nullum Deum oravit hactenus, nullum delubrum ingreſſus eſt. ſi tranſeat per aliquod templum, crimini ducit applicare manum labris venerationis ergò. Ipſe autem neque largitur ullas primitias frugum, aut vineæ, vel pecoris Diis agricolationis, qui alunt & veſtiunt eum. nullum fanum exſtructum eſt in ejus villâ, nullus eſt locus, nullum nemus conſecratum. Sed quare ego*

NOTÆ.

1. *Orphei & Pythagoræ ſcitis, profanus veſtitus eſt.*] Aut hîc noſter labitur, aut Laërtius, in Vitâ Pythagoræ, cùm ait, eum laneâ veſte, non lineâ uſum. Στολὴ δὲ αὐτῷ λευκὴ, καθαρὰ, καὶ στρώματα λευκὰ ἐξ ἐρίων. τὰ γὰρ λινὰ οὔπω εἰς ἐκείνους ἀφίκετο τοὺς τόπους. Quanquam quæ hîc habet Apuleius cum Philoſtrato in Vitâ Apollonii, infrà laudato, ſatis cohærere videntur.

2. *Non modò indutui & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum ſacerdotibus, &c.*] Apollonius apud Philoſtratum, καθαρὸν μὲν Ἰνδοῖς δοκεῖ (nempè λίνον) καθαρὸν δ' Αἰγυπτίοις· ἐμοὶ δὲ καὶ Πυθαγόρᾳ διὰ τοῦτο σχῆμα γέγονε. διαλεγομένοις, εὐχομένοις, θύουσι. Vide quæ de Zachla Ægyptio ſacerdote dicit noſter, Metamorph. 2. & quæ nos ad illum locum obſervavimus pag. 62.

3. *Adorandi gratiâ manum labris admovere.*] Non ergà Deos ſolùm, ſed & ergà homines potentiores, mos erat manum ori admotam oſculari. Phædrus hoc vocat *jactare baſia.*

4. *Diis rurationis.*] Quales erant Liber, & alma Ceres, necnon magna Pales, Pan ovium cuſtos, Sylvanus tutor finium, Priapus hortorum cuſtos, Nymphæ aquas irrigandis ſatis præbentes, Deus Terminus, &c.

5. *Nullum in villâ ejus delubrum ſitum.*] De ejuſmodi delubro agreſti Propertius, lib. 2.

Atque ibi rara feres inculto thura ſacello,
Hœdus ubi agreſtes corruet ante focos.

Cenſorinus, de Die natali: *& cùm agros atque urbes Deorum munere poſſiderent, partem quamdam templis ſacelliſque, ubi eos colerent, dicavêre.*

delubro

delubro loquor? Negant vidiſſe ſe, qui fuêre, unum ſaltem in finibus ejus [1] aut lapidem unctum, [2] aut ramum coronatum. Igitur agnomenta ei duo indita: Charon, ut jam dixi, ob oris & animi diritatem: ſed alterum, quod libentiùs audit, ob Deorum contemptum, [3] Mezentius. Quapropter facilè intelligo, haſce ei tot initiorum enumerationes nugas videri. & [4] fors fuat ut ob hanc divinicontumaciam non inducat in animum, verum eſſe quod dixi, me ſanctiſſimè tot ſacrorum ſigna & memoracula cuſtodire. Sed ego, quid de me Mezentius ſentiat, [5] manum non vorterim. Cæteris autem clariſſimâ voce profiteor, ſi qui fortè adeſt eorumdem ſolemnium mihi particeps, [6] ſignum dato, & audiat licet, quæ ego adſervem. Nam equidem

INTERPRETATIO.

loquor de nemore, & templo? qui fuerunt in ejus agris negant ſe in eis conſpexiſſe vel unum lapidem oleo perfuſum, aut ramum coronatum. Ergo impoſita ſunt ei duo agnomina: Charon, ut jam dixi, propter truculentiam vultûs, & mentis ejus: *ſed alterum etiam, Mezentius, propter aſpernationem Deorum, quod* agnomen *auſcultat æquiore animo. Quare ſatis video, enarrationes tot ſacrorum ei videri ineptias. & fortaſſe propter hunc contemptum Deorum, non ſibi perſuadebit, verum eſſe quod dixi, me religioſiſſimè aſſervare inſignia & monumenta tot initiationum. At ego minimè curo quid Mezentius credat de me. Palàm autem dico aliis voce altiſſimâ, ſi fortè fortunâ aliquis hic ſit initiatus iiſdem ſacris ac ego, proferat* aliquod *argumentum* hujus rei, *& licebit ei auſcultare quænam ego cuſtodiam. Nun-*

NOTÆ.

1. *Aut lapidem unctum.*] Floridorum 1. *vel lapis unguine delibutus.* Siculus Flaccus de conditionibus agrorum: *cùm terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant proximè ea loca, quibus, foſſis factis, defixuri eos erant, & unguento velaminibuſque & coronis eos coronabant.*

2. *Aut ramum coronatum.*] Ovid. 8. Metamorph.

pendentia vidi
Serta ſuper ramos.

3. *Mezentius.*] Hoc nomen fuit cujuſdam Tyrrhenorum Regis, ſummi Deorum contemptoris, qui ob immanem crudelitatem cum totâ familiâ expulſus, unà cum Lauſo filio ad Turnum Rutulorum Regem ſe recepit, ac deinde pro ipſo pugnans ab Ænea interfectus eſt in acie cum filio. Virgil Æneid. lib. 7.

Primus init bellum Tyrrhenis aſper ab oris
Contemptor Divûm Mezentius.

4. *Et fors fuat ut ob hanc divinicontumaciam, &c.*] Sic legit Caſaubonus, cujus veſtigiis inhæreo. *divinicontumaciam* uno verbo lege, ut ſuperiùs legiſti *artem piam, & divini-ſtientem. divinicontumacia* eſt divinarum rerum contemptus, & incredulitas. Gloſſarium: *Contumacia* καταφρόνησις ἀπείθεια.

5. *Manum non vorterim.*] Proverbium eſt, ſignificatque *minimè curo, ſuſdeque habeo.*

6. *Signum dato.*] Quo agnoſcam eum ſacris iiſdem eſſe initiatum, quibus ego ſum. Per ſignum autem illud vel intellige teſſeram vocalem, quales refert Caſaubonus ex Clemente Alexandrino & Arnobio, hanc Symmyſtarum Matris Deûm ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ἐπέδυον, & hanc Synorgiaſtarum Liberi patris, ἀστράγαλος, σφαῖρα, στρόβιλος, μῆλα, ῥόμβος, ἔσοπτρον, πόκος.

nullo unquam periculo compellar, quæ reticenda accepi, hæc [1] ad profanos enuntiare. Ut puto, Maxime, ſatis videor cuivis vel iniquiſſimo animum explêſſe, &, quod ad ſudarium pertineat, omnem criminis maculam deterſiſſe: ac bono jam periculo ad teſtimonium illud Craſſi, quod poſt iſta quaſi graviſſimum legerunt, à ſuſpicionibus Æmiliani tranſcenſurus. [2] Teſtimonium ex libello legi audiſti [3] gumiæ cujuſdam, & deſperati lurconis, Junii Craſſi, [4] me in ejus domo nocturna ſacra cum Appio Quintiano amico meo factitâſſe, qui ibi mercede diverſabatur. Idque ſe ait Craſſus, quanquam eo tempore vel Alexandriæ fuerit, tamen à cæde & fumo & [5] avium plumis comperiſſe. Scilicet eum, cùm Alexandriæ ſympoſia obiret (eſt enim Craſſus iſte, qui non invitus [6] de die in ganeas correpat) in illo cauponis

INTERPRETATIO.

quam enim certè inducar quocumque periculo, ut narrem profanis ea, quæ mihi credita ſunt ſilenda. Videor, ut arbitror, ô Maxime, ſatisfeciſſe cuilibet etiam injuſtiſſimo, & abſterſiſſe omnem notam ſceleris, quantum ſpectat ad linteum illud: *& jam poſſe ſecurè tranſire à ſuſpicionibus Æmiliani ad illud teſtimonium Craſſi, quod legerunt poſt hæc veluti maximi ponderis. Audiviſti legi ex tabellâ teſtimonium cujuſdam guloſi, & helluonis perditiſſimi Junii Craſſi, me celebrâſſe ſacrificia nocturna in ejus domo, cum Appio Quintiano amico meo, qui in eâ habitabat, conducto. Et Craſſus dicit ſe cognoviſſe hoc ex occiſione, & fumo, & pennis volucrum, quamvis eſſet in ipsâ urbe Alexandriâ tunc temporis. Nempè ipſe cùm celebraret compotationes Alexandriæ: (nam ille Craſſus* is *eſt, qui penetret ſe libenter per diem in popinas:) captans in illo vapore gurguſtii plumas*

NOTÆ.

& illam eorum, qui Eleuſiniis ſacris erant initiati. ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀποθέμενος εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. Vel intellige cuticulare quodpiam inviſum ſignum, quo eorumdem ſacrorum participes ſe invicem agnoſcebant, quod Minutius Felix vocat *corporis notaculum.* Et Prudentius σφραγῖδα quemadmodum refert Pricæus, qui hoc poſteriori ſenſu locum hunc mavult intelligere.

1. *Ad profanos.*] Non initiatos.

2. *Teſtimonium ex libello.*] Vim illius teſtimonii maximè minuebat, quòd ex libello per abſentem diceretur. niſi enim teſtimonia præſentibus teſtibus comprobentur, irrita ſunt, aut certè momenti leviſſimi. Cicero, pro L. Flacco. *Ergo is, cui, ſi aram tenens juraret, crederet nemo, per epiſtolam, quod volet, injuratus probabit?*

3. *Gumiæ cujuſdam & deſperati lurconis.*] Scaliger in notis ad Varronem *Gumia* à γόμος, *quod eſt*, πλήρωμα τῆς νεώς: *Latinis* Saburra: *inde Plauto, mulieres ſaburratæ.* Legitur hoc vocabulum apud Lucillium:

In quo Læliu' clamores ſophos ille ſolebat
Edere, compellans gumias ex ordine noſtros,
O Publi, ô Gurges Galloni, &c.

4. *Me in ejus domo nocturna ſacra, &c.*] Cornel. Nepos, in Vitâ Alcibiadis: *aſpergebatur infamiâ, quòd in domo ſuâ facere myſteria dicebatur.*

5. *Et avium plumis.*] Quas in ſacris illis nocturnis ad magicas artes ſacrificaviſſe Apuleium affirmabat.

6. *De die in ganeas correpat.*] Propriè *correpat. Ganeæ* enim, ſeu *ganea*, ut ex Gloſſario veteri patet, loca erant occulta & ſubterranea. & Donatus, in Adelph. Terentii: *Veteres ganeam meritoriam tabernam dixerunt* ἀπὸ τῆς γᾶς, τοῦτ' ἔστι τῆς γῆς.

nidore pinnas de penatibus ſuis advectas aucupantem, fumum domûs ſuæ agnoviſſe, patrio culmine longè exortum. Quem ſi oculis vidit; ultrà Ulixi vota & deſideria hic quidem eſt oculatus. [1] Ulixes fumum terrâ ſuâ emergentem compluribus annis è littore proſpectans, fruſtrà captavit: Craſſus in paucis, quibus abfuit, menſibus, eundem fumum ſine labore, in tabernâ vinariâ ſedens, conſpexit. Sin verò naribus nidorem domeſticum præſenſit, vincit idem ſagacitate odorandi [2] canes & vulturios. Cui enim cani, cui vulturio Alexandrini cœli quicquam [3] abuſque Oeenſium finibus oboleat? Eſt quidem Craſſus iſte ſummus helluo, [4] & omnis fumi non imperitus: ſed profectò pro ſtudio bibendi, [5] quo ſolo cenſetur, faciliùs ad eum Alexandriam vini aura, quàm fumi perveniſſet. Intellexit hoc & ipſe incredibile futurum. Nam dicitur ante horam diei ſecundam, jejunus adhuc [6] & abſtemius, teſtimonium iſtud vendidiſſe. Igitur ſcripſit, hæc ſe ad hunc modum comperiſſe. [7] Poſtquàm Alexandriâ revenerit, domum ſuam

INTERPRETATIO.

eò apportatas ex laribus ſuis, recognoverit fumum ſuarum ædium procul elatum ex faſtigio paternæ domûs. *Quem ſi conſpexit oculis* ſuis *ipſe profectò perſpicacior eſt, quàm Ulyſſes cupiverit, & optaverit* ſe eſſe. *Ulyſſes proſpiciens per multos annos ex orâ maris fumum ſurgentem è patriâ ſuâ, aucupatus eſt* eum *in vanum: Craſſus* verò *paucis menſibus, per quos abfuit, vidit eumdem fumum abſque labore, ſedens in cauponâ. Sin autem aſſecutus eſt naſo odorem ſuæ domûs, ipſe ſuperat canes & vultures ſubtilitate olfactûs. Nam quis canis, quis vultur regionis Alexandriæ odorari poſſit aliquid inde ab ipſâ regione Oeenſium? Iſte quidem Craſſus eſt maximus lurco, atque haud ignarus cujuſvis nidoris: at certè vapor vini faciliùs deferretur Alexandriam uſque ad eum, quàm* vapor *fumi, ob ardorem bibendi, quo uno celebratur. Ipſe etiam cognovit hoc non fore veriſimile. Fertur enim venundediſſe hoc teſtimonium ante ſecundam horam diei, cùm eſſet adhuc jejunus, & ſiccus. Scripſit ergo ſe cognoviſſe ea hoc pacto. Se* nempè, *cùm rediiſſet Alexandriâ, iviſſe*

NOTÆ.

1. *Ulyxes fumum terrâ ſuâ emergentem, &c.*] Alludit ad Homeri locum, Οδυσ. A. ubi Ulyſſes immortalitati præfert patriæ ſuæ aſpectum:

Et fumum patrio ſalientem cernere tecto.

ut ait ex Homero Horatius.

2. *Canes & vulturios.*] Quorum ſagacitas & odora vis vel inde deprehenditur, quòd ad jacentia cadavera & morticina ex longinquo conveniant. addere & his corvos licet.

3. *Abuſque Oeenſium finibus.*] Quod fieri non poteſt cùm civitas Oeenſis ſita ſit in Tripolitanâ regione Libyæ, ad illud littus, quod utramque Syrtim interjacet: Alexandria verò ad unum ex oſtiis Nili.

4. *Et omnis fumi non imperitus.*] Id eſt, paraſitus præſtantiſſimus. hæc enim ex præcipuis eorum dotibus fuit, ut culinarum nidorem ſcitè aucuparentur.

5. *Quo ſolo cenſetur.*] *Celebratur, clarus eſt.* Gloſſa *cenſeri* ἀναγράφεσθαι.

6. *Et abſtemius.*] Non quòd vinum nullatenùs biberet, ſed quia eâ diei horâ nondum biberat.

7. *Poſtquàm Alexandriâ revenerit.*] Oeam.

recta contendiſſe, ex quâ jam Quintianus migrârat. ibi in veſtibulo multas avium pinnas offendiſſe: præterea parietes fuligine deformatos: quæſiſſe cauſas ex ſervo ſuo, quem Oeæ reliquerat, eumque ſibi de meis & Quintiani nocturnis ſacris indicâſſe. Quàm verò ſubtiliter compoſitum, & veriſimiliter commentum, me, ſi quid ejus facere vellem, non domi meæ potiùs facturum fuiſſe? Quintianum iſtum, [1] qui mihi aſſiſtit, (quem ego pro amicitiâ, quæ mihi cum eo artiſſima eſt, próque egregiâ ejus eruditione, & perfectiſſimâ eloquentiâ, laudis & honoris gratiâ nomino:) hunc igitur Quintianum, ſi quas aveis in cœnâ habuiſſet, aut, quod aiunt, Magiæ causâ interemiſſet, puerum nullum habuiſſe qui pinnas converreret, & foras abjiceret? præterea fumi tantam vim fuiſſe, ut parietes atros redderet: eamque deformitatem, quoad habitavit, paſſum in cubiculo ſuo Quintianum? Nihil dicis, Æmiliane. non eſt veriſimile. niſi fortè Craſſus non in cubiculum reverſus perrexit, [2] ſed ſuo more rectà ad focum. Unde autem ſervus Craſſi ſuſpicatus eſt noctu potiſſimùm parietes fumigatos? an ex fumi colore? videlicet fumus nocturnus nigrior eſt, eóque diurno fumo differt? Cur autem ſuſpicax ſervus, ac tam diligens, paſſus eſt Quintianum migrare priùs, quàm mundam domum

INTERPRETATIO.

rectâ in ſuas ædes, ex quibus Quintianus jam exiverat. illic ſe reperiſſe multas plumas avium in veſtibulo: inſuper parietes inquinatos fuligine: ſe *percontatum fuiſſe cauſas à famulo ſuo, quem reliquerat Oeæ, atque illum ſibi aperuiſſe mea ſacrificia nocturna, & Quintiani. Quàm ſolerter autem confictum, & probabiliter excogitatum, me, ſi vellem facere aliquid hujuſmodi, non facturum potiùs in meis ædibus? illum Quintianum, qui mihi adeſt, (quem ego nomino honoris, & laudis causâ, propter amicitiam, quæ ſtrictiſſima intercedit inter me & ipſum, & propter præclaram ejus doctrinam, atque abſolutiſſimam facundiam:) illum, inquam, Quintianum, ſi habuiſſet aliquas volucres in cœnâ, vel occidiſſet Magiæ gratiâ, nullum habuiſſe ſervum qui verreret plumas, & projiceret foras? inſuper tantam extitiſſe copiam fumi, ut denigraret parietes: & Quintianum toleràſſe illam turpitudinem in ſuo cubiculo, quandiù* ibi *habitavit? Æmiliane, nihil dicis. non eſt hoc credibile. niſi fortè Craſſus, cùm rediiſſet, non ivit in cubiculum, ſed rectâ ad focum, juxtà ſuam conſuetudinem. Quâ verò ratione famulus Craſſi ſuſpicatus eſt parietes denigratos fuiſſe nocte præſertim? num ex colore fumi? nempè fumus nocturnus eſt magis ater, & hac re diſcrepat à fumo diurno? Quare autem famulus ille ſuſpicioſus atque ità ſedulus, ſivit Quintianum exire ante-*

NOTÆ.

1. *Qui mihi aſſiſtit.*] Metamorph. 3. *non contentus quod mihi nec aſſiſtendi ſolatium perhibuit*, quem locum vide.

2. *Sed ſuo more rectà ad focum.*] Ad culinam, ut helluo egregius, quam atrâ fuligine denigraram oportuit, illis maximè temporibus, quibus tubi nulli in focis erant, per quos rectâ fumus ſurſum erumperet, ut conſtat ex Vitruvio, qui in iis locis, ubi ignis accendi ſolet, coronas puras, hoc eſt, minimè cælatas, faciendas præcipit, quo faciliùs extergeatur fuligo.

redderet? [1] Cur illæ plumæ, quaſi plumbeæ, tam diu, uſque ad adventum Craſſi, manſerunt? Non inſimulet Craſſus ſervum ſuum? ſed ipſe hæc potiùs de fuligine & pinnis mentitus eſt, dum non poteſt nec in teſtimonio dando diſcedere longiùs à culinâ. Cur autem teſtimonium ex libello legiſtis? Craſſus ipſe ubi gentium eſt? An Alexandriam tædio domûs remeavit? an parietes ſuos detergit? an, quod verius eſt, ex crapulâ helluo attentatur? Nam equidem [2] hanc fabram technam heſternâ die animadverti ſatis notabiliter in medio foro tibi, Æmiliane, [3] obructantem. [4] Quære à nomenclatoribus tuis, Maxime, quanquam eſt ille cauponibus, quàm nomenclatoribus notior: tamen, inquam, interroga, an hîc Junium Craſſum Oeenſem viderint? non negabunt. Exhibeat nobis Æmilianus juvenem honeſtiſſimum, cujus teſtimonio nititur. Quid ſit diei vides. Dico Craſſum jamdudum ebrium ſtertere, [5] aut ſecundo lavacro, ad repotia cœnæ obeunda,

Interpretatio.

quam purgaret ædes? Quare illæ pennæ tamdiù ibi remanſerunt, perinde ac ſi eſſent ex plumbo, donec Craſſus reverteretur? Et ipſe *Craſſus non objurgaret ſuum famulum? verùm ipſe potiùs confinxit hæc de fuligine & plumis, cùm ne in teſtimonio ferendo quidem poſſit digredi longiùs à culinâ. Quare verò legiſtis teſtimonium ex libello? Quo in loco eſt Craſſus? num rediit Alexandriam faſtidio ſuarum ædium? num abſtergit ſuos parietes? num (quod verius eſt) guloſus ille ex temulentiâ decumbit? Nam certè, Æmiliane, vidi eum heri evidenter cum ructu oggerentem tibi hanc callidam fraudem in medio foro. Roga nomenclatores tuos, ô Maxime, (quamvis ille magis notus eſt ſtabulariis, quàm nomenclatoribus) roga tamen eos, inquam, num conſpexerint hac in urbe Junium Craſſum Oeenſem? non ibunt inficias. Æmilianus ſiſtat nobis honeſtiſſimum* illum *juvenem, cujus fretus eſt teſtimonio. Cernis qua ſit hora diei. Affirmo Craſſum jam pridem dormire temulentum, vel ſibi exprimere ſudorem vinoſum ſecundâ lotione in balneo, ad potandum*

Notæ.

1. *Cur illæ plumæ quaſi plumbeæ, &c.*] Id eſt, quaſi ita graves fuerint, ut inde moveri non potuerint. Simul ludit in vocabulis *plumæ*, & *plumbeæ*.

2. *Hanc fabram technam.*] Sic legendum puto ex conjecturâ Scaligeri. Priùs erat *hæc fabra tecum. Fabra techna* hîc eſt, ſolers dolus, callidum artificium.

3. *Obructantem.*] Dicentem cum ructibus, quales temulentum helluonem decent.

4. *Quare à nomenclatoribus tuis, Maxime.*] Nomenclatorum uſus maximè in comitiis, in quibus Candidati, cùm civium, quos prenſabant, nomina non tenerent, monitores ſecum ducebant, qui ſibi uniuſcujuſque nomen ſuggererent. Neque enim leve erat ad conciliandum favorem momentum, proprio ſingulos nomine compellare. Alii fuêre nomenclatores, qui Magiſtratibus præſertim in provinciis miniſterium præſtabant, & propriè adcenſi appellabantur. illi reos, teſteſque, & alios ſolebant in judiciis vocare, jubere dicere, aut tacere. De ejuſmodi hîc ſermo eſt.

5. *Aut ſecundo lavacro ad repotia cœnæ obeunda vinolentum ſudorem, &c.*] Nempè primo jam ſe lavacro tradiderat ante cœnam, ut moris erat apud veteres, tunc verò ſecundum lavacrum à cœnâ petierat, quo ſudoribus ſitim ſibi crearet ad ſecundam cœ-

vinolentum ſudorem in balneo deſudare. Iſte cùm maximè præſens per libellum loquitur, non quin adeò ſit alienatus omni pudore, ut etiam ſub oculis tuis ſi foret, ſine rubore ullo mentiretur : ſed fortaſsè nec tantulùm potuit ebrius ſibi temperare, ut hanc horam ſobriè expectaret; aut potiùs Æmilianus de conſilio fecit, ne eum ſub tam ſeveris oculis tuis conſtitueret, ne tu belluam illam vulſis maxillis, fœdo aſpectu, de ſpecie improbares : cùm animadvertiſſes caput juvenis barbâ & capillo populatum, madentes oculos, cilia turgentia, rictum, ſalivoſáque labia, vocem abſonam, manuum tremorem, ructus. Nam patrimonium omne jam pridem abligurrivit. nec quidquam ei de bonis paternis ſupereſt, [1] niſi una domus ad calumniam venditandam. quam tamen nunquam cariùs, quàm in hoc teſtimonio locavit. Nam temulentum iſtud mendacium tribus millibus nummûm Æmiliano huic vendidit. idque Oeæ nemini ignoratur. Omnes hoc, antequàm fieret, cognovimus, [2] & potui denuntiatione impedire; niſi ſcirem mendacium tam ſtultum potiùs Æmiliano, qui fruſtrà redimebat, quàm mihi, qui meritò contemnebam, obfuturum. Volui & Æmilianum damno affici, & Craſſum teſtimonii ſui dedecore proſtitui.

INTERPRETATIO.

iterùm in cœnâ. Hic loquitur ex libello, licèt valdè ſit *præſens, non quòd non ſic exuerit omnem verecundiam, ut* facilè *ſit mentiturus ſine ullo pudore, etiam in tuo conſpectu, ſi adſit : verùm temulentus* ille *forſitan nequivit ſe continere vel tantillùm, ut opperiretur hanc horam ſiccus. Vel potiùs Æmilianus id fecit de induſtriâ, ne, ſi eum ſiſteret ante tuos oculos adeò ſeveros, ne*, inquam, *tu malè ſentires ex aſpectu de iſtâ beſtiâ malis prominentibus, & turpi facie : quando vidiſſes caput juvenis ſpoliatum barbâ & comâ, oculos humidos, cilia tumida, latum os, labra ſalivam ſtillantia, vocem abſurdam, trepidationem manuum, ructationes. Jam dudùm enim devoravit totum ſuum patrimonium. & nihil reſtat ei de opibus patris, præter unam domum ad venditandam calumniam. quam nihilominus nunquam locavit majori pretio, quàm in hoc teſtimonio. Venumdedit enim huic Æmiliano hoc mendacium vinolentum ter mille nummis, & omnes hoc ſciunt Oeæ. Nos cuncti hoc didicimus priuſquàm perpetraretur. & potui obſtare delatione* meâ. *niſi noviſſem tam ſtolidum mendacium nociturum potiùs Æmiliano, qui illud emebat incaſsùm, quàm mihi, qui jure aſpernabar* illud. *Volui etiam ut Æmilianus jacturam faceret, & Craſſus infamaretur turpitudine ſui teſtimonii.*

NOTÆ.

nam, ſeu repotia obeunda. *Repotia* à *repotando* dicta. Nec balneo tantùm, ſed & ad ignem, ſudorem illum vinolentum exciebant. Siſenna in 4. hiſtoriarum : *dum priſtinum vinum apud ignem per ſudorem exhauſerunt.*

1. *Niſi una domus ad calumniam venditandam.*] In quâ me nocturna & magica ſacra feciſſe per calumniam affirmet.

2. *Et potui denuntiatione impedire.*] Ne audiretur omninò ejus teſtimonium : denuntiando nempe Proconſuli Cl. Maximo ſceleratum illud pactum, quo Craſſus ille Æmiliano mercede ſe obſtrinxerat ad falſum teſtimonium dicendum.

Cæterùm nudiuſtertius haud quaquam occulta [1] res acta eſt in Rufini cujuſdam domo, de quo mox dicam, interceſſoribus & deprecatoribus ipſo Rufino [2] & Calpurniano. Quod eò libentiùs Rufinus perfecit, quòd erat certus ad uxorem ſuam, cujus ſtupra ſciens diſſimulat, non minimam partem præmii ejus Craſſum relaturum. Vidi te quoque, Maxime, coitionem adversùm me, & conjurationem eorum, pro tuâ ſapientiâ ſuſpicatum, ſimul libellus ille prolatus eſt, totam rem vultu aſpernantem. Denique, quanquam ſunt ſolutâ audaciâ & importunâ impudentiâ præditi, tamen teſtimonium Craſſi, cujus oboluiſſe fæcem videbant, nec ipſi auſi ſunt perlegere, nec quidquam eo niti. Verùm ego iſta propterea commemoravi, [3] non quòd pinnarum formidines, & fuliginis maculam, te præſertim judice timerem: ſed, ut ne impunitum Craſſo foret, quòd Æmiliano homini ruſtico fumum vendidit. Unde etiam crimen ab illis, cùm Pudentillæ litteras legerent, de cujuſdam ſigilli fabricatione prolatum eſt. quòd me aiunt ad magica maleficia, occultâ fabricâ, ligno exquiſitiſſimo, comparâſſe:

INTERPRETATIO.

Porrò negotium tranſactum eſt minimè latenter nudiuſtertius in ædibus cujuſdam Ruffini, de quo jamjam loquar, operâ & ſuaſu ipſius Rufini & Calpurniani. Quam rem Rufinus effecit tantò libentiùs, quòd certò ſciebat Craſſum allaturum non minorem partem illius pretii ad ſuam conjugem, cujus ſcienter diſſimulat adulteria. Animadverti etiam te, ô Maxime, nutu rejicientem rem illam *omnem, ſtatim atque libellus ille exhibitus eſt,* quia *ſuſpicabaris pro tuâ prudentiâ conventionem & conſpirationem illorum contra me. Poſtremò, quamvis ſint armati audaciâ effrænatâ, & impudentiâ moleſtâ, tamen ne ipſi quidem auſi ſunt legere totum teſtimonium Craſſi, cujus videbant vinolentiam ſuboluiſſe, neque quidquam fulcire ipſo. Sed ego retuli hæc, non quia metuerem terriculamenta plumarum, & maculas fuliginis, præcipuè cùm tu ſis* noſter *judex: verùm, ut non inultum eſſet Craſſo, quòd vendidit fumum Æmiliano viro agreſti. Hinc eſt, quòd, cùm legerent epiſtolam Pudentillæ, produxerunt accuſationem de confectione cujuſdam imagunculæ, quam dicunt me emiſſe fabricatam clanculùm ex rariſſimo ligno: & eam impensè*

NOTÆ.

1. *Res.*] Emptio illa falſi teſtimonii.

2. *Et Calpurniano.*] Num ille eſt, ad quem verſus cum dentifricio miſerat, quem etiam innuit ſuprà ſibi in hac causâ fuiſſe adverſatum? an quiſpiam alius notæ in eâ urbe improbitatis homo?

3. *Non quòd pinnarum formidines, &c. timerem.*] Crimen ſacrorum nocturnorum, quod pennarum & fuliginis tantùm argumento probatur. Alludit ad lineam variis plumis pinniſque confertam, quâ feras terrebant compellebantque in retia, quæ idcircò *formido* dicebatur. Seneca, de Irâ, lib. 1. *nec mirum, cùm maximos ferarum greges linea pennis diſtincta contineat, & in inſidias agat, ab ipſo effectu dicta formido.* Virgil. Georgic. 3.

Puniceæve agitant trepidos formidine pennæ.

4. *Fumum vendidit.*] Falſum teſtimonium fumo fuligineque illâ nixum. Notum eſt adagium *fumum vendere.*

& [1] cùm ſit ſceleti formâ turpe & horribile, tamen impendio colere, & [2] Græco vocabulo nuncupare βασιλέα. Niſi fallor, ordine eorum veſtigia perſequor, & ſingillatim apprehendens, omnem [3] calumniæ textum retexo. Occulta fuiſſe fabricatio ſigilli, quod dicitis, quî poteſt? cujus vos adeò artificem non ignorâſtis, ut ei, uti præſtò eſſet, denuntiaveritis? En, adeſt Cornelius Saturninus artifex, vir inter ſuos & arte laudatus, & moribus comprobatus, qui tibi, Maxime, paulò antè diligenter ſciſcitanti, omnem ordinem geſtæ rei ſummâ cum fide & veritate percenſuit: me, cùm apud eum multas [4] geometricas formas è buxo vidiſſem ſubtiliter & adfabrè factas, invitatum ejus

INTERPRETATIO.

venerari, & vocare Regem *vocabulo Græco, quamvis habeat figuram larvæ,* ideòque ſit *deformis & horrenda. Sequor eorum greſſus ordine, niſi hallucinor, &, reſumens ſingula, diſſolvo totum artificium calumniæ. Quomodo confectio imaguncula poteſt fuiſſe abdita, ut dicitis? cujus vos tàm benè noviſtis fabrum, ut ſignificaveritis ei, uti hîc adeſſet? Ecce præſtò eſt Cornelius Saturninus faber, vir & celebratus ob ſuam ſolertiam inter ſuos* cives, *& laudatus ob probitatem, qui, cùm eum ſedulò interrogares paulò priùs, ô Maxime, narravit tibi ſinceriter, & veraciter totam ſeriem rei peractæ: me* nempè, *cùm conſpexiſſem apud eum plurimas figuras geometricas artificiosè & eleganter elaboratas ex buxo, allectum ejus ſolertiâ,*

NOTÆ.

1. *Cùm ſit ſceleti formâ, &c.*] Sic legendum, non *celeri formâ*, probant quæ infrà leguntur, *tertium mendacium veſtrum fuit macilentam, vel omninò evisceratam formam diri cadaveris fabricatam: prorsùs horribilem & larvalem. Sceletus* enim idem eſt ac *larva*: compago nempè illa oſſium carne nudatorum & ſiccorum, quales cernuntur in chirurgorum officinis. σκελετὸς Græcis *aridum* ſonat.

2. *Græco vocabulo nuncupare βασιλέα.*] *Regem.* Hoc ex remotiſſimâ antiquitate petitum eſt. Seldenus de Diis Syris Syntagm. 1. cap. 6. *Quàm conveniens autem & proprium ſummo rerum gubernatori, ſive Deo, fuerit, etiam apud idololatras Regis vocabulum, & βασιλέως, diſcas licet ex primâ Apologiâ Apuleii. Uti igitur* Baal, *id eſt,* Dominus, *ita &* Melech, *ſeu* Molech, *aut* Moloch, *id eſt,* Rex *Ammonitarum hoc nomen denotabat. unde & is ipſe forſan fuerit, qui Rex Deorum βασιλεὺς θεῶν titulo ſingulari vocitatur in Phœnicum vetuſtiſſimâ Theologiâ.* Idem, eodem Syntagm. cap. 2. hæc habet ad locum hunc facientia: *Propiùs autem ad τῶν Teraphim naturam accedunt imagines, quæ non ſolùm à ſiderum poſiturâ, verùm etiam ἀπὸ τῶν προσηγγίσεων Dæmoniorum, & oracula reddere, & mala depellere ſimul putabantur. προσηγγίσεις verò ποιήσασθαι dicuntur Dæmones, cùm, invocati, ſimulacra ſibi dicata ingrediantur.* Et infrà. *Dæmonio autem plenum ſentiendum eſt ſigillum illud ligneum ab Apuleio Mago βασιλεὺς dictum, & tacito nomine cultum, de quo ipſe Apologiâ primâ.*

3. *Calumniæ textum retexo.*] *refello totam accuſationem.* Metaphora eſt à telâ & textoribus.

4. *Geometricas formas.*] Putà *tetraëdra, exaëdra, dodecaëdra, &c. ſphæras pyramidulas, &c.* quales permultæ figuræ in ſtudioſorum conclavibus cernuntur.

artificio

artificio,[1] quædam mechanica ut mihi elaboraret, petîſſe: ſimul & aliquod ſimulacrum [2] cujuſcunque vellet Dei, cui ex more meo [3] ſupplicarem, quacumque materiâ, [4] dummodò ligneâ, exſculperet. igitur primò buxeam tentâſſe. interim, dum ego ruri ago, Sicinium Pontianum privignum meum, [5] qui mihi factum volebat, impetratos [6] hebeni loculos à muliere honeſtiſſimâ Capitolinâ ad ſe attuliſſe: ex illâ potiùs materie rariore & durabiliore, uti faceret, adhortatum. id munus cumprimis gratum mihi fore. ex eâ ſe feciſſe, perinde ut loculi ſuppetebant. item minutatim ex tabellis compactâ craſſitudine, Mercuriolum expediri potuiſſe. Hæc, ut dico, omnia audîſti. Prætereà à filio Capitolinæ probiſſimo adoleſcente, qui præſens eſt, ſciſcitante te, eadem dicta ſunt: Pontianum loculos petiſſe, Pontianum Saturnino artifici detuliſſe. Etiam illud non negatur, Pontianum à Satur-

INTERPRETATIO.

rogâſſe eum, *ut mihi fabricaret quædam mechanica: ſimulque ut mihi elaboraret ex quâlibet materiâ, modò lignea* eſſet, *aliquam effigiem cujuſcunque Dei vellet, quem colerem ſecundùm meam conſuetudinem.* eum *ergo primò periculum feciſſe in buxeâ* materiâ. *Sed intereà, dum verſor ruri, Sicinium Pontianum meum privignum, qui me benevolentiâ proſequebatur, attuliſſe ſibi capſulas ex hebeno, quas habuerat ab honeſtiſſimâ fœminâ* nomine *Capitolinâ: & ſuaſiſſe, ut fabricaret* illam effigiem *ex eâ potiùs materiâ minùs communi, & magis durabili. hoc munus mihi futurum maximè acceptum. ſe fabricâſſe ex illâ, prout capſulæ ſufficiebant. prætereà, ſe potuiſſe etiam facere parvum Mercurium, coagmentando fruſtatim craſſitiem ejus ex tabellis. Audiviſti hæc omnia, ſicut dico. Prætereà filius Capitolinæ, optimus juvenis, qui hic adeſt, eadem dixit, cùm ipſum interrogares:* nimirùm *Pontianum petiiſſe pyxides, Pontianum tuliſſe ad Saturninum opificem. Non inficiatur etiam hoc, Pontianum accepiſſe à Saturnino*

NOTÆ.

1. *Quædam mechanica.*] *Regulas* puta, *normas, perpendicula*, atque alia id genus inſtrumenta.

2. *Cujuſcunque vellet Dei.*] Qui tamen publicè receptus eſſet, aut non interdictus. neque enim impunè fuiſſet Apuleio, non receptos, aut improbatos Deos colere; quod crimen erat *externæ religionis.*

3. *Supplicarem.*] Privatim ac ritu peculiari.

4. *Dummodò ligneâ.*] Rationem infrà ſubjungit ex Platone.

5. *Qui mihi factum volebat.*] *Factum alicui velle*, ut & *factum cupere* Latini dicunt, pro *gratificari*, & *benè velle, & commodis ejus ſtudere.*

6 *Hebeni loculos.*] Reponit Elmenhorſtius, *baculos*, quibus Pricæus vult innui, quas vocat Plin. φάλαγγας, Apul. Claudianus *ramos ebeni*, Lucan. *ebeni comas.* Ego nihil mutandum cenſeo. *Ebeni loculi* ſunt pyxides, ſeu capſulæ ex tabellis ex ebeno compactæ, ex quibus mechanica illa, quæ Apuleius juſſerat, fecit Saturninus. Suffragatur meæ interpretationi, quod mox ſubjungit: *item minutatim ex tabellis compactâ craſſitudine, Mercuriolum expediri potuiſſe.* Quod ſanè cum baculis, aut phalangis Pricæi ſtare non poteſt. Intelligendum eſt ergo, eum illa mechanica inſtrumenta (quæ plana eſſent) ex tabellis, quibus conſtabant capſulæ illæ, ut potuit, feciſſe: Mercuriolum verò iſtum, quem craſſiorem oportebat eſſe, non potuiſſe facere, niſi conglutinatis inter ſe multis ejuſmodi tabellis.

nino perfectum ſigillum recepiſſe, & poſteà dono mihi dediſſe. His omnibus palàm atque apertè probatis, quid omninò ſupereſt, in quo ſuſpicio aliqua Magiæ deliteſcat? immò, quid omninò eſt, quod vos manifeſti mendacii non revincat? Occultè fabricatum eſſe ſigillum dixiſtis, quod Pontianus ſplendidiſſimus eques fieri curavit: quod Saturninus vir gravis, & probè inter ſuos cognitus, in tabernulâ ſuâ ſedens propalàm exſculpſit: quod [1] ornatiſſima matrona [2] munere ſuo adjuvit: quod & futurum, & factum multi cùm ſervorum, tùm amicorum, qui ad me ventitabant, ſcierunt. Lignum à me toto oppido, & quidem oppidò quæſitum, non piguit vos commentiri? quem quidem abfuiſſe eo tempore ſcitis, quem juſſiſſe fieri qualicumque materiâ probatum eſt? Tertium mendacium veſtrum fuit, macilentam, vel omninò eviſceratam formam diri cadaveris fabricatam, prorsùs horribilem, & larvalem. Quòd ſi compertum habebatis adeò evidens ſignum Magiæ, cur mihi, ut exhiberem, non denuntiâſtis? An, ut poſſetis in rem abſentem liberè mentiri? Cujus tamen falſi facultas, opportunitate quadam meæ conſuetudinis, vobis adempta eſt. Nam morem mihi habeo, quoquò eam, ſimulacrum alicujus Dei [3] inter libellos conditum geſtare: eíque diebus feſtis, thure & mero, & aliquando victimis ſupplicare. Dudùm ergo cùm audirem ſcelerum perquàm impudenti mendacio dictitari, juſſi curriculò iret aliquis, & ex

INTERPRETATIO.

imagunculam, cùm abſoluta fuit, ac deinde mihi donâſſe muneri. His omnibus clarè & manifeſtè demonſtratis, quid reſtat omninò, in quo ſuſpicio Magiæ lateat? vel potiùs, quid prorsùs eſt, quod non convincat vos mendacii aperti? Dixiſtis imaginem fuiſſe clàm elaboratam, quam Pontianus clariſſimus eques ſculpendam dedit: quam Saturninus vir gravis & egregiè ſpectatus inter ſuos, in aperto fabricavit ſedens in ſuâ officinâ: quam honeſtiſſima mater-familias commendavit ſuo dono: quam plurimi tùm ex famulis, tùm ex amicis meis, qui ſolebant venire ad me, noverunt & fabricatum iri, & eſſe *fabricatas. Non dubitâſtis comminiſci me perquiſiviſſe lignum per totam urbem, & ſummo ſtudio quidem? cùm tamen ſciatis me peregrè fuiſſe tunc temporis. cùm demonſtratum ſit me præcepiſſe, ut fabricaretur ex quâvis materiâ? Veſtrum tertium mendacium fuit, factam eſſe figuram terribilis cadaveris, macram, aut prorsùs carne nudatam, omninò horrendam, & larvalem. Quod ſi ſciebatis antehac* illud *eſſe manifeſtum indicium Magiæ, quare non ſignificaviſtis mihi, ut* illud *proferrem huc? num ut poſſetis audacter mentiri de re, quæ non appareret! Cujus tamen mendacii opportunitas vobis prærepta eſt quadam commoditate mei moris. Soleo enim ferre imaginem alicujus Dei reconditam inter meos libros quòcumque pergam: & eam colere diebus feſtis, thure & vino, & nonnunquam* etiam hoſtiis. *Igitur, cùm audirem jam pridem* illam imaginem *vocitari à vobis larvam, mendacio impudentiſſimo; præcepi, ut aliquis celerrimè iret, & afferret ex meo diverſorio*

NOTÆ.

1. *Ornatiſſima matrona.*] Capitolina.
2. *Munere ſuo.*] Loculis ebeni.
3. *Inter libellos conditum.*] *In ſcriniis, unâ cum libris.* Nihil muto, quanquam Pricæus malit *inter loculos.*

hoſpitio meo Mercuriolum afferret, [1] quem mihi Saturninus iſte Oeæ fabricatus eſt. Cedò tu. eum videant, teneant, conſiderent En' vobis, quem ſceleſtus ille ſceletum nominabat. Auditis-ne reclamationem omnium, qui adſunt? auditis-ne mendacii veſtri damnationem? non vos tot calumniarum tandem diſpudet? hiccine eſt ſceletus? [2] hæccine eſt larva? hoccine eſt, quod appellitabatis Dæmonium? Magicum-ne iſtud, an ſolemne & commune ſimulacrum eſt? Accipe, quæſo, Maxime, & contemplare: benè tam puris & tam piis manibus tuis traditur res conſecrata. En, vide, quàm facies ejus decora, & [3] ſucci palæſtrici plena ſit, quàm hilaris Dei vultus: ut decenter utrimque lanugo malis deſerpat; ut in capite criſpatus capillus ſub imo pilei umbraculo appareat; quàm lepidè ſuper tempora pares pinnulæ emineant; quàm autem feſtivè circa humeros veſtis ſubſtricta ſit. Hunc qui ſceletum audet dicere, profectò ille ſimulacra Deorum nulla videt, aut omnia negligit. Hunc denique qui Larvam putat, ipſe eſt larvatus. At tibi, Æmiliane, pro iſto mendacio duat Deus iſte [4] Superûm & Inferûm commeator, [5] utrorumque Deorum malam gratiam,

INTERPRETATIO.

parvum illum Mercurium, quem iſte Saturninus mihi elaboravit Oeæ. Da tu. aſpiciant illum, contrectent, contemplentur. Ecce vobis, quem nefarius ille vir vocabat larvam. Auditis-ne murmur omnium adſtantium? auditis-ne condemnationem veſtri mendacii? an-non vos pudet tandem tot falſarum accuſationum? hæcne eſt larva? hicne eſt ſceletus? an hoc eſt quod vocitabatis Dæmonium? an hæc effigies eſt magica, an verò ſolita & vulgaris? Cape, oro te, Maxime, & conſidera. res ſacra rectè committitur tuis manibus adeò caſtis, & adeò religioſis. Ecce, contemplare, quàm habitudo ejus corporis ſit formoſa, & ſucco athletico turgens, quàm os Dei ſit lætum; quomodo prima barba decorè pullulet in genis ab utraque parte; quomodo crines videantur cincinnati in capite ſub infimo tegmine pilei; quàm feſtivè duæ *alæ conſimiles exurgant ſuprà tempora; quàm lepidè verò chlamys ſit ſubſtricta circùm humeros. Qui audet vocare hunc* Deum *Larvam, certè ille vel nullas aſpicit effigies Deorum, vel contemnit univerſas. Uno verbo, qui credit hunc eſſe ſceletum, ipſe furit. Hic autem Deus viſitator cœleſtium, & inferorum, conciliet tibi, ô Æmiliane, pro iſto mendacio, inimicitiam utrorumque* illorum

NOTÆ.

1. *Quem mihi Saturninus iſte Oeæ fabricatus eſt.*] Locus hic oſtendere videtur orationem hanc non fuiſſe Oeæ pronuntiatam.

2. *Hæccine eſt larva?*] *Sceletus.* Petron. in Trimalcionis convivio: *Potantibus ergò, & accuratiſſimè nobis lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit ſervus ſic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur.*

3. *Succi palæſtrici.*] Hoc eſt, qualem in athletis & pugilibus, qui in palæſtrâ certant, eſſe oportet, ut ſtrenuè pugnent. Verti *athletici*, ad rem potiùs quàm ad verbum.

4. *Superûm & Inferûm commeator.*] Sic Metamorphoſ. 11. *Ille Superûm commeator & Inferûm, lævâ caduceum gerens*, ad quem locum vide quæ diximus, pag. 373.

5. *Utrorumque Deorum.*] Superorum nempè & inferorum, ad quos commeat ultrò citróque Mercurius.

ſemperque obvias ſpecies mortuorum, quidquid Umbrarum eſt uſquam, quidquid Lemurum, quidquid Manium, quidquid Larvarum, oculis tuis oggerat: [1] omnia noctium occurſacula, omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulcrorum terriculamenta. à quibus tamen [2] ævo & merito haud longè abes. Cæterùm Platonica familia nihil novimus niſi feſtum, & lætum, & ſolemne, & ſuperum, & cœleſte. Quin altitudinis ſtudio ſecta iſta etiam cælo ipſo ſubliniora quæpiam veſtigavit, & [3] in extimo mundi tergo degit. Scit me vera dicere Maximus, qui τὸ ὑπερουράνιον τόπον ἐπὶ ... τ' οὐρανοῦ νώτῳ legit in Phædro diligenter. Idem Maximus optimè intelligit, ut de nomine etiam vobis reſpondeam, quiſnam ſit ille, non à me primò, [4] ſed à Platone nuncupatus βασιλεύς, totius rerum naturæ cauſa, & ratio, & origo initialis, ſummus animi genitor, æternus animantum ſoſpitator, [5] aſſiduus mundi ſui opifex. [6] Sedenim ſine operâ opifex, ſine curâ ſoſpitator, ſine pro-

INTERPRETATIO.

Deorum, & vultus mortorum ſemper occurrentes, obtrudat tuis oculis omnes Umbras, quotquot ſunt uſpiam, omnes Lemures, omnes Manes, & omnes Larvas: univerſa, quæ occurrunt noctibus: cuncta quæ terrent in buſtis, omnes terrores tumulorum. à quibus nihilominùs non multùm diſtas ætate & merito. Porrò nos *diſcipuli Platonis nihil cognoſcimus niſi feſtivum, & hilare, & celebre, & divinum, & cœleſte. Quin & hæc noſtra ſecta inquiſivit etiam quaſdam res altiores ipſo cœlo ex deſiderio celſitudinis, & verſatur in extremâ convexitate mundi. Maximus novit me loqui vera. qui ſtudioſè legit in Phædro*: locum ſupercœleſtem, ſuprà convexum cœlorum. *idem Maximus (ut etiam vobis reſpondeam de vocabulo) apprimè ſcit, quis ſit ille vocatus* Rex *non primùm à me, ſed à Platone*, qui eſt *cauſa omnium rerum naturalium, &* earum *ratio, & fons primordialis, ſupremus pater mentis, æternus conſervator animalium, perpetuus fabricator ſui mundi. Qui tamen* eſt *fabricator ſine labore, conſervator ſine curâ, pater ſine genera-*

NOTÆ.

1. *Omnia noctium occurſacula.*] Spectra, quæ noctu occurrunt. Horat.

Nocturnus occurram furor.

Et Juvenal. Sat. 5.

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Ea ſunt, quæ Lucretius minimè ſuperſtitioſus philoſophus canit:

——*nihilo metuenda magis, quam*
Quæ pueri in tenebris metuunt, finguntque futura.

2. *Ævo & merito.*] Huic lectioni ſi inhæreas, ſic intellige, *ætate, quæ jam valdè provecta, eſt, & propinqua morti. & tale eſt meritum tuum, ut poſt mortem, ſi digna vitæ præmia reddantur, tibi in larvam procul dubio & nocturnum terriculamentum ſit migrandum.* (Ità enim Platonici cum ſceleſtis agi putabant.) At meliùs fortè legas: *ave emerito*, ut ſenſus ſit: Æmilianum ſepulchris & buſtis eſſe proximum, quippe cujus ætas jam peracta ſit.

3. *In extimo mundi tergo.*] In convexâ parte cœli, quam Græci etiam appellant τὰ τῷ οὐρανῷ νῶτα. *Cœlorum terga*, ſeu *dorſa*.

4. *Sed à Platone nuncupatus βασιλεύς.*] Pricæus Græca hic verba ex MS. cod. habet, ſed corruptiſſima ΠεΡΙ τῶΝ ΠαΝτων ΒΑcΙλεy ΠαΝ ιcs πηωκειπο SencKa παλτα.

5. *Aſſiduus mundi ſui opifex.*] *Quem aſſiduâ veluti creatione conſervat.* Adverte, quàm appoſitè de Deo loquatur Divini Platonis ſectator.

pagatione genitor : neque loco, neque tempore, nec ullâ voce comprehenſus, eóque [1] paucis cogitabilis, [2] nemini effabilis. En, ultrò augeo Magiæ ſuſpicionem. non reſpondeo tibi, Æmiliane, quem colam βασιλέα. Quin, ſi ipſe Proconſul interroget, quid ſit Deus meus, [3] tacebo. De nomine, ut impræſentiarum, ſatis dixi. Quod ſupereſt, nec ipſe ſum neſcius quoſdam circumſtantium cupere audire, cur non argento, vel auro, ſed potiſſimùm ex ligno ſimulacrum fieri voluerim. idque eos arbitror, [4] non tàm ignoſcendi, quàm cognoſcendi causâ, deſiderare: ut hoc etiam ſcrupulo liberentur, cùm viderint omnem ſuſpicionem criminis abundè confutatam. Audi igitur, cui cura cognoſcere eſt: ſed animo, quantùm potes, erecto & attento, quaſi verba ipſa Platonis jam ſenis, de noviſſimo Legum libro auditurus: Θεοῖσι δὲ ἀναθήματα χρεὼν ἔμμετρα τὸν μέτριον ἄνδρα ἀνατιθέντα δωρεῖσθαι. [5] Γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήσεως, ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν: μηδεὶς οὖν

Interpretatio.

tione: non concluſus loco, neque tempore, neque ullâ appellatione, quique ideò cognoſci poteſt à paucis, enuntiari à nullo. Ecce augeo ſponte ſuſpicionem Magiæ. non aperio tibi, Æmiliane, quem Regem *venerer. Quin* etiam *ſi ipſe Proconſul quærat à* me, *quid ſit meus Deus, ſilebo. Satis locutus ſum de* ejus *nomine quantùm ad præſens. Quod reſtat, non ignoro aliquos adſtantium velle ſcire, quare voluerim ut* hæc *imago mihi fabricaretur maximè ex ligno, non autem ex argento, aut auro. & credo illos hoc cupere non tàm ad parcendum, quàm ad ſciendum: ut exolvantur etiam hac religione, quando adverterint omnem ſuſpicionem malefacti fusè* eſſe *refutatam. Auſculta ergò, quicumque cupis ſcire, ſed* auſculta *mente, quantum potes, elatâ & attentâ, ſiquidem auditurus es ipſa verba Platonis jam grandævi, ex ultimo libro Legum:* Donaria Diis moderata à moderato homine offerantur. Terra igitur ut focus domiciliorum, ſacra Deorum omnium eſt: quocircà nequis

Notæ.

6. *Sedenim ſine operâ opifex, &c.*] In libro de Mundo: *Soſpitator quidem ille & genitor eſt omnium, qui ad complendum mundum nati factique ſunt. non tamen ut corporei laboris officio orbem iſtum manibus ſuis inſtruxerit, ſed qui quadam infatigabili providentiâ & procul poſita cuncta contingat, & maximis intervallis disjuncta complectatur.*

1. *Paucis cogitabilis.*] Immò omnes Dei ideam habent animo infixam, ſed hoc vult Platonicus noſter, paucos de Deo cogitare, ut ejus infinitâ potentiâ & majeſtate dignum eſſet.

2. *Nemini effabilis.*] Non quòd ejus nomen pronuntiari non poſſit, ſed quoniam omnia ejus attributa condignè verbis exprimere nemo poteſt.

3. *Tacebo.*] Non ex contumaciâ, aut contemptu Proconſulis, ſed quia ex doctrinâ Platonis quid ſit Deus aptè dici non poteſt.

4. *Non tam ignoſcendi, quàm cognoſcendi causâ.*] Non tàm quia credant hoc ad meam defenſionem neceſſarium eſſe, & ad hoc ut me crimine vacuum credant; quàm quòd ipſi id ſcire atque cognoſcere cupiant, ne ullus omninò ſibi ſuperſit ſcrupulus.

5. Γῆ *μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήσεως.* &c.] Hæc poſteriora verba interpretatur Cicero, lib. 1. de Legibus: cujus interpretationem ad verbum expreſſi. *Agri autem ne conſecrentur* (inquit) *Platoni prorsùs aſſentior, qui, ſi modo interpretari potuero, his verbis utitur: Terra igitur, &c.*

δευτέρως ἱερὰ καθιερούτω θεοῖς. Hoc eò prohibet, [1] ut delubra nemo audeat privatim conſtituere. Cenſet etenim ſatis eſſe civibus ad immolandas victimas, templa publica. Deinde ſubnectit: χρυσὸς δὲ καὶ ἄργυρος ἐν ἄλλαις πόλεσιν ἰδίᾳ τε καὶ ἐν ἱεροῖς ἐστὶν ἐπίφθονον κτῆμα. ἐλέφας δὲ [2] ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος οὐκ εὐχερὲς ἀνάθημα. σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς, πολέμων ὄργανα. ξύλου δὲ μονόξυλον ὅτι ἂν ἐθέλῃ τις ἀνατιθέτω, καὶ λίθου ὡσαύτως πρὸς τὰ κοινὰ ἱερά. Ut omnium aſſenſus declaravit, maximéque, qui in conſilio eſtis, competentiſſimè videor uſus Platone, ut vitæ magiſtro, ità cauſæ patrono, cujus legibus obedientem me videtis. [3] Nunc tempus eſt ad epiſtolas Pudentillæ præverti, vel adeò totius rei ordinem paulò altiùs petere; ut omnibus manifeſtiſſimè pateat, me, quem lucri cupiditate iuvaſiſſe Pudentillæ domum dictitant, ſi ullum lucrum cogitarem, fugere ſemper à domo iſtâ debuiſſe: quin & in cæteris cauſis minimè proſperum matrimonium, &, niſi ipſa mulier tot incommoda virtutibus ſuis repenſaret, inimicum. Neque enim ulla alia cauſa præter caſſam invidiam reperiri poteſt, quæ judicium iſtud mihi & multa anteà pericula vitæ conflaverit. Cæterùm, cur Æmilianus commoveretur, etſi verè me Magum comperiſſet; qui non modò ullo facto, ſed ne tantulo quidem dicto meo læ-

Interpretatio.

iterùm idem conſecret. *Hoc idcircò vetat, ut nullus audeat privatim ædificare templa. Nam arbitratur publica delubra ſufficere civibus ad ſacrificandas hoſtias. Poſteà ſubjungit:* Aurum autem & argentum in aliis urbibus, & in propriâ, & in templis invidioſa res eſt. tum ebur, ex inanimi corpore extractum, non ſatis aptum donum Deo eſt. jam æs & ferrum belli inſtrumenta ſunt. Ligneum autem quodcumque voluerit quis, uno è ligno dedicet, itemque lapidem in delubris communibus. *Ut applauſus omnium, & præſertim veſtrûm, qui ſedetis in conſilio, oſtendit, videor appoſitiſſimè uſus Platone, quemadmodùm magiſtro vivendi, ſic & advocato* meæ *cauſæ, cujus placitis videtis me obtemperantem. Jam tempus eſt pergere ad litteras Pudentillæ, aut ſanè reſumere paulò ſuperiùs ſeriem totius negotii; ut cuncti apertiſſimè videant me, quem* vulgò *dicunt irrepſiſſe in domum Pudentillæ cupidine quæſtûs, ſi haberem ullum quæſtum in animo, debuiſſe ſemper vitare illam domum, atque etiam connubium neutiquam fauſtum in reliquis cauſis, & odioſum, niſi uxor ipſa compenſaret ſuis virtutibus tot moleſtias. nam non poteſt inveniri ulla alia cauſa, quæ mihi confecerit hanc litem & antehàc plurima vitæ discrimina, niſi invidia inanis. Porrò, quare Æmilianus concitaretur, quamvis reverà cognoviſſet me* eſſe *Magum? ſiquidem non ſolùm non læſus eſt ullo meo facto, ſed ne vel minimo quidem*

Notæ.

1. *Ut delubra nemo audeat privatim conſtituere.*] Contra hanc tamen Platonis prohibitionem objiciebat Æmiliano paulò ſuprà, quòd *nullum in villâ ejus delubrum ſitum eſſet, nullus locus aut lucus conſecratus.*

2. ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος.] Elephanti nempè, cujus ebur dens eſt.

3. *Nunc tempus eſt.*] Secundam Apologiam ab his verbis editiones permultæ incipiunt, ſed perperàm. Una enim eademque eſt, & uno tenore legenda Apuleii Apologia, ut jam probavimus.

ſus eſt, ut videretur ſe meritò ultum ire? Neque autem gloriæ causâ me accuſat, [1] ut M. Antonius Cn. Carbonem, [2] C. Mutius A. Albutium, [3] P. Sulpitius Cn. Norbanum, [4] C. Furius M. Aquilium, C. Curio Q. Metellum. Quippè homines erudiciſſimi, juvenes, laudis gratiâ primum hoc rudimentum forenſis operæ ſubibant, ut aliquo inſigni judicio civibus ſuis noſcerentur. Qui mos incipientibus adoleſcentulis ad illuſtrandum ingenii florem [5] apud antiquos conceſſus, [6] diù exolevit. quòd ſi nunc quoque frequens eſſet, tamen ab hoc procul abfuiſſet. Nam neque facundiæ oſtentatio rudi & indocto, neque gloriæ cupido ruſtico & barbaro, neque inceptio patrociniorum capulari ſeni congruiſſet. niſi fortè Æmilianus, pro ſuâ ſeveritate exemplum dedit, & ipſis maleficiis infenſus, accuſationem iſtam [7] pro morum integritate ſuſcepit. At hoc ego [8] Æmiliano, non huic

Interpretatio.

meo dicto, ad hoc *ut appareret jure illud vindicaturus? Nec verò accuſat me honoris gratiâ, quemadmodùm M. Antonius* accuſavit *Cneium Carbonem, Caius Mutius Aulum Albutium, Publius Sulpitius Cneium Norbanum, Caius Furius Manium Aquilium, Caius Curio Quintum Metellum. Nempè illi homines, doctiſſimi*, ac *juvenes, faciebant hoc primum periculum ſui laboris forenſis, gloriæ causâ, ut innoteſcerent ſuis civibus, aliquâ celebri causâ, quæ conſuetudo apud priſcos permiſſa juvenibus incipientibus, ad commendandum vigorem ſui ingenii, jamdudùm deſiit. quod ſi nunc etiam in uſu eſſet, eſſet tamen longè remotus ab hoc* homine; *Etenim neque jactatio eloquentiæ conveniſſet imperito, & ignaro, neque cupiditas laudis, agreſti & barbaro, neque tyrocinium orandarum cauſarum ſeni decrepito. niſi forſan Æmilianus præbuit exemplum*, ut poſtulat *ejus ſeveritas, & accenſus odio adverſus ipſa crimina, aggreſſus eſt hanc accuſationem propter probitatem vitæ ſuæ. Verùm ægrè habuiſſem fidem*

Notæ.

1. *Ut M. Antonius Cn. Carbonem.*] Fortaſſe hujus accuſationis meminit M. Tullius epiſt. ad Pætum: ubi de Cn. Carbone loquens. *Jam pater ejus* (inquit) *accuſatus à M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur.*

2. *C. Mutius, A. Albutium.*] Cicero eum *Titum* vocat, in Bruto. *Mutius augur* (inquit) *quod opus erat, per ſe ipſe dicebat: ut de pecuniis repetundis contra T. Albutium.*

3. *P. Sulpitius Cn. Norbanum.*] Cicero, lib. 2. de Officiis, habet *C. Norbanum*, non *Cn. Etiam* (inquit) *P. Sulpitii eloquentiam accuſatio illuſtravit, cùm ſeditioſum, & inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit.*

4. *C. Furius M. Aquilium.*] Repoſuit Caſaub. *M'*, ut legatur *Manium Aquilium*, quem ait graviſſimorum criminum fuiſſe poſtulatum, & M. Antonii patrocinio ſervatum. At Cicero, lib. 2. de Officiis ſuprà laudato, pro *M. Furio*, habet *L. Fuſium*: & pro *Marco* aut *Manio Aquilio*, *Manlium Aquilium. in accuſando etiam Manlio Aquilio* (inquit) *L. Fuſii cognita induſtria eſt.*

5. *Apud antiquos.*] Vigente Republicâ, dum æqua omnibus libertas eſſet.

6. *Diu exolevit.*] Ex quo ſumma rerum penes Imperatores fuit, jacuitque oppreſſa libertas.

7. *Pro morum integritate.*] Tantùm, & abſque ullâ gloriæ, aut lucri ſpe.

8. *Æmiliano, non huic Afro, ſed illi Africano & Numantino, &c.*] Æmilia-

Afro, ſed illi Africano, & Numantino, & prætereà Cenſorio vix credidiſſem: ne [1] huic frutici credam non modò odium peccatorum, ſed ſaltem intellectum ineſſe. Quid igitur eſt? Cuivis clarè dilucet, [2] aliam rem invidiâ nullam eſſe, quæ hunc & Herennium Rufinum impulſorem hujus, de quo mox dicam, cæteroſque inimicos meos ad nectendas Magiæ calumnias provocârit. Quinque igitur res ſunt, quas me oportet diſputare. Nam, ſi probè memini, quod ad Pudentillam attinet; hæc objecere. Una res eſt, quòd *nunquam eam voluiſſe nubere poſt priorem maritum, ſed meis carminibus coactam* dixêre: altera res eſt *de epiſtolis ejus*, quam confeſſionem Magiæ putant: deinde, *ſexageſimo anno ætatis ad libidinem nupſiſſe*: & *quòd in villâ, non in oppido, tabulæ nuptiales ſint conſignatæ*, tertio & quarto loco objecêre. Noviſſima, & eadem invidioſiſſima criminatio *de dote* fuit. Ibi omne virus totis viribus adnixi effudêre: ibi maximè angebantur. Atque ità dixêre: me grandem dotem mox in principio conjunctionis noſtræ mulieri amanti remotis arbitris in villâ extorſiſſe. Quæ

Interpretatio.

de hac re Æmiliano, non huic Afro, ſed illi Africano, & Numantino, & inſuper Cenſorio, nedum credam reperiri in illo ſtupido, non ſolùm odium malefactorum, ſed vel eorum cognitionem. Quid eſt ergo? Evidenter patet omnibus, nihil aliud eſſe niſi invidiam, quæ incitaverit iſtum Herennium Rufinum ſuaſorem hujus, de quo modò loquar, & reliquos meos adverſarios, ad texendas falſas accuſationes Magiæ. Ergo quinque ſunt, de quibus mihi diſſerendum eſt. Si enim benè recordor, objectaverunt mihi hæc quantum ſpectat ad Pudentillam. Primum eſt quod dixerunt eam nunquam voluiſſe nubere poſt primum *ſuum* conjugem: ſed ad id fuiſſe adactam meis incantamentis: *Secundum eſt* de litteris ejus, *quas exiſtimant* eſſe *confeſſionem Magiæ: poſteà objectârunt tertio & quarto loco:* quòd illa nupſerit libidinis cauſâ anno ſexageſimo *ſuæ* ætatis: & quòd inſtrumentum conjugale fuerit ſubſignatum in villâ, & non in urbe. *Ultima & odioſiſſima accuſatio fuit* de dote. *in eâ evomuerunt totum* ſuum *venenum, contendentes cunctis viribus: in eâ erant maximè ſolliciti. Et ſic dixerunt: me ſtatim ab initio noſtri conjugii expreſſiſſe ab* illâ *fœminâ, quæ me deperibat, magnam dotem in villâ ſemotis teſtibus. Quæ omnia de-*

Notæ.

nus ille Pauli Æmilii filius fuit, ac deinde ex Æmiliâ gente in Scipionum familiam adoptatus, appellatus fuit P. Corn. Scipio Africanus Æmilianus. tertioque bello Punico finem, captâ deletâque Carthagine impoſuit. Obſerva diſcrimen inter *Afrum* & *Africanum*, quòd *Afer* in Africâ natum ſignificet. *Africanus* verò nomen ſit à rebus in Africâ proſperè geſtis inditum.

1. *Huic frutici.*] Ruſtico & rationis experti. *Frutex* hîc per contumeliam dicitur. Similiter Plaut. in Moſtellariâ,

nec veriſimile loquere, nec verum, frutex.

Talia ſunt, quæ Terentius, in Heautontimorumeno ait in ſtultum dici poſſe.

Caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

2. *Aliam rem invidiâ.*] *Aliam ab invidiâ, præter invidiam*, quâ nempè apud Æmilianum flagrabat, ob nuptias Pudentillæ.

omnia tàm falſa, tàm nihili, tàm inania oſtendam, adeóque facilè & ſine ullâ controverſiâ, refutabo: ut medius fidius verear, Maxime, quíque in conſilio eſtis, ne [1] emiſſum & ſubornatum à me accuſatorem putetis, ut invidiam meam repertâ occaſione palàm reſtinguerem. Mihi credite, quod reapſe intelligetur, oppidò quàm mihi laborandum eſt, ne tàm frivolam accuſationem me potiùs callidè excogitâſſe, quàm illos ſtultè ſuſcepiſſe exiſtimetis. Nunc dum ordinem rei breviter perſequor, & efficio ut ipſe Æmilianus recognoſcat [2] falsò ſe ad invidiam meam inductum, & longè à vero aberrâſſe neceſſe habeat confiteri; quæſo, uti adhuc feceritis, vel, ſi quò magis etiam poteſtis, ipſum fontem & fundamentum mendacii hujuſce diligentiſſimè cognoſcatis. Æmilia Pudentilla, quæ nunc mihi uxor eſt, ex quodam [3] Sicinio Amico, quicum anteà nupta fuerat, Pontianum & Pudentem filios genuit: eoſque pupillos, [4] in poteſtate avi paterni relictos (nam ſuperſtite patre Amicus deceſſerat) per annos fermè quatuordecim memorabili pietate ſedulò aluit. Non tamen libenter in ipſo ætatis ſuæ flore tam diù vidua ſed puerorum avus [5] invitam eam conciliare ſtudebat alteri filio ſuo Sicinio Claro.

INTERPRETATIO.

monſtrabo eſſe adeò falſa, adeò frivola, adeò vana, & refellam tàm facilè, & abſque ullâ dubitatione: ut certè metuam ne tu, Maxime, & vos, *qui adeſtis huic cauſæ, credatis allegatum eſſe à me, &* clàm *ſubmiſſum delatorem, ut* hac *opportunitate inventâ, publicè extinguerem odium*, quo flagro. *Credite mihi*, id *quod cognoſcetur reverà, maximè danda eſt mihi opera, ne putetis me potiùs commentum fuiſſe aſtutè criminationem tam futilem, quàm eos* illam *aggreſſos eſſe ſtolidè. Nunc dum paucis reſumo ſeriem rei, & facio ut Æmilianus ipſe agnoſcat, ſe opinione falsâ impulſum fuiſſe ad invidendum mihi, atque, ut cogatur fateri ſe procul deviâſſe à veritate; oro* vos, *ut ſtudioſiſſimè audiatis originem ipſam & fundamentum hujus mendacii, quemadmodùm feciſtis hactenùs, aut ſtudioſiùs etiam, ſi poteſtis aliquâ* ratione. *Æmilia Pudentilla, quæ nunc eſt mea conjux, peperit liberos Pontianum & Pudentem ex quodam Sicinio Amico, cui nupſerat anteà: & diligenter educavit per quatuordecim circiter annos commendabili affectu eos relictos pupillos ſub poteſtate avi paterni eorum, Amicus enim obierat patre vivo relicto. Non tamen ſponte* remanſit *tamdiù vidua in ipſo vigore ſui ævi. ſed avus puerorum cupiebat eam renitentem deſpondere ſecundo ſuo filio Sicinio*

NOTÆ.

1. *Emiſſum.*] *Submiſſum.* Hinc *emiſſarius.*

2. *Falsò ſe ad invidiam meam inductum.*] Dum me credit grandi dote à Pudentillâ emptum maritum.

3. *Sicinio Amico.*] Amicus hîc nomen eſt proprium, mediâ correptâ pronuntiandum, ut apud Virgilium: l. 5. Æneid. *qui ſe Bebricia veniens Amici de gente ferebat.*

4. *In poteſtate avi paterni relictos.*] Ut Jure & legibus tenebatur. Vide Inſtit. Juſtin. lib. 1. Tit. 9. *de Patriâ poteſtate.*

5. *Invitam eam conciliare ſtudebat alteri filio ſuo, &c.*] Ergo licitæ erant illis temporibus nuptiæ, apud Afros ſaltem, ſi quis fratris viduam, & quidem extantibus liberis, duceret, non

eóque cæteros procos abſterrebat. & prætereà minabatur, ſi extrario nupſiſſet, nihil ſe filiis ejus [1] ex paternis eorum bonis teſtamento relicturum. Quam conditionem cùm obſtinatè propoſitam videret mulier ſapiens & egregiè pia; ne quid filiis ſuis eo nomine incommodaret, facit quidem tabulas nuptiales, cum quo jubebatur, [2] cum Sicinio Claro: verùm enimverò vanis fruſtrationibus nuptias eludit, [3] eò ad dum puerorum avus fato conceſſit, relictis filiis ejus hæredibus: ita ut Pontianus, qui major natu erat, fratri ſuo tutor eſſet. Eo ſcrupulo liberata; cùm à principibus viris in matrimonium peteretur; decrevit ſibi diutiùs in viduitate non permanendum. quippe, ut ſolitudinis tædium perpeti poſſet, tamen ægritudinem corporis ferre non poterat. Mulier ſanctè pudica, tot annis viduitatis ſine culpâ, [4] ſine fabulâ, [5] abſuetudine conjugis torpens, & diutino ſitu viſcerum ſaucia, vitiatis intimis uteri, ſæpè ad extremum vitæ diſcrimen doloribus obortis exanimabatur. Medici cùm obſtetricibus conſentiebant; [6] penuriâ matrimonii morbum quæſitum, malum indies

INTERPRETATIO.

Claro. ac propterea removebat reliquos amantes, & inſuper minabatur ſe nihil relicturum ſuo teſtamento ejus liberis ex bonis patris illorum, ſi nupſiſſet extraneo. Quod matrimonium cùm fœmina prudens, & inprimis liberorum amans, cerneret ſibi *pertinaciter oblatum; ne afferret aliquod incommodum ſuis liberis eâ de causâ, facit quidem inſtrumentum matrimonii cum* illo, cum *quo cogebatur* facere, nempè *cum Sicinio Claro: ſed tamen fruſtratur connubium inanibus eluſionibus, donec avus puerorum mortem obiit, relinquens filios ſuos hæredes: ſic ut Pontianus, qui erat grandior ætate, eſſet tutor ſui fratris. Soluta ab illâ ſollicitudine, cùm poſceretur ad conjugium à viris primariis, ſtatuit non manere diutiùs vidua. quamvis enim poſſet tolerare faſtidium viduitatis, non poterat tamen tolerare morbum corporis. Caſtiſſima fœmina*, quæ permanſerat *per tot annos viduitatis, ſine crimine*, ac *rumore ſi*niſtro, *languens ex deſuetudine viri, & læſa longo torpore inteſtinorum, labefactatis interioribus partibus vulvæ, frequenter diſcruciabatur doloribus exortis uſque ad ultimum periculum vitæ. Medici cum obſtetricibus uno ore dicebant, ægritudinem accerſitam ex indigentiâ nuptiarum, malum quotidie*

NOTÆ.

extantibus, apud Hebræos non ſolùm licitum erat, ſed etiam imperatum. certè, apud Athenienſes & Ægyptios, fratri licuit ſororem uxorem ducere, ut obſervat Gothofredus ad legem 8. ff. *de Ritu nuptiarum.*

1. *Ex paternis eorum bonis.*] Quæ in ejuſdem avi, dum viveret, poteſtate erant.

2. *Cum Sicinio Claro.*] Hæc verba Brantio jure videntur à manu Gloſſatoris in textum irrepſiſſe.

3. *Eò ad.*] *Eò uſque*, ut *quoad, quò uſque.*

4. *Sine fabulâ.*] Sine ullo ſiniſtro rumore. Seneca, lib. 9. Contr. 6 *duxi uxorem nullis inquinatam fabulis.*

5. *Aſſuetudine conjugis torpens.*] Repoſui ex Fulviani codicis lectione *abſuetudine* hoc eſt, *deſuetudine.*

6. *Penuriâ matrimonii morbum quæſitum.*] Siquidem, ut Hippocrates ait, lib. *de Geniturâ*, mulieres, ſi rem cum viris habeant, magis ſanæ ſunt: ſin Venere abſtineant, ægrotant.

augeri, ægritudinem ingraveſcere: dum ætatis aliquid ſuperſit, nuptiis valetudinem medicandum. Conſilium iſtud cùm alii approbarent, tùm maximè Æmilianus iſte, qui pauló priùs confidentiſſimo mendacio adſeverabat, nunquam de nuptiis Pudentillam cogitâſſe, priuſquàm foret Magicis maleficiis à me coacta: me ſolum repertum, qui viduitatem ejus, velut quandam virginitatem, carminibus & venenis violarem. Sæpè audivi non de nihilo dici, *Mendacem memorem eſſe oportere.* At tibi, Æmiliane, non venit in mentem, priuſquàm ego Oeam venirem, te litteras etiam, uti nuberet, ſcripſiſſe ad filium ejus Pontianum, qui tùm adultus [1] Romæ agebat? [2] Cedó tu epiſtolam, vel potiùs da ipſi: legat ſuâ ſibi voce, ſuiſque verbis ſeſe revincat. INITIUM EPISTOLÆ ÆMILIANI. Eſt-ne hæc tua epiſtola? quid palluiſti? nam erubeſcere tu quidem non potes: eſt-ne tua iſta ſubſcriptio? Recita, quæſo, clariùs, ut omnes intelligant quantùm lingua ejus manu diſcrepet, quantúmque minor illi ſit mecum, quàm ſecum diſſenſio. RELIQUUM EPISTOLÆ. Scripſiſti-ne hæc, Æmiliane, quæ lecta ſunt? *Nubere illam velle, & debere ſcio; ſed quem eligat, neſcio.* Rectè tu quidem neſciebas. Pudentilla enim tibi, cujus infeſtam malignitatem probè nôrat de ipsâ re tantùm, cæterùm de petitore nihil fatebatur. At tu dum eam putas etiamnunc

INTERPRETATIO.

creſcere, morbum exaſperari: medendum eſſe matrimonio infirmitati ejus, *dum reſtabat adhuc aliquantum vitæ. Cùm alii probarent hoc conſilium, tùm imprimis* probabat *hic Æmilianus, qui modò affirmabat mendacio audaciſſimo Pudentillam nunquam cogitaviſſe de matrimonio, antequàm eſſet impulſa à me veneficiis Magicis: me ſolum* eſſe *inventum, qui corrumperem viduitatem ejus incantamentis & venenis, perinde ac quampiam virginitatem. Sæpè audivi non abſque ratione dici,* Oportere ut mendax valeat memoriâ. *Tu verò, ô Æmiliane, non recordaris, antequàm ego venirem Oeam, te etiam ſcripſiſſe epiſtolam, ut nuberet, ad Pontianum filium illius, qui tunc degebat Romæ jam adultus. Da tu litteras, vel potiùs trade ipſi,* ut *legat* eas, *convincatque ſeipſum ſuâ propriâ voce, & ſuis verbis.* INITIUM EPISTOLÆ ÆMILIANI. *Hæ litteræ ſunt-ne tuæ? quare expalluiſti? nam certè tu nequis erubeſcere: hæc ſubſcriptio eſt-ne tua? Lege, oro, altiore voce, ut univerſi cognoſcant quantùm ejus lingua differat à manu, & quantò plus diſſideat à ſeipſo, quàm à me.* RELIQUUM EPISTOLÆ. *Æmiliane, an ſcripſiſti ea, quæ lecta ſunt?* Notum eſt mihi illam velle, & debere nubere; ſed ignoro, quem ſeligat. *Benè ſanè tu ignorabas. nam Pudentilla confitebatur ſolùm rem ipſam tibi, cujus egregiè cognoſcebat malitiam ſibi infenſam, at nihil* confitebatur *de proco. Tu verò dum credis eam adhuc*

NOTÆ.

1. *Romæ agebat.*] Studiis nimirùm forenſibus incumbens: ut mos erat iis temporibus, illorum ſtudiorum gratiâ, ex provinciis Romam commeare.

2. *Cedò tu epiſtolam.*] Alloquitur famulum quempiam, quem adeſſe juſſerat cum iis omnibus litteris, tabulis, aliiſque inſtrumentis, quibus ſibi in causâ orandâ opus fore præviderat.

Claro fratri tuo denupturam, falsâ ſpe inductus, filio quoque ejus Pontiano auctor aſſentiendi fuiſti. Igitur ſi Claro nupſiſſet, homini ruſticano & decrepito ſeni, ſpontè eam diceres, ſine ullâ Magiâ, jam olim nupturiſſe: quoniam juvenem talem, qualem dicitis, elegit, coactam feciſſe ais: cæterùm ſemper nuptias aſpernatam. Neſciſti, improbe, epiſtolam tuam de iſtâ re teneri: neſciſti te tuomet teſtimonio convictum iri. Quam tamen epiſtolam Pudentilla, teſtem & indicem tuæ voluntatis, ut quæ te levem & mutabilem, nec minùs mendacem & impudentem ſciret, [1] maluit retinere, quàm mittere. Cæterùm ipſa de eâ re Pontiano filio ſuo Romam ſcripſit: etiam cauſas conſilii ſui plenè allegavit. Dixit illa omnia de valetudine: nihil prætereà eſſe, cur ampliùs deberet obdurare: hæreditatem avitam longâ viduitate, cum deſpectu ſalutis ſuæ, quæſiſſe: eandem ſummâ induſtriâ auxiſſe. Jam Deûm voluntate, ipſum uxori..., [2] fratrem ejus virili togæ idoneos eſſe. Tandem aliquando ſe quoque paterentur ſolitudini ſuæ & ægritudini ſubvenire. Cæterùm de pietate ſuâ & [3] ſupremo judicio nihil metuerent: qualis vidua eis fuerit, [4] talem nuptam futuram. Recitari jubebo exemplum epiſtolæ hujus ad filium miſſæ.

INTERPRETATIO.

nupturam tuo fratri Claro, deluſus ſpe irritâ, perſuaſiſti etiam ejus filio Pontiano ut aſſentiretur. Ergo ſi juncta fuiſſet Claro, viro agreſti & ſeni capulari, diceres ultrò illam jam pridem expetiviſſe conjugium abſque ullâ Magiâ: quia verò *ſelegit juvenem talem, qualem dicitis* me eſſe, *dicis eam* id *feciſſe invitam: porrò* autem *ſemper reſpuiſſe connubium. Ignorâſti, ô ſceleſte, haberi tuas litteras de hoc negotio: ignorâſti te confutatum iri tuo ipſius teſtimonio. Quas litteras nihilominùs, teſtes & indices tuæ voluntatis, Pudentilla maluit ſervare, quàm mittere, quippè quæ noverat te eſſe inſtabilem & mutabilem, ſimiliterque mendacem, & impudentem. Porrò ipſa ſcripſit Romam ad Pontianum ſuum filium de illâ re: protulit quoque fusè rationes ſui propoſiti. Recenſuit hæc omnia de* ſuâ *ægritudine: inſuper nihil eſſe quare ultrà deberet* obſtinatè *pati: ſe acquiſiviſſe eis ſucceſſionem avi* eorum, *viduitate diutinâ, cum negligentiâ propriæ ſalutis: ſe ampliâſſe eandem* ſucceſſionem *maximâ ſolertiâ. Eum jam maturum eſſe conjugi, ejus autem fratrem togæ virili, beneficio Deorum. Sinerent aliquando demùm ſe auxiliari ſuæ viduitati, & infirmitati. Porrò nihil timerent de charitate & ultimâ voluntate ſuâ; ſe fore eis talem cùm conjugata* eſſet, *qualis fuerat vidua. Curabo ut legatur exemplum illarum litterarum, quas miſerat ad filium* ſuum.

NOTÆ.

1. *Maluit retinere.*] Ut, ſi ſententiâ mutatâ nuptias ſuas poſtmodùm improbares, & inconſulto te atque invito diceres factas: haberet unde te mendacii argueret, & convinceret.

2. *Fratrem ejus virili togæ.*] Quæ vulgò anno ætatis decimo ſeptimo, depoſitâ puerili prætextâ, ſumebatur.

3. *Et ſupremo judicio*] Ultimâ ſententiâ, quæ ſolet teſtamento explicari. id vult dicere, non eſſe eis timendum ne teſtamento ſua bona eorum vitrico, ipſis exhæredatis, relinqueret.

4. *Talem nuptam futuram.* Hoc eſt, bonam piamque matrem.

Epistola Pudentillæ ad Pontianum F. Satis puto ex iſtis cuivis liquere poſſe, Pudentillam non meis carminibus ab obſtinatâ viduitate compulſam; ſed olim ſuâ ſponte à nubendo non alienam, me fortaſſe præ cæteris maluiſſe. Quæ electio tam gravis fœminæ cur mihi crimini potiùs, quàm honori danda ſit, non reperio. Nonnihil tamen miror, quòd Æmilianus & Rufinus id judicium mulieris ægrè ferant: cùm ii, qui Pudentillam in matrimonium petiverunt, æquo animo patiantur me ſibi prælatum. Quod quidem illa ut faceret, filio ſuo potiùs quàm animo obſecuta eſt. Ità factum, nec Æmilianus poterit negare. Nam Pontianus, acceptis litteris matris, confeſtim [1] Româ advolavit: metuens ne, ſi quem avarum virum nacta eſſet, omnia, ut ſæpè fit, in mariti domum conferret. Ea ſollicitudo non mediocriter animum angebat. Omnes illi fratrique divitiarum ſpes in facultatibus matris ſitæ erant. Avus modicum reliquerat, [2] mater HS. quadragies poſſidebat. Ex quo ſanè aliquantam pecuniam, [3] nullis tabulis, ſed, ut æquum erat, merâ fide acceptam,

Interpretatio.

Epistola Pudentillæ ad Pontianum filium. *Credo ex his ſatis poſſe manifeſtum eſſe cuilibet, Pudentillam non fuiſſe abſtractam à viduitate pertinaci meis incantamentis; verùm eam, quæ quondam ultrò non abhorruerat à nuptiis, me forſan prætuliſſe reliquis. Quæ electio mulieris tam honeſta, non video quare vertenda ſit mihi culpæ potiùs, quàm laudi. Aliquatenùs tamen miror, quòd Æmilianus & Rufinus moleſtè tolerent hanc ſententiam fœminæ; ſiquidem illi, qui popoſcerunt Pudentillam uxorem, non gravatè ferunt me ſibi eſſe antepoſitum. Ad quod faciendum illa morem geſſit potiùs filio ſuo, quàm ſuæ cupidini. Æmilianus ipſe non poterit inficiari* hoc *ſic factum* eſſe. *Pontianus enim, cùm accepiſſet epiſtolam matris, ſtatim accurrit Româ: timens ne, ſi* illa *inveniſſet aliquem virum avarum, transferret omnia* bona *in familiam conjugis, ut ſæpenumero evenit. Illa cura non leviter premebat mentem* ejus. *Ipſe & frater* ejus *ponebant omnem ſpem opum* ſuarum *in bonis* ſuæ *matris. Avus parùm reliquerat, mater habebat quadragies* centena millia *nummorum ſeſtertiorum. Ex quâ* ſummâ *debebat quidem* ſuis *liberis nonnihil pecuniæ, quod acceperat abſque ullis tabulis, ſed ex ſolâ fide, ut*

Notæ.

1. *Româ.*] Quo, ut ſuprà dictum eſt, ſtudii forenſis causâ ſe contulerat.

2. *Mater HS. quadragies poſſidebat.*] Hoc eſt, ex Budæi æſtimatione, centum millia coronatorum, ſeu centum & ſeptuaginta quinque millia librarum monetæ Francicæ. Seſtertium, & numero multitudinis, ſeſtertia ſingula valebant mille nummos ſeſtertios, & quadraginta ſeſtertia quadraginta millia nummorum ſeſtertiorum. quòd ſi hunc numerum per adverbium extuleris, hoc modo, *quadragies ſeſtertiûm*: jam reddideris hanc ſummam centuplo majorem, & fient quadragies centena millia nummorum ſeſtertiorum. Seſtertius nummus erat quarta pars argentei denarii, valebatque, ex ejuſdem Budæi ſupputatione, decem denariolos Turonicos & ſemiſſem.

3. *Nullis tabulis.*] Abſque ullo ſcripto, aut inſtrumento publico, quo conſtaret eam penes ſe illam pecuniam natorum habere, unde nec jure poterat ad ejus reſtitutionem cogi, niſi ex merâ fide. quæ, ſi ſemel vitrici blanditiis fuiſſet labefactata, filii pecuniâ excidiſſent.

filiis debebat. Hunc ille timorem muſſitabat. adverſari propalàm non audebat, ne videretur diffidere. Cùm in hoc ſtatu res eſſet, [1] inter precationem matris, & metum filii; fortè-ne an fato, [2] ego advenio, pergens Alexandriam. Dixiſſem herculè, [3] Quod utinam nunquam eveniſſet, [4] ni me uxoris meæ reſpectus prohiberet. Hyems anni erat. Ego ex fatigatione itineris adfectus, [5] apud Appios veteres amicos meos, (quos honoris & amoris gratiâ nomino) aliquammultis diebus decumbo. Eò venit ad me Pontianus. nam fuerat mihi [6] non ita ante multos annos [7] Athenis, per quoſdam communeis amicos, conciliatus, & arto poſteà contubernio intimè junctus: facit omnia circà honorem meum obſervanter, circà ſalutem ſollicitè, circà amorem callidè. Quippè etenim videbatur ſibi peridoneum maritum matri reperiſſe, cui bono periculo totam domûs fortunam concrederet. Ac primò quidem voluntatem meam [8] verbis inverſis periclitabundus, quoniam me

INTERPRETATIO.

par erat. Ille diſſimulabat hunc metum: non audebat apertè obſiſtere, ne videretur non fidere matri. *Cùm negotium ſic ſe haberet, hinc orante matre, illinc timente filio, ego accedo huc,* neſcio *an caſu, an* verò certâ *deſtinatione fatorum, cùm irem Alexandriam. Certè dixiſſem, Quod utinam nunquam contigiſſet, niſi ratio meæ conjugis me impediviſſet. Erat* tunc *hiberna tempeſtas anni. Ego debilitatus ex defeſſione viæ, jaceo per dies pluſculos apud Appios meos antiquos amicos, quos* hîc *nomino honoris & amicitiæ causâ. Pontianus me convenit illuc. mihi enim fuerat conjunctus amicitiâ ante paucos annos Athenis, operâ quorumdam amicorum communium, ac deinde unitus arctiſſimè ſtrictâ cohabitatione. peragit officiosè cuncta, quæ pertinebant ad meum honorem, anxiè, quæ ad meam conſervationem, & aſtutè, quæ ad amorem* matris mihi inſpirandum. *Nam exiſtimabat ſe inveniſſe aptiſſimum virum ſuæ matri, cui tutò committeret omnes opes* ſuæ *domûs. Et primùm quidem tentans meum animum ambagibus verborum, quia cernebat me eſſe avi-*

NOTÆ.

1. *Inter precationem matris.*] Caſaubonus *procationem* ſcribendum putat. Nihil muto. Intellige preces matris, quas filiis adhibebat, ut cum bonâ eorum veniâ ſibi liceret ad ſecundas nuptias tranſire, *tandem ſe quoque paterentur ſolitudini ſuæ, & ægritudini ſubvenire*: ut in epiſtolâ ſuprà allegatâ.

2. *Ego advenio.*] Oeam.

3. *Quod utinam nunquam eveniſſet.*] Ob Magiæ negotium, quod, nuptiarum Pudentillæ causâ in illo itinere contractarum, Æmilianus ipſi faceſſiverat.

4. *Ni me uxoris meæ reſpectus prohiberet.*] Quam tanti æſtimo, ac tantopere diligo, ut me ejus conjugii pœnitere non poſſit.

5. *Apud Appios.*] Oea, ut jam monuiſſe me puto, colonia erat Romanorum. non mirum ergo, ſi Romana nomina habuerint ejus coloni.

6. *Non ità ante multos annos.*] Sic reſtituit Caſaub. Priores omnes editiones abſurdè & pugnanter habebant, *non ita pridem ante multos annos.*

7. *Athenis.*] Quo, Græcatum litterarum & philoſophiæ diſcendæ causâ, ex toto pœnè terrarum orbe juvenes confluebant.

8. *Verbis inverſis.*] Id eſt, obliquè & obſcurè alludens. potiùs, quàm exprimens, quod cogitabat. Terent. in Heautontimor.

Inverſa verba, everſas cervices tuas, &c. abſtine.

viæ cupidum &[1] converſum ab uxoriâ re videbat, orat ſaltem pauliſper manerem. velle ſe mecum proficiſci: [2] hyemem alteram [3] propter Syrtis æſtus [4] & beſtias opperiendam, quòd illam mihi infirmitas exemiſſet Multis etiam precibus me ab amicis meis Appiis aufert, ut ad ſeſe in domum matris ſuæ transferat, ſalubriorem mihi habitationem futuram: præterea proſpectu maris, qui mihi gratiſſimus eſt, liberiùs me ex eâ fruiturum. Hæc omnia, adnixus impenſo ſtudio, perſuadet: & matrem ſuam, ſuumque fratrem puerum iſtum mihi commendat. nonnihil à me in communibus ſtudiis adjuvantur. augetur oppidò familiaritas. Interibi revaleſco. Diſſero aliquid, poſtulantibus amicis, publicè. omnes, qui aderant, ingenti celebritate [5] baſilicam (qui locus auditorii erat,) complentes, inter alia pleraque congruentiſſimâ voce inſigniter acclamant, petentes ut remanerem,

INTERPRETATIO.

dum itineris pergendi, & abhorrentem à nuptiis, rogat me ut ſaltem remanerem tantiſper. Se velle ire mecum: expectandam eſſe ſequentem hyemem, ob calores Syrtis, & belluas quia ægritudo mea mihi ademerat illius hyemis opportunitatem. *Abſtrahit etiam me plurimis precibus ab amicis meis Appiis, ut tranſportaret me ad ſe in ædes ſuæ matris,* dicens *manſionem* illam *mihi fore magis ſalubrem: me insuper liberiùs ex illâ* habitatione *potiturum aſpectu pelagi, qui mihi eſt jucundiſſimus. Perſuadet mihi hæc omnia magno conatu & deſiderio: & commendat mihi ſuam matrem, & ſuum fratrem hunc puerum. juvo eos aliquantùm in ſtudiis communibus. amicitia valdè creſcit. Intereà convaleſco. Verba facio de aliquâ re in publico, rogatu meorum amicorum. cuncti, qui præſentes erant, magnâ frequentiâ implentes baſilicam, (qui locus erat concionis,) inter multa alia, exclamant clarè voce concordantiſſimâ, rogantes ut remanerem, &*

NOTÆ.

1. *Et converſum ab uxoriâ re.*] Magis propriè *averſum* dixiſſet, quod reſtitui Caſaubono placet, nihil tamen mutare velim, *converſum ab uxoriâ re.* ſupple *ad viam, ad alia conſilia,* aut aliquid ſimile.

2. *Hyemem.*] Quòd eo anni tempore minùs incommodum ſit iter vianti bus per Syrtes æſtuoſas: cùm æſtate intolerandus ſit ardor arenarum

3. *Propter Syrtis æſtus*] Intellige præſertim majorem Syrtim. ut enim ait Solinus, *aliquantò clementior quæ minor eſt.* Æſtus Syrtium ſunt arenarum cumuli, qui huc illuc ventorum arbitrio transferuntur. Solinus cap. 30. *Inter Syrtes quamvis terrâ pergentibus, iter ſideribus deſtinatur, nec aliter cursus patefcit. Nam putris ſoli faciem aura mutat, & minimo licet vento, tantam diverſitatem flatus efficit, ut ſubinde everſis ſitibus locorum, nulla indicia agnitioni relinquantur: cùm modò, quæ fuerant tumulis ardua, in valles reſidunt, modò quæ vallibus preſſa, cœtu pulveris aggerantur. Ita etiam continens naturam maris ſui patitur.*

4. *Et beſtias.*] Quamobrem? An beſtiæ per hyemem minùs ſæviunt? Siti certè per æſtatem exaſperari Africæ beſtias nemo negaverit. Elmenhorſtius legebat *propter Syrtis æſtus in eſtos:* nihil tamen in contextu mutare volui. arbitrium penes lectorem ſit.

5. *Baſilicam, qui locus auditorii erat.*] Sicut & forum, nam & in eâ parte baſilicarum, cui *tribunal* nomen erat, jus dicebatur, orabanturque cauſæ, cùm interim in reliquâ baſilicâ mercatores ſua mercimonia obirent. Baſilicarum deſcriptionem vide apud Vitruvium, lib. 5. cap. 1.

fieremque civis Oeenſium. Mox auditorio miſſo, Pontianus eo principio me adortus, conſenſum publicæ vocis pro divino auſpicio interpretatur: [1] aperitque conſilium ſibi eſſe, ſi ego non nolim, matrem ſuam, cui plurimi inhient, mecum conjungere: quoniam mihi ſoli (ait) rerum omnium confidere ſeſe, & credere: ut id onus recipiam: [2] quoniam non formoſa pupilla, ſed mediocri facie mater liberorum mihi offeratur. Sin hæc reputans, formæ & divitiarum gratiâ me ad aliam conditionem reſervarem, neque pro amico, neque pro philoſopho facturum. Nimis multa oratio eſt, ſi velim memorare quæ ego contrà reſponderim, quàm diù & quoties inter nos verbigeratum ſit, quot & qualibus precibus me aggreſſus, haud priùs omiſerit, quàm denique impetrârit. non quin ego Pudentillam jam anno perpetim aſſiduo convictu probè ſpectâſſem, & virtutum ejus dotes explorâſſem: ſed utpotè peregrinationis cupiens, impedimentum matrimonii aliquantiſper recuſaveram: mox tamen talem fœminam nihilo ſegniùs volui, quàm ſi ultrò appetiſſem. Perſuaſerat idem Pontianus matri ſuæ, ut me aliis omnibus mallet: & quamprimùm hoc perficere incredibili ſtudio avebat. Vix ab eo tantulam moram impe-

INTERPRETATIO.

fierem civis Oeenſium. Statim dimiſsâ concione, Pontianus aggreſſus eſt me hoc exordio: exponit concordantiam acclamationis publicæ pro cœleſti omine: declarat ſibi eſſe animum mihi jungere connubio *ſuam matrem, quam plurimi ambibant, ſi* tamen *ego non recuſarem: quia, ut dicebat, confidebat mihi uni de omnibus rebus, &* eas. mihi *committebat:* rogat *ut acciperem hoc onus, quia non proponebatur mihi pulchra juvenis, ſed mater filiorum, formâ modicâ. Quòd ſi ego hæc cogitans reſervarem me ad alias nuptias, propter pulchritudinem, vel opes; me non facturum ut decet amicum, neque ut* decet *philoſophum. Sermo ſit prolixior, ſi velim recenſere ea, quæ ego ex adverſo retulerim, quandiù, & quot verba inter nos commutaverimus, quot, & cujuſmodi flagitationibus me adortus, non antè me dimiſerit, quàm tandem obtinuerit* quod petebat. *non quòd ego non benè jam cognoviſſem Pudentillam aſſiduè vivendo cum eâ per ſolidum annum, atque obſervaviſſem quot dotata eſſet virtutibus: ſed cùm cupidus eſſem peregrinandi, aliquantùm reſpueram nuptias,* tanquam *obſtaculum: nihilominùs illa mulier mihi fuit paulò pòſt æquè accepta, ac ſi eam meâpte ſponte expetiviſſem. Idem Pontianus induxerat in animum ſuæ matri, ut me præferret cæteris omnibus: & ardentiſſimè cupiebat id peragere quàm citiſſimè. Ægrè obtinemus ab ipſo aliquam di-*

NOTÆ.

1. *Aperitque conſilium, &c.*] Locum corruptum eſſe omnes affirmant, nituntur que emendare. Ego nihil muto, ſed paulò aliter interpungo, & lego: *aperitque conſilium ſibi eſſe, ſi ego non nolim, matrem ſuam, cui plurimi inhient, mecum conjungere: quoniam mihi ſoli (ait) rerum omnium confidere ſeſe, & credere: ut id onus recipiam, quoniam non formoſa pupilla, ſed mediocri facie mater liberorum mihi offeratur.* Archaiſmus eſt, *rerum omnium alicui confidere & credere*, pro *res omnes.* Poſt illa verba interpungo. Tum quod ſequitur *ut id onus recipiam*, obſecrativum eſt, & ſubintelligendum *rogat*, aut aliquid ſimile.

2. *Quoniam non formoſa pupilla.*] Ideò dixit, *id onus.*

tramus,

tramus, dum priùs ipſe uxorem duceret: frater ejus [1] virilis togæ uſum auſpicaretur: tunc deinde ut nos conjungeremur. Utinam herculè poſſem, quæ deinde dicenda ſunt, ſine maximo cauſæ diſpendio tranſgredi! ne Pontiano, cui errorem ſuum deprecanti ſimpliciter ignovi, videar nunc levitatem exprobrare. Confiteor enim, quod mihi ob ectum eſt, eum, poſtquàm uxorem duxerit, [2] à compectâ fide deſciviſſe, ac derepentè animi mutatum, quòd anteà nimio ſtudio feſtinârat, pari pertinaciâ prohibitum iſſe: denique, matrimonium noſtrum ne coaleſceret, quidvis pati, quidvis facere paratum fuiſſe. Quamvis omnis illa tùm animi fœda mutatio, & ſuſcepta contra matrem ſimultas, [3] non ipſi vitio vertenda ſit, ſed ſocero ejus [4] eccilli Herennio Rufino: qui unum neminem in terris viliorem ſe, aut improbiorem, aut inquinatiorem reliquit. Perpaucis hominem quàm modeſtiſſimè potero, neceſſariò demonſtrabo: ne, ſi omninò de eo

INTERPRETATIO.

lationem, quò uſque ipſe duceret uxorem: ejus autem *frater initiaretur virili togâ: ut nos tùm poſteà* matrimonio *jungeremur. Utinam profectò poſſem prætermittere abſque ingenti damno* meæ *cauſæ. ea, quæ* mihi *poſthac dicenda ſunt! ne exiſtimer nunc objectare inconſtantiam Pontiano, cui ſimpliciter peperci, roganti veniam ſui erroris. Nam fateor, quod mihi fuit objectatum, illum diſceſſiſſe à fide* mihi *promiſsâ poſtquàm contraxit matrimonium: & ſubitò mutatum animo, impedire voluiſſe ſimili obſtinatione, quod anteà accelera-verat nimio deſiderio: poſtremò* cum *fuiſſe paratum omnia facere & tolerare, ut nuptiæ noſtræ non contraherentur. Quanquam tota illa turpis mutatio conſilii*, quæ illi *tunc* accidit, *& inimicitiæ initæ adverſus matrem, non debent ei dari crimini, ſed huic Herennio Rufino ejus ſocero: qui nullum reliquit in orbe ſe abjectiorem, aut ſceleſtiorem, aut magis impurum. Deſcribam, ut neceſſe habeo, hominem breviſſimè & quàm moderatiſſimè potero: ne, ſi prorsùs ſiluero de eo, inutile*

NOTÆ.

1. *Virilis togæ uſum auſpicaretur.*] Signatè hoc loco utitur *auſpicandi* verbo. in more enim fuit eam rem ſolemniter agi, & ad ipſa templa, in comitatu amicorum, addito etiam ſacrificio. Appianus. lib. 4. Ἐμφυλ. ubi de proſcriptione Triumvirorum: Ἀπίλιος δ' ἄρτι τὴν τελείαν περιθέμενος στολὴν, ᾔει μὲν, ὡς ἔθος ἐστὶν, σὺν πομπῇ φίλων ἐπὶ θυσίας ἐς τὰ ἱερά.

2. *A compectâ fide.*] Sic omninò legendum, ex conjecturâ Colvii. Quidquid in contrarium garriat Pricæus, qui *conſpectâ* tuetur. *Compecta* eſt *compacta*. Nonnulli habent *conceptâ*.

3. *Non ipſi vitio vertenda ſit.*] Decorè, & pro causâ, excuſat quodammodò vitricus adoleſcentem in eâ re, quæ pietatem maternam lædebat. quod in conjunctis hujuſmodi perſonis mutuò obſervandum eſt, ut præcipit Quintilianus, lib. 11. cap. 1. *Avertere quoque in alios crimen decet, ut fraude aliquorum concita* (mater) *credatur: & omnia nos paſſuros, nihil aſperè dicturos teſtandum: ut etiamſi non poſſimus non conviciari, nolle videamur.* Quod præceptum etiam ſecutus Apuleius eſt, cùm ſuprà dicit, *Utinam herculè, poſſem, quæ deinde dicenda ſunt, ſine maximo cauſæ diſpendio tranſgredi: ne Pontiano. cui. &c.*

4. *Eccilli.*] *Illi. Ille, eccille*, cùm præſens quis demonſtratur. Inde *eccillum* & *ellum*.

reticuero, operam perdiderit, quòd negotium iſtud mihi ex ſummis viribus conflavit. Hic eſt enim pueruli hujus inſtigator, hic accuſationis auctor, hic advocatorum conductor, hic teſtium coëmptor, hic totius calumniæ fornacula, [1] hic Æmiliani hujus fax & flagellum. idque apud omneis intemperantiſſimè gloriatur, me ſuo machinatu poſtulatum. Et ſane habet in iſtis quod ſibi plaudat. [2] eſt enim omnium litium depector, omnium falſorum commentator, omnium ſimulationum architectus, omnium malorum ſeminarium. * *

Deſunt hic obſcœna.

Quid enim faciat homo miſer, ampliuſculâ fortunâ devolutus, quam tamen fraude patris ex inopinato invenerat? Pater ejus plurimis creditoribus [3] defœneratus, maluit retinere pecuniam, quàm pudorem. nam cùm undiqueversùm [4] tabulis [5] flagitaretur, & quaſi inſanus ab omnibus obviis teneretur; [6] Pàx, inquit, negat poſſe

Interpretatio.

illi ſit, quòd mihi creaverit hanc litem ex totis ſuis viribus. Nam *hic eſt impulſor hujus adoleſcentuli, hic eſt ſuaſor delationis, hic redemptor patronorum, hic emptor teſtium, hic fornax univerſæ calumniæ, hic eſt tæda & flagrum hujus Æmiliani. atque id jactat immoderatiſſimè coràm omnibus, me accuſatum fuiſſe ſuis artibus. Et certè habet in his unde ſibi gratuletur. nam eſt redemptor litium, excogitator cujuſvis falſitatis, artifex omnium fictionum, plantarium univerſorum malorum,* * * * *

Nam quid faceret homo infelix deturbatus ex opibus ſat magnis, quas nihilominus nactus erat ex inſperato, fallaciâ ſui *patris? Pater ejus obligatus permultis creditoribus, maluit ſervare argentum, quàm honorem. cùm enim* obligationum *inſtrumentis poſtularetur ex omnibus partibus, & retineretur ab omnibus occurrentibus veluti furioſus: Abſtinete, ait.* & *dicit ſe non eſſe*

Notæ.

1. *Hic Æmiliani hujus fax & flagellum.*] Quo accenditur & inſtigatur. malè Pricæus reponit *flabellum*. Alludit ad Furias, quarum fax & flagellum arma erant. ſuprà Metam. lib. 9. *quod oleum igni, quod flagellum Furiæ.*

2. *Eſt enim omnium litium depector.*] Id eſt, redimit ab aliis lites quaſvis perſequendas, pactione aliquotæ partis; putà dimidiæ, aut tertiæ, &c. Cicero *litium mercatores* vocat.

3. *Defœneratus.*] Fœnore obligatus.

4. *Tabulis.*] Quæ & *nomina* dicebantur, in quibus, cum nomine debitoris, creditæ pecuniæ ſumma continebatur.

5. *Flagitaretur.*] Appoſitè. de obæratis enim propriè dicitur. Plaut. in Caſinâ.

Ducite ex animo curam, atque æs alienum,
Ne quis formidet flagitatorem ſuum.

Idem, Pſeudolo.

ſi non dabis
Clamore magno, & multùm flagitabere.

6. *Pàx, inquit.*] Sic ſcriptum malui cum Lipſio, veſtigiis inhærens MSS. codd. qui habent *flax*. *Pàx* adverbium eſt, ſignificatque quòd nos etiam adverbialiter dicimus *patience*. Nonnunquam etiam vox eſt ſilentium indicentis (*paix*) Editiones multæ habent *lex*, quod quidam retineri poſſe putant quaſi ſit invocatio legis Juliæ de ceſſione bonorum, quâ vetitum erat, ne, qui ſolvendo non eſſet, in carcerem truderetur, modò bonis cederet. Sed minùs arridet hæc lectio, neque enim exempla proferuntur ſic implorati, per interjectionem, legum auxilii. Prætereà prior lectio MSS. codd. lectioni propior eſt.

diſſolvere. [1] annulos aureos, & omnia inſignia dignitatis abjicit. [2] cum creditoribus depeciſcitur. Pleraque tamen rei familiaris in nomen uxoris [3] callidiſſimâ fraude confert: ipſe egens, nudus, at ignominiâ ſuâ tectus, reliquit Rufino huic, non mentior, [4] HS. XXX. devorandum. Tantum enim ad eum de bonis matris [5] liberum venit, præter quod ei uxor ſua [6] quotidianis dotibus quæſivit. Quæ tamen omnia in paucis annis ita hic [7] degulator ſtudiosè in ventrem condidit, & omnimodis collurcinationibus dilapidavit; ut crederes metuere, ne quid habere ex fraude paternâ diceretur. homo juſtus & [8] morum * dedit ope-

INTERPRETATIO.

ſolvendo. deponit annulos aureos, & omnes notas honoris. Paciſcitur cum creditoribus ſuis. *transfert tamen maximam partem bonorum* ſuorum *in nomen* ſuæ *conjugis, aſtutiſſimâ fallaciâ: ipſe inops, ſpoliatus, & velatus* tantùm *ſuâ infamiâ, reliquit huic Rufino tricies centena millia ſeſtertiorum abſorbenda. neque mentior. Nam tantumdem rediit ad ipſum ex bonis matris ſuæ ſolutum* ab ære alieno, *præter id, quod ejus conjux ei acquiſivit dotibus ſuis quotidianis. Quæ univerſa nihilominùs hic helluo tantâ curâ abdidit in ſuam alvum intra paucos annos, & decoxit comeſſationibus omnis generis; ut putaretis* eum *timere, ne diceretur poſſidere aliquid ex dolo ſui patris.* nempè *vir ille probus, & vitæ* integræ *curavit,*

NOTÆ.

1. *Annulos aureos, &c. abjicit.*] Ultimæ egeſtatis ſignum. nam & aliis exuti omnibus, ſolebant annulos ſaltem cuſtodire. Juvenal. *Sat.* 11.

poſt cuncta noviſſimus exit
Annulus

Nempè in ceſſione bonorum, quæ ex lege Juliâ fiebat, annulos & alia dignitatis & ordinis inſignia ſolemni ritu cogebantur deponere. quod vel ex hoc loco conjici poteſt. Certum enim eſt in eâ ceſſione interveniſſe quaſdam ſolemnitates rerum & verborum, licet quænam fuerint, parùm liqueat. Apud nos viridem galerum induunt.

2. *Cum creditoribus depeciſcitur.*] De quotâ ſcilicet ut Juriſconſulti loquuntur. hoc eſt, ut parte aliquâ debiti contenti eſſent creditores, vel fœnus totum remitterent, vel ſolutionis dilationem concederent.

3. *Calliſſimâ fraude.*] Non donationis titulo, quæ licèt ſine fraude fiat, ipſo jure inter conjuges non valet. ſed alio titulo, putà adſcribendo res ſuas in dotem uxoris, res enim dotales, aut aliæ, quæ uxoris eſſent, pro mariti ære alieno capi aut detrahi non poterant.

4. *HS. XXX.*] Itâ eſt in MSS. codd. plurimis. Malè in quibuſdam editionibus *HS. triginta*, minor enim eſt hæc ſumma, quàm ut addendum fuerit ab Apuleio *non mentior* Sed numerus hic HS. XXX. explicandus eſt HS. tricies, hoc eſt tricies centena millia ſeſtertiorum. quam ſummam ad noſtram monetam redigere facile eſt ex iis, quæ paulò ſuprà obſervavimus ex Budæo, ad illa verba *mater HS. quadragies poſſidebat*, pag. 517.

5. *Liberum.*] Hoc eſt, deducto ære alieno matris, & ſumptibus funeris.

6. *Quotidianis dotibus.*] Pretiis, quæ ab adulteris quotidie accipiebat. *Quotidianæ nuptiæ* etiam Plauto dicuntur, Ciſtellaria 2. 3.

Habemus nuptias quotidianas.
Hæc quidem ecaſtor viro quotidie
nubit.

7. *Degulator.*] Gloſſæ Iſidori *ſorbillator, degulator.* Onomaſticon vetus *degulo* καταλαιμόω.

8. *Et morum* *] Aſteriſcus deeſſe aliquid teſtatur. illud, quodcumque eſt, facilè ſuppleri poteſt, puta *integer*, aut aliquid ſimile. Elmenhorſt. *& verus.*

ram, quod malè partum erat, ut malè periret. nec quidquam ei relictum eſt ex largiore Fortunâ, præter ambitionem miſeram, & profundam gulam. Ceterùm uxor jam propemodùm vetula & effœta, [1] nunc demùm [2] contumeliis abnuit. Filia autem per adoleſcentulos ditiores, invitamento matris ſuæ, nequidquam circumlata, quibuſdam etiam procis ad experiundum permiſſa, niſi in facilitatem Pontiani incidiſſet, fortaſſe an adhuc [3] vidua antè quàm nupta domi ſediſſet. Pontianus ei, multùm quidem dehortantibus nobis, nuptiarum titulum falſum & imaginarium donavit: non neſcius eam, pauló antè quàm duceret, à quodam honeſtiſſimo juvene, cui priùs pacta fuerat, poſt ſatietatem derelictam. Venit igitur ad eum nova nupta [4] ſecura & intrepida, pudore diſpoliato, flore exoleto, [5] flammeo obſoleto; virgo rurſùm poſt recens repudium, nomen potiùs aſſerens puellæ,

INTERPRETATIO.

ut, quod erat malè acquiſitum, malè etiam *perderetur. Et nihil ei remanſit* ex ſuis *amplioribus opibus, niſi infelix ambitio, & profunditas ingluviei. Porrò uxor ejus jam ferè vetula & debilitata, nunc tandem reſpuit ſtupra. Filia verò fruſtrà circumducta per juvenes locupletiores, inſtigatione ſuæ matris, tradita etiam quibuſdam amantibus ad periculum faciundum, niſi nacta eſſet Pontianum facilem virum, forſan manſiſſet huc uſque domi priùs vidua, quàm maritata. Pontianus dedit ei nomen falſum & inàne matrimonii, nobis certè valdè diſſuadentibus: cùm non ignoraret illam, paulò priuſquàm ſibi jungeretur, fuiſſe deſertam, poſt faſtidium, à quodam honeſtiſſimo adoleſcente, cui fuerat deſponſata antè. Ergo nova nupta venit ad eum, confidens, & nihil metuens, exutâ verecundiâ, virginitate prælibatâ, nuptiali velo detrito; iterùm virgo poſt recentem repudiationem, vindicans ſibi potiùs nomen virginis, quàm caſtitatem;*

NOTÆ.

1. *Nunc demùm.*] Ita reſtituit Caſaubonus. Flor. cod. & editiones pleræque habent *totam demum contumeliis abnuit*, malè, & abſque ſenſu. Suſpicatur Caſaub. illius vocis *totam* primam ſyllabam irrepſiſſe, ultimâ vocis *effœta*, quæ præcedit, repetitâ. at quomodo pro *nunc* ſcripta fuerit ſyllaba *tam* ſecunda vocis *totam*, non aperit. quid ſi legatur *jam demùm*? facilior corruptio *jam* in *tam*. Et præterea idem ſenſus erit. Alii aliter interpolant hunc locum, quos brevitatis causâ miſſos facio.

2. *Contumeliis abnuit.*] Pro *abnuit contumelias.* ſic ſuprà *curare rebus alienis. Contumelia* hìc *ſtuprum* ſignificat, quemadmodùm & apud Græcos ἡ ὕβρις.

3. *Vidua antequàm nupta.*] Vidua non ſolùm ea eſt, quæ marito, cui juncta erat, eſt orbata; ſed etiam illa, quæ virum non habuit, teſte Javoleno, l. *Palum* 242. §. *Viduam* ff. *de verborum ſignificatione.* Noſter hoc ſenſu Metam. lib. 4. *Pſyche virgo vidua domi reſidens.* Seneca, in Agamemnone.

An te morantur virgines viduæ domi?

4. *Secura & intrepida.*] Magnum præflorationis argumentum: cùm ſit virginum trepidare. Claudian.

Jam nupta trepidat ſollicitus pudor.

Titinnius, apud Feſtum.

Accede ad ſponſum audaciter, virgo nulla es.

5. *Flammeo obſoleto.*] Decenter flammeum vetus, & detritum, ac deturpatum tribuit præfloratæ nuptæ. Flammeum velamen novarum nuptarum fuit, de quo jam Metam. lib. 4. ſub finem.

quàm integritatem ; vectabatur [1] octophoro. Vidiſtis profectò, qui affuiſtis, quàm improba juvenum circumſpectatrix, quàm immodica ſui oſtentatrix. [2] Quis non diſciplinam matris agnovit, cùm in puellâ videret [3] immedicatum os, & purpuriſſatas genas, & illices oculos? Dos erat à creditore omnis ad teruncium pridiè ſumpta, & quidem grandior, quàm domus exhauſta, & plena liberis, poſtulabat. Sedenim iſte, ut eſt rei modicus, ſpei immodicus, pari avaritiâ & egeſtate, [4] totum Pudentillæ quadragies præſumptione caſsâ devoràrat. eòque me amoliendum ratus, quò faciliùs Pontiani facilitatem, Pudentillæ ſolitudinem circumveniret; infit generum ſuum objurgare, quòd matrem ſuam mihi deſponderat. ſuadet, quamprimùm ex tanto periculo, dum licet, pedem referat. res matris ipſe potiùs habeat, quàm homini extrario ſciens tranſmittat. ni ità faciat; injicit ſcrupulum amanti adoleſcentulo, veterator: minatur ſe filiam abducturum. Quid multis? juvenem ſimplicem, prætereà novæ nuptæ illecebris obfrænatum, ſuo arbitratu de viâ deflectit. It ille ad matrem, verborum Rufini gerulus. ſed nequidquam tentatâ ejus gravitate, ultrò ipſe levitatis &

INTERPRETATIO.

vehebatur lecticâ *octophoro. Certè, vos, qui præſentes fuiſtis, vidiſtis quàm nequiter circumſpiciebat adoleſcentes, quàm immoderatè ſe jactabat. Quis non recognovit educationem matris, cùm cerneret in filiâ os fucatum, & malas miniatas, & oculos illecebroſos? Tota dos,* uſque *ad* minimum *nummulum, petita erat pridie à creditore, & major ſanè quàm domus* opibus *vacua, & repleta liberis, poſcebat. Atenim hic, ut habet parvas opes, cupiditatem* verò *immoderatam,* ut eſt *tam avarus quàm inops, abſorpſerat vanâ ſpe univerſa quadragies* centena millia ſeſtertiorum *Pudentillæ. & ideo credens me eſſe removendum, ut faciliùs deciperet credulitatem Pontiani, & viduitatem Pudentillæ; cœpit increpare ſuum generum, quòd mihi deſpondiſſet ſuam matrem. hortatur eum, ut extrahat ſe quàm citiſſimè ex tanto diſcrimine, dum* adhuc *poteſt. ſervet potiùs ſibi bona* ſuæ *matris, quàm conferat ſciens* prudenſque *in virum extraneum. quod niſi ſic faciat, incutit ſollicitudinem juveni amanti fraudulentus homo: minitatur ſe recepturum ad ſe* ſuam *filiam. Quid plura? avertit ab* incepto *itinere pro ſuo libitu adoleſcentem facilem, & inſuper irretitum blanditiis* ſuæ *novæ uxoris. Ille convenit matrem deferens verba Rufini. Verùm ejus conſtantiâ fruſtrà oppugnatâ, ipſe objurgatus ultrò* ab eâ

NOTÆ.

1. *Octophoro.*] Lecticâ, quæ ab octo ſervis geſtabatur, ad quod miniſterium maximè perquiſitos Germanos Tertullianus innuit. *Ad uxorem*, cap. 4. *Non moniliorum pondera, non veſtium tædia, non Gallicos vultus, nec Germanicos bajulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt.*

2. *Quis non diſciplinam matris agnovit?*] Juvenal. Sat, 6.

Scilicet expectas ut tradat mater honeſtos.
Aut alios mores quàm quos habet!

3. *Immedicatum os.*] Rectè. *Immedicatum* eſt *καταφαρμακωμένον*, *medicamine illitum*, non autem *ἀφαρμάκευτον*, *medicamine carens.*

4. *Totum Pudentillæ quadragies.*] Supple HS. *ſeſtertium.* De illis Pudentillæ bonis jam ſupra

inconſtantiæ increpitus, reportat ad ſocerum haud mollia: Matri ſuæ, præter ingenium placidiſſimum & immobile, iram quoque ſuâ expoſtulatione acceſſiſſe, non mediocre pertinaciæ adjumentum. Reſpondiſſe eam denique non clàm ſe eſſe, [1] Rufini ex oratione ſecum expoſtulari. eò vel magis ſibi auxilium mariti adversùm ejus deſperatam avaritiam comparandum. Hiſce auditis exacerbatus [2] aquariolus iſte uxoris ſuæ, ità irâ extumuit, ità exarſit furore; ut in fœminam ſanctiſſimam & pudiciſſimam, præſente filio ejus, digna cubiculo ſuo diceret: amatricem eam, me Magum & veneficum clamitaret, multis audientibus, quos, ſi voles, nominabo: ſe mihi ſuâ manu mortem illaturum. Vix herculè poſſum iræ moderari. Ingens indignatio animo oboritur. Túne effœminatiſſime, tuâ manu cuiquam viro mortem minitaris? At quâ tandem manu? [3] Philomelæ? an Medeæ? an Clytemneſtræ? [4] quas tamen, cùm ſaltas, tanta mollitia animi, tanta formido ferri eſt, [5] ſine cludine ſaltas. Sed ne longiùs ab ordine di-

INTERPRETATIO.

ob ſuam inſtabilitatem, & mutabilitatem, refert verba *non mitia ad ſocerum* ſuum*: Suam matrem, præter indolem pacatiſſimam & conſtantem, fuiſſe etiam correptam irâ propter ſuam querelam. quod non parvum auxilium eſt obſtinationis. Poſtremò, eam repoſuiſſe ſe non ignorare querelam inſtitui adverſùs ſe ex verbis Rufini. vel ob eam rem, ſubſidium viri ſibi eſſe magis quærendum contra perditam ejus avaritiam. Cùm hic vilis miniſter ſuæ conjugis, illa audiviſſet, exaſperatus adeò intumuit iracundiâ, adeò flagravit rabie; ut evomeret adversùs mulierem integerrimam & caſtiſſimam, coràm ejus filio*, verba *digna ſuo thalamo: vociferaretur eam eſſe amatricem, me verò Magum & maleficum, audientibus plurimis, quorum dicam nomina, ſi volueris: ſe mihi illaturum necem ſuâ manu. Certè ægrè queo temperare furori. Magna indignatio mihi exurgit in animo. Tu-ne, molliſſime, minaris necem tuâ manu ulli viro? Sed quâ tandem manu? Philomelæ? an Medeæ? an Clytemneſtræ? quas nihilominùs, quando ſaltas, ſaltas ſine gladio, tanta* eſt *debilitas* tui *animi, tantus timor enſis. Verùm, ne diſcedam*

NOTÆ.

1. *Rufini ex oratione.*] MSS. quidam codd. habent *Rufini exhortatione*. benè.

2. *Aquariolus ſuæ uxoris.*] Tertull. in Apologetico: *primi erunt lenones, perductores, aquarioli. Lenones* proſtitutarum erant. *Perductores*, fœminarum, in quas ſtupra commiſſa legibus vindicantur. *Aquarioli* (inquit Feſtus) *dicebantur mulierum impudicarum ſordidi aſſeclæ.* ab aquâ nempè, quam ſuppeditabant fœdis miniſteriis.

3. *Philomelæ? an Medeæ? an Clytemneſtræ?*] An manu, quâ, Philomelam, aut Medeam, aut Clytemneſtram ſaltans gladium tenens in ſcenam prodis?

4. *Quas tamen cùm ſaltas.*] Rectè ſic reſtituit Lipſ. Elect. lib. 1. cap. 28. ex corruptâ voce *conſultas*. Innuit eum hiſtrionem eſſe & cinædum.

5. *Sine cludine.*] Retinenda hæc lectio eſt. *Cluden* gladius eſt ſcenicus, ſic dictus à *cludendo*, quòd ejus acies in manubrium prælongum refugeret, atque includeretur, cùm hiſtrio, in tragœdiâ agendâ, ipſo ſe confodere ſimularet. Unde benè noſter, *tanta mollitia animi, tanta formido ferri eſt.* valdè enim meticuloſum eum oportet eſſe, qui talem gladium reformidet.

grediar, Pudentilla, poſtquàm filium videt præter opinionem, contra ſuam eſſe ſententiam depravatum; rus profecta, ſcripſit ad eum objurgandi gratiâ illas famoſiſſimas litteras, quibus, ut iſti aiebant, confeſſa eſt ſeſe meâ Magiâ in amorem inductam [1] dementire. Quas tamen litteras è tabulario publico, [2] præſente & contrà ſcribente Æmiliano, nudiuſtertius tuo juſſu, Maxime, [3] teſtato deſcripſimus. in quibus omnia contra prædicationem iſtorum pro me repeiiuntur. Quanquam, etſi diſtrictiùs Magum me dixiſſet; poſſet videri excuſabunda ſe, filio vim meam, quàm voluntatem ſuam cauſari maluiſſe. [4] An ſola Phædra falſum epiſtolium de amore commenta eſt? An-non omnibus mulieribus hæc ars uſitata eſt: ut cùm aliquid ejuſmodi velle cœperunt, malint coactæ videri? Quod ſi animo etiam ita putavit me Magum eſſe, idcircò-ne Magus habear, quia hoc ſcripſit Pudentilla? Vos tot argumentis, tot teſtibus, tantâ oratione, Magum me non probatis: illa uno verbo probaret? Et quanto tandem

INTERPRETATIO.

longiùs à ſerie rerum, *Pudentilla, cùm cerneret natum ſuum eſſe corruptum, contrà quàm quod ſperaverat, & adversùs ſuam opinionem; ivit rus,* & inde *ſcripſit ad ipſum, increpandi cauſâ, illam decantatiſſimam epiſtolam, quâ, ut illi dicebant, faſſa eſt ſe inſanire, impulſam meis maleficiis ad amandum. Quam tamen epiſtolam, ô Maxime, tuo mandato exſcripſimus nudiuſtertius è tabulario publico coràm teſtibus, Æmiliano præſente, & deſcribente etiam* illam. *in quâ univerſa inveniuntur pro me adversùs id, quod illi dixerant. Quamvis, etiamſi me vocâſſet verbis magis diſtinctis Magum; poſſet apparere eam, volentem ſe excuſare, maluiſſe obtendere ſuo filio violentiam meam, quàm ſuum conſenſum. Num ſola Phædra confinxit falſam epiſtolam de amore? Nonne hæc fraus in uſu eſt apud omnes fœminas; ut quando inceperunt cupere aliquid tale, malint videri* ad illud *adactæ? Quod ſi etiam intra ſe credidit me eſſe Magum, an ideò exiſtimandus ſum Magus, quòd Pudentilla id ſcripſit? Vos non oſtenditis tot rationibus, tot teſtibus, ſermone tàm prolixo, me eſſe Magum; illa* verò *oſtenderet* id *uno verbo? Ac denique quanto*

NOTÆ.

1. *Dementire.*] Rom. *dementare.* male. *Dementare* eſt *dementem reddere.* qui ſenſus non eſt hujus loci.

2. *Præſente & contrà ſcribente Æmiliano.*] Adeò ut non poſſit eas inſimulare corruptas aut depravatas. *Contraſcribere* eſt *ἀντιγράφειν*, hoc eſt, *γράφειν τὸ ἴσον*. Similiter *contralegere* dicebantur, qui adſtabant MSS^{os}. codices corrigentibus, eademque ex aliis exemplaribus prælegebant. Nota vetus in codice Parmenſi Martiani Capellæ à Grotio relata: *Felix Rhetor emendabam, contralegente Deuterio ſcholaſtico meo, &c.*

3. *Teſtato.*] Quo omnimoda eſſet fides exemplaribus deſcriptis.

4. *An ſola Phædra falſum epiſtolium de amore commenta eſt.*] Quod mitteret ad privignum ſuum Hippolytum, cujus inceſto amore flagrabat; quo etiam epiſtolio ipſa erroris ſui cauſam in fati inevitabilis neceſſitatem refundebat, ſicut & Pudentilla potuiſſet in magicam aliquam coactionem refundere. quæ excuſatio amoris in Pudentillâ non magis legitima fuiſſet, quàm illa in Phædrâ.

gravius habendum eſt [1] quod in judicio ſubſcribitur, [2] quàm quod in epiſtolâ ſcribitur? Quin tu meiſmet factis, non alienis verbis revincis? Cæterùm eâdem viâ multi rei cujuſvis maleficii poſtulabuntur, ſi ratum futurum eſt, quod quiſque in epiſtolâ ſuâ vel amore, vel odio cujuſpiam ſcripſerit. Magum te ſcripſit Pudentilla: igitur Magus es. Quid, ſi conſulem me ſcripſiſſet, conſul eſſem? Quid enim, ſi pictorem, ſi medicum? quid denique, ſi innocentem? num aliquid horum putares idcircò quòd illa dixiſſet? Nihil ſcilicet. Atqui perinjurium eſt ei fidem in pejoribus habere, cui in melioribus non haberes: poſſe litteras ejus ad perniciem, non poſſe ad ſalutem. [3] *Sed inquieti animi fuit: effrictim te amabat.* Concedo interim. Num tamen omnes qui amantur, Magi ſunt, ſi hoc fortè qui amat ſcripſerit? Cedò nunc, quòd Pudentilla me in eo tempore non amabat; ſiquidem id foras ſcripſit, quod palàm erat mihi obfuturum. [4] Poſtremò, quid vis, ſanam, an inſanam fuiſſe dum ſcriberet? Sanam dices? nihil ergo erat Magicis artibus paſſa. Inſanam reſpondebis? neſciit ergo quid ſcripſerit: eóque ei fides non habenda eſt. immò etiamſi fuiſſet inſana, inſanam ſe eſſe neſciſſet. Nam, ut abſurdè facit, qui tacere ſe dicit,

INTERPRETATIO.

majoris ponderis exiſtimandum eſt id, quod ſubſcribitur in lite, quàm quod exaratur in litteris. Quare tu non me arguis in meis ipſius geſtis, non autem *verbis alienis? Porrò plurimi accuſabuntur eâdem ratione cujuſlibet criminis, ſi, quod quilibet ſcripſerit in ſuâ epiſtolâ, vel ex amore, vel ex odio cujuſvis, pro vero habendum ſit. Pudentilla ſcripſit te* eſſe *Magum; ergo* tu *es Magus. Quid, ſi ſcripſiſſet me* eſſe *conſulem, an eſſem conſul? quid etiam, ſi* ſcripſiſſet me eſſe *pictorem, aut medicum? poſtremò, quid, ſi* ſcripſiſſet me eſſe *inſontem? an crederes quidquam harum rerum, propterea quòd ea* illud *dixiſſet? Nihil procul dubio. Sed injuſtiſſimum eſt illi credere in deterioribus, cui non crederes in melioribus: epiſtolam illius valere ad exitium, non* autem *valere ad conſervationem.* At, *inquies*, habuit mentem ſollicitam, diligebat te perditè. *Fateor in præſens. An univerſi tamen qui diliguntur, ſunt Magi, ſi fortè* ille *qui diligit, hoc ſcripſerit? Nunc fatere Pudentillam non me dilexiſſe tunc temporis, quandoquidem id ſcripſit aliis, quod nociturum erat mihi in publico. Denique utrum vis eam fuiſſe mentis compotem, an impotem, cùm ſcribebat?* An *affirmabis* eam fuiſſe *mentis compotem? igitur nullatenus læſa erat artibus Magicis.* An *repones* eam fuiſſe *mentis impotem? igitur ignoravit quid ſcripſerit: atque idcircò non eſt ipſi credendum quin etiam, ſi fuiſſet demens, ignoraviſſet ſe eſſe dementem. Sicut enim* ille, *qui dicit ſe ſilere, facit ineptè, quia eodem tempo-*

NOTÆ.

1. *Quod in judicio ſubſcribitur.*] Ubi enim quis in judicio quidpiam ſic ſubſcripſerit, cogitur illud probare ſub pœnis à Jure conſtitutis. unde ejuſmodi ſubſcriptiones non temerè fiunt.

2. *Quàm quod in epiſtolâ ſcribitur.*] Ubi impunè ſcribi poteſt quidquid in mentem venit.

3. *Sed inquieti animi fuit, &c.*] Prolepſis, cujus ſolutio gemina: *Concedo interim* &c. & *Cedò nunc &c.*

4. *Poſtremò, quid vis, ſanam, an inſanam fuiſſe, &c.*] Dilemma eſt, argumentum ſumptum ex loco τῶν ἀπόρων, in quo, quidquid dixeris, ſtatim refellitur.

quòd

quód ibidem dicendo tacere ſeſe, non tacet, & ipsâ profeſſione, quod profitetur, infirmat: ita vel magis hoc repugnat, *Ego inſanio.* quod verum non eſt, niſi ſciens dicit. Porrò ſanus eſt, qui ſcit quid ſit inſania. Quippe inſania ſcire ſe non poteſt, non magis quàm cæcitas ſe videre. Igitur Pudentilla compos mentis fuit, ſi compotem mentis ſe non putabat. Poſſum, ſi velim, pluribus, ſed mitto dialectica. Ipſas litteras longè aliud clamanteis, &, quaſi deditâ operâ ad judicium iſtud præparatas, & accommodatas, recitabo. [1] Accipe tu, & lege, LITTERÆ PUDENTILLÆ. Suſtine pauliſper quæ ſequuntur, uſque dum ego interloquar: nam ad diverticulum rei ventum eſt. Adhuc enim, Maxime, quantùm equidem animadverti, nuſquam mulier Magiam nominavit: ſed ordinem repetivit eundem, quem ego paulò priùs, de longâ viduitate, de remedio valetudinis, de voluntate nubendi, de meis laudibus, quas ex Pontiano cognoverat, de ſuaſu ipſius, ut mihi potiſſimùm nuberet. Hæc uſque adhuc lecta ſunt. Supereſt ea pars epiſtolæ, quæ ſimiliter pro me ſcripta, in [2] memetipſum vertit cornua, ad expellendum à me crimen Magiæ ſedulò miſſa, [3] memorabili laude Rufini vicem mutavit: & ultrò contrariam mihi opinionem quo-

INTERPRETATIO.

re, quo dicit ſe ſilere, non ſilet, & ipsâ affirmatione negat quod affirmat: ſic aut etiam magis hoc ſibi contradicit, Ego ſum demens. *quod non eſt verum, niſi* qui hoc dicit, illud *dicat cum cognitione. Cæterùm ille eſt mentis compos, qui novit quid ſit dementia. Dementia enim nequit ſe cognoſcere, ſicut neque cæcitas ſe intueri. Ergo Pudentilla ſana fuit, ſi non credebat ſe eſſe ſanam. Poſſum* id probare *fuſiùs, ſi velim. Sed omitto* ratiocinia *dialectica. Referam ipſam epiſtolam aliud multò prædicantem, & veluti inſtructam, & aptatam de induſtriâ ad hanc cauſam. Cape tu, & lege.* LITTERÆ PUDENTILLÆ. *Suſpende tantiſper ſequentia donec ego interfabor: nam devenimus ad diſcrimen rei. Hactenùs enim, ô Maxime, hæc fœmina nullatenùs loquuta eſt de Magiâ, quantùm quidem obſervavi: verùm reſumpſit eandem ſeriem* rerum, *quam ego* recenſui *paulò antè, de* ſuâ *diutinâ viduitate, de medelâ ſui morbi, de deſiderio nuptiarum,* quo tenebatur, *de laudibus meis, quas didicerat ex Pontiano, de hortatu ejus, ut ſe mihi præcipuè jungeret. Hæc lecta ſunt hactenùs. Reſtat illa pars epiſtolæ, quæ ſcripta quoque in mei gratiam, militat contra meipſum,* & *ſtudioſè miſſa, ad amoliendum à me ſcelus Magiæ, ſortita eſt diverſum munus, inſigni gloriâ Rufini: & peperit mihi contrariam exi-*

NOTÆ.

1. *Accipe tu & lege:* LITTERÆ PUDENTILLÆ, &c.] Sic edendum curavi hunc locum, monente Pricæo.

2. *In memetipſum vertit cornua.*] Ad me impugnandum convertitur. Tranſlatio eſt à tauris iratis, qui nonnunquam ab hoſte ad inſtigatores cornua convertunt. Similiter Plautus, Pſeudolo, Act. 4, Scen. 3.

metuo
Ne in re ſecundâ nunc mihi obvertat cornua,
Si occaſionem capſit, quî ſiet malus.

3. *Memorabili laude Rufini vicem mutavit.*] Quidam habent *fraude*, ſed nihil mutandum. *Memorabili laude* εἰρωνικῶς dictum. Totum hunc locum ex ſententiâ Caſauboni edi curavi.

rumdam Oenſium, quaſi Mago, quæſivit. Multa fando, Maxime, audiſti, etiam plura legendo didiciſti, non pauca experiendo comperiſti: ſed enim verſutiam tam inſidioſam, tam admirabili ſcelere conflatam, negabis te unquam cognoviſſe. [1] Quis Palamedes, [2] quis Siſyphus, [3] quis denique Eurybates aut Phrynondas talem excogitâſſet? Omnes iſti, quos nominavi & ſi qui prætereà fuerunt dolo memorandi, ſi cum hac unâ Rufini fallaciâ contendantur, [4] macci prorſus [5] & buccones videbuntur. O mirum commentum! ô ſubtilitas digna carcere [6] & robore! Quis credat effici potuiſſe, ut quæ defenſio fuerat,

INTERPRETATIO.

ſtimationem quorumdam Oenſium, veluti Magus fuiſſem. O Maxime, audiſti dici multa, cognoviſti adhuc plura lectione, didiciſti ſat multa experientiâ: ſed tamen dices te nunquam vidiſſe aſtutiam tàm doloſam, contextam tàm mirâ malitiâ. Quis Palamedes, quis Siſyphus, poſtremò quis Eurybates, vel Phrynondas commentus eſſet ſimilem? Hi omnes, quos recenſui & ſi alii qui adhuc fuerunt celebres fraude, ſi conferantur cum hoc ſolo dolo Rufini, apparebunt omninò fatui, & ruſtici. O inventio admirabilis! ô ſolertia digna carcere, & præcipitatione! Quis perſuaſum habeat potuiſſe fieri, ut quæ fuerat

NOTÆ.

1. *Quis Palamedes.*] Solertem quidem fuiſſe ac ingenioſum Palamedem legimus, ejus operâ fictam Ulyſſis amentiam detectam eſſe, literas ab eo quatuor inventas, calculorum item ludum, menſurarumque ac ponderum rationem excogitatam, annum prætereà ad curſum ſolis, & menſes ad curſum lunæ accommodatos, item aciei ordinem, ſymbolum bellicum, & vigilias ab eo fuiſſe inventas. At eum fraudulentum fuiſſe, id verò nuſquam legitur.

2. *Quis Siſyphus*] Notum adagium, *Siſyphi artes.* Σισύφου μηχαναί. cui adagio locum dedit hic Homeri locus:

Σίσυφος ὃς κέρδιστος ἐπιχθονίων
γένετ' ἀνδρῶν.

Siſyphus, in terris quo non aſtutior
alter.

3. *Quis denique Eurybates, aut Phrynondas.*] Proverbium *Phrynondas alter*, de improbo homine. Hujus Phrynondæ meminit Lucianus in Pſeudomanti, inter nobiles facinoroſos. Videtur hic potiùs legendum *Eurybatus*, quàm *Eurybates*. Sic enim Æſchines adverſus Cteſiphontem οὔτε Φρυνώνδας, οὔτε Εὐρύβατος, οὔτε ἄλλος οὐδεὶς πώποτε τῶν πάλαι πονηρῶν τοιοῦτος μάγος καὶ γόης ἐγένετο. id eſt, *nec Phrynondas, nec Eurybatus, nec alius quiſquam veterum improborum, unquam talis Magus & impoſtor fuit.* Eurybatus hic fuit fur inſigni aſtutiâ, qui aliquando à cuſtodibus in furto deprehenſus, cùm illi videre cuperent quo ingenio domos conſcenderet, ſtimulis quibuſdam ferreis & funibus irrepſit in parietem, illiſque intuentibus, & expeditam hominis agilitatem admirantibus, per tegulas aufugiens periculum evaſit. *Eurybatiſſare* εὐρυβατίζειν proverbialiter dicitur aliquis, qui in re manifeſtâ deprehenſus, aliquâ tamen arte elabitur. His addere potes Cercopam, Ariſtodemum, Soſtratum, auctore Luciano, in Pſeudomanti.

4. *Macci prorſus.*] *Macci* fatui ſunt, à Græco μακκοᾶν, quod Helladius apud Photium ait ἀρχαϊκῶς eſſe τὸ μὴ ἀκούειν, ἢ τὸ μὴ νόειν, ὃ ὅτι νόειν. Videndus Heſych. in verbo Μακκοᾶν.

5. *Et buccones.*] Gloſſ. Iſidori *Bucco, ruſticus, ſtultus.*

6. *Et robore.*] Robur, ut puto me jam dixiſſe, ea pars fuit carceris, ex quâ homines præcipitari ſolebant. *Robur* prætereà aliquando ſumitur pro arcis ex robore, in quas concludebantur ſervi, eratque hoc pœnæ ſervilis genus,

eadem, manentibus iiſdem litteris, in accuſationem tranſverteretur? Eſt herculè incredibile. Sed hoc incredibile quî ſit factum, probabo. Objurgatio erat matris ad filium, quód me talem virum, qualem ſibi prædicâſſet, nunc de Rufini ſententiâ Magum dictitaret. Verba ipſa ad hunc modum ſe habebant: [1] *Ἀπουλήϊος μάγος, καὶ ἐγὼ ὑπ' αὐτοῦ μεμάγευμαι. καὶ ἐρῶ. ἥκετε νῦν πρὸς ἐμὲ, ἕως ἔτι σωφρονῶ.* Hæc ipſa verba Rufinus, quæ Græcè interpoſui, ſola excerpta, & ab ordine ſuo ſejugata, quaſi confeſſionem mulieris circumferens, & Pontianum per forum ductans, vulgò oſtendebat. Ipſas mulieris litteras illatenùs, quâ dixi, legendas præbebat: cætera ſuprà & infrà ſcripta occultabat: turpiora eſſe, quàm ut oſtenderentur, dictitabat. ſatis eſſe confeſſionem mulieris de Magiâ cognoſci. Quid quæris? veriſimile omnibus viſum. Quæ purgandi mei gratiâ ſcripta erant, eadem mihi immanem invidiam apud imperitos concivêre. Turbabat impurus hic, in medio foro bacchabundus: epiſtolam ſæpè aperiens [2] proquiritabat: *Apuleius Magus: dicit ipſa quæ ſentit & patitur. quid vultis ampliùs?* Nemo erat, [3] qui pro me ferret, ac ſic reſponderet: Totam, ſodes, epiſtolam cedò. ſine omnia inſpiciam: principio ad finem perlegam. Multa ſunt, quæ ſola prolata calumniæ poſſint videri

INTERPRETATIO.

defenſio, eadem commutaretur in criminationem, remanentibus iiſdem litteris? Profectò hoc eſt incredibile. Verùm demonſtrabo quo modo illud incredibile factum reipsâ fuerit. Erat increpatio matris ad filium, eò quòd nunc ex voluntate Rufini, Magum vocitaret me talem virum, qualem ipſe ſibi laudâſſet. Ipſa verba hujuſmodi erant Apuleius Magus *eſt*, & ego incantata ſum ab eo? certè amo *eum.* venire nunc ad me, dum adhuc ſum compos mentis. *Rufinus circumferens hæc verba, quæ inſerui Græcè extracta ſola, & ſeparata à ſuâ ſerie, perinde ac ſi* eſſet *confeſſio fœminæ illius, & ducens Pontianum per forum, monſtrabat* ea *omnibus. Dabat ipſam epiſtolam Pudentillæ legendam quò uſque dixi: tegebat reliqua ſcripta antè & pòſt: ſolebat dicere* ea *eſſe fœdiora, quàm ut poſſent monſtrari. ſufficere quòd confeſſio* illius *fœminæ de Magiâ noſceretur. Quid vis ampliùs? hoc apparuit probabile cunctis. Quæ erant ſcripta ad me defendendum: ea ipſa mihi creaverunt ingens odium apud ignaros. Hic immundus excitabat turbas, vociferans in medio foro: aperiens crebrò epiſtolam, clamitabat:* Apuleius eſt Magus, ipſa loquitur ea quæ expetitur & tolerat. quid ultrà petitis? *Nullus erat, qui reſponderet pro me, & hoc modo reponeret. Dic, ſi vis, totam epiſtolam. permitte, ut conſiderem cuncta, & legam ab initio & uſque ad finem. Plurima ſunt, quæ, ſi pronuntientur ſeorſim, poſſint videri expoſita*

NOTÆ.

1. *Ἀπουλήϊος μάγος*, &c.] Græca hæc verba ex Caſauboni emendatione excudi curavi.

2. *Proquiritabat.*] Verbum effictum ex his vocibus *proh proh Quirites!* quibus civium fidem advocare mos erat.

3. *Qui pro me ferret.*] Id eſt, *referret.* Sic in De dogmate Platon. *nec omnia ad f ti ſortem arbitratur eſſe ferenda* id eſt, *referenda.* Poſſet etiam intelligi *qui pro me ferret*, qui ſuſtineret meas partes.

obnoxia. [1] Cujavis oratio inſimulari poteſt ; ſi ea , quæ ex prioribus nexa ſunt, principio ſui defraudentur : ſi quædam ex ordine ſcriptorum ad libidinem ſupprimantur : ſi quæ ſimulationis cauſâ dicta ſunt, adſeverantis pronuntiatione , quàm exprobantis legantur. Hæc & id genus ea, quàm meritò tunc dici potuerint, ipſe ordo epiſtolæ oſtendat. At tu, Æmiliane, recognoſce, an & hæc mecum teſtato deſcripſeris : [2] *βουλομένην γὰρ με δι᾽ ἃς εἶπον αἰτίας γαμηθῆναι, αὐτὸς τοῦτον ἔπεισας ἀντὶ πάντων αἱρεῖσθαι, θαυμάζων τὸν ἄνδρα, καὶ σπουδάζων αὐτὸν οἰκεῖον ἡμῖν δι᾽ ἐμοῦ ποιῆσαι. νῦν δὲ ὡς μοχθηροὶ ὑμᾶς κακοήθεις τε ἀναπείθουσιν, αἰφνίδιον ἐγένετο Ἀπουλήϊος μάγος, καὶ ἐγὼ μεμάγευμαι ὑπ᾽ αὐτοῦ. ναὶ ἐρῶ. καὶ ἔλθετε νῦν πρὸς ἐμὲ, ἕως ἔτι σωφρονῶ.* Oro te , Maxime, ſi litteræ, ita ut partim vocales dicuntur, etiam propriam vocem uſurparent : [3] ſi verba , ita ut poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarent; nónne cùm primùm epiſtolam iſtam Rufinus malâ fide excerperet, pauca legeret, multa & meliora ſciens reticeret; nónne tunc cæteræ litteræ ſceleſtè ſe detineri proclamâſſent ? verba ſuppreſſa de Rufini manibus foras evolâſſent ? totum forum tumultu complêſſent ? ſe quoque à Pudentillâ miſſas, ſibi etiam quæ dicerent mandata ? improbo ac nefario homini per alienas litteras falſum facere tentanti ne auſcultarent, ſibi potiùs audirent : Apuleium Magiæ non accuſatum à Pudentillâ, ſed accuſante

Interpretatio.

calumniæ. Sermo cujuſlibet poteſt accuſari , ſi illa , quæ connexa ſunt cum præcedentibus , priventur ſuo initio : ſi aliqua ex ſerie ſcriptorum taceantur ad arbitrium : ſi ea quæ dicta ſunt fingendi gratiâ , legantur prolatione affirmantis potiùs *quàm objurgantis. Ipſa ſeries epiſtolæ poteſt demonſtrare quàm juſtè hæc & alia hujuſmodi potuerint tunc dici. Sed tu , Æmiliane , agnoſce, num deſcripſeris etiam hæc mecum coràm teſtibus* : Cùm enim vellem nubere propter eas cauſas, quas dixi, tu ipſe perſuaſiſti mihi, ut hunc præ omnibus eligerem , admirans virum , & cupiens reddere eum nobis familiarem meâ operâ. nunc verò cùm nefarii & maligni vos ſollicitant , Apuleius repentè Magus factus eſt, & ego incantata ſum ab eo. Certè amo eum. venite nunc ad me , donec adhuc ſum compos mentis. *Te rogo, Maxime, ſi litteræ ſumerent quoque vocem ſibi propriam , quemadmodùm pars earum dicuntur vocales , ſi dictiones inſtructæ alis volitarent paſſim , ſicut poëtæ dicunt; an-non eo tempore , quo Rufinus colligebat doloſè verba hujus epiſtolæ, & legebat pauca , ſilebat verò , datâ operâ , plurima & optima ; an-non* , inquam , *reliquæ litteræ exclamâſſent ſe ſupprimi nefariè ?* An-non *dictiones prætermiſſæ* ſilentio *evolâſſent foras ex manibus Rufini ? Nonne impleviſſent totum forum ſtrepitu?* dicentes *ſe etiam miſſas fuiſſe à Pudentillâ , ſibi etiam commiſſa fuiſſe* aliqua *ad dicendum ? ne* adſtantes *audirent virum pravum ac ſceleſtum , conantem perſuadere falſum, ope epiſtolæ alienæ , auſcultarent ſibi potiùs : Apuleium non fuiſſe inſimulatum Magiæ à Pudentillâ, ſed* contrà *cum*

Notæ.

1. *Cujavis oratio.*] *Cujuſvis*, quomodo dixit Virgil. *cujus pecus* , pro *cujus*.

2. Βουλομένην γὰρ με, &c.] Græca hæc verba ex mente Caſauboni edenda curavi.

3. *Si verba , ita ut poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarent.*] Florid. I. *Verbaque , quæ volantia poëtæ appellant.* ἔπεα πτερόεντα. Homero.

Rufino abſolutum? Quæ omnia etſi tum dicta non ſunt, tamen nunc cùm magis proſunt, luce illuſtriùs apparent. Patent artes tuæ, Rufine, fraudes hiant, detectum mendacium eſt. Veritas olim interverſa, nunc ſe effert, & velut alto barathro calumniæ emergit. Ad litteras Pudentillæ provocâſtis: litteris vinco: quarum ſi vultis extremam quoque clauſulam audire, non invidebo. [1] Dic tu, quibus verbis epiſtolam finierit mulier obcantata, vecors, amens, amans. [2] *ἐγὼ οὔτι μεμάγευμαι. ὅτι δ' ἐρῶ, αἰτία ἡ εἱμαρμένη ἔφυ.* Etiam-ne ampliùs? Reclamat Pudentilla, & ſanitatem ſuam à veſtris calumniis quodam præconio vindicat. Nubendi autem ſeu rationem ſeu neceſſitatem Fato adſcribit, à quo multùm Magia remota eſt, vel potiùs omninò ſublata. Quæ enim relinquitur vis cantaminibus & veneficiis, [3] ſi Fatum rei cujuſque, veluti violentiſſimus torrens, neque retineri poteſt, neque impelli? Igitur hac ſententiâ ſuâ Pudentilla non modò me Magum, ſed omninò eſſe Magiam negavit. Benè, quòd integras epiſtolas matris Pontianus ex more adſervavit: [4] benè, quòd vos feſtinatio judicii antevortit, ne quid in iſtis litteris ex otio novaretis. Tuum

INTERPRETATIO.

illum *Rufinus inſimularet*, *ab* ipsâ *fuiſſe purgatum? Quæ univerſa, quanquam non fuerint dicta tunc, nihilominùs nunc quando plus juvant, patent clariùs* ipſo *lumine. Doli tui detecti ſunt, ô Rufine, fallaciæ patent, mendacium eſt revelatum. Veritas, quam tu olim ſubvertiſti, nunc ſe extollit, & prodit quaſi ex profundo gurgite calumniæ. Appellâſtis ad epiſtolam Pudentillæ: ſupero* vos *ope* ipſius *epiſtolæ: cujus ſi cupitis audire ultimam clauſulam, non impediam. Tu recita quibus verbis fœmina incantata, inſana, furioſa, amans clauſerit litteras.* Ego nequaquam incantata ſum, quòd autem amo, cauſa fuit Fatum. *An aliquid ultrà cupitis? Pudentilla contradicit vobis, & defendit ſuam ſapientiam à veſtris mendaciis, quadam publicâ reclamatione, attribuit verò Fato ſive cauſam, ſive neceſſitatem nubendi, à quo* Fato *Magia valdè diſtat, aut potiùs tollitur penitùs. Nam quæ reſtat virtus incantationibus & maleficiis, ſi Fatum ſingularum rerum, tanquam torrens rapidiſſimus, neque poteſt coërceri, neque accelerari? ergo Pudentilla affirmavit hoc ſuo judicio, non ſolùm me non eſſe Magum, ſed & nullam prorsùs Magiam exiſtere. Gaudeo quòd Pontianus conſervavit epiſtolam* ſuæ *matris integram ſecundùm ſuam conſuetudinem. Gaudeo quòd acceleratio judicii prævenit vos, ne mutaretis aliquid ex iſtâ epiſtolâ, ſi tempus daretur. Hoc eſt beneficium*

NOTÆ.

1. *Dic tu.*] Anagnoſten ſuum alloquitur, qui jam legerat ex epiſtolâ Pudentillæ verba ſuperiùs relata.

2. Ἐγὼ οὔτι, &c.] Hæc Græca excudenda curavi, & verti ex Caſauboni emendatione. Erat priùs *ἐγὼ οὔτ' ἱμεμάγδμαι οὔτε πρῶ τὴν εἱμαρμένην ἔφη*, corruptè & nullo ſenſu.

3. *Si Fatum rei cujuſque veluti violentiſſimus torrens, &c.*] Ita Seneca, lib. 2. natural. quæſtionum, cap. 35. *quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperveniens præcipitat: ſic ordinem rerum Fati æterna ſeries rotat, cujus hæc prima lex eſt, ſtare decreto.*

4. *Benè quòd vos, &c.*] Æmilianum & Rufinum alloquitur.

hoc, Maxime, tuæque providentiæ beneficium eſt, quòd à principio intellectas calumnias, ne corroborarentur tempore, [1] præcipitâſti, & nullâ impertitâ morâ [2] ſubnervâſti. Finge nunc, aliquid matrem filio ſecretis litteris de amore, uti aſſolet, confeſſam. [3] hoccine verum fuit, Rufine, hoc non dico pium, ſed ſaltem humanum, promulgari eas litteras, & potiſſimùm filii præconio publicari? Sed ſum ego inſcitus, qui poſtulo, ut alienum pudorem conſerves, qui tuum pudorem perdideris? Cur autem præterita conqueror; cùm non ſint minùs acerba præſentia? Hucuſque à vobis miſerum iſtum puerum depravatum, ut matris ſuæ epiſtolas, quas putat amatorias, pro tribunali Proconſuli recitet, apud virum ſanctiſſimum Claudium Maximum, [4] ante has Imperatoris Pii ſtatuas, filius matri ſuæ pudenda exprobret ſtupra, & amores objectet? Quis tam eſt mitis, quin exacerbeſcat? Túne ultrò parentis tui animum in iſtis ſcrutaris? oculos obſervas? ſuſpiritus numeras? affectiones exploras? [5] tabulas intercipis? amorem revincis?

INTERPRETATIO.

tuum & tuæ prudentiæ. ô Maxime, quòd prævenisti ab initio eorum *mendacia* tibi *perſpecta, & fregiſti* ea *nullâ delatione conceſsâ, ne confirmarentur tempore. Pone jam matrem faſſam eſſe filio aliquid de amore* in *epiſtolâ ſecretâ, ut ſolet* fieri. *An hoc fuit æquum, ô Rufine? An hoc fuit, non dico pium, ſed vel humanum certè, illam epiſtolam divulgari & differri, ac præſertim publicatione filii? Verùm ego-ne ineptus ſum, qui poſco ut tu cuſtodias pudorem alterius, qui amiſiſti tuum? Sed quare doleo præterita, cùm præſentia non ſint minùs dura? Adeo-ne infelicem adoleſcentem corruptum eſſe à vobis, ut legat litteras ſuæ matris, quas credit eſſe amatorias, ante ſolium judicis, coràm Proconſule, coràm Claudio Maximo viro caſtiſſimo; ut natus objiciat ſuæ parenti pudendas turpitudines & amores ante hæc ſimulachra Pii Imperatoris? Quis adeò leænis eſt, qui non iraſcatur? An tu ſponte tuâ rimaris mentem tuæ matris in his rebus? an tu exploras* ejus *oculos? an numeras ſuſpiria? an obſervas* ejus *affectus? deprehendis* ejus *epiſtolas? arguis* ejus *amorem?*

NOTÆ.

1. *Præcipitâſti.*] *Præcipitare* hìc non eſt *accelerare*, aut *in præceps agere*, ſed *prævenire*, *præcipere*, *prævertere*, *præoccupare*.

2. *Subnervâſti.*] Proba vox eſt: ſignificat *ſuccidere*. Gloſſ. νευροκοπῶ *ſubnervo*. Feſtus *ſuppernari*. Noſter, Metamorph. 8. *poplites enervare*.

3. *Hoccine verum fuit.*] *Verùm* hìc *juſtum*, ſeu *æquum* ſignificat. Priſcian. lib. 17. *juſtum pro vero, & verum pro juſto, frequenter tam nos quàm Attici ponimus.*

4. *Ante has Imperatoris Pii ſtatuas.*] Antonini Pii. Fuit nempè cùm animadverteretur in quævis turpiter ante Imperatorum ſtatuas dicta factáve, quod crimen *impietatis* hiſtorici nominant. Inſanum hunc cultum Auguſti primùm ſtatuis exhibitum fuiſſe apparet ex Suetonio, in Tiberio: *ſtatuæ quidam Auguſti caput dempſerat, ut alterius imponeret. acta res in ſenatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæſita eſt. Damnato reo, paulatim hoc genus calumniæ eò proceſſit, ut hæc quoque capitalia eſſent, circa Auguſti ſimulachrum ſervum cecidiſſe, veſtimenta mutâſſe, nummo, vel annulo effigiem* (ejus) *impreſſam latrinæ, aut lupanari intuliſſe.*

5. *Tabulas intercipis.*] Quas de amore ſuo ſcribit.

Túne quid in cubiculo agat, perquiris, [1] ne mater tua amatrix, ſed omninò fœmina? Eſt-ne ut in eâ cogites, niſi unam parentis religionem? O infelix [2] uterum tuum, Pudentilla! [3] ô ſterilitas liberis potior! [4] ô infauſti decem menſes! [5] ô ingrati quatuordecim anni viduitatis! Vipera, ut audio, exeſo matris utero in lucem proſerpit, atque ita parricidio gignitur. Atenim tibi à filio jam adulto acerbiores morſus viventi & videnti offeruntur. Silentium tuum laniatur, pudor tuus carpitur, pectus tuum foditur, viſcera intima protrahuntur. Haſcine gratias bonus filius matri rependis, ob datam vitam? ob adquiſitam hæreditatem? ob quatuordecim annorum longas alimonias: Hiſcine te patruus diſciplinis erudivit, ut ſi compertum habeas filios tibi ſimiles futuros, non audeas ducere uxorem? [6] Eſt ille poëtæ verſus non ignotus:

Odi puerulos [7] præcoci ſapientiâ.

Sedenim [8] malitiâ præcoci puerum quis non averſetur, atque oderit?

INTERPRETATIO.

An tu ſcrutaris quid faciat in ſuo cubiculo, non dicam tua parens amans; ſed vel ulla mulier? Poteſ-ne exiſti mare aliud eſſe in eâ, præter pietatem matris? O infortunatum tuum ventrem, Pudentilla! ô quàm ſterilitas melior eſt filiis! ô infelices decem menſes! ô quatuordecim annos viduitatis malè remuneratos! Vipera, (quemadmodum accipio) prodit in luminis auras corroſo ventre ſuæ parentis. & ſic naſcitur parricidio. Sed crudeliores morſiones inferuntur tibi viventi & cernenti à nato jam adulto. Tuum ſilentium laceratur, tua pudicitia diffamatur, tuum pectus perforatur, præcordia penitiſſima revelluntur. Egregie nate, tu-ne refers has grates matri tuæ pro vitâ, quam tibi largita eſt? pro hæreditate quam tibi comparavit, pro diutinâ nutritione quatuordecim annorum? an patruus tuus te imbuit ejuſmodi doctrinâ, ut ſi certò ſcires liberos tuos fore tibi ſimiles, non auderes ducere uxorem? Hic verſus poëtæ non incognitus eſt,

Non amo pueros præmaturâ ſapientiâ.

Atenim quis non fugiat, & odio proſequatur puerum præmaturâ improbitate?

NOTÆ.

1. *Ne mater tua amatrix, ſed omninò fœmina?*] Sic legit Caſaub. quem ſecutus ſum. *Ne* hîc ſonat *nedum*, aut *non dicam*. Planus ſenſus eſt.

2. *Uterum*] Pro *uterus*, ut multa alia promiſcuè.

3. *O ſterilitas liberis potior!*] Liberis Sicinio Pudenti ſimilibus.

4. *O infauſti decem menſes.*] Quibus eum in utero geſtâſti. Catullus.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

5. *O ingrati quatuordecim anni viduitatis.*] Quibus etiam cum propriæ valetudinis diſpendio vidua manſiſti, quo nati commodis conſuleres. *Ingrati* hîc ſonat *quibus non ſunt reddita dignæ grates.*

6. *Eſt ille poëtæ verſus non ignotus.*] Notiſſimus quidem verſus eſt Apuleii noſtri beneficio, at poëta ignoratur, quòd eum quis fuerit non prodidit.

7. *Præcoci ſapientiâ.*] Quæ prævertit ætatem. Metaphora eſt a fructibus ante tempus ſolnùm maturis.

8. *Malitiâ præcoci puerum.*] Hinc malitiæ iſti præcoci leges ætatis privilegia ademerunt ex. gr. in integrum reſtitutionem, quia in eis, ut vulgò dicitur, *malitia ſupplet ætatem.*

cùm videat, velut monſtrum quoddam, priùs robuſtum ſcelere, quàm tempore, aut nocentem, quàm potentem, viridi pueritiâ, canâ malitiâ? vel potiùs hoc magis noxium, quòd cum veniâ perniciosſus eſt: & [1] nondum pœnæ, jam injuriæ ſufficit. Injuriæ dico? imò enim ſceleri adverſum parentem nefando, immani, [2] impetibili. [3] Athenienſes quondam, propter commune jus humanitatis, ex captivis epiſtolis Philippi Macedonis hoſtis ſui unam epiſtolam, cùm ſingulæ publicè legerentur, recitari prohibuerunt, quæ erat ad uxorem Olympiadem conſcripta. hoſti potiùs pepercerunt, ne maritale ſecretum divulgarent: præferendum rati fas commune, propriæ ultioni. Tales hoſtes, adverſus hoſtem: tu qualis filius adverſus matrem? Vides quàm ſimilia contendam? Tu tamen filius matris epiſtolas, de amore, ut ais,

INTERPRETATIO.

cùm cernat eum, *quaſi quoddam monſtrum, priùs validum eſſe crimine, quàm ætate, priùs nocentem, quàm robuſtum, virenti ætatulâ, pravitate jam canâ, aut potiùs eò nocentiorem, quòd cùm noceat, ei ignoſcitur: & nondum idoneus eſt ſupplicio, cùm tamen jam* ſit *idoneus injuriæ* faciendæ. *Quid dico injuriæ? quin etiam & crimini infando, enormi, turpi, contra ſuam matrem. Athenienſes quidem ob publicum jus humanitatis vetuerunt ne legeretur una ex epiſtolis interceptis Philippi Macedonis ſui hoſtis, quæ ſcripta erat ad conjugem ejus Olympiadem, cùm* tamen omnes aliæ *legerentur palàm. Maluerunt ignoſcere hoſti, quàm propalare arcanum conjugale: arbitrati jus publicum eſſe anteponendum ſuæ vindictæ. Tales fuerunt illi hoſtes erga* ſuum *hoſtem: tu qualis es filius erga tuam matrem? Cernis-ne quàm ſimilia comparem? Nihilominùs tu* licèt *ſis filius, recitas in hac concione litteras matris conſcriptas,*

NOTÆ.

1. *Nondum pœnæ.*] Quia nondum erat in viros relatus, ante quod tempus capite plecti quemquam non licebat. Hinc Dio de Triumviris proſcriptione graſſante: *παιδίσκον τινὰ εἰς ἐφήβους εἰσήγαγον, ἵν' ὡς εἰς ἄνδρας ἤδη τελῶν ἀποθάνῃ· puerulum quemdam in adoleſcentium numerum retulerunt, ut ſtatim atque ad virilem ætatem perveniſſet, interficeretur.* Similis religio circa virgines capitis damnatas, quas, priuſquam morti traderentur, corruptas fuiſſe referunt Tacit. Annal. 5. & Sueton. in Tiber. quia nempe virginem ſupplicio extremo affici nefas erat.

2. *Impetibili.*] *Impetibile* idem eſt ac impetitioni obnoxium, quod facilè poteſt impeti. Solinus de chamæleonte: *impetibilis eſt coraci, à quo cùm interfectus eſt, victorem ſuum perimit interemptus.* Poſteà cœpit hoc vocabulum accipi de re turpi & reprehenſioni obnoxiâ, ut hoc loco Apuleii. Symmachus epiſt. 103. lib. 9. *nam mihi turpe atque impetibile eſt, attonito animo, & fronte mœſtâ lætos adire conventus.* Pricæus *impetibile* hìc pro *impetuoſo* ſeu *violento* ſumebat. Favet huic Gloſſ. vet. à Caſaub. allata *Impeteius βίαιος.*

3. *Athenienſes quidem, &c.*] Rem narrat Plutarchus in præceptis politicis: *οἱ Ἀθηναῖοι* (inquit) *Φιλίππου γραμματοφόρους λαβόντες ἐπιστολὴν ἐπιγεγραμμένην Ὀλυμπιάδι κομίζοντας, οὐκ ἔλυσαν, οὐδὲ ἀπεκάλυψαν ἀνδρὸς ἀποδήμου πρὸς γυναῖκα φιλοφροσύνην.* Sed hìc Plutarchus ſolius epiſtolæ ad Olympiadem ſcriptæ meminit. Helladius apud Photium meminit & cæterarum. De humanitate Athenienſium, & litteris Philippi: *τὰ μὲν ἄλλα (γράμματα) ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀνεγινώσκετο. ἐπιγραφὴν δὲ τινὸς γράμματος ἔχοντος. Ὀλυμπιάδι Φίλιππος, ὁ δῆμος ἅμα ἐβόησε μήτε λύειν μήτε ἀναγινώσκειν.* &c.

ſcriptas

ſcriptas in iſto cœtu legis. in quo, ſi aliquem poëtam laſciviorem jubereris legere, profectò [1] non auderes; [2] pudore tamen aliquo impedirêre: immò enim nunquam matris tuæ litteras attigiſſes, [3] ſi ullas alias litteras attigiſſes. [4] At quin auſus es tuam ipſius epiſtolam legendam dare, quam nimis irreverenter, nimis contumelioſè & turpiter de matre tuâ ſcriptam, cùm adhuc in ejus ſinu alerêre, miſeras clanculò ad Pontianum: ſcilicet ne ſemel peccâſſes, ac tam bonum tuum factum oblivio capeſſeret. Miſer non intelligis idcircò patruum tuum hoc fieri paſſum, quo ſe omnibus purgaret; ſi ex litteris tuis noſceretur, te etiam priùs, quàm ad eum commigrâſſes, etiam cùm matri blandirêre, tamen jam tum [5] vulpionem & impium fuiſſe. Cæterùm nequeo in animum inducere, tam ſtultum Æmilianum eſſe, ut arbitretur mihi litteras pueri, & ejuſdem accuſatoris mei obfuturas. [6] Fuit & illa commentitia epiſtola, neque meâ manu ſcripta, neque veriſimiliter conficta, quâ videri volebant blanditiis à me mulierem ſollicitatam. Cur ego blandirer, ſi Magiæ confidebam? Quâ autem viâ ad iſtos pervenit epiſtola, ad Pudentillam ſcilicet per ali-

INTERPRETATIO.

ut dicis, de amore. in quâ concione, *ſi præciperetur tibi ut recitares aliquem poëtam obſcœniorem, certè non auderes; ſaltem prohibereris aliquâ verecundiâ: quinimò ſanè, ſi imbutus eſſes aliquibus aliis litteris, nunquam te igiſſes litteras tuæ parentis. At non veritus es etiam præbere tuam ipſius epiſtolam legendam, quam furtim miſeras ad Pontianum, conſcriptam de tuâ matre nimis injurioſè, & fœdè, dum adhuc edu carêris in ejus gremio: nempè ne deliquiſſes* tantùm *ſemel, & tam probum tuum facinus oblivioni daretur. Infelix non vides patruum tuum ideò ſiviſſe te hoc facere, ut excuſaret ſe apud cunctos; ſi cognoſceretur ex tuâ epiſtolâ, te etiam antequàm tranſiviſſes ad eum; etiam quando matri tuæ adulabaris, jam tunc nihilominùs fuiſſe veteratorem, & impium. Porrò non poſſum mihi perſuadere Æmilianum eſſe tam ſtolidum, ut credat epiſtolam pueri, ejuſdemque mei accuſatoris mihi nocituram. Illa quoque epiſtola, quâ volebant ut* illa *fœmina videretur fuiſſe ſollicitata à me blanditiis, fuit fictitia, neque exarata meâ manu, neque excogitata probabiliter. Quare igitur adularer, ſi fretus eram Magiâ? Quo pacto verò* illa *epiſtola, quam nimirùm miſeram ad Pudentillam per aliquem*

NOTÆ.

1. *Non auderes.*] Vovve. ex vet. cod. *non abnueris.*

2. *Pudore tamen aliquo.*] Illud *tamen*, ſi genuina lectio eſt, ſonat *altem.*

3. *Si ullas alias litteras attigiſſes.*] Si imbutus fuiſſes litteris humanioribus, quibus edoceri potuiſſes filii erga matrem officia.

4. *At quin auſus es tuam, &c.*] Ita Colvius & Pric. Elmenhorſt. & Scriverius: *at quàm nequiter auſus es, &c.*

5. *Vulpionem.*] *Veteratorem, ſubdolum.* Hoc enim ſonant *vulpes, vulpecula, vulpio.* Vide Eraſmum, in adagio *vulpina lingua.*

6. *Fuit & illa commentitia epiſtola, &c.*] Alia epiſtola, quam ad Pudentillam ab Apuleio ſcriptam mentiebantur, quámque eo nomine huc illuc circumferebant.

quem fidelem miſſa, ut in re tali actitari ſolet? Cur præterea tam vitioſis verbis, tam barbaro ſermone ego ſcriberem, quem iidem dicunt nequaquàm Græcæ linguæ imperitum? Cur autem tam abſurdis, [1] tamque tabernariis blanditiis ſubagitarem, [2] quem iidem aiunt verbis amatoriis ſatis ſcitè laſcivire? Sic eſt profectò. cuivis palàm eſt. hic, qui epiſtolam Pudentillæ [3] Græcatiorem legere non poterat, hanc ut ſuam faciliùs legit, [4] & aptiùs commendavit. Sed jam de epiſtolis ſatis dictum habebo, ſi hoc unum addidero: Pudentillam, quæ ſcripſerat [5] diſſimulamenti causâ & deridiculi: ἔλθετε ἕως ἔτι σωφρονῶ, [6] poſt haſce litteras evocâſſe ad ſe filios & nurum: cum his fermè duobus menſibus converſatam. Dicat hic pius filius, quid in eo tempore [7] ſecùs agentem vel loquentem matrem ſuam propter inſaniam viderit. Neget eam [8] rationibus villicorum & opilionum & equiſonum

INTERPRETATIO.

fidum miniſtrum, *ut ſolet fieri in ſimili negotio, delata eſt ad illos? Quare inſuper ſcriberem verbis adeò malis, oratione adeò impolitâ, ego, quem illi ipſi aiunt nullatenùs ignarum eſſe linguæ Græcæ? Quare verò eam ſollicitarem blandimentis adeò ineptis, adeoque plebeiis, ego, quem ipſi dicunt ludere ſatis eleganter carminibus amatoriis? Ita eſt certè. Manifeſtum eſt cuilibet. Ille, qui nequibat legere epiſtolam Pudentillæ paulò magis Græcam, faciliùs legit hanc utpote à ſe ſcriptam, & expoſuit clariùs. Verùm putabo me jam ſatis locutum de epiſtolis, ſi adjecero hoc ſolùm: Pudentillam, quæ ſcripſerat diſſimulanter & per jocum:* venite dum adhuc ſapio, *poſt illam epiſtolam accerſiviſſe ad ſe ſuos liberos & nurum: habitâſſe ferè per duos menſes cum eis. Hic probus natus eloquatur quid viderit parentem ſuam deteriùs facientem, aut dicentem per illud tempus, ob dementiam. Dicat eam non ſubſcripſiſſe prudentiſſimè actis colonorum, & paſto-*

NOTÆ.

1. *Tamque tabernariis blanditiis.*] *Tam ruſticis, tam plebeiis, tam vulgaribus.* elegantiſſimè Ariſtophanes, in Equit. ὑπογλυκαίνειν ῥηματίοις μαγειρικοῖς *ſubblandiri voculis culinariis.*

2. *Quem iidem aiunt verſibus amatoriis, &c.*] Vide hujus Apologiæ initium.

3. *Græcatiorem.*] Μᾶλλον ἑλληνίζουσαν. duriuſculè dictum.

4. *Et aptiùs commendavit.*] Legere malim cum Lipſio *& apertiùs commentavit.* quo ſenſu interpretatus ſum.

5. *Diſſimulamenti causâ.*] Similiter Florid. 1. *Muſæ cum Minervâ diſſimulamenti gratiâ judices adſtitêre.*

6. *Poſt haſce litteras evocâſſe ad ſe filios.*] Vel ex hoc loco patet legendum fuiſſe in ſuperioribus omnibus locis: ἔλθετε ἕως ἔτι σωφρονῶ, non autem ἐλθέτω, ut eſt in pleriſque editionibus, hoc enim ſibi vult, Pudentillam, quæ per epiſtolam filios ſuos diſſimulamenti & ridiculi gratia ad ſe revocârat his verbis ἔλθετε νῦν πρὸς ἐμὲ, &c. poſt illam epiſtolam eos ad ſe evocâſſe ſeriò.

7. *Secùs agentem.*] Supple *quàm ſanam deceat*, aut aliquid ſimile.

8. *Rationibus villicorum, &c. ſolertiſſimè ſubſcripſiſſe.*] Tribus modis fit rationum approbatio: per *ſubſcriptionem*, cùm rata habentur omnia, quæ in eas relata ſunt: per *expunctionem*, quæ eſt ſimplex cancellatio, cùm ſcilicet ea, aut ex iis aliqua omni ex parte improbantur: & per *diſpunctionem*, quæ cancellatio eſt cum annotatione, quando nimirùm quæ in rationes relata ſunt, aut aliqua ex illis ita improbantur, ut aliquâ tamen ex parte habeantur rata.

ſolertiſſimè ſubſcripſiſſe: neget fratrem ſuum Pontianum graviter ab eâ monitum, ut ſibi ab inſidiis Rufini caveret: neget verè objurgatum, quòd litteras, quas ad eum miſerat, vulgo circumtuliſſet, nec tamen bonâ fide legiſſet. neget poſt iſta quæ dixi, matrem ſuam mihi apud villam jam pridèm condicto loco nupſiſſe. Quippe ita placuerat, in ſuburbanâ villâ potiùs ut conjungeremur, [1] ne cives denuò ad ſportulas convolarent: cùm haud pridem Pudentilla de ſuo quinquaginta millia nummûm in populum [2] expunxiſſet eâ die, quâ Pontianus uxorem duxit, & hic puerulus togâ eſt indutus. Præthereà, ut conviviis multis ac moleſtiis ſuperſederemus, quæ fermè ex more novis maritis obeunda ſunt. Habes, Æmiliane, cauſam totam, cur tabulæ nuptiales inter me ac Pudentillam non in oppido ſint, ſed in villâ ſuburbanâ conſignatæ: ne quinquaginta millia nummûm denuò profundenda eſſent, nec tecum, aut apud te cœnandum. Eſt-ne cauſa idonea? Miror tamen quòd tu à villâ tantopere abhorreas, qui plerumque ruri verſere. [3] Lex quidem Julia de maritandis ordinibus,

INTERPRETATIO.

rum, & equariorum: dicat fratrem ſuum Pontianum non fuiſſe seriò commonefactum ab ipsâ, ut provideret ſibi à dolis Rufini: dicat eum non fuiſſe reverâ increpitum, quòd circumtuliſſet per populum epiſtolam, quam illa *miſerat ad eum, neque adcò legiſſet eam fideliter: dicat parentem ſuam non mihi junctam fuiſſe matrimonio jam dudum in villâ ubi inter nos convenerat, poſthæc quæ memoravi. Scilicet ſic viſum* nobis *fuerat, inire conjugium potiùs in prædio ſuburbano, ne urbani iterùm accurrerent ad largitiones: cùm Pudentilla non dudum exhauſiſſet de ſuâ* pecuniâ *quinquaginta millia nummorum in plebem illo die, quo Pontianus duxit uxorem, & hic adoleſcentulus ſumpſit togam virilem. Inſuper ut exolveremur plurimis conviviis, & incommodis, quæ vulgò ſubeunda ſunt novis conjugibus ex conſuetudine. Ecce tibi rationem omnem, ô Æmiliane, quare inſtrumentum matrimonii inter me & Pudentillam non fuerit obſignatum in urbe, ſed in prædio ſuburbano: ne* ſcilicet *quinquaginta millia nummorum iterùm eroganda eſſent, né ve* nobis *eſſet cœnandum tecum, vel apud te.* Hæc *ratio eſt-ne conveniens? Nihilominùs miror te, qui plerumque degis ruri, adeò averſari prædium ruſticum. Certè lex Julia de maritandis ordinibus,*

NOTÆ.

1. *Ne cives denuò ad ſportulas convolarent.*] In nuptiis, ut & in virili togâ ſumendâ, Magiſtratibus ineundis, &c. largitiones, quæ ſportulæ dicuntur, in plebem fieri ſolitas probet vel hic locus Plinii, lib. 10. epiſtolarum epiſt. 117. ad Trajanum. *qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt Magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam βουλὴν, atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binoſque denarios, vel ſingulos dare, &c.*

2. *Expunxiſſet.*] De ſuo.

3. *Lex quidem Julia de maritandis ordinibus.*] Quam tulit C. Octavius Auguſtus, in quâ plurima, quæ ad nuptiarum jura, ritus, perſonaſque ſpectant, decernuntur. Eam Scholiaſtes Horatii, ad ejus Carmen ſæculare, vocat *maritam legem.* Ejus capita vide apud Roſin. lib. 8. cap. 14. & leg. 1. ff. *unde vir & uxor.* & l. 6. Cod. de *oper. libert.* Fuit & ejuſdem argumenti lex Papia Poppæa, paulò plura continens, quàm lex Julia.

nunquam ſcilicet ad hunc modum interdicit: [1] UXOREM IN VILLA NE DUCITO. Imò, ſi verum velis, uxor ad prolem multo auſpicatiùs in villâ, quàm in oppido, ducitur: in ſolo uberi, quàm in loco ſterili: in agri cæſpite, [2] quàm in fori ſilice: [3] mater futura in ipſo materno ſinu, ſi nubat in ſegete adultâ ſuper fœcundam glebam, vel enim [4] ſub ulmo maritâ cubet, in ipſo gremio terræ matris, inter ſoboles herbarum, & propagines vitium, & arborum germina. [5] Ibi & ille celeberrimus in comœdiis verſus de proximo congruit,

Παίδων παρ' ἄγρῳ γνησίων εἰσὶ σπόροι.

INTERPRETATIO.

nunquam videlicet vetat hoc modo: NE DUCAS UXOREM IN VILLA. *Quin contrà, ſi vis audire verum, uxor ducitur longè meliori omine ad liberos procreandos, in prædio ruſtico, quàm in urbe: in terrâ fœcundâ, quàm in loco ſterili: in glebâ agri, quàm in lapide fori: parens futura, in ipſo gremio parentis, ſi nubat in frumento producto ſuper cæſpitem fertilem, aut ſi decumbat ſub ulmo maritatâ, in ipſo ſinu telluris parentis, inter proles herbarum, & propagines vitium, & ſurculos arborum. Huc valdè facit ille verſus frequentiſſimus in comœdiis:*

Natorum in agro legitimorum ſatio eſt.

NOTÆ.

1. *Uxorem in villâ ne ducito.*] Requiſita tamen ad nuptiarum firmitatem celebritas, quæ ruri non ſolet eſſe. hinc lib. 6. Metam. Venus ad Pſychen: *impares enim nuptiæ, & prætereà in villâ, ſine teſtibus, & patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſunt videri.*

2. *Quam in fori ſilice.*] Quam in foro urbano, quod ſilice conſtratum eſt.

3. *Mater futura in ipſo materno ſinu, ſi nubat in ſegete adultâ, &c.*] Sic legit ex Florent. & Roman. Elmenhorſtius benè meâ quidem ſententiâ, & aperto ſenſu. Obſerva hæc omnia, quæ hîc ab Apuleio memorantur, utpote fertilitatis ſymbola, optimè convenire nuptiis, quæ liberûm quærendorum gratiâ inſtitutæ ſunt.

4. *Sub ulmo maritâ.*] Vitibus conjunctâ.

5. *Ibi & ille celeberrimus in comœdiis verſus de proximo congruit.*] Ignoratur quis ille verſus, & cujus poëtæ fuerit. Quoſdam citat ex Menandro Caſaubon. alium ex Philemone vetere comico Gentilis. ſed illi in proferendis iis operam perdunt, cùm ſexcenti ejuſmodi verſus æquè appoſitè ad hanc rem afferri poſſint. Versûs ab Apuleio hîc relati quædam veſtigia, ſed corruptiſſima affert Elmenhorſtius ex Florentino codice MS. ea ejuſmodi ſunt:

Πωκω ΝCπαΡΟΓΟ ΗΙ ΗΙCΙΟ
Ne HIC ΝΟpeI.

Quæ Pricæus in medium reliquit, quòd nihil emendatum ſuccurreret. In eo exemplari Elmenhorſtii, quod, dum hæc ſcribo, habeo præ oculis, manu neſcio cujus ſcriptum in linearum duarum intervallo reperio: *Παίδων παρ' ἄγρῳ γνησίων εἰσὶ σπόροι*, qui verſus Iambicus, quales comœdiarum eſſe ſolent, tam benè & corruptis Florent. codicis veſtigiis, & loco huic quadrat, ut eum ipſum fuiſſe, quem Apuleius retulerit, affirmare non dubitem; nec aliud in eo deſiderem, niſi ut nota ſit manus, cujus beneficio reſtitutum habemus; quo ſuus ipſi habeatur honos. Senſus verſiculi eſt, quem expreſſi in interpretatione. Excudendum in textu verſum ipſum curavi.

Romanorum etiam majoribus, [1] Quintiis & [2] Serranis, & multis aliis ſimilibus, non modò uxores, verùm etiam conſulatus & dictaturæ in agris offerebantur. Cohibebo me in tam prolixo loco, [3] ne tibi gratum faciam, [4] ſi villam laudavero. De ætate verò Pudentillæ, de quâ poſt iſta ſatis confidenter mentitus es, ut etiam ſexaginta annos natam diceres nupſiſſe, de eâ paucis tibi reſpondebo. nam in re tam perſpicuâ non eſt neceſſe pluribus diſputare. Pater ejus [5] natam ſibi filiam more cæterorum profeſſus eſt. tabulæ ejus partim tabulario publico, partim domo adſervantur: quæ tibi ob os objiciuntur. Porrige Æmiliano tabulas iſtas. [6] linum conſideret, [7] ſigna, quæ impreſſa

INTERPRETATIO.

Nec conjuges tantùm, verùm & Conſulatus, & Dictaturæ offerebantur quoque ruri antiquis Romanis, Quintiis, & Serranis, & plurimis aliis hujuſmodi. Coërcebo me in loco tam amplo, ne faciam tibi volupe, ſi laudavero rus. Quantum autem ad ætatem Pudentillæ, de quâ poſt hæc mentitus es valdè audacter, adeò ut affirmares quoque eam habuiſſe ſexaginta annos quando nupſit, reſpondebo tibi de eâ breviter. Neque enim opus eſt fusè diſſerere in re adeò manifeſtâ. Illius parens declaravit filiam ſibi genitam eſſe, ut cæteri ſolent. Ejus tabulæ cuſtodiuntur partim in tablino publico, partim domi: quæ tibi ponuntur ante oculos. Exhibe Æmiliano iſtas tabulas. Contempletur linum, agnoſcat ſigilla, quæ

NOTÆ.

1. *Quintiis.*] Vide Livium, lib. 3. cap. 28.

2. *Serranis.*] Suprà: *Serranis & Curiis, & Fabriciis:* ubi vide notata.

3. *Ne tibi gratum faciam.*] O Æmiliane, qui ruſticus es.

4. *Si villam laudavero.*] Quam toto vitæ tuæ tempore incoluiſti.

5. *Natam ſibi filiam more cæterorum profeſſus eſt.*] Capitolinus, in vitâ Antonini philoſophi, hunc morem ab eo inductum ait: verba ejus ſunt: *Inter hæc liberales cauſas ita munivit, ut primus juberet apud Præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri &c.* Videtur tamen hic mos eſſe antiquior. Pricæus à Servio Tullio uſque repetit, Halicarnaſſæo præeunte, lib. 4. Hæc *natalis profeſſio* dicta eſt atque etiam ſimpliciter *profeſſio.* Noſter Metamorph. lib. 8. *Mathematicus quidam, qui ſtellas ejus diſpoſuit, quintum ei numeravit annum. Sed ipſe ſcilicet meliùs iſtud de ſuâ novit profeſſione.*

6. *Linum conſideret.*] Ita Lipſius, non *lignum.* rectè. Cicero, Catil. 3. *tabulas proferri juſſimus, oſtendimus Cethego, ſignum cognovimus, linum incidimus.* Paulus Recept. ſentent. l. 5. Tit. 25. *ad Leg. Cornel. Teſtam.* parag. 5. *Ampliſſimus ordo decrevit eas tabulas, quæ publici vel privati contractûs ſcripturam continent, adhibitis teſtibus, ita ſignari, ut in ſummâ marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino conſtringantur, atque impoſitæ ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent; aliter tabulæ prolatæ nil momenti habent.* Cujus moris origo videtur Neronis temporibus adſcribenda. Sueton. in Nerone: *adverſus falſarios tùm primùm repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina trajecto, obſignarentur.*

7. *Signa, quæ impreſſa ſunt recognoſcat.*] Antequàm linum rumpatur, & aperiantur tabulæ. ne poſteà, apertis illis, clamet ficta. Sic Metamorph. 10. *videat & ſuum ſigillum recognoſcat.*

ſunt, recognoſcat, Conſules legat, annos computet. quos ſexaginta mulieri aſſignabat, probet quinque & quinquaginta. [1] Luſtro mentitus eſt. parum hoc eſt. liberaliùs agam. nam & ipſe Pudentillæ multos annos largitus eſt. redonabo igitur viciſſim. [2] Decem annos Mezentius cum Ulixe erravit: quinquaginta ſaltem annorum mulierem oſtendat. Quid multis? [3] ut cum quadruplatore agam: bis duplum quinquennium faciam, viginti annos ſemel detraham. Jube, Maxime, conſules computari. niſi fallor, invenies nunc Pudentillæ haud multò quadrageſimum ampliùs annum ætatis ire. O falſum, & audax nimiùm mendacium, viginti annorum exilio puniendum! dimidio tanta, Æmiliane, mentiri falſa audes, & ſeſquialtera? Si triginta annos pro decem dixiſſes; poſſes videri [4] pro computationis geſtu erráſſe:

INTERPRETATIO.

ſunt illis *impreſſa, legat conſules, numeret annos. oſtendat eſſe quinquaginta quinque. quos attribuebat* huic *fœminæ* numero *ſexaginta. Mentitus eſt quinquennio. hoc parum eſt. agam benigniùs. ipſe enim dedit multos annos Pudentillæ: ergo reddam* illos ei *vice verſâ. Error Mezentii fuit decem annorum, ſicut & Ulyſſis: probet ſaltem eam habere annos quinquaginta. Quid plura? agam veluti cum quadruplatore: bis duplicabo luſtrum, ſemel auferam viginti annos. Maxime, impera ut numerentur conſules. reperies, ni fallor, non multò magis, quàm quadrageſimum annum Pudentillæ nunc agi. O mendacium falſum, & nimis confidens, mulctandum exilio viginti annorum! ô Æmiliane, non vereris proferre mendacia dimidiâ parte majora, ac ſeſquialtera? Si pronuntiâſſes triginta annos loco decem; poſſes videri deceptus eſſe*

NOTÆ.

1. *Luſtro.*] Spatio quinque annorum. Livius, lib. 1. *omnes Centuriæ & equites in campum Martium convocati, ſue, ove, tauro* (unde ſuovetaurilia dicta) *cæſis immolârunt: quod luſtrum dictum. ſicque à ſacrificio illo cenſus obtinuit nomen luſtri.* Et quia cenſus quinto quoque anno habebatur, & condebatur à cenſoribus luſtrum, quinquennale ſpatium luſtrum quoque dictum eſt.

2. *Decem annos Mezentius cum Ulixe erravit.*] Id eſt, Æmilianus (qui, ut ſuprà dictum eſt, ob contemptum Deorum dictus eſt inter populares ſuos *Mezentius*) in ætate Pudentillæ numerandâ falſus eſt, & erravit decem annis, ſicut Ulyſſes erravit & vagatus eſt per decem annos. Luſus eſt in duplici ſignificatione verbi, *errare*, rigidior paulò meâ quidem ſententiâ.

3. *Ut cum quadruplatore agam, bis duplum quinquennium faciam.*] Bis duplum eſt quadruplum. Alludit ad originem nominis *quadruplator*, & ſimul infamiam quadruplatorum Æmiliano impingit. qui quadruplatores, ut ait Aſcon. in 4. Verrin. *Sunt accuſatores criminum publicorum ſub pœnâ quadrupli, ſive quòd ipſi ex damnatorum bonis, quos accuſaverant, quartam partem conſequebantur.* Paulus Feſto conjunctus: *Quadruplatores dicebantur, qui eo quæſtu ſe tuebantur, ut eas res perſequerentur, quarum, ex legibus quadrupli, erat actio.*

4. *Pro computationis geſtu.*] Arithmeticos olim digitis computáſſe ex multis locis veterum obſervare eſt. Seneca Epiſt. 87. *numerare docet me Arithmetica, & avaritiæ commodare digitos.* Tertul. in Apolog *ſed interim longum multis inſtrumentis cum digitorum ſupputatoriis geſticulis aſſidendum.* Numerorum alii conſtrictis, implicatis alii, alii apertis & porrectis digitis aliis atque aliis denotabantur. Lævâ porrò manu ab uno uſque cen-

[1] quos circulare debueris digitos, aperuiſſe. Cùm verò quadraginta, quæ faciliùs cæteris porrectâ palmâ ſignificantur, ea quadraginta tu dimidio auges, non potes digitorum geſtu erràſſe. niſi fortè triginta annorum Pudentillam ratus, [2] binos cujuſque anni conſules numeràſti. Miſſa hæc facio. Venio nunc ad ipſam ſtirpem accuſationis, ad ipſam cauſam maleficii. Reſpondeat Æmilianus, & Rufinus, ob quod emolumentum, etſi maximè Magus forem, Pudentillam carminibus & venenis ad màtrimonium pellexiſſem. Atqui ego ſcio pleroſque reos alicujus facinoris poſtulatos, ſi fuiſſe quæpiam cauſæ probarentur, hoc uno ſe tamen abundè defendiſſe, vitam ſuam procul ab hujuſmodi ſceleribus abhorrere: nec id ſibi obeſſe debere, quòd videantur quædam fuiſſe [3] ad malefaciendum invitamenta. Non enim omnia, quæ fieri potuerint, pro factis habenda. rerum vices varias evenire: certum indicem cujuſque animum eſſe: qui ſemper eodem ingenio ad

Interpretatio.

geſtu numerationis : & dilatâſſe illos *digitos, quos debuiſſes curvare in orbem. Quando verò tu amplificas mediâ parte quadraginta, quæ indicantur faciliùs reliquis expansâ manu, non potes deceptus fuiſſe poſitu digitorum. niſi forſan, arbitratus Pudentillam eſſe triginta annorum, numeraviſti ambos conſules ſingulorum annorum. Omitto iſta. Tranſeo jam ad ipſam radicem delationis, ad ipſam cauſam incantationis. Æmilianus, & Rufinus dicant cujus utilitatis gratiâ Pudentillam ad nuptias prolectâſſem incantamentis, & venenis, etiamſi eſſem veriſſimè Magus. Ego tamen novi quamplurimos accuſatos alicujus criminis, ſi oſtenderetur fuiſſe aliquas rationes* cur illud facerent, *ſe nihilominus ſatis ſuperque tuitos eſſe hac ſolâ* ratione, *vitam ſuam valdè averſari talia crimina : nec illud debere ſibi nocere, quòd videantur extitiſſe quædam allectamenta ad committendum ſcelus. Neque enim quæcumque potuerint fieri, exiſtimanda eſſe tanquam facta. contingere diverſas mutationes rerum. indubitatum teſtimonium uniuſcujuſque eſſe mentem : quæ ſemper affecta eàdem propenſione ad virtutem,*

Notæ.

tum computabant : centenarium deinde numerum in dextram transferebant, & eodem modo, quo unum denotatur, conformabant : poſteà, ad altera centum numeranda ad ſiniſtram redibant. Sic intelligendus Juvenalis, Sat. 10.

> *Felix nimirùm qui per tot ſæcula mortem*
> *Diſtulit, atque ſuos jam dextrâ computat annos.*

De hac omni veterum ſupputandi ratione Beda ſcripſit ex profeſſo, quem vide.

1. *Quos circulare debueris digitos aperuiſſe.*] Denarius enim numerus, ut ſcribit idem Beda, effingebatur indice digito leviter attingente articulum pollicis. quod cùm fieret, quidam veluti circulus indice digito formabatur. Tricenarius verò, ſummo indicis veluti exoſculante ſummum pollicis. quo geſtu magis aperti erant digiti, quàm cùm denarius effingeretur quadragenarius, ut patet ex noſtro, porrectâ palmâ, ſignificabatur.

2. *Binos cujuſque anni conſules nominâſti.*] Et pro ſingulis conſulibus ſingulos annos, cùm duo conſules unum tantùm annum deſignent.

3. *Ad malè faciundum.*] Sic Elmenhorſt. ex Florent. cod. Priſæus *ad maleficium perpetrandum.* quod in interpretatione ſum ſecutus.

virtutem vel ad malitiam moratus, firmum argumentum eſt accipiendi criminis, aut reſpuendi. Hæc ego quanquam poſſum meritò dicere, tamen vobis condono: nec ſatis mihi duco, ſi me omnium, quæ inſimulâſtis, abundè purgavi, ſi nuſquam paſſus ſum vel exiguam ſuſpicionem Magiæ conſiſtere. Reputate vobiſcum quantâ fiduciâ innocentiæ meæ, quantóque deſpectu veſtri agam; ſi una cauſa vel minima fuerit inventa, cur ego debuerim Pudentillæ nuptias, ob aliquod meum commodum appetere: ſi quamlibet modicum emolumentum probaveritis; [1] ego ille ſim Carinondas, [2] vel Damigeron, vel [3] is Moſes, [4] vel Jannes, vel [5] Apollonius, [6] vel ipſe Dardanus, vel quicumque alius [7] poſt Zoroaſtrem & Hoſtanem inter Magos celebratus eſt. Vide, quæſo, Maxime, quem tumultum ſuſcitârint, quoniam ego paucos Magorum nominatim percenſui. Quid faciam tam rudibus, tam barbaris? Doceam Rufinum, hæc & multò plura alia

INTERPRETATIO.

aut ad vitium, eſt certum indicium admittendi, aut repudiandi ſceleris. Quamvis ego jure queam hæc reſpondere, nihilominus indulgeo ea vobis: neque puto mihi ſufficere, quòd excuſavi me affatim ab omnibus iis, quorum me accuſaviſtis, quod nullatenus tuli vel minimam ſuſpicionem Magiæ eſſe in me. *Recogitate apud vos quantâ confidentiâ meæ innocentiæ me geram, & quanto contemptu veſtrûm; ſi reperta fuerit una ratio vel minima, quare ego debuerim exoptare conjugium Pudentillæ propter aliquam utilitatem meam: ſi oſtenderitis lucrum quantumvis parvum, ego ſim ille Phrynondas, aut Damigeron, aut ille Moſes, aut Jannes, aut Apollonius, aut Dardanus ipſe, aut quiſquis alius memoratus eſt inter Magos à temporibus Zoroaſtris & Hoſtanis. Conſidera, te oro, Maxime, quale murmur excitaverim, quia ego enumeravi aliquot ex Magis ſuo quemque nomine. Quid faciam tam imperitis* hominibus, ac *tam feris? An dicam Rufino me legiſſe hæc nomina, &*

NOTÆ.

1. *Ego ille ſim Carinondas.*] Emenda *Phrynondas*, de quo ſuprà. Carinondæ Magi nulla uſquam mentio.

2. *Vel Damigeron.*] Hunc etiam inter Magos celebres refert Tertull. lib. *de Animâ*, cap. 57. *Hoſtanes & Typhon, & Dardanus, & Damigeron, & Nectabis, & Berenice, &c.* ſpecies & ſectas Magorum vide apud Plin. lib. 30. cap. 1.

3. *Vel is Moſes.*] Moſes eſt Hebræorum ille legiſlator, quem Ethnicis pro Mago habitum docent Strabo, Plinius, Tacitus.

4. *Vel Jannes.*] Ita legendum, non *Joannes*. Is eſt, quem cum Iambre, Moſi reſtitiſſe ſcribit D. Paulus Ep. 1. ad Timoth. Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς ἀντέστησαν Μωϋσεῖ. Numenius Pythagoricus apud Euſeb. de præparat. Evangel. eos vocat Ægyptios ἱερογραμματεῖς. Palladius Ἀδελφοὺς δι' ὑπερβολῆς τῆς Μαγικῆς τέχνης τὰ πρῶτα ἔχοντας. *Fratres in Magicâ arte partes longè primas obtinentes.*

5. *Apollonius.*] Ille Thyaneus celeberrimus Magus, cujus vitam à Philoſtrato, maximo ejus admiratore, ſcriptam habemus.

6. *Vel ipſe Dardanus.*] A quo Dardaniæ artes pro Magicis. Columel. lib. 10.

Dardaniæ veniunt artes.

7. *Poſt Zoroaſtrem & Hoſtanem.*] De his jam aliàs diximus.

nomina in bibliothecis publicis apud clariſſimos ſcriptores me legiſſe? an diſputem, longè aliud eſſe notitiam nominum, aliud artis ejuſdem habere communionem: nec debere doctrinæ inſtrumentum & eruditionis memoriam pro confeſſione criminis haberi? An, quod multò præſtabilius eſt, tuâ doctrinâ, Claudi Maxime, tuâque perfectâ eruditione fretus, contemnam ſtultis & impolitis ad hæc reſpondere? Ita potiùs faciam. quid illi exiſtiment [1] nauci non putabo. Quod inſtitui pergam diſputare: nullam mihi cauſam fuiſſe, Pudentillam veneficiis ad nuptias prolectandi. Formam mulieris & ætatem ipſi ultrò improbaverunt, idque mihi vitio dederunt, talem uxorem causâ avaritiæ concupîſſe: atque adeò primò dotem in congreſſu grandem & uberem rapuiſſe. Ad hæc, Maxime, longâ oratione fatigare te non eſt conſilium. Nihil verbis opus eſt, cùm multò diſertiùs [2] ipſæ tabulæ loquantur: in quibus omnia, contra quàm iſti ex ſuâ rapacitate de me quoque conjectaverunt, facta impræſentiarum, & proviſa in poſterum deprehendes. Jam primùm mulieris locupletiſſimæ modicam dotem, [3] neque eam datam, ſed tantummodò promiſſam. Præter hæc, eâ conditione factam conventionem, ſi nullis ex me ſuſceptis liberis

INTERPRETATIO.

alia longè plura in bibliothecis publicis apud auctores celeberrimos? an probem eſſe res multùm diverſas, cognoſcere nomina Magorum, *& eſſe participem artis ipſius* Magicæ: *& apparatum ſcientiæ, ac monimentum doctrinæ, non exiſtimandum eſſe confeſſionem ſceleris? An verò, quod longè ſatius eſt, dedigner ad iſta reponere* hominibus *ſtolidis & rudibus, confiſus tuâ ſcientiâ, Claudi Maxime, & tuâ omnimodâ doctrinâ? Sic faciam potiùs. nihili faciam quid illi* de me *putent. Pergam probare quod incepi: nullam rationem mihi fuiſſe, cur pellicerem Pudentillam ad conjugium incantationibus. Ipſimet damnaverunt faciem & ætatem fœminæ, atque id mihi verterunt crimini*, me *expetiviſſe ejuſmodi conjugem propter avaritiam: ideoque abſtuliſſe primò magnam & copioſam dotem in conjunctione* noſtrâ. *Non eſt mihi animus, ò Maxime, te laſſare ſermone prolixo,* quantum *ad iſta. Nullatenùs neceſſe eſt loqui, quandoquidem ipſum inſtrumentum* matrimonii *loquitur apertiùs: in quo reperies cuncta peracta in præſens, & proſpecta in futurum* omninò *aliter, quàm hi conjecerunt de me ſecundùm ſuam aviditatem.* Invenies enim *primò dotem mediocrem pro fœminâ opulentiſſimâ, & eam quidem non numeratam, ſed ſolùm promiſſam. Præterea connubium initum eâ lege, ut ſi* ipſa *exceſſiſſet è vivis nullis filiis*

NOTÆ.

1. *Nauci non putabo.*] Paulus Feſto conjunctus: *Naucus pro nugis ponitur: aliàs pro olea, aut nucis nucleo. Alii omnium rerum putamen ita appellari volunt. Quidam ex Græco, quod ſit* τοῦ ϰ̀ ȣ̓χὶ *levem hominem ſignificari volentes. Quidam volunt ſic appellari membranulam, quæ in nucis juglandis eſt medio. Ennius. Illic eſt nugator nihili, non nauci homo.*

2. *Ipſæ tabulæ.*] Nuptiales.

3. *Neque eam datam, ſed tantummodò promiſſam.*] Huc pertinet tit. XV. lib. V. cod. *De dote cautâ non numeratâ.* Multa ſunt privilegia traditæ & numeratæ dotis, quæ non ſunt cautæ.

vitâ demigrâſſet, ut dos omnis apud filios ejus Pontianum & Pudentem maneret: ſin verò uno unâve ſuperſtite diem ſuum obîſſet; uti tum [1] dividua pars dotis poſteriori filio, reliqua prioribus cederet. Hæc, ut dico, tabulis ipſis docebo. Fors fuerit, ut ne ſic quidem credat Æmilianus, ſola trecenta millia nummûm ſcripta, eorumque repetitionem filiis Pudentillæ pacto datam. [2] Capiens ipſe tu manibus tuis tabulas iſtas da impulſori tuo Rufino, legat. Pudeat illum tumidi animi ſui, [3] & ambitioſæ mendicitatis. quippe ipſe egens, nudus, trecentis millibus nummûm à creditore acceptis filiam dotavit. Pudentilla locuples fœmina trecentis millibus dotis fuit contenta: & maritum habet, & multis ſæpè & ingentibus dotibus ſpretis, inani nomine tantulæ dotis contentum: cæterùm præter uxorem ſuam nihil computantem: [4] omnem ſupellectilem, cunctaſque divitias in concordiâ conjugii, & mutuo amore ponentem. Quanquam quis omnium vel exiguè rerum peritus, culpare auderet, ſi mulier vidua, & mediocri formâ, at non ætate mediocri, nubere volens, [5] longâ dote &

INTERPRETATIO.

procreatis ex me, tota dos reſtaret penes ſuos liberos Pontianum & Pudentem: ſin autem mortua eſſet relicto uno filio, *aut unâ* filiâ; *ut tunc dimidia pars dotis perveniret ad filium ultimum, altera* verò pars *ad priores. Oſtendam ipſo inſtrumento hæc* ſe habere *ut dico. Forſan Æmilianus ne ſic quidem credet ſcripta eſſe duntaxat trecenta millia nummorum, & repetitionem illorum conventione conceſſam: eſſe liberis Pudentillæ. Cape tu ipſe tuis manibus has tabulas, & trade Rufino tuo inſtigatori, legat* eas. *Pudeat eum ſuæ ſuperbiæ, & ſuæ egeſtatis faſtoſæ. cùm ipſe inops, nudus, in dotem dederit ſuæ filiæ trecenta millia nummorum ſumpta à creditore. Pudentilla mulier dives contenta fuit dote trecentorum millium* nummorum: *& habet virum contentum vano nomine dotis tam parvæ, contemptis* jam *ſæpè dotibus & plurimis & magnis: cæterùm nihil numerantem niſi ſuam conjugem: reponentem totam ſupellectilem & omnes opes in unanimitate uxoris, & amore reciproco. Quamvis quis ex omnibus ſaltem mediocriter gnarus rerum, auderet vituperare, ſi fœmina vidua, & pulchritudine modicâ, ſed non modicâ ætate, volens nubere, allexiſſet dote amplâ,*

NOTÆ.

1. *Dividua pars dotis.*] Dimidia. Terent. Adelphis:

Potiùs quàm venias in periculum, Sannio,
Serves-ne, an perdas totum, dividuum face.

2. *Capiens ipſe tu, &c.*] Æmiliano hæc dicit.

3. *Et ambitioſæ mendicitatis.*] Juvenal. Sat. 3.

——— *hic vivimus ambitioſâ*
Paupertate omnes. ———

4. *Omnem ſupellectilem, cunctaſque divitias in concordiâ conjugis.*] In oratione Imperatoris Antonini. *Majores noſtri inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honeſtum ſolis animis æſtimantes, famæ etiam conjunctorum conſulentes, ne concordia pretio conciliari videretur.* ut refert Ulpianus, lege 3. ff. *de Donat. inter virum & uxorem.*

5. *Longâ dote.*] *Largam dotem* ſæpè legas, *longam*, niſi hîc, vix puto: Proba tamen lectio eſt. Græcos ſequitur Apuleius, qui μακρὸν ponunt ἀντὶ τοῦ μέγα, vel πολύ. Suidas, Μακρὰν οὐσίαν ἀντὶ τοῦ λέγουσι τὴν πολλήν, &c.

[1] molli conditione invitâſſet juvenem, neque corpore, neque animo, neque fortunâ pœnitendum? Virgo formoſa, etſi ſit oppidò pauper, tamen abundè dotata eſt. Affert quippe ad maritum novam animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ipſa virginitatis commendatio jure meritoque omnibus maritis acceptiſſima eſt. Nam quodcunque aliud in dotem acceperis, potes, cùm libuit, ne ſis beneficio obſtrictus, omne, ut acceperas, renumerare, mancipia reſtituere, domo demigrare, prædiis cedere. Sola virginitas, cùm ſemel accepta eſt, reddi nequitur: ſola apud maritum ex rebus dotalibus remanet. Vidua autem qualis nuptiis venit, talis divortio digreditur, nihil affert irrepoſcibile: ſed venit jam ab alio præflorata: certè tibi, ad quæ velis, minimè docilis: non minùs ſuſpectans novam domum, quàm ipſa jam ob unum divortium ſuſpectanda: ſive illa morte amiſit maritum, ut ſcævi ominis mulier, & infauſti conjugii, minimè appetenda; ſeu repudio digreſſa eſt, utramvis habeat culpam mulier, quæ aut tam intolerabilis fuit ut repudiaretur, aut tam inſolens ut repudiaret. Ob hæc & alia, [2] viduæ dote auctâ procos ſollicitant.

INTERPRETATIO.

& conditione commodâ juvenem non ſpernendum neque corpore, neque ingenio, neque opibus? Pulchra virgo, tametſi ſit valdè inops, nihilominus habet ſatis amplam dotem. Nam affert ad virum novum ingenium animi, venuſtatem formæ, florem virginitatis. Ipſa gratia virginitatis jure & merito jucundiſſima eſt cunctis conjugibus. Quidquid enim aliud acceperis pro dote, potes illud *reddere totum ſicut acceperas, quando volueris, ne ſis obligatus beneficio:* potes *renumerare argentum, reddere ſervos, excedere ex ædibus, agris abire. Sola virginitas non poteſt reſtitui, quando ſemel eſt delibata: ea unica ex rebus dotis manet penès virum. At vidua talis diſcedit in divortio, qualis acceſſit in nuptiis. Nihil adfert quod non poſſit repetere: ſed accedit jam devirginata ab alio: ſanè nullatenùs morigera tibi ad ea, quæ cupias: perinde ſuſpectas habens novas ædes, ac ipſa jam habenda eſt ſuſpecta propter unam ſeparationem: ſive illa perdidit virum morte,* quo in caſu *nullatenùs concupiſcenda eſt, utpote fœmina ſiniſtri augurii, & connubii infortunati. Sive diſceſſit* ab eo *repudiatione, utrolibet modo fœmina deliquerit; quippe quæ vel fuit adeò intoleranda, ut repudiaretur* à marito, *vel adeò ſuperba, ut repudiaret maritum. Propter hæc & alia, viduæ invitant amantes dote ampliore.*

NOTÆ.

1. *Molli conditione.*] Gell. lib. 4. cap. 18. *diceretque* (M. Nævius Tribun. pleb. *à rege Antiocho accepiſſe pecuniam* (Scip. Africanum) *ut conditionibus gratioſis ac mollibus pax cum eo populi Romani nomine fieret.*

2. *Vidua dote auctâ procos ſollicitant.*] Quæ ratio extorſit tandem illam conſtitutionem Imperatorum Leonis & Anthemii, quâ viduarum libido coërcetur. l. *Hac edictali* 6. C. *de ſecund. Nupt.* Eâ enim conſtitutione cavetur, ne mulier iterùm nubens, in novum maritum plus conferre ullo titulo, vel inter vivos, vel mortis causâ poſſit, quàm filio, vel filiæ, ſi unus vel una extiterit, aut, ſi ſint plures, quàm ad unumquemque eorum perventurum ſit.

Quod Pudentilla quoque in alio marito feciſſet, ſi philoſophum ſpernentem dotis non reperiſſet. Age verò, ſi avaritiæ causâ mulierem concupiſſem, quid mihi utilius ad poſſidendum domum ejus fuit, quam ſimultatem inter matrem & filios ſerere? alienare ab ejus animo liberorum caritatem, quò liberiùs & artiùs [1] deſolatam mulierem ſolus poſſiderem? Fuit ne hoc prædonis, quod eſſe vos fingitis? Ego verò quietis, & concordiæ, & pietatis auctor, conciliator, [2] faviſſor, ſuaſor, non modò nova odia non ſevi, ſed vetera quoque funditùs extirpavi. Suaſi uxori meæ, cujus, ut iſti aiunt, jam univerſas opes [3] tranſvorâram: ſuaſi, inquam, ac denique perſuaſi, ut filiis [4] pecuniam ſuam repoſcentibus, de quâ ſuprà jam dixi, ut eam pecuniam ſine morâ redderet in prædiis vili æſtimatis, & quantò ipſi volebant: præterea ex re familiari ſuâ fructuoſiſſimos agros, & grandem domum opulentè ornatam, magnamque vim tritici & hordei & vini, & olei, cæterorumque fructuum: [5] ſervos quoque haud minùs quadringentos, pecora ampliùs neque pauca, neque abjecti pretii [6] donaret; ut eos & ex

Interpretatio.

Quod Pudentilla feciſſet etiam erga alium virum, niſi nacta eſſet philoſophum contemptorem dotis. Agedum, ſi appetiſſem ipſam ob avaritiam, quid mihi fuit conducibilius ad potiendum ejus domo, quàm excitare odia inter matrem & natos? removere ab ejus pectore amorem filiorum, ut ego liberiùs, & ſtrictiùs ſolus potirer muliere deſertâ? An hoc fuit officium *latronis, ut vos mentimini* me *eſſe? At ego ſuaſor, medius, & fautor pacis & unanimitatis atque charitatis, non ſolùm non excitavi novas inimicitias, verùm eradicavi etiam penitùs veteres. Auctor fui meæ conjugi, cujus, ut illi dicunt, jam devoraveram omnes divitias: auctor fui, inquam, ac tandem perpuli, ut, cùm liberi* ejus *repeterent ſuam pecuniam, de quâ locutus ſum ſuprà; redderet* illis *abſque dilatione illam pecuniam in agris æſtimatis* pretio *parvo, & quanto ipſis libitum erat: inſuper* perſuaſi, ut *daret* eis *ex ſuis bonis prædia feraciſſima, & amplas ædes magnificè inſtructas, & ingentem copiam frumenti, & hordei, & vini, & olei ac reliquorum fructuum: mancipia etiam non pauciora quàm quadringenta, præterea daret pecora, & multa & magni pretii; ut præſtaret illos ſecu-*

Notæ.

1. *Deſolatam.*] Derelictam à liberis ſuis.

2. *Faviſſor.*] Lipſ. cui accedo, *favitor* antiquè, pro *fautor*, ut ſæpè apud Plaut. Pricæus tamen *faviſſor* ex Gloſſis Puteani, & Vindocin. aſſerere nititur.

3. *Tranſvorâram.*] *Devorâram.* Africaniſmus. Sic *tranſglutire* dicit Optatus, lib. 1. pro *deglutire*, & *tranſnominare.* Tertull. contra Marcionem, pro *denominare.*

4. *Pecuniam ſuam.*] Quam merâ fide acceptam filiis Pudentillam debuiſſe ſuprà dixit.

5. *Servos quoque non minùs quadringentos.*] Vel ex hoc patet, quàm opulenta fuerit Pudentilla. multò enim plures ſibi retinuiſſe eam oportet.

6. *Donaret.*] Donatio inter matrem & liberos facta valebat jure Romano, quæ non valebat inter patrem & liberos. Ratio, quia jure patriæ poteſtatis quidquid filius acquirebat, patri acquirebat, præſertim ex re patris. unde ſi donatio valere patrem inter & liberos diceretur, ſequeretur patrem eumdem

eâ quam tribuiſſet parte ſecuros haberet, & ad cætera hæreditatis bona ſpe invitaret. Hæc ego ab invitâ Pudentillâ (patietur enim me, uti res fuit, ita dicere) ægrè exauditus, ingentibus precibus invitæ & iratæ extorſi; matrem filiis reconciliavi: privignos meos, [1] primo hoc vitricus beneficio, grandi pecuniâ auxi. Cognitum hoc eſt totâ civitate. Rufinum omnes execrati, me laudibus tulêre. Venerat ad nos, priuſquàm iſtam donationem mater perficeret, [2] cum diſſimili iſto fratre ſuo Pontianus, ante pedes noſtros advolutus, veniam & oblivionem præteritorum omnium poſtulat; flens, & manus noſtras oſculabundus, ac dicens pœnitere, quòd Rufino & ſimilibus auſcultârit. Petit poſteà ſuppliciter, uti ſe [3] Lolliano quoque Avito C. V. purgem, cui haud pridem tirocinio [4] profeſſionis ſuæ fuerat à me commendatus. quippe compererat, ante paucos dies omnia me, ut acta erant, ad eum perſcripſiſſe. Id quoque à me impetrat. Itaque acceptis litteris, Carthaginem pergit: ubi jam propè exacto [5] Conſulatûs ſui munere,

INTERPRETATIO.

ros ex illâ parte, quam dediſſet, & excitaret eos *ſpe ad reliquas opes hæreditatis. Ego difficulter exauditus à Pudentillâ nolente (ſinet enim me rem exponere quemadmodum ſe habuit) ſummis precibus iſta impetravi ab eâ renuente, & iratâ; reduxi matrem in gratiam cum filiis. ditavi meos privignos magnâ pecuniæ ſummâ,* probans me eſſe eorum *vitricum hoc primo benefacto. Hoc notum eſt in totâ urbe. Cuncti abominati Rufinum, extulerunt me encomiis. Pontianus acceſſerat ad nos cum hoc fratre ſibi haud ſimili, antequàm mater* eorum *abſolveret illam donationem. Proſtratus ad pedes noſtros petit ut ſibi ignoſceremus & obliviſceremur omnium antè actorum, plorans, & oſculans noſtras manus, dicenſque ſe pœnitere, quòd obtemperaverit Rufino,* & aliis *ejuſmodi. Deinde rogat* me *enixè, ut ipſum excuſem etiam apud Lollianum Avitum clariſſimum virum, cui non ita dudum commendaveram eum, cùm ederet rudimentum ſuæ artis. cognoverat enim me ſcripſiſſe ad illum, paucis diebus antè, cuncta ut fuerant geſta. Obtinet id quoque à me. Ergo acceptâ meâ epiſtolâ, proficiſcitur Carthaginem, ubi Lollianus Avitus te ex-*

NOTÆ.

eſſe donatorem & donatarium, eademque operâ & alienare rem & acquirere. quod abſurdum. At in matre nihil tale, cùm fœminæ jus illud patriæ poteſtatis non haberent.

1. *Primo hoc vitricus beneficio.*] Vel ex hoc loco patet vitricos meliùs in privignos affectos eſſe ſolere quàm novercas, ipſumque *vitrici* nomen in bonam partem ſumi pro benevolo & benefico homine, cùm contrà *novercæ* nomen invidioſum ferè ſit, & nota *novercalia odia*. Scripſi *vitricus*, cùm priùs eſſet *vitrici*, quâ in re Caſaubonum ſum ſecutus.

2. *Cum diſſimili iſto fratre ſuo.*] Sicinio Pudente.

3. *Lolliano quoque Avito.*] Qui Proconſul erat Africæ ante Claudium Maximum.

4. *Profeſſionis ſuæ.*] Forenſis. Cauſis enim agendis dabat operam Pontianus.

5. *Conſulatûs ſui munere.*] Conſulatus hîc latè ſumitur pro Proconſulatu, neque enim per Conſules adminiſtrari ſolita erat provincia Africa, ſed per Proconſules. quin & Municipales quoque Magiſtratus ſucceſſu temporis prætores ſe atque etiam Conſules nonnunquam ambitiosè dixerunt, qui propriè Duumviri, aut Quinquennales dicebantur.

Lollianus Avitus te, Maxime, opperiebatur. Is epiſtolis meis lectis, pro ſuâ eximiâ humanitate gratulatus Pontiano, quòd citò errorem ſuum correxiſſet, reſcripſit mihi per eum, quas litteras, Dii boni! quâ doctrinâ! quo lepôre! quâ verborum amœnitate ſimul & jucunditate! [1] prorsùs ut vir bonus dicendi peritus. Scio te, Maxime, libenter ejus litteras auditurum. Et quidem ſi perlegam, meâ voce pronuntiabo. Cedò tu Aviti epiſtolas: ut quæ ſemper ornamento mihi fuerunt, ſint nunc etiam ſaluti. At tu, [2] licebit aquam ſinas fluere. Namque optimi viri litteras ter & quater adeò quantovis temporis diſpendio lectitarem. LOLLIANI AVITI LITTERÆ. Non ſum neſcius debuiſſe me poſt iſtas Aviti litteras perorare. Quem enim laudatorem locupletiorem, quem teſtem vitæ meæ ſanctiorem producam, quem denique advocatum facundiorem? Multos in vitâ meâ Romani nominis diſertos viros ſedulò cognovi, ſed ſum æquè neminem admiratus. Nemo eſt hodie, quantum mea opinio fert, alicujus in eloquentiâ laudis ac ſpei, quin Avitus eſſe longè malit, ſi cum eo ſe, remotâ invidiâ, velit conferre. Quippe omnes fandi virtutes pœnè diverſæ in illo viro congruunt. Quamcumque orationem ſtruxerit Avitus, ita illa erit undique ſui perfectè abſoluta, ut in illâ [3] neque

INTERPRETATIO.

pectabat, Maxime, officio ſui conſulatûs jam ferè peracto. Hic cùm legiſſet meas litteras, laudat Pontianum ſecundùm ſuam egregiam comitatem, quòd celeriter emendâſſet quod peccaverat, reſcripſit ad me per eum, quam epiſtolam Dii boni! quantâ eruditione! quantâ venuſtate! quantâ gratiâ, & ſimul ſuavitate ſermonis! planè ut vir probus, & gnarus eloquentiæ. Certus ſum, Maxime, te auſcultaturum libenti animo ejus litteras, & certè, ſi legam, recitabo illas meâ voce. Da tu litteras Aviti: ut ipſæ, *quæ ſemper contulerunt ad meum decus, conferant etiam nunc ad meam ſalutem. Tu interim poteris permittere ut aqua labatur. Legerem enim* libenter *epiſtolas probiſſimi illius viri ter, atque etiam quater cum qualibet jacturâ temporis.* LITTERÆ LOLLIANI AVITI. *Non ignoro me debuiſſe finem facere dicendi poſt has epiſtolas Aviti. Nam quem exhibeam laudatorem ampliorem; quem integriorem teſtem meæ vitæ, poſtremò, quem patronum diſertiorem? Novi diligenter in vitâ meâ plurimos facundos viros Romani generis, at nullum ita admiratus ſum. Nullus nunc eſt, ut arbitror, alicujus nominis & expectationis in eloquentiâ, qui non multò malit eſſe Avitus; ſi velit ſe comparare cum ipſo abſque invidiâ. Univerſæ enim dotes eloquentiæ ferè invicem contrariæ, conveniunt in illo homine. Quamlibet orationem Avitus ſcribat, illa ſic erit abſoluta omnibus ſuis numeris, ut neque Cato deſideret in eâ*

NOTÆ.

1. *Prorsùs ut vir bonus dicendi peritus.*] Id eſt, perfectus & verus orator, juxta veterem definitionem M. Catonis, apud Senecam, & alios. Vide Quintilian. lib. 1. cap. 12.

2. *Licebit aquam ſinas fluere.*] Curatorem clepſydrarum alloquitur. Vide, quæ diximus de clepſydris, ſuprà, Metamorphoſ. 3. pag. 73.

3. *Neque Cato gravitatem requirat, neque Lælius lenitatem.*] Vide Ciceronem, in Bruto, ubi quæ cujuſque oratoris in dicendo virtus, quæ vitia fuerint, optimè & clariſſimè explicat.

Cato gravitatem requirat, neque Lælius lenitatem, [1] neque Gracchus impetum, [2] nec Cæſar calorem, [3] nec Hortenſius diſtributionem, [4] nec Calvus argutias, [5] nec parſimoniam Salluſtius, [6] nec opulentiam Cicero: prorsùs in quâ, ne [7] omnia perſequar, ſi Avitum audias, neque additum quidquam velis, neque detractum, neque autem aliquid commutatum Video, Maxime, quàm benignè audias, quæ in amico tuo Avito recognoſcis. Tua me comitas, ut vel pauca dicerem de eo, invitavit. At non uſque adeò tuæ benivolentiæ indulgebo, ut mihi permittam, jam propemodùm feſſo, in causâ prorsùs ad finem inclinatâ, de egregiis virtutibus ejus nunc demùm incipere: quin potiùs eas integris viribus & tempori libero ſervem. Nunc enim mihi, quod ægrè fero, à commemoratione tanti viri [8] ad peſtes iſtas oratio revolvenda eſt. Audes-ne te ergo, Æmiliane, cum Avito conferre? Quem-ne ille bonum virum ait, cujus Avitus diſputationem tam plenè ſuis litteris collaudat, eum tu Magiæ, maleficii, criminis inſecta-

INTERPRETATIO.

pondus, nec Lælius comitatem, neque Gracchus vehementiam, neque Cæſar fervorem, neque Hortenſius partitionem, neque Calvus ſales, neque Salluſtius brevitatem, neque Cicero ubertatem: in quâ planè, ut non recenſeam univerſa, ſi audias Avitum, nec cupias aliquid adjectum fuiſſe, neque ablatum, nec denique quidquam mutatum. Animadverto, ô Maxime, quàm benevolè auſcultes ea, quæ agnoſcis in tuo amico Avito. Tua humanitas impulit me, ut dicerem ſaltem pauca de ipſo. Sed non tantùm donabo tuæ humanitati, ut concedam mihi jam ferè defatigato, nunc tandem incipere loqui *de eximiis dotibus ejus in oratione omninò vergente ad finem: ſed potiùs reſervabo eas recentibus viribus, & liberiori otio. Nam nunc oportet ut deflectam ſermonem à laudatione tanti viri ad hos ſceleratos, quod mihi graviſſimum eſt. An igitur audes te conferre cum Avito? An tu eum accuſabis Magiæ, veneficii, & ſceleris, quem ille dicit eſſe virum probum, cujus Avitus laudat adeò prolixè diſceptationem, in ſuis epiſtolis? Tú-ne deberes*

NOTÆ.

1. *Neque Gracchus impetum.*] Auctor Dialogi de Oratore: *Malim C. Gracchi impetum, aut L. Craſſi maturitatem.*

2. *Nec Cæſar calorem.*] Quintil. vocat *Cæſaris excitationem.* Plin. *vigorem igneum.* Sueton. *ardentem motum geſtumque.*

3. *Nec Hortenſius diſtributionem.*] Cicero, pro Quinctio: *faciam quod te ſæpè animadverti facere, Hortenſi, totam cauſæ meæ dictionem certas in partes dividam.*

4. *Nec Calvus argutias.*] Senec. lib. 7. controv. cap. 4. non *argutias* ei, ſed *impetum* tribuit, quem hîc Apuleius Graccho. *Calvus* (inquit) *qui diu cum Cicerone iniquiſſimam litem de principatu eloquentiæ habuit, uſque eò violentus accuſator, & concitatus fuit, ut in mediâ actione ejus ſurgeret Vatinius reus, & exclamaret: Rogo vos, Judices, nunc ſi iſte diſertus eſt, ideò me damnari oportet?*

5. *Nec parſimoniam Salluſtius.*] *Cohibile dicendi genus* Gellius vocat.

6. *Nec opulentiam Cicero.*] Sidonius: *Varicoſi Arpinatis opulentiam.* Auſon. *opulentiam Tullianam.*

7. *Omnia.*] Omnes ejus dotes.

8. *Ad peſtes iſtas.*] Æmilianum & Rufinum.

bere? An invaſiſſe me domum Pudentillæ, & compilare bona ejus, tu magis dolere debes, quàm doluiſſet Pontianus, qui mihi ob paucorum dierum, veſtro ſcilicet inſtinctu., ortas ſimultates, etiam abſenti apud Avitum ſatisfecit? qui mihi apud tantum virum gratias egit? Puta me [1] acta apud Avitum, non litteras ipſius legiſſe. Quid poſſes, vel quiſquis in iſto negotio accuſare? Pontianus ipſe, quod à matre donatum acceperat, meo muneri acceptum ferebat: Pontianus me vitricum ſibi contigiſſe intimis affectionibus lætabatur. Quòd utinam incolumis Carthagine revertiſſet! vel, quoniam [2] ſic ei fuerat Fato decretum, utinam tu, Rufine, ſupremum ejus judicium non impedîſſes! quas mihi [3] aut coràm, [4] aut denique in teſtamento gratias egiſſet? Litteras tamen, quas ad me Carthagine, vel jam adveniens ex itinere præmiſit, quas adhuc validus, quas jam æger, plenas honoris, plenas amoris, quæſo, Maxime, pauliſper recitari ſinas; ut ſciat frater ejus, accuſator meus, [5] quàm in omnibus diverſum curriculum cum fratre optimæ memoriæ viro currat. PONTIANI LITTERÆ. Audiſti-ne vocabula, quæ mihi Pontianus frater tuus tribuerat, me *parentem* ſuum, me *dominum*, me *magiſtrum*, cùm ſæpè aliàs, tùm

INTERPRETATIO.

gravius ferre, quòd irrupiſſem in domum Pudentillæ, & diriperem ejus opes, quàm Pontianus tuliſſet, qui ſatisfecit mihi etiam abſenti apud Avitum, propter odia brevis temporis nata inter nos, veſtro nempè impulſu? qui mihi rependit grates apud tantum virum? Finge me recitâſſe ea, quæ geſta ſunt coràm Avito, non autem epiſtolam ejus. Quid tu, aut quilibet alius poſſes reprehendere in hac re? Ipſe Pontianus dicebat ſe habere ex meo dono, quod acceperat datum à ſuâ *matre: Pontianus gaudebat affectibus intimis, quòd me nactus eſſet vitricum, atque utinam rediiſſet Carthaginem ſalvus! aut quia hoc modo ſtatutum erat de ipſo à Fato, utinam tu non obſtitiſſes ultimæ voluntati ejus, ô Rufine! quas grates mihi rependiſſet, vel præſens, vel tandem in* ſuo *teſtamento! Attamen, Maxime, oro* te, *ut permittas tantiſper legi epiſtolas repletas laudibus, repletas amicitiæ* teſtimoniis, *quas miſit ad me Carthagine, aut ex viâ, cùm jam veniret, quas* ſcripſit ad me, *dum adhuc* rectè *valeret, quas* ſcripſit *dum jam ægrotaret; ut ejus frater criminator meus cognoſcat, quàm inſiſtat diverſam viam in omnibus* rebus *à fratre* ſuo *viro optimæ memoriæ.* PONTIANI LITTERÆ. *An audiſti nomina, quæ tuus frater Pontianus mihi dederat, me appellans ſuum patrem,* ſuum *dominum,* ſuum *præceptorem, & aliis ſæpè tem-*

NOTÆ.

1. *Acta apud Avitum.*] A Pontiano errorem ſuum fatente, & veniam rogante.

2. *Sic ei fuerat Fato decretum.*] Ut moreretur, redeundo Carthagine.

3. *Aut coràm.*] Si rediiſſet incolumis.

4. *Aut denique in teſtamento.*] Si ſupremum ejus judicium Rufinus non impediſſet.

5. *Quàm in omnibus diverſum curriculum*, &c.] Sic rectè Caſaubonus. Erat ſenſu aut nullo, aut certè inepto, atque huic loco minimè appoſito, *quàm in omnibus Minervæ curriculum, &c.*

in extremo

in extremo tempore vitæ vocans? Poſſem tuas quoque pares epiſtolas promere: ſi vel exiguam moram tanti putarem. potiùs teſtamentum illud recens tui fratris, quanquam imperfectum, tamen proferri cuperem, in quo mei officioſiſſimè & honeſtiſſimè meminit. Quod tamen teſtamentum Rufinus neque [1] comparere, neque perfici paſſus eſt, pudore perditæ hæreditatis: quàm paucorum menſium, quibus ſocer Pontiani fuit, magno quidem pretio noctium computârat. Præterea neſcio quos Chaldæos conſuluerat, quo lucro filiam collocaret. Qui, ut audio, utinam illud non verè reſpondiſſent, primum ejus maritum in paucis menſibus moriturum. Cætera enim de hæreditate, ut aſſolent, ad conſulentis votum [2] confinxerunt. Verùm, ut Dii voluere, quaſi cæca beſtia [3] incaſsùm hiavit. Pontianus enim filiam Rufini, [4] malè compertam, non modò hæredem non reliquit, ſed ne honeſto quidem legato impertivit: [5] quippe qui ei ad ignominiam lintea ad-

INTERPRETATIO.

poribus, & maximè in ultimo termino ſuæ vitæ? Poſſem etiam proferre litteras tuas ſimiles, ſi crederem vel brevem moram iis impendendam. Optarem potiùs ut exhiberetur illud poſtremum teſtamentum tui fratris, quamvis imperfectum, in quo facit honeſtiſſimam & officioſiſſimam mentionem mei.

Quod teſtamentum nihilominùs, Rufinus non permiſit in lucem proferri, neque abſolvi, ob pudorem amiſſæ hæreditatis: quam æſtimaverat pretio ingenti quidem noctium aliquot menſium, per quos fuit ſocer Pontiani. Præterea percontatus erat neſcio quos Mathematicos, ut filiam nuptui daret cum quæſtu. Qui, quemadmodum accipio, reſponderunt primò virum ejus obiturum intra paucos menſes (quod utinam non fuiſſet verum.) Nam commenti ſunt reliqua de hæreditate, juxta deſiderium interrogantis, ut eſt conſuetudo eorum. Sed Deorum voluntate, fruſtrà aperuit os, veluti bellua cæca. Nam Pontianus, cùm cognoviſſet filiam Rufini malè ſe gerere, *non ſolùm non ſcripſit eam* ſibi *hæredem, verùm ne donavit quidem eam honeſto legato: utpote qui præcepit ut ei aſſignarentur linteamina du-*

NOTÆ.

1. *Comparere.*] Sic Colvius & Pricæus, ex *comperari*, quod priùs erat. Gentilis *comparari.*

2. *Confinxerunt.*] Nimirùm eam bonorum omnium mariti hæredem fore, idque cum teſtamento cauturum: quò Rufini vota omnia tendebant.

3. *Incaſsùm hiavit.*] Degluciendæ ſui generi hæreditati.

4. *Malè compertam.*] Meliùs ſcribas *mali compertam* Sic Tacit. Annal. libb. 1. & 4. *flagitii compertum* dixit, Juſtinus, lib. 11. cap. 1. *ſtupri compertam*, Noſter Metamorphoſ. 10 *noxæ compertum.*

5. *Quippe qui ei ad ignominiam lintea adſcribi, &c.*] Pricæus latêre hîc putat aliquid reconditius, Pontianum nempè lintea legâſſe ſuæ uxori, quam mali comperiſſet, ad pallium lineum ſibi faciendum, quo genere amiculi impudicæ matronæ tegebantur. idque refert unius Iſidori non magni momenti quidem auctoritate nixus, qui Originum lib 19. cap. 25. ſic habet: *Amiculum eſt meretricium pallium lineum: his apud veteres matronæ in adulterio deprehenſæ induebantur.* Ideóque ad ignominiam ait legata illa lintea. At quidquid de illâ veterum conſuetudine ſit, nihil ad hunc locum pertinere puto. Fruſtrà tam remotè quæ-

ſcribi ducentorum ferè denariorum juſſerit : ut intelligeretur iratus potiùs [1] extraneâſſe eam, [2] quàm oblitus præteriſſe. Scripſit autem hæredes tam hoc teſtamento, quàm priore, quod lectum eſt, matrem cum fratre. cui, ut vides, admodùm puero eamdem [3] illam filiæ ſuæ machinam Rufinus admovet, ac mulierem alioqui multò natu majorem, nuperrimè uxorem fratris, miſero puero objicit & obſternit. At ille puellæ meretriciis blandimentis, & lenoniis patris illectamentis captus, & poſſeſſus, exinde ut frater ejus animam edidit, relictâ matre, ad patruum commigravit, quò faciliùs remotis nobis, cœpta perficerentur. [4] Favet enim Rufino Æmilianus, & proventum cupit? [5] Ehem! rectè vos admonetis. etiam ſuam ſpem bonus patruus

INTERPRETATIO.

centorum circiter denariorum ad contumeliam : ut cognoſceretur ipſum potiùs removiſſe eam ex indignatione, quam omiſiſſe ex oblivione. In hoc verò teſtamento, & in præcedenti quod recitatum eſt, reliquit hæredes matrem ſuam, *& fratrem, cui valdè juveni, quemadmodum cernis, Rufinus demùm admolitur illam machinam ſuæ natæ, & exponit, atque obtrudit infortunato adoleſcenti fœminam cæteroqui longè grandiorem ætate, quæque modò erat conjux* ejus *fratris. Ille verò irretitus & correptus illecebris impudicis filiæ, & obſcœnis adulationibus patris, ſtatim ex quo ejus frater mortuus eſt, deſeruit matrem* ſuam, *& tranſiit ad* ſuum *patruum, ut faciliùs incepta abſolverentur procul à nobis. Quia nempè Æmilianus amat Rufinum, & optat ipſi profectum? Ehem! vos benè monetis. probus* ille *patruus*

NOTÆ.

ritur ratio, cur legatum hoc ignominioſum ſit, ſubjungit eam Apuleius. Non quòd lintea legâſſet, ignominiæ futurum erat, ſed quòd tam vilis pretii legato, uxoris meminiſſet, quo fiebat ut eam potiùs ex odio exhæredâſſe videretur (quod ignominioſum) quàm ex oblivione præteriſſe.

1. *Extraneâſſe.*] Exhæredâſſe velut extraneam & nihil ad ſe pertinentem. Hæc lectio eſt Florent. codicis. Alii habent minùs benè *externâſſe.*

2. *Quam oblitus præteriſſe.*] Atque eam ob cauſam ſi pater liberos, quos in poteſtate habebat, exhæredare vellet, non ſatis erat eorum nullam in teſtamento mentionem feciſſe, ſed in eo nominatim erant exhæredandi : ne viderentur oblivione præteriti, & teſtamentum inutile redderetur. Quin & filia, ſi qua eſſet, cùm ſufficeret eam inter cæteros exhæredâſſe, tamen legatum ei aliquod relinqui oportebat, ne per oblivionem præterita eſſe videretur, inquit Imperator *in Tit. Inſtit. de exhæredatione liberorum*, paragr. 1.

3. *Illam filiæ ſuæ machinam.*] Similem metaphoram legas apud Ciceronem, pro Cluentio. *Oppianicus ſperare cœpit, hoc ſe Avilio tanquam aliquâ machinâ admotâ capere Aſinii adoleſcentiam, & fortunas ejus patrias expugnare poſſe.*

4. *Favet enim Rufino Æmilianus, &c.*] An quia Æmilianus favet Rufino, & ipſi benè evenire cupit, ideò fratris filium Pudentem liberiùs patitur Rufini domum frequentare, atque ejus filiæ blanditiis ſeſe dare, ut ipſius amore captus eam uxorem ducat, ſuáque bona in Rufini transferat familiam?

5. *Ehem! rectè vos admonetis.*] Alloquitur auditores, quorum aliqui fortaſsè ſuggeſſerant Æmilianum eâ in re non tam conſulere Rufini commodis, quàm ſuis, cum Pudentis animo in omnibus obſequens, falsâ eum lenitate devincit, impeditque ne de teſta-

temperat in iſto, ac fovet: 1 qui ſciat inteſtati pueri legitimum magis, quàm juſtum hæredem futurum. Nollem herculè 2 hoc à me profectum. Non fuit meæ moderationis tacitas omnium ſupiciones 3 palàm abrumpere. malè vos, qui ſuggeſſiſtis. Planè quidem, ſi verum velis; multi mirantur, Æmiliane, tam repentinam circa puerum iſtum pietatem tuam, poſtquàm frater ejus Pontianus eſt mortuus: cùm anteà tam ignotus illi fueris, ut ſæpè ne in occurſu quidem filium fratris tui de facie agnoſceres. At nunc adeò patientem te ei præbes, itáque eum indulgentiâ corrumpis, adeò ei nullâ re adverſaris; ut per hæc ſuſpicionibus fidem facias. 4 Inveſtem à nobis accepiſti, 5 veſticipem illicò reddidiſti. Cùm à nobis regeretur, ad magiſtros ibat:

INTERPRETATIO.

moderatur, atque alit ſuam ſpem in illo: quippe qui noverit ſe fore hæredem neceſſarium potiùs, quàm juſtum, juvenis, ſi moriatur nullo facto teſtamento. Sanè nollem hoc prodiiſſe à me. Non fuit conveniens meæ moderationi patefacere evidenter ſecretas ſuſpiciones cunctorum. vos malè feciſtis, *qui hoc inſuſurrâſtis* mihi. *Certè quidem ſi vis* audire *verum, ô Æmiliane, plurimi admirantur tuam adeò ſubitam charitatem erga hunc adoleſcentem, poſt obitum Pontiani fratris ejus: cùm priùs fueris illi adeò incognitus, ut ſæpè ne cognoſceres quidem ex vultu filium* tui *fratris, cùm* tibi *fieret obvius. Sed nunc exhibes te illi tam tolerantem, adeoque depravas eum* tuâ *facilitate. ſic nullâ in re ei obſiſtis; ut confirmes ſuſpiciones hoc pacto. Accepiſti eum impuberem à nobis, reddidiſti ſtatim puberem. Quandiu nos moderabamur illius, frequentabat magiſtros: ſed fu-*

NOTÆ.

mento ſcribendo cogitet, ſed ſua bona, quæ in alios transferre teſtamento poſſet, Æmiliano ipſi, qui proximus ſibi hæres eſt, relinquat, ſi inteſtatus mortem obeat.

1. *Qui ſciat inteſtati pueri legitimum magis, quàm juſtum hæredem futurum.*] *Hæres legitimus* eſt, qui inteſtati hæres eſt proximitatis ſolùm jure, ex lege XII. tabul. *Juſtus* verò, cui ex teſtamento & voluntate defuncti hæreditas obvenit. Hoc probare videntur hæc Quintiliani Declamat. 308. *Proximum à teſtamentis locum habent propinqui, at ita, ſi inteſtatus quis, ac ſine liberis deceſſerit; non quoniam utique juſtum ſit ad hos pervenire bona defunctorum, ſed quoniam relicta, & velut in medio poſita, nulli propiùs videntur contingere.* Attamen legitima hæreditas an non juſta eſt? immò, ut patet ex lege 3. ff. *pro ſocio*, paragr. 2. ad quam Cujacius locum hunc Apuleii aliter explicat. *Separavit tamen* (inquit) *juſtum hæredem à legitimo Apuleius ſecundâ Apologiâ, & argutè: dum ſcilicet eo ſenſu accipit juſtum, quo dignum, atque merentem, quo ſenſu rectè dicam multos eſſe legitimos hæredes defunctorum ab inteſtato, ſed quia immerentes ſunt, non eſſe juſtos.* Unde minùs placet prior diſtinctio legitimi hæredis à juſto.

2. *Hoc.*] Quod ab auditoribus ſuggeſtum eſt.

3. *Palàm abrumpere.*] *Rumpere*, hoc eſt, *proferre cum impetu.*

4. *Inveſtem à nobis accepiſti.*] Feſtus: *Inveſtis, qui necdum pubertate veſtitus eſt. Veſticeps* contra, qui jam *veſtem*, hoc eſt, *pubertatem* cepit.

5. *Veſticipem illicò reddidiſti*] Quo (malum) id pacto? proculdubio uſu τ ἀφροδισίων, quem ipſi permittebat. eo certè accelerari pubertatem tradunt Phyſici.

at ab iis nunc [1] magnâ fugelâ in ganeum fugit; amicos ſerios aſpernatur; [2] cum adoleſcentulis poſtremiſſimis inter ſcorta & pocula puer hoc ævi convivium agitat. Ipſe domi tuæ rector, ipſe familiæ dominus, [3] ipſe magiſter in convivio. [4] in ludo quoque gladiatorio frequens viſitur, nomina gladiatorum & pugnas & vulnera, planè quidem [5] ut puer honeſtus ab ipſo laniſtâ docetur. loquitur nunquam niſi Punicè, [6] & ſi quid adhuc à matre Græciſſat. [7] Latinè enim neque vult, neque poteſt. Audiſti, Maxime, paulò antè, proh nefas! privignum meum, fratrem Pontiani, diſerti juvenis, vix ſingulas ſyl-

INTERPRETATIO.

git nunc ingenti fugâ ab illis in cauponam; contemnit amicos graves; ipſe adoleſcens tantulæ ætatis verſatur in comeſſatione cum viliſſimis juvenibus, inter meretrices & calices. Ipſe eſt moderator tuæ domûs, ipſe eſt dominus tuæ *familiæ, ipſe eſt rex convivii. videtur etiam ſæpè in ludo gladiatorio, diſcit ab ipſo laniſtâ prorsùs tanquam nobilis adoleſcens, nomina gladiatorum, & certamina, & plagas. Nunquam loquitur niſi Punicè, ac ſi aliquid meminit Græci ſermonis,* quod didicit *à matre. Nam nec vult loqui Latinè, nec poteſt. O Maxime, audiviſti paulò priùs, meum privignum, fratrem Pontiani, facundi juvenis, proh facinus! ægrè balbutientem ſingulas ſyllabas, cùm*

NOTÆ.

1. *Magnâ fugelâ.*] *Fugâ.* nomen eſt ejuſdem formæ, cujus *tutela, cautela,* &c.

2. *Cum adoleſcentulis poſtremiſſimis.*] Gracchus apud Gellium lib. 15 cap. 12. *omnium nationum poſtremiſſimos.* Noſter in De Deo Socratis: *nullum animal in terris homine poſtremius.*

3. *Ipſe magiſter in convivio.*] Varro de linguâ Latinâ lib. 4. *in publico convivio etiam nunc antiquitatis retinendæ causâ, cùm* Magiſtri *fiunt, potio circumfertur. Rex* etiam dicebatur convivii, aut menſæ, item *pater cœnæ*, & *bibendi arbiter*, atque ejus imperium *Regnum vini.* Horatius. Carminum lib. 1. Ode 4.

Nec regna vini ſortiere talis.

4. *In ludo quoque gladiatorio frequens viſitur.*] Indecorum, nobilibuſque pueris indignum apud antiquos habitum eſt, non ſolùm hiſtrioniæ & ſaltatoriæ arti operam dare (ut patet ex his Scip. Africani Æmiliani verbis à Macrob. relatis lib. 2. Saturn. cap. 10. *Docentur præſtigias inhoneſtas, cum cinædulis & ſambucâ, pſalterioque eunt in ludum hiſtrionum. Diſcunt cantare, quæ majores noſtri probro ducier voluerunt, &c.*) ſed etiam gladiatoriæ arti, utpote quæ latronum & facinoroſorum propria eſſet. unde tot, apud Juvenalem & alios increpationes juvenum, qui inſanâ libidine ducti gladiatoribus ſe dabant diſcipulos, gaudebantque gladiatorio ornatu in circo pugnare.

5. *Ut puer honeſtus ab ipſo laniſtâ docetur.*] Huc ſpectant *laniſtarum dictata* apud Sueton. & ille Juvenalis verſus Sat. 11.

Scripturus leges, & regia verba laniſtæ.

Quod autem ait, *ut puer honeſtus ab ipſo laniſtâ docetur:* εἰρωνικῶς dictum eſt: quaſi, ut in tonſtrinâ nobiliores tantùm *à tonſore magiſtro* pectebantur, quemadmodum loquitur Juvenalis Sat. 6, cæteri ab ejus tyronibus, ita & nobiliores tantùm pueri a magiſtro gladiatore docerentur.

6. *Et ſi quid adhuc à matre Græciſſat.*] Hinc patet Pudentillam è Græciâ oriundam fuiſſe, ſed nupſiſſe in Africâ.

7. *Latinè enim neque vult, neque poteſt.*] Quod ſummo dedecori civi Romano, maximè honeſtiori, in provinciis erat: præſertim cùm Rhetoricam, & litteras Latinas publici Profeſſores docerent.

labas [1] fringultientem, cùm ab eo quæreres, donâſſet-ne illis mater quæ ego dicebam me adnitente donata. Teſtor igitur te, Claudi Maxime, vóſque, qui in conſilio eſtis, vóſque etiam, qui tribunal mecum adſiſtitis, hæc damna & dedecora morum ejus patruo huic, [2] & candidato illi ſocero adſignanda: méque poſthac boni conſulturum, quód talis privignus curæ meæ jugum cervice excuſſerit: neque poſteà pro eo matri ejus ſupplicaturum. Nam, quod pœniſſimè oblitus ſum, nupertimè cùm teſtamentum Pudentilla poſt mortem Pontiani filii ſui, in malâ valetudine ſcripſerit: diù ſum adverſus illam reniſus, ne hunc ob tot inſignes contumelias, ob tot injurias exhæredaret. [3] Elogium graviſſimum, jam totum medius fidius perſcriptum, ut aboleret, impenſis precibus oravi. Poſtremò, ni impetrarem, diverſurum me ab eâ comminatus ſum. mihi hanc veniam tribueret: malum filium beneficio vinceret; [4] me invidiâ omni liberaret. Nec priùs deſtiti, quàm ita fecit. Doleo me [5] huncce ſcrupulum Æmilia-

INTERPRETATIO.

interrogaretur, num mater ejus donaviſſet illis ea, *quæ ego aiebam ipſis donata fuiſſe meo impulſu. Appello ego te teſtem, Claudi Maxime, & vos, qui ſedetis in conſilio, vos quoque, qui adſtatis mecum* ante *tribunal, has depravationes & probra ejus vitæ attribuenda eſſe huic patruo, & illi ſocero futuro: & me parùm curaturum deinceps quòd privignus hujuſmodi decuſſerit ex collo ſuo jugum meæ tutelæ, nec* me *deprecaturum ejus matrem pro ipſo deinceps. Etenim, quod ferè prætermiſi. his noviſſimis diebus cùm Pudentilla fecerit teſtamentum per adverſam valetudinem, poſt obitum filii ſui Pontiani: diù reluctatus ſum contra eam, ne hunc privaret hæreditate propter tot graves contumelias, propter tot injurias* ab eo acceptas. *Rogavi eam ſummis precibus, ut deleret acerbiſſimam* de ipſo *teſtificationem, quæ profectò jam tota ſcripta erat. Denique minatus ſum me divortium facturum ab eâ, niſi* id *obtinerem.* rogavi, *ut concederet mihi hanc veniam: ſuperaret pravum filium benefacto; exolveret me ab omni odio. Neque ceſſavi, donec ſic fecit. Doleo, quòd liberaverim Æmilianum hac ſol-*

NOTÆ.

1. *Fringultientem.*] Quaſi interpoſitis ſingultibus balbutientem. Vox eſt huic auctori peculiaris. eâ etiam utitur alibi. Florid. 3. *Merulæ in remotis teſquis fringultiunt.* Videtur verbum hoc fictum à *fringillâ* ſeu *frigillâ* ave, de quâ Avienus:

Si matutino fringilla reſultat ab ore,

ita ut *fringultire* ſit volucris illius cantum imitari.

2. *Et candidato illi ſocero.*] Rufino, qui, filiam ſuam Pudenti obtrudendo, ſocer ejus fieri ambiebat.

3. *Elogium graviſſimum.*] Quo rationem reddebat exhæredationis. *Elogium* enim teſtimonium eſt, ſive bonum, ſive malum. Utriuſque exempla libet afferre. boni. apud Senecam: *deceſſit negotiator. teſtamento omnium bonorum ſuorum reliquit formoſam uxor in hæredem, & adjecit elogium: quia pudicam comperi.* mali. Quintilianus: *exhæredati filii elogium: quòd meretricem amârit.*

4. *Me invidiâ omni liberaret.*] Quâ flagrare potuiſſet Apuleius apud populares ſuos, quaſi inofficioſi illius teſtamenti, & exhæredationis privigni ſuaſor, atque auctor.

5. *Huncce ſcrupulum.*] Opinionem, quam de exhæredatione Pudentis præconceperat.

no demſiſſe: tam inopinatam ſemitam indicâſſe. Specta, quæſo, Maxime, ut, hiſce auditis, ſubitò obſtupuerit, ut oculos ad terram demiſerit. longè enim ſeciùs ratus fuerat, nec immeritò: mulierem filii contumeliis infeſtam, meis officiis devinctam ſciebat. De me quoque fuit quod timeret. Quis enim, vel æquè ut ego ſpernens hæreditatis, tamen vindicari de tam inofficioſo privigno recuſâſſet? Hæc præcipuè ſollicitudo eos ad accuſationem mei ſtimulavit. hæreditatem omnem mihi relictam falsò [1] ex ſuâ avaritiâ conjectavêre. Solvo vos in præteritum iſto metu. Namque animum meum neque hæreditatis, neque ultionis occaſio potuit loco dimovere. Pugnavi cum iratâ matre, pro privigno malo vitricus, velut pater pro optimo filio adversùs novercam. nec ſatis fuit, ni bonæ uxoris prolixam liberalitatem circa me nimio plus æquo coërcerem. Cedò tu teſtamentum, jam inimico filio, à matre factum: me, quem iſti prædonem dicunt, verba ſingula cum precibus præeunte. Rumpi tabulas iſtas, jube, Maxime, invenies filium hæredem: mihi verò tenue neſcio quid honoris gratiâ legatum; ne, ſi quid eam humanitùs attigiſſet, [2] nomen maritus in uxoris tabulis non haberem. Cape iſtud matris tuæ teſtamentum, [3] verè

INTERPRETATIO.

licitudine, & monſtraverim ei tramitem tam inſperatum. Aſpice, oro te, Maxime, quomodo attonitus fuerit repentè, poſtquàm audivit hæc, quomodo defixerit oculos humi. Nam crediderat multò aliter rem ſe habere, *atque* id *jure. noverat Pudentillam iratam eſſe, ob injurias* ſui *filii, obſtrictam autem meis obſequiis. Habuit quoque, cur metueret* ſibi *à me. Nam quis ſpreviſſet ulciſci privignum adeò adverſum, etiamſi tam* fuiſſet *contemptor hæreditatis, quàm ego* ſum? *Hæc anxietas præſertim inſtigavit illos ad me inſimulandum. Falsò conjecerunt, juxtà ſuam avaritiam, totam hæreditatem mihi permiſſam eſſe. Libero vos illo timore pro* tempore *præterito. Nam opportunitas, & hæreditatis, & vindictæ, non potuit depellere meam mentem ex ſuâ ſede. Ego, licèt vitricus, contendi pro malo privigno, adverſus matrem* ei *infenſam, quaſi pater pro optimo filio contra novercam: nec contentus fui, niſi cohiberem longè magis, quàm par erat, effuſam in me largitatem optimæ conjugis. Da tu teſtamentum ſcriptum à matre, cùm filius jam eſſet ei inviſus: me, quem hi vocant latronem, præmittente ſingula verba* adjectis *precibus. Impera, Maxime, ut diſſolvantur hæ tabulæ. Reperies filium* ſcriptum eſſe *hæredem: at neſcio quid exiguum mihi relictum eſſe ad honorem; ne, ſi contigiſſet illam mori,* ego ejus *conjux prætermitterer in teſtamento uxoris. Sume hoc teſtamentum tuæ parentis, illud quidem*

NOTÆ.

1. *Ex ſuâ avaritiâ.*] Quâ, ſi in Apuleii loco fuiſſent, hæreditatem illam Pudentillæ avidiſſimè ad ſe traxiſſent, ſibi relictam maximè gaviſi eſſent.

2. *Nomen maritus in uxoris tabulis non haberem.*] Magno dedecori habitum amicorum ſupremis judiciis præteriri, quod & probro vertit Antonio Cicero, *ut nec nomen ejus in tabulis ullius reperiri poſſet.*

3. *Verè hoc quidem inofficioſum.*] Argutè magis, quàm verè. alia enim inofficioſi teſtamenti acceptio apud Juriſconſultos eſt, nempè, quod non ex officio pietatis factum ſit.

hoc quidem inofficioſum. Quid ni? in quo [1] obſequentiſſimum maritum exhæredavit, inimiciſſimum filium ſcripſit hæredem: immò enimverò non filium, ſed Æmiliani ſpes, & Rufini nuptias; [2] ſed temulentum illud collegium paraſitos tuos. Accipe, inquam, filiorum optime, &, poſitis pauliſper epiſtolis amatoriis matris, lege potiùs teſtamentum. [3] ſi quid quaſi inſana ſcripſit, hîc reperies, & quidem mox à principio: SICINIUS PUDENS FILIUS MEUS MIHI HÆRES ESTO. Fateor: qui hoc legerit, inſanam putabit. Hiccine filius hæres, qui te in ipſo fratris ſui funere advocatâ perditiſſimorum juvenum manu voluit excludere è domo, quam ipſa donaveras? [4] qui te ſibi à fratre cohæredem relictam, graviter & acerbè tulit? qui confeſtim te cum tuo luctu & mœrore deſeruit, & ad Rufinum & Æmilianum de ſinu tuo aufugit? [5] qui tibi plurimas poſteà contumelias dixit coràm, & adjuvante patruo, fecit? qui nomen tuum pro tibunalibus ventilavit?

INTERPRETATIO.

reverà inofficioſum. Quod *quare non* eſſet? *ſiquidem in eo privavit hæreditate conjugem maximè morigerum, inſtituit* verò *hæredem filium infenſiſſimum, aut potiùs non filium, ſed ſpes Æmiliani, & matrimonium Rufini; ſed ebrioſum illud ſodalitium aſſeclas tuæ menſæ. Cape, inquam, probiſſime filiorum* omnium, *ac depoſitis tantiſper litteris amatoriis tuæ matris, lege potiùs* ejus *teſtamentum. Si ſcripſit aliquid veluti demens, invenies* illud *in eo, & certè ſtatim ab initio:* FILIUS MEUS SICINIUS PUDENS SIT MEUS HÆRES. *Ego* quidem *confiteor: quiſquis legerit hoc, exiſtimabit* eam eſſe *dementem. An hic filius* (inquiet) eſt tuus *hæres, qui, accitâ catervâ corruptiſſimorum adoleſcentum, voluit per ipſam pompam funebrem ſui fratris, te eliminare ex ædibus, quas tu ipſa ei dederas? qui ægrè & moleſtè paſſus eſt, quòd tu inſtituta eſſes ipſi cohæres à fratre* ejus? *qui ſtatim reliquit te cum tuo fletu & dolore, & avolavit ex tuo gremio, ad Rufinum, & Æmilianum? qui deinde tibi ipſi dixit permulta convicia, & fecit* multas *injurias auxilio patrui? qui jactavit nomen tuum ante tribunalia?*

NOTÆ.

1. *Obſequentiſſimum maritum.*] Inſcriptio vetus Caſaubono notata.

ANTONIA TORTONA MARITO
OBSEQUENTISSIMO.
B. M. F.

Et alia Pricæo:

ALBANA *SABINA* MARITO
OBSEQUENTISSIMO.

2. *Sed temulentum illud collegium.*] Horat. Sermonum lib. 1.

Ambubajarum collegia, &c.

3. *Si quid quaſi inſana ſcripſit.*] Reſpicit ad litteras Pudentillæ ſuprà allatas, quibus eam ſuam inſaniam, & Magicas Apuleii artes profeſſam eſſe accuſatores illi calumniati erant.

4. *Qui te.*] Per apoſtrophem Pudentillam alloquitur, abſentem tamen, neque enim judiciis mulieres intererant.

5. *Qui tibi plurimas poſteà contumelias dixit coràm, & adjuvante patruo fecit.*] Contumelia accipitur & pro dicto, & pro facto injurioſo. Et *contumeliam facere* non apud hunc tantùm auctorem, ſed & apud laudatiſſimos ſcriptores reperitur, Plautum, Terentium, Senecam, Quintilianum, &c. Ergo nimis ſuperbum Ciceronis faſtidium, qui hanc in Antonio locutionem reprehendit, ac vellicat, Philippic. 3. *porrò* (inquit) *quid eſt contumeliam facere? quis ſic loquitur?*

qui pudorem tuum tuiſmet litteris conatus eſt publicè dedecorare? qui maritum tuum, quem elegeras, quem, ut ipſe objiciebat, efflictim amabas, capitis accuſavit? Aperi, quæſo, bone puer, aperi teſtamentum: [1] faciliùs inſaniam matris ſic probabis. Quid abnuis? quid recuſas, poſtquàm ſollicitudinem de hæreditate maternâ repuliſti? At ego haſce tabulas, Maxime, hîc ibidem pro pedibus tuis abjicio: teſtorque me deinceps incurioſiùs habiturum, quid Pudentilla teſtamento ſuo ſcribat. Ipſe jam, ut libet, matrem ſuam de cætero exoret. mihi, ut ultrà pro eo deprecer, locum non reliquit. [2] Ipſe jam, ut ſui potens, ac qui acerbiſſimas litteras matri dictet, iram ejus deliniat: [3] qui potuit perorare, [4] poterit exorare. Mihi jamdudùm ſatis eſt, ſi non modò crimina objecta pleniſſimè dilui, verùm etiam [5] radicem

INTERPRETATIO.

qui niſus eſt palàm labefactare famam *tuæ pudicitiæ tuis propriis epiſtolis? qui reum egit criminis capitalis conjugem tuum, quem exoptaveras, quem perditè diligebas, quemadmodum ipſe* tibi *exprobrabat? Reclude, oro te, egregie adoleſcens, reclude teſtamentum, hoc modo faciliùs monſtrabis dementiam tuæ matris. Quare renuis? Quare non vis, poſtquàm amota eſt* tibi *anxietas de hæreditate matris? Ego verò, Maxime, projicio has tabulas hoc ipſo in loco ante tuos pedes, & profiteor me minùs curaturum in poſterum, quid Pudentilla ſtatuat ſuo teſtamento. Ipſe jam deinceps reget matrem ſuam ut voluerit. Nullum reliquit locum ſupplicandi ampliùs pro ipſo. Ipſe utpote jam ſui juris, & qui dictet epiſtolas duriſſimas ſuæ matri, demulceat iram ejus:* ille, *qui potuit habere orationem, poterit* etiam *impetrare* quod rogaverit. *Mihi abundè ſufficit, ſi non ſolùm penitùs refutavi ſcelera, quorum accuſabar, ſed*

NOTÆ.

1. *Faciliùs inſaniam matris ſic probabis.*] Cùm videlicet te poſt tot illatas matri injurias, hæredem ab eâ ſcriptum legis.

2. *Ipſe jam ut ſui potens, ac vir, acerbiſſimas litteras matri dictet.*] Caſaub. legit, *ut ſui potens, ac qui acerbiſſimas litteras, &c.* quam lectionem retinui, & expreſſi in interpretatione. At ne ſic quidem ſatis placet, quas enim litteras Pudentem matri dictâſſe legimus? niſi fortè dicamus eum, cùm peſſimis ſuis in Apuleium Magiæ criminationibus compulerit matrem ad ſcribendam illam epiſtolam, cujus ſuprà nonnulla relata vidimus, dictâſſe illam dici. ſed parum placet hæc explicatio, neque illa Pudentillæ epiſtola acerbi quidquam in filios habuiſſe legitur, neque Pudens ipſe cauſa ejus extitit, ſed præſertim Pontianus. Aliquid corruptum ſuſpicor in voce *dictet.* Quid, ſi legatur *deleat,* reſtituaturque prior lectio, ut ſit: *ipſe jam ut ſui potens, ac vir, acerbiſſimas litteras matris deleat.* hoc eſt, *graviſſima elogia, ſi qua fortè mater ob inhoneſtam ejus vitam, teſtamento inſerere adverſus eum deinceps voluerit, ipſe ut jam ſui potens, ac vir, nec quidquam meæ opis indigus impetret ab ipsâ ut illa deleat, & animum illius ſibi ipſe placet, ac reconciliet.* Non tamen hoc, ut verum fatear, omni ex parte ſatisfacit. vix enim adducor, ut credam per litteras teſtamentum deſignari poſſe. Si quis melius quid habeat, pergratum faciet, ſi contulerit in medium.

3. *Qui potuit perorare.*] Cauſam adverſus me.

4. *Poterit exorare.*] Matrem, cùm irata ſibi fuerit.

5. *Radicem hujus judicii.*] Magis placeret ut Pricæus reponit: *radicem hu-*

hujus judicii, id eſt, hæreditatis quæſitæ invidiam, funditùs ſuſtuli. Illud etiam, ne quid omnium prætercam, priuſquàm peroro, falsò objectum revincam. Dixiſtis, me [1] magnâ pecuniâ mulieris pulcerrimum prædium meo nomine emiſſe. Dico [2] exiguum hærediolum ſexaginta millibus nummûm, id quoque non me, ſed Pudentillam ſuo nomine emiſſe: Pudentillæ nomen in tabulis eſſe: Pudentillæ nomine [3] pro eo agello tributum dependi. Præſens eſt Quæſtor publicus, cui depenſum eſt, Corvinus Celer, vir ornatus. [4] adeſt etiam tutor auctor mulieris, vir graviſſimus & ſanctiſſimus, omni cum honore mihi nominandus, Caſſius Longinus. Quære, Maxime, cujus emptionis auctor fuerit, quantulo pretio mulier locuples agellum ſuum præſtinârit. TESTIMONIUM CASSII LONGINI TUTORIS, [5] ET CORVINI CLEMENTIS, QUOD RECITATUM EST. . . . . . Eſt-ne ità ut dixi?

INTERPRETATIO.

etiam penitùs abſtuli ſtirpem hujus litis, hoc eſt, invidiam ambitæ hæreditatis. Et ut nihil omittam ex omnibus rebus, *antequàm finem faciam orandi, probabo etiam hoc mihi eſſe exprobratum falsò. Dixiſtis me comparaviſſe meo nomine amæniſſimum fundum ingenti pecuniâ Pudentillæ.* Ego verò *aio* illud fuiſſe *parvum prædiolum ſexagintæ millium nummorum, & non me, ſed Pudentillam illud comparâſſe ſuo nomine: nomen Pudentillæ eſſe in inſtrumento* emptionis: *vectigal ſolvi pro illo prædiolo nomine Pudentillæ. Ecce Corvinus Celer, vir ſpectabilis, præfectus ærarii publici, cui fuit perſolutum. ecce quoque Caſſius Longinus, quem debeo nominare cum omni reverentiâ, vir ſeveriſſimus, & integerrimus, tutor & auctor Pudentillæ. Interroga* cum, *ô Maxime, cujus emptionis fuerit auctor, quàm parvo pretio fœmina dives emerit ſuum prædiolum.* TESTIMONIUM CASSII LONGINI TUTORIS, ET CORVINI CLEMENTIS: QUOD RECITATUM EST. . . . *An* res *ſe habeat ut dixi?*

NOTÆ.

jus mendacii. Vulgata tamen ſcriptura ferri poteſt: ſi judicium pro lite ſumas, & exponas quomodo in interpretatione expoſui.

1. *Magna pecuniâ mulieris.*] Rectè ſic emendavit è veteri codice Schoppius. prius erat *Magia de pecunia mulieris*, nullo planè ſenſu.

2. *Exiguum hærediolum.*] Feſtus, *hæredium: prædium parvulum.* Onomaſt. vetus *hærediolum*, Κτημάτιον.

3. *Pro eo agello tributum dependi.*] Tributum ejuſmodi vocat Sidonius Apollinaris *debitum glebæ canonem.* perſolvebatur Quæſtori publico, id eſt, Populi Romani, aut Principis, non autem municipali. tributa enim illa agrorum Principis fiſco inferebantur.

4. *Adeſt etiam tutor auctor mulieris.*] Ex moribus Græciæ, ex quâ oriunda erat Pudentilla, ipſa, etiamſi Apuleii jam uxor, alium tutorem habuit. Cicero pro L. Flacco. *emptiones falſas cum mulierculis feciſti, tutor his, moribus Græcorum, adſcribendus fuit.* At tutores illi mulierum, præſertim viduarum, *conſultores* potiùs erant, & ϖρ̀ᾳ-ςα), quàm *tutores.* Jure Romano nuptæ in tutelâ maritorum erant, ex utique, quæ in manum eorum conveniſſent. alias enim tutelâ ſolutas fuiſſe declarant Cicero in Topicis, & Boëtius. Nonniſi tutorum illorum auctoritate mulieres vendere, emere, dicere diem, lites ſequi, &c. poterant.

5. *Et Corvini Clementis.*] Hic eſt Quæſtor publicus Corvinus Celer, de quo ſuprà. Repone ergo hîc *Corvini Celeris*, pro *Corvini Clementis*, aut puta *Clemens* tertium ejus fuiſſe nomen, ut appellaretur *Corvinus Celer Clemens.*

uſpiàm in hac emptione nomen meum adſcriptum eſt ? num ipſum hæredioli pretium invidioſum eſt ? num vel hoc ſaltem in me collatum ? Quid etiam eſt, Æmiliane, quod non te judice refutaverim ? quod pretium Magiæ meæ reperiſti ? Cur ego Pudentillæ animum veneficiis flecterem ? quod ex eâ commodum caperem ? [1] uti dotem mihi modicam potiùs, quàm amplam diceret ? O præclara carmina ! An ut eam dotem filiis ſuis magis [2] reſtipularetur, quàm penes me ſineret? Quid addi ad hanc Magiam poteſt ? An uti rem familiarem ſuam meo adhortatu pleramque filiis condonâſſet, quæ nihil illis ante me maritum fuerat largita, [3] mihi quidquam impartiret ? O grave veneficium dicam, an ingratum beneficium ! An ut teſtamento, quod irato filio ſcribebat, filium potiùs, cui offenſa erat, quàm me, cui devincta, hæredem relinqueret ? Hoc quidem [4] multis carminibus difficilè impetravi. Putate vos cauſam non apud Claudium Maximum agere, virum æquum, & Juſtitiæ pertinacem, ſed alium aliquem pravum,

INTERPRETATIO.

An meum nomen appoſitum eſt in aliquo loco hujus emptionis ? an ipſum pretium agelli dignum eſt invidiâ ? an illud ſaltem, qualecumque eſt, *attributum eſt mihi ? Quid eſt quoque, ô Æmiliane, quod non refellerim etiam tuo judicio ? quam inveniſti mercedem* meæ *Magiæ ? Quare ego demulcerem incantamentis animum Pudentillæ ? quam utilitatem perciperem ex ipſâ ? An ut conſtitueret mihi parvam dotem, potiùs quàm largam ?* O *egregia incantamenta ! Num ut reſervaret potiùs illam dotem ſuis filiis, quàm relinqueret apud me ? Quid poteſt adjici huic Magiæ ! Num ut donaret liberis ſuis maximam partem ſuorum bonorum, meâ perſuaſione*, ipſa, *quæ nihil eis dederat priuſquàm fuiſſem* ejus *conjux : mihi* verò *nihil prorſùs largiretur ?* O *maleficium atrox, aut potiùs beneficium malè remuneratum ! Num ut inſtitueret hæredem filium, cui erat infenſa, potiùs quàm me, cui erat obſtricta*, idque *teſtamento, quod faciebat ſuccenſens adversùs* ſuum *filium ? Equidem ægrè obtinui hoc plurimis incantamentis. Fingite vos non dicere cauſam coràm Claudio Maximo, viro juſto, & ſervantiſſimo æquitatis. Verùm ſupponite aliquem alium judicem improbum,*

NOTÆ.

1. *Uti dotem, &c. diceret.*] Dotem dicere propriè pater dicitur, & mulier aut debitor ejus, & obligantur dictione. cæteri nonniſi promiſſione. ut docet Ulpianus Titul. VI. De dotibus, paragraph. 1. & 2. Eſt autem hæc ſolemnis formula dotis dicendæ. *Tot.... doti tibi erunt.*

2. *Reſtipularetur.*] *Reſtipulari* eſt contra ſtipulari ab eo, qui ipſe ſtipulatus anteà eſt. Apuleius dotem à Pudentillâ ſtipulatus erat, vel (quod idem eſt) dos ei dicta à Pudentillâ fuerat. Pudentilla è contrario, dotem, quam viro dixerat, ab eo ita eſt reſtipulata, ut, ſe mortuâ, ea dos non penes virum remaneret, ſed filiis ex priori matrimonio ſuſceptis reſtitueretur, pro quibus tanquam pro ſuis hæredibus ſtipulatam fuiſſe intelligendum eſt : aliàs nullam vim habuiſſet ſtipulatio, nec filiis alio nomine quàm hæredum data fuiſſet actio ad repetendam à vitrico dotem. Vide reſtipulationem Pudentillæ ſuprà. *Præter hæc, eâ conditione factam conjunctionem, ſi nullis, &c.*

3. *Mihi quidquam.*] Videtur legendum *nec mihi quidquam.*

4. *Multis carminibus*] Id eſt, precibus, quas ſe adhibuiſſe Pudentillæ uxori ſæpè dixit, ut ejus animum erga filium mitigaret.

& ſævum judicem ſubſtituite, accuſationum fautorem, cupidum condemnandi. date ei quod ſequatur. miniſtrate vel tantulam veriſimilem occaſionem ſecundum vos pronuntiandi. Saltem fingite aliquid, reminiſcimini quod reſponderetis, qui vos ita rogârit. Et, quoniam omnem conatum neceſſe eſt quæpiam cauſa præcedat; reſpondete, qui Apuleium dicitis animum Pudentillæ Magicis illectamentis adortum, quid ex eâ petierit? cur fecerit? Formam ejus voluerat? negatis. Divitias ſaltem concupierat? negant tabulæ dotis, negant tabulæ donationis, negant tabulæ teſtamenti. in quibus non modò non cupidè appetîſſe, verùm etiam durè repuliſſe liberalitatem ſuæ uxoris oſtenditur. Quæ igitur alia cauſa eſt? Quid obmutuiſtis? quid tacetis? Ubi illud libelli veſtri atrox principium nomine privigni mei formatum? *Hunc ego, Domine Maxime, reum apud te facere inſtitui.* Quin igitur addis reum magiſtrum, reum vitricum, reum deprecatorem? Sed quid deinde? *plurimorum maleficiorum & manifeſtiſſimorum.* Cedò unum de plurimis: cedò dubium, vel ſaltem obſcurum de manifeſtiſſimis. [1] Cæterùm ad hæc [2] quæ objeciſtis innumera, binis verbis reſpondeam. *Dentes ſplendidas:* ignoſce mundiciis. *Specula inſpicis:* debet Philoſophus. *Verſus facis:* licet fieri. *Piſces exploras:* Ariſtoteles docet. *Lignum conſecras:* Plato ſuadet. *Uxorem ducis:* leges jubent. *Prior natu eâ eſt:* ſolet fieri. *Lucrum ſe-*

INTERPRETATIO.

& crudelem, qui faveat delationibus, & ſit avidus damnandi. exhibete ei aliquid, cui inhæreat. ſuppeditate vel leviſſimam anſam probabilem ferendæ ſententiæ *juxta veſtram intentionem. ſaltem comminiſcimini, excogitate aliquid, quod reponatis* ei, *qui ſic vos interrogaverit. Et quia oportet ut aliqua ratio antecedat quemcumque niſum, vos qui dicitis Apuleium aggreſſum eſſe animum Pudentillæ illecebris Magicis, dicite quidnam poſtulaverit ab eâ? quare* id *fecerit? An cupiebat ejus pulchritudinem? id negatis. Expetiverat-ne certè opes? inſtrumentum dotis, inſtrumentum donationis, inſtrumentum teſtamenti, id negant; in quo* poſtremò *probatur non tantùm non exoptâſſe avidè largitionem ſuæ conjugis, ſed etiam rejeciſſe eam aſperè. Quænam ergo eſt alia ratio? Quare facti eſtis muti? quare ſiletis? Ubi-nam eſt illud truculentum initium veſtri libelli ſcriptum nomine mei privigni?* Ego decrevi, ô Domine Maxime, hunc accuſare coràm te. *Quare ergo non adjicis accuſare præceptorem* meum, *accuſare vitricum, accuſare deprecatorem? At quid poſteà?* permultorum & evidendentiſſimorum veneficiorum. *Profer unum ex illis multis, profer unum dubium aut certè obſcurum ex illis evidentiſſimis. Porrò poſſum reſpondere duobus verbis ad illa infinita, quæ mihi exprobrâſtis.* Expolis dentes: *parce mundiciis.* Intueris ſpecula: *Philoſophum decet,* Componis carmina: *fas eſt componere.* Scrutaris piſces: *Ariſtoteles id docet.* Deos facis è ligno: *Plato auctor eſt.* Ducis uxorem: *leges id præcipiunt.*

NOTÆ.

1. *Cæterùm hæc, quæ objeciſtis.*] Brevis recapitulatio, quam in peroratione faciendam præcipiunt Rhetoricæ leges.

2. *Quæ objeciſtis innumera binis verbis, &c.*] Florent. membranæ *numera an binis, &c.*

ctatus es dotis: [1] dotale accipe, donationem recordare, teſtamentum lege. Quæ ſi omnia affatim retudi, ſi calumnias omnes refutavi: ſi in omnibus non modò criminibus, verùm etiam maledictis procul à culpâ philoſophiam tuitus ſum, [2] ſi philoſophiæ honorem, qui mihi ſalute meâ antiquior eſt, nuſquam minui, imò contrà, ubique [3] ſi conſeptum penitùs eum tenui: ſi hæc, ut dico, ita ſunt: poſſum ſecuriùs [4] tuam exiſtimationem revereri, quàm poteſtatem vereri: quod minus grave & verendum mihi arbitror à proconſulibus damnari, quàm ſi à tam bono tamque emendato viro improber. *Dixi.*

INTERPRETATIO.

Illa eſt major ætate: id *vulgò fit.* Aucupatus es quæſtum dotis: *cape* inſtrumentum *dotis, reminiſcere donationis* tibi factæ, *lege teſtamentum. Quæ univerſa ſi abundè repuli, ſi refelli cunctas falſas accuſationes: ſi defendi philoſophiam longè à noxâ in cunctis eorum non ſolùm accuſationibus, verùm etiam conviti is, ſi nullatenùs imminui gloriam philoſophiæ, quæ mihi charior eſt meâ vitâ, ſi contrà conſervavi eam omnibus in locis optimè vallatam: ſi hæc ſe habent quemadmodum dico: poſſum jam tutiùs vereri tuam* de me *opinionem, quàm timere* tuam *potentiam: quoniam exiſtimo mihi minus acerbum ac* minùs *timendum fore, ſi condemner à Proconſulibus, quàm ſi vituperer à viro adeò probo, adeoque inculpato.* Dixi.

NOTÆ.

1. *Dotale accipe.*] Subaudi *inſtrumentum.* Græci Juriſconſulti προικῷον συμβολαῖον, & συμβόλαια γάμικα vocant.

2. *Si philoſophiæ honorem, &c.*] Jam ab initio hujus orationis profeſſus eſt Apuleius ſibi conſtitutum & ſe & philoſophiam ab hominum calumniis vindicare.

3. *Si conſeptum penitùs eum tenui.*] Id eſt honorem philoſophiæ, ut rectè, ſpretis omnibus aliis commentatorum commentis, Pricæus legit & exponit. *Conſeptum* ſonat hîc *protectum & cuſtoditum ab omni parte inviolabile.* Corruptus erat hic locus, & legebatur nullo ſenſu *ſi cum ſeptem pœnis tenui.* Subtiliora ſunt quæ hîc excogitant Caſaubonus & Elmenhorſtius, quàm huic loco aptiora.

4. *Tuam exiſtimationem revereri, quam poteſtatem vereri.*] Acutè. Sic Florid. 1. *neminem Proconſulum, quod ſciam, provincia Africa magis reverita eſt, minùs verita.*

LUCII
APULEII
MADAURENSIS
PLATONICI PHILOSOPHI
OPERUM
TOMUS ALTER

PHILOSOPHICA EJUS OPERA
ET FLORIDA, RELIQUAQUE FRAGMENTA
CONTINENS,
CUM INDICE OMNIUM VOCUM.



PARISIIS,
Apud FEDERICUM LEONARD, Regis, Sereniſſimi Delphini, & Cleri Gallicani Typographum, viâ Jacobæâ ſub Scuto Veneto.

M. DC. LXXXVIII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

MONITUM.

QUANQUAM hæc L. Apuleii Opera in duo Volumina, mole id exigente, ſciſſa ſint; paginarum tamen numeri unâ ſerie continuati ſunt, ne duos pro uno Indices facere neceſſe eſſet. Itaque meminerit Lector, cùm vocem aliquam ex indice quærere volet, ſi paginæ numerus voci appoſitus minor ſit numero 565, vocem in primo Volumine eſſe quærendam. Si verò ſit ipſe numerus 565, aut alius eo major, quærat vocem in ſecundo Volumine.

LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI

* DE HABITUDINE DOCTRINARUM *Platonis Philoſophi.*

LIBER PRIMUS.

De Philoſophiâ Naturali.

1 PLATONI habitudo corporis cognomentum dedit. Namque

INTERPRETATIO.

HABITUS *corporis tribuit cognomen Platoni. Appellatus enim* fuit

NOTÆ.

* *DE habitudine doctrinarum Platonis Philoſophi.*] Titulum hunc his Apuleii Opuſculis aſſeruit Elmenhorſtius ex membranis Florentinis & Leidenſibus. Vulgò inſcribuntur *De Dogmate Platonis.*

1. *Platoni habitudo corporis, &c.*] Laërt. in ejus vitâ. Ἐγυμνάσατο δὲ παρὰ Ἀρίστωνι τῷ Ἀργείῳ παλαιστῇ. ἀφ' οὗ καὶ Πλάτων, διὰ τὴν εὐεξίαν μετωνομάσθη, πρότερον Ἀριστοκλῆς ἀπὸ τοῦ πάππου καλούμενος ὄνομα. *exercitatuſque eſt apud Ariſtonem Argium Palæſtritam, à quo & Plato propter egregium corporis habitum cognominatus eſt, cùm priùs Ariſtocles ex Avi nomine vocatus eſſet.* Πλάτων ergo à πλάτος *latitudo.*

Ariſtocles priùs eſt nominatus. [1] Ei Ariſton fuiſſe pater dictus eſt. Cæterùm [2] Perictione Glauci filia mater fuit. & de utroque nobilitas ſatis clara. Nam Ariſton pater, per Codrum, ab ipſo Neptuno originem duxit: ab Solone ſapientiſſimo, qui legum Atticarum fundator fuit, maternus derivatus eſt ſanguis. [3] Sunt qui Platonem auguſtiore conceptu proſatum dicunt, cùm quædam Apollinis figuratio Perictionæ ſe miſcuiſſet. [4] Menſe etiam, qui apud Atticos [5] Thargelion dicitur, natus eſt: die, quâ [6] apud Delon Latona fertur Apollinem Dianamque peperiſſe. [7] Pridie Socratem genitum accepimus.

INTERPRETATIO.

ante Ariſtocles. Proditum eſt patrem fuiſſe ipſi Ariſtonem. Porro Perictione filia Glauci fuit mater ejuſ. *& nobilitas* ejus *fuit valdè inclyta ex parte amborum. Pater enim Ariſton traxit genus ab ipſo Neptuno per Codrum: origo materna deducta eſt à Solone prudentiſſimo, qui fuit inſtitutor legum Atticarum. Aliqui memorant Platonem* fuiſſe *genitum conceptione venerabiliori, cùm quoddam ſimulacrum Apollinis rem habuiſſet cum Perictione. Natus etiam eſt menſe qui appellatur Thargelion apud Athenienſes:* eodem *die quo Latona dicitur enixa eſſe Apollinem & Dianam in Delo* inſulâ. *Didicimus Socratem natum fuiſſe die præcedenti.*

NOTÆ.

1. *Ei Ariſton fuiſſe pater dictus eſt, &c.*] Vide Laërtium in ejus vitâ, quem ſecutus hîc eſt Apuleius in omnibus ferè quæ de Platone refert.

2. *Perictione.*] Quæ & Potone etiam Laërtio dicitur.

3. *Sunt qui Platonem auguſtiore conceptu, &c.*] Speuſippus nempè, Clearchus, & Anaxilides, qui, ut refert Laërtius, affirmant Athenis famam eſſe, Ariſtonem Perictionæ, cùm eſſet ſpecioſiſſima, vim inferre conatum eſſe: verùm ſuiſſe illius conatus irritos, vidiſſeque in ſomnis Apollinem, atque ex illo mundam à jugali copulâ, quoad pareret, uxorem ſervâſſe, quæ Platonem peperit.

4. *Menſe etiam, qui apud Atticos, &c.*] Idem habet Laërt. quem vide.

5. *Thargelion.*] Menſis hic Aprili noſtro fermè reſpondet, Apollini ſacer, cujus bonam partem conviviis & compotationibus inſumere ſolebant. quin & Platonis ſectatores ejus natalem quot annis eo menſe celebrabant, ut patet ex Porphyrio, in vitâ Plotini, ubi dicit ſe carmen recitâſſe ἐν Πλατωνίοις, hoc eſt, *feſtis Platonis.*

6. *Apud Delon.*] Inſula eſt una ex Cycladibus.

7. *Pridie Socratem genitum accepimus.*] Barthius reponit *pari die*, malè. Gloſſema hoc eſſe videtur Scaligero, perperàm. VVovverus, quem ſequitur Elmenhorſt. ad hunc locum, ſic habet: *At Diogenes Laërtius Socratem eodem die natum tradit, quo Latona Apollinem peperit. Manifeſta diſſenſio: quam non video quomodo componas, niſi ſeribas* pridie genitum accepimus. *Plato natus pridie ejus diei, quo Latona Apollinem Dianamque peperit. Delenda enim vox* Socratem, *quæ ex ſequentibus irrepſit.* Sed fallitur VVovverus. Reverà enim Socratem pridie natum illius diei, quo natus eſt Plato, Laërtius refert. hunc nempè ſeptimâ, illum ſextâ die Thargelionis. VVovverum decepit, quod idem Laërtius habet, Dianam natam eſſe, quo die Socrates natus eſt, & Apollinem, quo die Plato. Videtur enim Laërtius contra vulgarem opinionem innuere, Dianam & Apollinem non eodem die natos, ſed Dianam ſexto, Apollinem verò ſeptimo Thargelionis. quod & rectæ rationi non adverſatur. ſæpè enim fit ut gemellorum alter uno die, alter ſe-

[1] Somnium etiam Socratis ſcitum ferunt. Nam vidiſſe ſibi viſus eſt cygni pullum ex altari, quod in Academiâ Cupidini conſecratum eſt, volâſſe, & in ejus gremio reſediſſe: & poſteà olorem illum pennis cælum petiſſe, canore muſico auditus hominum Deorumque mulcentem. Cùm hoc Socrates in conventu hominum referret, Ariſto Platonem puerum oblaturus Socrati magiſtro, commodùm proſequebatur. Quem ubi aſpexit ille, ingeniumque intimum de exteriore conſpicatus eſt facie: Hic ille erat amici, inquit, de Academiâ Cupidinis cygnus. Talis igitur, ac de talibus Plato, non ſolùm heroum virtutibus præſtitit, verùm etiam æquiparavit Divûm poteſtates. [2] Nam Speuſippus, domeſticis inſtructus documentis, & pueri ejus acre in percipiendo ingenium, & admirandæ verecundiæ indolem laudat: & pubeſcentis primitias labore atque amore ſtudendi imbutas refert: & in viro harum incrementa virtutum & cæterarum conveniſſe teſtatur. [3] Ex iiſdem genitoribus [4] Glauco & Adimantus fratres ei fuerunt. Doctores habuit in primâ litteraturâ Dionyſium: at in palæſtrâ Ariſtonem Argis oriundum, tantoſque progreſſus exercitatio

INTERPRETATIO.

Memoratur etiam egregium ſomnium Socratis. Viſus enim ſibi eſt conſpexiſſe pullum oloris evolaſſe ex arâ, quæ in Academiâ eſt ſacra Cupidini, & conſediſſe in ſuo ſinu: ac deinde illum Cygnum tetendiſſe alis in cælum, delectantem aures hominum & Deorum cantu ſuavi. Socrate hoc narrante in cœtu hominum, ecce Ariſto deducebat Platonem puerum ad offerendum eum magiſtro Socrati. Quem ſimul ac ipſe vidit, ac cognovit ex ſpecie exteriori ingenium intus reconditum; O amici, ait, hic ipſe erat olor profectus *ex Academiâ Cupidinis. Ergo Plato* cum eſſet *ejuſmodi, &* creatus *ex ejuſmodi parentibus, non modò ſuperavit virtutes heroum, ſed etiam æquavit potentias deorum. Speuſippus enim, qui didicerat hoc in* ſuâ *familia, celebrat ingenium ejus pueri promptum in diſcendo, & mores admirabilis pudoris: & narrat prima tempora ejus adoleſcentiæ fuiſſe imbuta labore & cupiditate diſcendi: & affirmat augmenta harum virtutum & reliquarum in ipſum competiſſe cùm vir eſſet. Fratres habuit Glauconem & Adimantum ex iiſdem parentibus. Fuerunt ei magiſtri in primis elementis litterarum Dionyſius: in palæſtrâ vero Ariſto Argivus, & adeo* in eâ *profecit*

NOTÆ.

quenti, aut etiam tardiùs naſcatur. Porrò, ſi cuipiam dubium ſit quod affero, adeat Laërtii loca, alterum de Socrate in vitâ ejus, & alterum de Platone in ejus vitâ. Noſter à Laërtio in eo tantùm differt, quòd Apollinem & Dianam, communem opinionem ſecutus, eodem die natos putet, ſeptimo nempè Thargelionis, quo die Plato natus eſt: cùm Laërtius Dianam pridie natam, eodem ſcilicet die, quo Socrates natus eſt, exiſtimet.

1. *Somnium etiam Socratis.*] Vide Laërtium, in vitâ Platonis, pag. 189. edit. Henrici Stephani.

2. *Nam Speuſippus domeſticis inſtructus documentis.*] Utpote qui Platonis eſſet ex ſorore filius. genitus enim fuit Eurymedonte, & Potone Platonis ſorore, ut Laërtius refert.

3. *Ex iiſdem genitoribus.*] Ariſtone, & Perictione.

4. *Glauco & Adimantus fratres.*] Et ſoror *Potone* mater Speuſippi.

ei contulit, ut [1] Pythia [2] & Iſthmia [3] deluctata certaverit. Picturæ non aſpernatus artem. Tragœdis & dithyrambis ſe utilem finxit. Jamque carminum confidentiâ elatus, [4] certatorem ſe profiteri cupiebat, niſi Socrates humilitatem cupidinis ex ejus mentibus expuliſſet: & veræ laudis gloriam in ejus animum inſerere curâſſet. [5] Et anteà quidem Heracliti ſectâ fuerat imbutus. Verùm cùm ſe Socrati dediſſet, non ſolùm ingenio atque doctrinâ cæteros Socraticos vicit: [6] ſed etiam labore & elegantiâ illuſtravit. Sapientiam ab eo ſibi traditam labore quoque aſſerere niſus eſt: & eleganti perque venuſtâ majeſtate verbo-

Interpretatio.

*exercitio, ut contenderit luctâ in lu*dis *Pythicis & Iſthmicis. Non neglexit artem pingendi. Formavit ſe idoneum* ſcribendis *Tragœdiis & Dithyrambis. Et jam inflatus fiduciâ* ſuorum *verſuum, volebat profiteri nomen inter contendentes* de illis, *ni Socrates ejeciſſet ex ejus animo vilem illam cupiditatem: & induxiſſet in ejus mentem decus vera gloriæ. Ac fuerat quidem priùs inſtructus placitis Heracliti. Sed poſtquam ſe applicuit Socrati, non tantum ſuperavit reliquos Socraticos acumine, & ſcientiâ, verum etiam ornavit labore & elegantiâ Philoſophiam quam ab ipſo acceperat. Labore* quidem *quo viſus eſt eam confirmare; elegantia* vero *per quam adjecit ei maximum*

Notæ.

1. *Pythia.*] Hi ludi in Apollinis honorem poſt devictum ſerpentem Pythona inſtituti, ut habet Ovid. lib. 1. Metamorphoſ, peragebantur quinto quoque anno juxta Delphos, ut habet Strabo, lib. 9.

2. *Et Iſthmia.*] Ludi à Theſeo inſtituti in Neptuni honorem, aut, ut quidam volunt, Palæmonis. celebrabantur in Iſthmi Corinthiaci faucibus, unde Iſthmici dicti.

3. *Deluctata certaverit.*] Schickeradus habet *deluctaverit.* Sareſberienſi *luctando certamina vicerit.*

4. *Certatorem ſe fieri cupiebat, niſi Socrates, &c.*] Colvius ex Sareſber. *actorem* magis probat, quàm *certatorem*, quaſi voluerit Plato actoris perſonam in theatro ſuſtinere. at retinenda vulgata lectio. Laërtius. ἔπειτα μέντοι μέλλων ἀγωνιεῖσθαι τραγῳδίᾳ πρὸ τοῦ Διονυσιακοῦ θεάτρου, Σωκράτους ἀκούσας κατέφλεξε τὰ ποιήματα. &c. *Demum, cùm tragicum certamen eſſet initurus ante Dionyſiacum Theatrum, audito Socrate, igni poëmata exuſſit.*

5. *Et anteà quidem Heracliti ſectâ fuerat imbutus.*] Laërtius non antè quàm Socratem audiret, ſed poſt ejus exceſſum, ſectâ Heracliti fuiſſe imbutum Platonem refert, iiſque magiſtro Cratylo Heracliti diſcipulo Fragmentum manuſcriptum biblioth. Thuanæ a Domino Queſnel ejus tum bibliothecario mihi communicatum, in quo libri hujus pars continetur, & totus liber de Deo Socratis cum ultimo Floridorum fragmento, quod incipit: *Qui me voluiſtis dicere ex tempore, &c.* hîc habet *Heraclidis*, pro *Heracliti*: malè: Platone enim recentior eſt Heraclides.

6. *Sed etiam labore, & elegantiâ illuſtravit. Sapientiam.* &c.] Sic legitur apud Joann. Sarſberienſem hic locus: *ſed etiam labore atque elegantiâ ſapientiam illuſtravit, eique rectâ aſſertione ſenſuum, & majeſtate verborum plurimùm adhibuit dignitatis.* ſenſu nitidiore. At reſtituo ex fide Thuanarum membranarum: *ſed etiam labore atque elegantiâ illuſtravit ſapientiam ab eo ſibi traditam. labore, quo aſſerere eam viſus eſt:* (poſſet retineri *niſus eſt*) *elegantiâ, per quam venuſtate, & majeſtate verborum plurimum ei adhibuit dignitatis.* quam lectionem expreſſi in interpretatione.

rum plurimum

rum plurimum ei adhibuit dignitatis. Sed poſteaquàm Socrates homines reliquit, quæſivit unde proficeret, & ad Pythagoræ diſciplinam ſe contulit. Quam etſi ratione diligenti & magnificâ inſtructam videbat, [1] rerum tamen continentiam & caſtitatem magis cupiebat imitari. Et, [2] quod Pythagoreorum ingenium adjutum aliis diſciplinis ſentiebat, [3] ad Theodorum Cyrenas, ut Geometriam diſceret, eſt profectus: & Aſtrologiam aduſque Ægyptum ivit petitum, ut indeProphetarum etiam ritus addiſceret. Et ad Italiam iterùm venit, & Pythagoreos, [4] Eurytum Tarentinum, & ſeniorem Architam ſectatus. [5] Atque ad Indos & Magos intendiſſet animum, niſi eum bella tunc vetuiſſent Aſiatica. Quapropter inventa Parmenidis [6] ac Zenonis ſtudioſiùs executus, ita omnibus, quæ admirationi ſunt ſingula, ſuos libros explevit, ut primus tripartitam Philoſophiam co-

INTERPRETATIO.

decus lepore & dignitate verborum ſuorum. *At poſtquam Socrates ſublatus eſt è vivis, inveſtigavit unde progreſſus faceret, & tranſivit ad ſectam Pythagoricam. Quam licet animadverteret præditam eſſe accuratâ & ſplendidâ doctrinâ, nihilominus magis optabat amulari* eorum *abſtinentiam à rebus, & caſtitatem. Et, quia animadvertebat ingenium Pythagoreorum ſubſidium habere ex aliis ſcientiis, ivit ad Theodorum Cyrenas, ut doceretur* ab eo *Geometriam: & ivit uſque in Ægyptum comparatum Aſtrologiam, atque etiam ut ibi doceretur cærimonias vaticinatorum. Ac rurſus Italiam petiit, & audivit Eurytum Tarentinum & Architam ſeniorem Pythagoreos. Et adjeciſſet mentem ad* petendos *Indos & Magos, ni bella Aſiæ tunc prohibuiſſent. Quare cum evolviſſet diligentius reperta Parmenidis & Zenonis, ſic referſit libros ſuos omnibus,* quorum *unumquodque eſt admirabile, ut ipſe Princeps conjunxerit Philoſophiam, quæ diviſa erat in tres*

NOTÆ.

1. *Rerum tamen continentiam.*] Notum Pythagoreos ab animalium eſu abſtinuiſſe.

2. *Quod Pythagoreorum ingenium adjutum aliis diſciplinis.*] Non ut Cynicorum, qui poſthabitis naturali & rationali philoſophiâ, uni morali, eique duriſſimæ atque impudentiſſimæ ſtudebant: neque ut Epicureorum, qui naturalem quidem Philoſophiam & moralem colebant, at reſpuebant Mathematicas diſciplinas, & Logicam.

3. *Ad Theodorum Cyrenas, &c.*] Idem habet Laërt. qui tamen Platonem ad Pythagoricos in Italiam priùs iviſſe tradit, ac poſteà profectum in Ægyptum ad Prophetas ſacerdoteſque.

4. *Eurytum Tarentinum, & ſeniorem Architam.*] *Philolaum* atque *Eurythum* habet Laërtius.

5. *Atque ad Indos & Magos, &c. niſi eum bella tunc vetuiſſent Aſiatica.*] Diogenes Laërt. διέγνω δὴ ὁ Πλάτων ϗ τοῖς μάγοις συμμίξαι· διὰ δὲ τοὺς τῆς Ἀσίας πολέμους ἀπέστη. *decreverat Plato etiam congredi Magis, verùm propter Aſiæ bella propoſito deſtitit.* Bella hæc videntur fuiſſe Cyri Junioris adverſus Artaxerxem Mnemonem fratrem ſuum, à quo victus atque in acie cæſus eſt: aut Pharnabazi & Tiſſaphernis inter ſe, quos Aſiæ Artaxerxes Mnemon præpoſuerat, quibus bellis finem impoſuit Tiſſaphernes à Rege occiſus. Floruit enim Plato circa illa tempora.

6. *Ac Zenonis.*] Eleatis, non autem Cittiei hic enim poſt Platonis tempora floruit.

pulârit, ſibique invicem neceſſarias partes, neque pugnare inter ſe tantummodò, ſed etiam mutuis adjuvare auxiliis oſtenderit. Nam quamvis de diverſis officinis hæc ei eſſent Philoſophiæ membra ſuſcepta, [1] Naturalis ab Heracliteis, Intellectualis à Pythagoreis, Rationalis atque Moralis ex ipſo Socratis fonte; unum tamen ex omnibus, & quaſi proprii partûs corpus effecit. Et cùm principes harum familiarum impolitas ſententias, & [2] inchoatas auditoribus tradidiſſent, eas hic, cum ratione limando, tum etiam ad orationis auguſtæ honeſtiſſimam ſpeciem [3] induendo, perfectas atque etiam admirabiles fecit. [4] Multi auditorum ejus [5] utriuſque ſexûs in Philoſophiâ floruerunt. [6] Patrimonium in hortulo, qui Academiæ junctus fuit, & in duobus miniſtris, & in paterâ, quâ Diis ſupplicabat, reliquit. [7] Auri tantùm, quantùm puer nobilitatis inſigne in auriculâ geſtavit. Cæterùm tres

Interpretatio.

partes, & oſtenderit partes illas *ſibi mutuo neceſſarias eſſe, neque ſolum eas non adverſari ſibi invicem, verum etiam præſtare ſibi ſubſidia reciproca. Licet enim hæ partes Philoſophiæ eſſent ab eo deſumptæ ex variis ſcholis,* nimirùm *Naturalis ab Heracliteis, Intellectualis à Pythagoreis, Rationalis, & Moralis ex ipſa ſcaturigine Socratis; nihilominus conflavit unicum corpus ex omnibus,* quod fuit *veluti proprius ejus fœtus. Cumque authores harum ſectarum exhibuiſſent ſuis diſcipulis dogmata imperfecta, &* tantum *inchoata, hic reddidit ea perfecta & admiranda quoque, ea poliendo ratione, præcipue ornando ad decentiſſimam faciem ſermonis majeſtate pleni. Plurimi ex ejus diſcipulis utriuſque ſexûs clari fuerunt in Philoſophiâ. Patrimonium,* quod *reliquit,* fuit *exiguus hortus, qui conterminus erat Academiæ, & duo famuli, ac crater quo libabat Diis. Nec plus auri* reliquit, *quam quantum geſtavit in aure dum eſſet puer,* quod erat *nota* ejus *nobilitatis. Porro*

Notæ.

1. *Naturalis ab Heracliteis, intellectualis, &c.*] Idem habet Laert. in ejus vitâ. MS. Thuan. *Naturalis à Pythagoreis Dialectica Rationalis atque Moralis ex ipſo Socratis fonte.*

2. *Inchoatas.*] Colvius: *incomptas.*

3. *Induendo.*] MS. Thuan. *inducendo.*

4. *Multi auditorum ejus.*] Quorum nomina vide apud Laërtium.

5. *Utriuſque ſexûs.*] Inter Platonis auditores Laërtius mulieres duas recenſet Laſtheniam Mantineam; & Axiotheam Phliaſiam.

6. *Patrimonium in hortulo, &c. & in duobus miniſtris, & in paterâ reliquit. Auri, &c.*] Paulò plura tamen reliquiſſe probat ejus teſtamentum à Laërtio relatum, quo legat Adimanto filio ſuo fundum ἐν Ἡφαιστιάδων, & fundum ἐν Ἐροιάδων, (ſic enim legendum monuit Caſaubonus:) argenti minas tres, argenteam phialam drachmarum CLXV, cymbium drachmarum XLV, annulum aureum, & inaurem auream, ambo drachmas quatuor & tres obolos pendentia, præterea minas tres ſibi ab Euclide Lapicidâ debitas, ſervos quatuor, ſupellectilem & vaſa ſcripta, quorum haberet exemplar Demetrius.

7. *Auri tantum, quantum puer nobilitatis inſigne in auriculâ geſtavit.*] Ejuſmodi inaures eâ de causâ ἐλευθέρια Græcis dicebantur, quaſi dicas *ingenuitatis ſigna.* Cur autem *in auriculâ* dicat non *in auribus*, diſce ex Iſidoro, Orig. lib. 19. cap. 31. *Inaures ab aurium foraminibus nuncupatæ, quibus pretioſa genera lapidum dependuntur. Harum uſus in Græciâ, puellæ utrâque*

ejus ad Siciliam adventus mali quidam carpunt, diverſis opinionibus differentes. Sed ille primò hiſtoriæ gratiâ, ut naturam Ætnæ, & incendia concavi montis intelligeret: [1] ſecundò, petitu Dionyſii, ut Syracuſanis aſſiſteret, profectus eſt, & ut municipaleis leges ejus provinciæ addiſceret. [2] tertius ejus adventus fugientem Dionem, impetratâ à Dionyſio veniâ, patriæ ſuæ reddidit. Quæ autem [3] conſulta, quæ δόγματα Græcè licet dici, ad utilitatem hominum, [4] vivendique & intelligendi & loquendi rationem extulerit, hinc ordiemur. Nam [5] quoniam tres partes Philoſophiæ congruere inter ſe primus obtinuit, nos quoque ſeparatim dicemus de ſingulis, à Naturali Philoſophiâ facientes exordium. [6] Initia rerum eſſe tria arbitrabatur Plato: Deum, Materiam, rerumque Formas, quas ἰδέας idem vocat, inabſolutas,

INTERPRETATIO.

quidam maligni accuſant tres ejus itiones in Siciliam, loquentes ex variis conjecturis. Verum ille primò ivit propter hiſtoriam naturalem, *ut cognoſceret naturam Ætnæ, & inflammationes montis* illius *cavi*: *ſecundò* ivit *accerſitus à Dionyſio, ut opitularetur Syracuſanis, atque ut diſceret leges urbium illius provinciæ. tertio ſuo adventu reſtituit in patriam Dionem aufugientem exorato Dionyſio ut ei ignoſceret. Hic verò incipiemus referre* quænam *placita (ea poſſunt Græce vocari δόγματα) ediderit ad commodum hominum, & ad rationem vivendi & intelligendi atque enuntiandi. Quia enim* ipſe *primus affirmavit tres partes Philoſophiæ convenire inter ſe, nos etiam differemus de unaquaque ſeorſim, incipientes à Philoſophiâ Naturali. Plato cenſebat eſſe tria principia rerum, Deum, Materiam, & Formas rerum, quas ipſe appellat Ideas,*

NOTÆ.

aure, pueri tantùm dextrâ ferebant.

1. *Secundò, petitu Dionyſii, &c.*] Non petitu Dionyſii ſecundam profectionem ſuſcepiſſe Platonem ſcribit Laërt. ſed contrà ultrò Dionyſium Juniorem conveniſſe, poſtulâſſéque ab eo terram & homines, qui juxta conſtitutam à ſe rempublicam viverent; nec abfuiſſe ſuſpicionem cum magno ſui periculo Dioni & Theotæ perſuadere tentâſſe, ut liberarent inſulam.

2. *Tertius ejus adventus fugientem Dionem impetratâ à Dionyſio veniâ patriæ ſuæ reddidit.*] Id tamen cum obtinere nequiſſe refert Laërtius, & infecto negotio ad patriam rediiſſe.

3. *Conſulta, quæ δόγματα.*] *Conſulta* dicta ſunt decreta Senatûs, plebis verò *ſcita* at Philoſophorum *placita*, Græcis δόγματα, ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, *quòd ſic videantur.*

Vivendique, & intelligendi, & loquendi rationem.] Hoc eſt, placita tum Moralia, tum Phyſica, tum Logica, ſeu Dialectica.

5. *Quoniam tres partes Philoſophiæ congruere inter ſe primus obtinuit.*] Vide Laërt. in vitâ Platon. His tribus partibus acceſſit quarta ἡ μετὰ τὰ φυσικὰ, de quâ multa Ariſtoteles.

6. *Initia rerum eſſe tria arbitrabatur Plato, &c.*] Malè ergo Laërt. ait cum poſuiſſe duo omninò rerum principia, Deum & Materiam. Hunc Apuleii noſtri locum muniunt Chalcid. in Plat. Timæum pag. 408. *ſunt initia Deus & Sylva.* (ὕλη materia) *& Exemplum.* & Plutarchus *de Placitis Philoſophorum*, lib. 1. cap. 3. ubi ait has eſſe Socratis & Platonis de univerſo ſententias, *tria eſſe principia, Deum & Materiam & Ideam ſeu Exemplar*, quod noſter hîc Formam vocat. De Ideis vide Platonis Parmenidem MS. Thuan. hîc habet *arbitratur*, non *arbitrabatur.*

informes, nullâ ſpecie, nec qualitatis ſignificatione diſtinctas. [1] Sed hæc de Deo ſentit, quòd ſit incorporeus. Is unus, ait, ἀπερίμετρος rerumque genitor, [2] omnium extortor, beatus & beatificus, optimus, nihil indigens, ipſe conferens cuncta. Quem quidem cæleſtem pronunciat, indictum, innominabilem: & ut ait ipſe: [3] ἄῤῥητον, ἀκατονόμαστον: cujus naturam invenire difficile eſt: ſi inventa ſit, [3] in multos eam enunciari non poſſe. [4] Platonis hæc verba ſunt: θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον, εὑρόντα δὲ εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδύνατον. [5] Materiam verò improcreabilem, incorruptamque commemorat, non Ignem, neque Aquam, nec aliud de principiis & abſolutis elementis eſſe: ſed ex omnibus primam figurarum capacem, [6] factionique ſubjectam: adhuc rudem, & figurationis qualitate viduatam, Deus artifex conformat univerſam. Infinitam verò idcircò, quòd ei ſit interminata magnitudo. Nam quod infinitum eſt, indiſtinctum magnitudinis habet finem, atque ideò, cùm viduata ſit fine, [7] infinibilis rectè videri poteſt.

INTERPRETATIO.

imperfectas, nondum formatas, nullâ ſpecie à ſe invicem *diſtinctas, neque ullo charactere qualitatis. Verum hæc ſunt quæ opinatur de Deo, eum corpore carere. Ille ſolus (inquit)* immenſus *eſt, productor rerum, trahens* ad ſe *cuncta, felix & felices faciens, optimus, nullius rei egens, largiens ipſe omnia. Quem affirmat quidem eſſe cœleſtem, nulla dictione aut nomine deſignari poſſe: & eſſe, ut ipſe dicit,* indictum innominabilem: *cujus difficile eſt cognoſcere naturam:* eamque, *ſi ſit cognita, non poſſe efferri in plures. Hæc ſunt verba Platonis.* Deum & invenire difficile, & ab eo qui invenerit in multos efferri impoſſibile. *Ait verò Materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem,* & eam *non eſſe Ignem, neque Aquam, neque aliud ex Elementis,* ſeu *principiis perfectis: ſed eam* eſſe *primam omnium aptam figurari, & elaborari: Deus fabricator configurat totam adhuc informem, & carentem charactere configurationis. Ideo autem* ait eam *eſſe infinitam, quia habet extenſionem illimitatam. Quod enim eſt infinitum, habet limites extenſionis indeterminatos, idcircoque cùm careat termino, jure poteſt apparere indefinita.*

NOTÆ.

1. *Sed hæc de Deo ſentit.*] Pleraque hæc è Platonis Timæo deſumpta ſunt.

2. *Omnium extortor.*] Non violentus quidem, ſed ſuavis, qui *non neceſſitate, ſed cupiditate ad ſe rapiat*, ut ex Platonis convivio colligitur. ad quod vide Marſilii Ficini commentarium.

3. ἄῤῥητον ἀκατονόμαστον.] Id ſignificant hæc vocabula, quod ſuprà dixit *indictum innominabilem.*

4. *Platonis hæc verba ſunt* θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον, &c.] Immò hæc ex Timæo: τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *factorem igitur & patrem hujus univerſi, & invenire difficile, & eum, qui invenerit impoſſibile eſt efferre in omnes.*

5. *Materiam verò improcreabilem, &c.* Plato in eodem Timæo ait materiam *matrem & receptaculum omnium creaturarum aſpectabilium & ſenſibilium, neque terram, neque aërem, neque ignem, neque aquam, neque quæcumque ex his fiunt, neque ex quibus hæc; ſed ſpeciem quamdam inviſibilem, & informem, omnium receptricem.*

6. *Factionique ſubjectam.*] Stevvechius malebat *fictioni.*

7. *Infinibilis rectè videri poteſt.*] *Indefinitam* noſtro ævo dixit Carteſius materiam alio ſenſu, eo ſcilicet quòd nullos ejus fines animo deprehenderet: Plato hîc, quòd formas capere poſſet

[1] Sed neque corpoream, neque ſanè incorpoream eſſe concedit. Ideò autem non putat corpus, quòd omne corpus ſpecie qualicumque non careat. Sine corpore vero eſſe, non poteſt dicere: quia nihil incorporale corpus exhibeat: ſed vi & ratione ſibi eam videri corpoream. atque ideò [2] nec actu ſolo, neque tamen ſolâ opinione cogitationis intelligi. Namque corpora, propter inſignem evidentiam ſui, [3] ſimili judicio cognoſci. ſed quæ ſubſtantiam non habent corpoream, cogitationibus ea videri. unde [4] adulteratâ opinione, ambiguam materiæ hujus intelligi qualitatem. [5] ἰδέας verò, id eſt, Formas omnium, ſimplices & æternas eſſe, [6] nec corporales eſſe tamen ex iis, quæ Deus ſumpſerit, exempla rerum, quæ ſunt, erunt-ve: nec poſſe ampliùs quàm ſingularum ſpecierum ſingulas imagines in exemplaribus inveniri: [7] gignentiumque omnium, ad inſtar ceræ, formas & figurationes ex illâ exemplorum impreſſione ſignari. [8] Τὰς οὐσίας, quas Eſſen-

INTERPRETATIO.

At neque fatetur eam eſſe corpoream, neque certè incorpoream. Propterea vero non arbitratur eam eſſe corpus, quod corpus quodlibet habeat formam aliquam. nequit autem affirmare eam eſſe incorpoream. quoniam nihil incorporeum poteſt conſtituere corpus: verum ait eam *ſibi videri corpoream virtute & ratione. eamque idcirco neque percipi ſolâ naturâ ſuâ, neque etiam ſolâ exiſtimatione mentis. Corpora enim ob ſuam maniſeſtiſſimam evidentiam percipi cognitione ejuſdem modi. at illa quæ non ſunt naturâ corporeâ, percipi intellectione* ſolâ. atque *inde fieri* ut *natura hujus Materiæ dubia credatur, corruptâ exiſtimatione. Ideas autem, hoc eſt formas univerſarum rerum, eſſe ſimplices & æternas, neque tamen corporeas: quæ autem ex his Deus ceperit, eſſe exemplaria rerum quæ ſunt, aut erunt. & in illis exemplaribus non poſſe reperiri plus quàm unum ſimulacrum uniuſcujuſque ſpeciei: & formas ac figuras omnium quæ generantur, per modum ceræ, notari charactere illo Idearum. Dicit duas eſſe* ſubſtantias, *quas nos vo-*

NOTÆ.

infinitas.

1. *Sed neque corpoream, neque ſanè, &c.*] Chalcidius in Platonis Timæum: *Quibus ita decurſis ſequitur, ut an corpus ſylva ſit, conſideremus. Neque corpus, neque incorporeum, quiddam poſſe dici ſimpliciter puto; ſed tam corpus, quàm incorporeum poſſibilitate.*

2. *Nec actu ſolo.*] Hoc eſt, neque propriâ evidentiâ, (atque, ut ita dicam) ſenſibilitate, adeò ut ex eo quòd actu exiſtat illicò percipiatur ſenſibus.

3. *Simili judicio.*] Hoc eſt, *evidenti.*

4. *Adulteratâ opinione.*] Similiter Alcinous de Doctr. Platonis, cap. 8. materiam dixit νόθῳ λογισμῷ ληπτόν.

5. *ἰδέας verò.*] Vide Platon. in Parmenide, & Laërt. pag. 194. & ſeqq.

6. *Nec corporales, &c.*] Lege Juxta MS. Thuanum: *nec corporales tamen. Eſſe autem ex his, quæ Deus ſumpſerit, &c.* planiore multò ſenſu.

7. *Gignentiumque omnium.*] Obſerva *gignentium* paſſivè ſeu potiùs neutraliter ſumptum pro *naſcentium.*

8. Τὰς οὐσίας *quas eſſentias dicimus duas eſſe ait, &c. quarum una cogitatione, &c.* Laërt. in vitâ Platonis pag. 194. διὸ καὶ τῶν ὄντων τὰ μὲν, αἰσθητὰ εἶναι, τὰ δὲ νοητά. *quocircà, eorum, quæ ſunt, alia ſenſibus percipi, alia mente.* Vide totum locum. Hanc eſſentiarum diviſionem Plato ab Epicharmo tranſtulit, referente Alcimo Philoſopho apud eumdem Laërtium.

tias dicimus, duas eſſe ait: per quas cuncta gignantur, Munduſque ipſe. quarum una, cogitatione ſolâ concipitur: altera, ſenſibus ſubjici poteſt. [1] Sed illa, quæ mentis oculis comprehenditur, ſemper & eodem modo, & ſui par ac ſimilis invenitur, & quæ verè ſit. Atenim altera opinione ſenſibili & irrationabili æſtimanda eſt, quam naſci & interire ait. Et, ſicut ſuperior verè eſſe memoratur; [2] hanc non eſſe, verè poſſumus dicere. Et primæ quidem Subſtantiæ vel Eſſentiæ primùm Deum eſſe, [3] & Mentem Formaſque rerum, & Animam: ſecundæ Subſtantiæ, omnia, quæ [4] inde formantur, quæque gignuntur, & quæ ab Subſtantiæ ſuperioris exemplo originem ducunt. quæ mutari & converti poſſunt, labentia, & ad inſtar fluminum profuga. adhuc illa, quam dixi, intelligendi ſubſtantia, quoniam conſtanti nititur robore, etiam quæ de illâ diſputantur, ratione ſtabili & fide plena ſunt. At hujus, quæ veluti umbra & imago eſt ſuperioris, rationes quoque & verba, quæ de eâ diſputantur, inconſtantis ſunt diſciplinæ. Initium omnium corporum Materiam eſſe memoravit. [5] hanc

INTERPRETATIO.

eamus eſſentias: quarum ope omnia generentur, atque adeo ipſe Mundus. quarum altera percipitur tantùm mente: altera poteſt exponi ſenſibus. Verum illa quæ cognoſcitur lumine animi, ſemper reperitur & eadem, & ſibi æqualis ac ſimilis, ac vere exiſtens. Sed enim altera quam dicit oriri & emori, expendenda eſt exiſtimatione ſenſibili, & irrationali. Ac quemadmodum illa *prior dicitur verè exiſtere;* ita *poſſumus affirmare hanc* poſteriorem *non verè exiſtere. Ac primò quidem Deum eſſe primæ ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ, & Materiam, ac Ideas rerum, & Animam: univerſa* verò *quæ ex iis formantur & quæ generantur, & quæ ab archetypo ſuperioris ſubſtantiæ ortum trahunt, eſſe ſecundæ ſubſtantiæ. quæ* quidem *poſſunt immutari & converti, fluentia, & fugientia more fluviorum. iterum illa eſſentia intelligens de quâ locutus ſum, quia fulcitur virtute firmâ, illa quoque quæ dicuntur de ipſá, nituntur firmâ ratione, & digna ſunt quibus omnino credatur. Quantum ad hanc vero, quæ eſt quaſi umbra & effigies altioris, rationes quoque & voces quæ dicuntur de eâ, non habent ſtabilitatem doctrinæ. Affirmavit Materiam eſſe principium univerſorum corporum. eam quoque configurari appli-*

NOTÆ.

1. *Sed illa, quæ mentis oculis comprehenditur, ſemper & eodem modo, &c.*] Vide Laërt. pag. 192. edit. Henr. Stephani, in 8.

2. *Hanc non eſſe verè poſſumus dicere.*] Nimirùm non eſſe exiſtentiâ certâ & ſtabili, qualis eſt rerum, quas ſuperior illa eſſentia complectitur, ſed exiſtentiâ adeò incertâ, adeò fluxâ, adeò inſtabili, ut quæ huic ſecundæ eſſentiæ attribuuntur, ſcilicet ſenſibilia vix unquam exiſtere dici poſſint, ſed perpetuò vel naſcantur, vel intereant.

3. *Et mentem.*] Repone ex membranis Thuan. *& materiem*: ſic enim habent illæ: *matiem*. Ratio patet ex textu ipſo: fruſtrà enim mox repeteret *& animam* & enumerando principia rerum, malè omitteret Materiam.

4. *Inde formantur.*] MS Thuan. *informantur.*

5. *Hanc & ſignari impreſſione formarum.*] Suprà *gignentiumque omnium, ad inſtar ceræ, formas & figurationes ex illâ exemplorum impreſſione ſignari.*

& ſignari impreſſione Formatum. Hinc prima elementa eſſe progenita, Ignem, & Aquam, Terram, & Aëra. Quæ ſi elementa ſunt, ſimplicia eſſe debent, [1] neque ad inſtar ſyllabarum nexu mutuo copulari. Quod iſtis evenit, quarum ſubſtantia multimodâ poteſtatum coitione conficitur. Quæ cùm inordinata, permixtáque eſſent, ab illo ædificatore mundi Deo, ad ordinem numeris & menſuris in ambitum deducta ſunt. Hæc [2] è plurimis elementis ad unum redacta eſſe. [3] & Ignem quidem & Aëra, & Aquam habere originem atque principium [4] ex trigono, qui fit trianguli recti non paribus angulis. Terram verò directis quidem angulis, trigonis, & veſtigiis paribus eſſe. Et prioris quidem formæ tres ſpecies exiſtere, [5] pyramidem, [6] octangulam, & & [7] vigintiangulam. Sphæram & pyramidem figuram Ignis in ſe ha-

INTERPRETATIO.

cation Formarum. Inde orta eſſe prima elementa, Ignem, & Aquam, Terram & Aërem. Quæ ſi ſunt elementa, debent eſſe ſimplicia, neque conjungi copulatione reciprocâ per modum ſyllabarum. Quod accidit illis rebus, *quarum eſſentia conflatur multiplici concurſu qualitatum. Quæ cùm eſſent ſine ordine & confuſa, diſpoſita ſunt in ordinem ſecundum numerum & menſuram in circuitum, ab illo Deo conditore orbis. Ea ex multis elementis rediiſſe ad unum. ac Ignem quidem & Aërem, & Aquam ducere ortum & initium ex triquetro. quod efficitur quando anguli trigoni recti non ſunt æquales. Terram autem fieri ex triangulis quidem rectangulis & laterum æqualium, & naſci quidem tres ſpecies ex figurâ priore*, nempè *Pyramidem, octangulam* figuram, *& vigintiangulam. Globum & Pyramidem habere in*

NOTÆ.

1. *Neque ad inſtar ſyllabarum nexu mutuo copulari.*] Ex Platonis Timæo ſimilitudo hæc deſumpta

2. *E plurimis elementis.*] In vulgg. *& plurimis.* Unde Elmenhorſt. *è plurimis.* MS. Thuan. *à plurimis*, rectè.

3. *Et Ignem quidem, & Aëra, & Aquam habere principium ex trigono, qui fit trianguli recti non paribus angulis. Terram verò, &c.*] Videndus Laërt. in vitâ Platonis.

4. *Ex trigono, qui fit trianguli recti non paribus angulis.*] Hunc trigonum *ἰσόπλευρον* eſſe neceſſe eſt. ex ſolis enim *ἰσοπλεύροις*, hoc eſt, æquilateris trigonis, compingi poſſunt quæ poſteà memorat *ὀκτάεδροι*, & *εἰκοσάεδρον*. quod ergo ait, *qui fit trianguli recti paribus angulis*, ſic juxta Platonem ipſum explicandum eſt, ut trigonus ille *ἰσόπλευρος* intelligatur compoſitus ex ſex triangulis rectangulis inter ſe æqualibus, ductis nimirùm à ſingulis angulis in oppoſita latera lineis perpendicularibus. atque hi ſanè trianguli angulos habebunt ad baſim non pares, cùm horum alter alterius ſit duplus, minimum verò latus dimidium baſcos.

5. *Pyramidem.*] Illam nempè, quæ ex quatuor æquilateris triangulis conſtat, quamque *τετράεδρον* vulgò Geometræ vocant, eſtque primum ac ſimpliciſſimum ex quinque ſolidis regularibus.

6. *Octangulam.*] Errat Apuleius & Platonis *ὀκτάεδρον* malè interpretatur *formam octangulam*. Octaëdrum enim ſex tantùm habet angulos ſolidos ex quatuor quemque angulis planis conſtantes, cùm octo habeat ſuperficies triangulares æquilateras.

7. *Vigintiangulam.*] Non felicius *εἰκοσάεδρον* interpretatur *vigintiangulam*. Icoſaëdrum enim viginti habet ſuperficies triangulares æquilateras,

bere, octangulam verò Aëris, angulatam vicies ſphæram Aquæ dicatam eſſe: [1] æquipedum verò trigonum efficere ex ſeſe quadratum, quadratum verò [2] cubum, quæ terræ ſit propria. Quapropter [3] mobilem pyramidis formam Igni dedit, quòd ejus celeritas agitationi hujus videatur eſſe conſimilis. Secundæ velocitatis octangula ſphæra eſt. hanc Aëri detulit, qui levitate & pernicitate poſt ignem ſecundus eſſet. Vicenalis ſphæra eſt loco tertio. hujus forma fluida [4] & mobilis Aquæ ſimilior eſt viſa. Reſtat [5] teſſerarum figura, quæ cùm ſit immobilis,

INTERPRETATIO.

ſe figuram Ignis, octangulam autem, Aëris figuram vigintiangulorum deſtinatam eſſe Aquæ: triangulum autem rectangulum *Iſoſceles ex ſe gignere quadratum, quadratum autem* gignere *teſſeram, quæ figura Terræ maximè congruat. Quamobrem attribuit Igni figuram mobilem Pyramidis, quia ejus velocitas videtur referre ipſius agitationem. Globus octangulus ſecundam celeritatem obtinet. aſſignavit hanc* figuram *Aëri, quia eſt ab Igne ſecundus levitate & velocitate. Globus vigintiangulus habet tertium locum. figura ejus fluxa & volubilis, viſa eſt magis referre Aquam. Supereſt forma cuborum, quæ quoniam eſt immobilis,*

NOTÆ.

ſed duodecim tantùm angulos ſolidos, ex quinque planis angulis quemque conſtantes.

1. *Æquipedum verò trigonum.*] Triangulum rectangulum, cujus duo latera rectum angulum comprehendentia æqualia ſint. Quadratum porrò in quatuor ejuſmodi triangulos dividitur, ductis ambabus diagonalibus, quæ ſeſe mutuò ad rectos angulos in quadrati centro ſecent.

2. *Cubum, quæ terræ ſit propria.*] Supple *figura* vel *forma*. Plato in Timæo: Γῇ μὲν δὴ τὸ κυβικὸν εἶδος δῶμεν. Porrò præter quatuor ſuprà memorata ſolida regularia, eſt adhuc dodecaëdrum duodecim conſtans pentagonis & viginti ſolidis angulis, quâ figurâ uſum fuiſſe Deum ad univerſi conſtructionem ait Plato: cujus ſymbolicam hanc rationem affert Marſilius Ficinus ejus interpres, quòd ut in hoc ſolido duodecim ſunt pentagonæ ſuperficies, ita & duodecim ſunt in cœlo ſigna Zodiaci, quorum unumquodque in triginta gradus reſolvitur, ut & ſuperficies pentagona in triginta triangulos, iis ſimiles, de quibus ſuprà. Ductis enim à figuræ centro ad ſingulos angulos lineis, quinque efficiuntur trianguli, quorum unuſquiſque, ut jam dixi, in ſex alios triangulos oblongos ſubdividitur. Errat tamen Marſ. Ficinus, cùm ait quinque triangulos, in quos dividitur pentagonum, eſſe æquilateros. Hoc enim tantummodò verum eſt in hexagonis, quorum latus æquale eſt ſemidiametro circuli, cui inſcribuntur. Atque hæ quinque ſuprà memoratæ figuræ ſolidæ regulares eâ de causâ dictæ ſunt πλατωνικὰ σχήματα, quorum conſtructionis tradendæ causâ Euclidem (qui Platonicus erat) univerſam Geometricorum elementorum tractationem ſuſcepiſſe Proclus affirmat lib. 2. ὅθεν δὴ καὶ τῆς συμπάσης στοιχειώσεως τέλος προεστήσατο (Εὐκλείδης) τὴν τῶν καλουμένων πλατωνικῶν σχημάτων σύστασιν.

3. *Mobilem pyramidis formam Igni dedit.*] Plato ibidem, τὸ μὲν τῆς πυραμίδος στερεὸν γεγονὸς εἶδος, πυρὸς στοιχεῖον καὶ σπέρμα. Certè experientiâ conſtat nitri particulas, cujus tanta in corripiendo igne celeritas, & correpto vis eſt, pyramidalis eſſe figuræ.

4. *Et mobilis, Aquæ ſimilior.*] MS. Thuan. *& volubilis* meliùs de Aquâ, & figurâ illâ, quam ei tribuit. & ſuprà *mobilem pyramidis formam Igni dedit.*

5. *Teſſerarum figura.*] Teſſeram hic

1 Terræ

[1] Terræ conſtantiam non abſurdè ſortita eſt. Et alia initia inveniri forſitan poſſe ait, quæ aut Deo nota ſunt, vel ei, qui ſit Diis amicus Sed de primis elementis Igni & Aquâ, cæteriſque, [2] & illa conſtare particulatim animalium & inanimantium corpora. Mundumque omnem ex omni Aquâ, totoque Igni, & Aëris univerſitate, cunctáque Terrâ eſſe factum: [3] & non ſolùm nullam horum partem extra orbem relinqui, ſed ne vim quidem ejus extrinſecùs inveniri. Hæc autem invicem [4] ex ſe & intra ſe apta & connexa eſſe. Idcircóque in Igne, Terrâ & Aquâ, & Aëre eſſe ſitum. At, ſicut Ignis Aëri cognatione conjungitur, ita humor affinitati terrenæ jungatur. Hinc unum eſſe Mundum, in eóque omnia: nec relictum eſſe locum, in quo alius, neque elementa ſupereſſe, ex quibus alterius mundi corpus poſſit eſſe. Ad hæc [5] attributa eſt ei perpetua juventus, & inviolata valetudo. Eóque nihil præterea extrinſecùs eſt relictum, quod corrumpere poſſet ejus ingenium. &, ſiupereſſet, non eum læderet; cùm ita apud ſe ex omni parte compoſitus atque ordinatus foret, ut adverſantia & contraria naturæ diſciplinæque ejus officere non poſſent. Idcircò autem perfectiſſimo & pulcerrimo mundo inſtar pulcræ & perfectæ ſphæ-

INTERPRETATIO.

non incongruè attributa eſt firmitati Telluris. Dicit poſſe etiam fortaſſe reperiri alia principia, quæ cognita ſunt vel Deo, vel etiam *illi, qui ſit charus Diis. Verum & hæc* quæ cernimus *corpora animalium, &* rerum *inanimatarum, compoſita eſſe ex primis elementis, Igne, & Aqua, & reliquis minutatim* interſe vinctis. *& totum orbem conflatum eſſe ex tota Aquâ, toto Igne, toto Aëre, ac tota Terrâ: ac non modò nihil eorum ſupereſſe extra mundum, ſed ne virtutem quidem ipſius reperiri extra* ipſum. *Ea verò extra ſe & intra ſe coaptata eſſe invicem & copulata. atque ideo eſſe* certam *poſituram in Igne, Terra, Aquâ, & Aëre. Ita ut quemadmodum Ignis connectitur affinitate cum Aëre, ita Aqua connectatur cognatione cum terrâ. Inde unicum eſſe orbem, & univerſa* eſſe *in ipſo, neque ſupereſſe locum in quo alius* orbis poſſit eſſe, *neque reſtare elementa ex quibus corpus alterius orbis poſſit conſtare. Præterea conceſſa eſt ei æterna juventa, & valetudo incorruptibilis. Atque ideo nihil relictum eſt præterea extra ipſum, quod poſſet labefactare ejus naturam. & tametſi relictum eſſet, non noceret ei; ſiquidem ſic undique conſtitutus ac diſpoſitus eſſet intra ſe, ut inimica & adverſa non poſſint nocere ejus indoli, ac legibus. Ideò verò à Deo creatore attributum eſt mundo abſolutiſſimo & decoriſſimo,*

NOTÆ.

vocat cubum, figuram nempè ſolidam, ſex quadratis ſuperficiebus comprehenſam, octo habentem angulos ſolidos ex tribus quemque planis, iiſque rectis, conſtantes.

1. *Terræ ſubſtantiam.*] Lege ex Colvio & MS. Thuano *Terræ conſtantiam.*

2. *Ex illis.*] MS. Th. *& illa.* meliùs.

3. *Et non ſolùm nullam ejus partem, &c. ſed vim quidem ejus &c.*] Scribe: *ſed ne vim quidem.* Sic enim Plato: μέρος ὐδὲν ὐδενὸς, ὐδὲ δύναμιν ἔξωθεν ὑπολιπών.

4. *Ex ſe & intra ſe.*] MS. Thuan. *ex ſe inter ſe:* meliùs.

5. *Attributa eſt ei perpetua juventus, & inviolata valetudo.*] Plato in Timæo: ἔτι ἣ ἵνα ἀγήρων καὶ ἄνοσος ᾖ

ræ à fabricatore Deo quæſitum eſt, ut ſit nihil indigens : ſed operiens omnia, coërcenſque contineat; pulcer & admirabilis, ſui ſimilis, ſibique reſpondens. 1 Hinc illi & ſeptem motus locorum habeantur: proceſſûs & retroceſsûs, dexterioris ac ſiniſtri, ſurſùm deorſumque nitentium, & quæ in gyrum circuitumque torquentur. Sex ſuperioribus remotis, hæc una mundo relicta eſt ſapientiæ & prudentiæ propria, ut rationabiliter 2 volveretur. Et hunc quidem mundum nunc ſine initio eſſe dicit: aliàs originem habere, natumque eſſe : 3 nullum autem ejus exordium atque initium eſſe; ideò quòd ſemper fuerit : 4 nativum verò videri, quòd ex his rebus totius natura & ſub-

INTERPRETATIO.

tanquam globo pulchro & omnibus ſuis numeris *abſoluto, ut nullâ re egeat, ſed complectatur univerſa, tegens ea, & cohibens; decorus & mirandus*, ſemper *ſibi ſimilis, ac ſecum conveniens. Hinc etiam exiſtant hi ſeptem motus locorum: progreſſionis, & regreſſionis, ad dextram, & ad ſiniſtram, eorum, quæ tendunt ſursùm & deorsùm, & eorum, quæ vertuntur in orbem, atque ambitum. Omiſſis ſex prioribus, hæc ſola progreſſio conceſſa eſt orbi*, utpote *congruens ſapientiæ & prudentiæ, ut ſcilicet rotaretur* certâ *ratione. Et quidem* modò *ait hunc orbem carere principio, modò eum habere principium, & ortum fuiſſe : nullum autem ideò eſſe ejus principium & ortum, quoniam nunquam non extiterit : videri verò natum fuiſſe, quia natura & ſubſtantia illius uni-*

NOTÆ.

1. *Hinc illi & ſeptem motus locorum habeantur.*] Exiſtimo omiſſam eſſe ſubjunctivam particulam *cùm.* Itaque ſic libentiùs legam. *hinc & illi ſeptem motus locorum cùm habeantur, &c.* conjecturam meam firmat, quòd, poſt enumeratas omnes illas motûs ſpecies, ſubjungit. *ſex ſuperioribus remotis, &c.* hoc vult ſcilicet : Deum, quamvis ſint ſeptem motus locorum, nullum ex ſex prioribus, qui per lineas rectas peraguntur, mundo tribuiſſe, quoniam illi contrarios habent, à quibus poſſunt deſtrui. At circularem ei aſſignâſſe, qui à contrario deſtrui non poteſt, cùm ipſe in ſeipſum revolvatur.

2. *Volveretur.*] MS. Thuan. *moveretur.*

3. *Nullum autem ejus exordium, &c. atque initium eſſe, ideò quòd ſemper fuerit.*] Non hoc ipſum habet Plato in Timæo : ſed tantùm Deum in creando mundo ſecutum eſſe exemplar ſempiternum, non autem genitum. Quidam tamen Platonis interpretes, teſte Marſilio Ficino, mundum ſempiternum dixerunt, quibus noſtrum Apuleium adjungere poſſumus. Sic porrò habet Ficinus cap. 13. compendii in Timæum : *Si quis interroget numquid apud Platonem mundus fuerit ſempiternus : Reſpondeo equidem interpretibus Severo, & Attico, & Plutarcho, aliiſque, ut Proculus narrat, multis, non fuiſſe ſemper : ſed interpretantibus Crantore, Plotino, Porphyrio, Jamblicho, Proculo, & pleriſque aliis, ſemper quidem fuiſſe, & fuiſſe ſemper à Deo, immò fluxiſſe. Deum enim ſemper eſſe aiunt, mundum verò fieri ſemper & fluere, ac, ſi initio temporis carentem conſideraveris, ingenitum dici mundum: ſin autem perpetuum à Deo ejus effluvium, aſſiduè genitum : neque minùs ex Deo pendere, ſi dependerit, pendeatque ſemper, quàm ſi aliquando cœperit dependere, vel deſinat.*

4. *Nativum verò videri, quod, &c.*] Plato : γέγονεν. ὁρατὸς γὰρ, ἁπτός τε ἐστι καὶ σῶμα ἔχων : *genitus eſt. videri enim, & tangi poteſt, & corpus habet.* MS. Thuanus habet hic : *nativum verò videri, quòd ex his rebus ſubſtantia ejus, & natura conſtet, &c.*

ſtantia ejus conſtet, quæ naſcendi ſortitæ ſunt qualitatem. Hinc & tangitur & videtur, ſenſibuſque corporeis eſt obvius. 1 Sed quòd ei naſcendi cauſam Deus præſtitit, ideò immortali perſeverantiâ eſt ſemper futurus. 2 Animam verò animantium omnium non corpoream eſſe, nec ſanè perituram, cùm corpore fuerit abſoluta, 3 omniumque gignentium eſſe ſeniorem: atque ideò & imperitare & regere ea, quorum curam fuerit diligentiamque ſortita, ipſamque ſemper, & per ſe moveri, agitatricem aliorum, quæ naturâ ſui immota ſunt, atque pigra. 4 Sed illam cœleſtem Animam, fontem animarum omnium, optimam & ſapientiſſimam, virtutum eſſe genitricem, ſubſervire etiam fabricatori Deo, & præſtò eſſe ad omnia inventa ejus pronunciat. 5 Verùm ſubſtantiam mentis hujus numeris & modis confici

INTERPRETATIO.

verſi conflata eſt ex rebus, quarum natura eſt ortum habere. Inde eſt quòd palpatur, & aſpicitur, ac patet ſenſibus corporeis. At quoniam Deus ipſi præbuit cauſam naſcendi, idcircò permanſurus eſt perpetuâ duratione. Animam autem cunctorum animalium non eſſe corpoream, neque eam *certè interituram* eſſe *quando fuerit disjuncta à corpore, eamque eſſe antiquiorem cunctis, quæ generantur: & idcircò dominari & gubernare ea, quæ commiſſa fuerint ſuæ curæ & diligentiæ, atque eam ſemper moveri, & ex ſeipsâ, commoventem alia, quæ ex ſuopte ingenio ſunt immota & tarda. Illam verò animam cœleſtem, originem animarum univerſarum, optimam, & ſapientiſſimam, eſſe productricem virtutum, dicit quoque* eam *famulari Deo creatori, & paratam eſſe ad omnia ejus excogitata. Aſt ſubſtantiam hujus mentis conflari ſecundum numeros & modos*

NOTÆ.

1. *Sed quòd ei naſcendi cauſam Deus præſtitit, ideò immortali, &c.*] Aliam cauſam refert Laërt. in vitâ Platonis, ἀλλὰ μὴν καὶ ἄφθαρτον διαμένειν τὸν κόσμον, διὰ τὸ μὴ διαλύεσθαι εἰς τὸν θεόν. *eo quod non poſſit diſſolvi in Deum.*

2. *Animam verò animantium omnium, non corpoream eſſe, nec ſanè perituram, cùm corpore fuerit abſoluta.*] Laërtius: ἀθάνατον ἔλεγε τὴν ψυχὴν, καὶ πολλὰ μεταμφιεννυμένην σώματα. *Immortalem dixit eſſe animam, & multa corpora induere.* hæc eſt Pythagorica μετεμψύχωσις, quam apertè profitetur Plato in Phædone. nec mirum. audiverat enim in Italiâ Philolaüm & Eurytum Pythagoricos.

3. *Omniumque gignentium eſſe ſeniorem.*] Obſerva patrium caſum cum adjectivo comparativi gradûs. Et *gignentium* pro *naſcentium*, quod jam obſervavimus. In hanc porrò ſententiam loquitur Plato, in Dialogo, cui nomen *Epinomis*: λαβόμενοι δὴ τοῦτο γε ὡς ψυχὴ πρεσβύτερον ἐστὶ σώματος: *id igitur admittamus animam corpore antiquiorem eſſe.*

4 *Sed illam cœleſtem Animam &c.*] De hac Animâ intelligendus Virgilius, Æneid. 6.

Principio cœlum ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

5. *Verùm ſubſtantiam mentis hujus, numeris & modis confici.*] Laert. ἀρχήν τε ἔχειν ἀριθμητικήν. *Animæ initium conſtare numeris.* vide Marſ. Fic. compendio in Timæum a cap. 26. ad cap. 36. MS. Thuan. pro *verùm* hîc habet *unde*.

congeminatis ac multiplicatis augmentis incrementiſque per ſe & extrinſecùs partis: & hinc fieri, [1] ut muſicè mundus, & canorè moveatur. [2] Naturaſque rerum binas eſſe, [3] & earum alteram eſſe, quæ veniat in mentem, quam quidem δοξαστὴν, opinabilem appellat ille, & quæ videri oculis & attingi manu poſſit: alteram διανοητικὴν, cogitabilem & intelligibilem. detur enim venia novitati verborum, rerum obſcuritatibus ſervienti. Et ſuperiorem quidem partem mutabilem eſſe, ac facilem contuenti: hanc autem, quæ mentis acie videtur, & penetrabili cogitatione percipitur atque concipitur, [4] incorruptam, immutabilem, conſtantem, eandemque, & ſemper eſſe. Hinc & duplicem rationem interpretationemque dicit. Namque illa viſibilis, fortuitâ & non ita perſeveranti ſuſpicione colligitur: at hæc intelligibilis, verâ, perenni, & conſtanti ratione probatur eſſe. [5] Tempus verò ævi eſſe imaginem. ſiquidem tempus movetur, perennitatis fixa & immota eſt natura. & ire in eam Tempus, & in ejus magnitudidem

INTERPRETATIO.

duplicatis & multiplicatis auctibus, atque incrementis comparatis per ſe & ab extrinſeco: atque inde effici, ut orbis rotetur muſicè & canorè. Duaſque eſſe naturas rerum, ac unam earum eſſe, quæ percipiatur animo, & quæ poſſit conſpici oculis, & palpari manu, quam quidem ille vocat δοξαστὴν *ſub opinionem cadentem: alteram* διανοητικὴν *cogitabilem & intelligibilem. nam ignoſcendum eſt novitati vocum, quæ utilis eſt* illuſtrandis *rerum tenebris. Ac priorem quidem partem eſſe mutabilem, & manifeſtam aſpicienti: hanc verò, quæ cernitur lumine animi, & cognoſcitur ac comprehenditur cogitatione acutâ, eſſe incorruptibilem, immutabilem, ſtabilem, & eandem, atque æternam. Ideò ait etiam eſſe geminum earum modum & explicationem. illa enim, quæ conſpicua eſt, cognoſcitur ſuſpicione fortuitâ, ac non diu durante. Verùm hæc cogitabilis probatur exiſtere ratione verâ, perpetuâ ac ſtabili. Tempus autem* ait *eſſe* tantùm *effigiem* quandam *æternitatis. quandoquidem Tempus movetur, natura* verò *æternitatis eſt conſtans & immobilis. Tempus etiam tendere in eam, & poſſe terminari & reſolvi in*

NOTÆ.

1. *Ut muſicè mundus & canorè moveatur.*] Videndus Plato, in Epinomide.

2. *Naturaſque rerum binas eſſe, &c.*] Suprà τὰς οὐσίας, *quas eſſentias dicimus duas eſſe ait: per quas cuncta gignantur, Munduſque ipſe, quarum una cogitatione ſolâ concipitur: altera ſenſibus ſubjici poteſt, &c.*

3. *Et earum alteram, &c.*] Mallem ſic ſcriptum: *Et earum alteram eſſe, quæ videri oculis, & attingi manu poſſit, quam quidem* δοξαστὴν *opinabilem appellat ille: & alteram, quæ veniat in mentem,* διανοητικὴν *cogitabilem & intelligibilem, &c.* ſuffragatur quod paulò infrà ait: *hanc autem, quæ mentis acie videtur, & penetrabili cogitatione percipitur, atque concipitur, incorruptam immutabilem, &c.*

4. *Incorruptam, immutabilem, &c.*] Hæc natura rerum διανοητικὴ incorrupta, æterna, &c. nihil aliud eſt præter rerum Ideas, quas æternas eſſe & divinæ menti ab omni ævo inſitas Plato affirmavit. ſed vide ipſum in Parmenide.

5. *Tempus verò ævi eſſe imaginem.*] Vide Chalcidium in Platonis Timæum, pag. 95. Alcinoum cap. 15.

finiri aut diſſolvi poſſe: [1] ſi quando hoc decreverit fabricator mundi Deus. Ejuſdem temporis. ſpatiis menſuras mundanæ converſionis intelligi. [2] Solis quippè & Lunæ globum hoc agere, cæteraſque ſtellas, [3] quas nos non rectè Erroneas & Vagas dicimus. noſtræ enim ſuper earum curſibus opiniones, diſputationeſque [4] poſſunt in errorem intellectum inducere. Cæterùm ille rerum ordinator ita reverſiones earum, ortus, obitus, receſſus, moras, progreſſuſque conſtituit; ut ne modico quidem errori locus eſſet. Dies quippe cum noctibus menſium ſpatia complere, menſes viciſſim annorum orbes involvere: nec priùs, quàm ſigna hæc in luce ſidereâ ardere cœperunt, initi potuiſſe temporum numeros. Perituram quoque eſſe obſervationem computationis hujus, ſi hic olim chorus antiquus ſteterit. Namque, ut menſuræ & reverſiones temporum noſcerentur, circuituſque Mundi videretur, Solis incenſa ſunt lumina: & viciſſim, ut quies deſiderata proveniret [5] animantibus, opacitas eſt inventa noctis. [6] menſemque

Interpretatio.

ejus immenſitatem: ſi Deus conditor orbis ſtatuerit hoc aliquando. Menſuras rotationis mundi percipi ope intervallorum ejuſdem temporis. id enim præſtare orbem Solis & Lunæ, ac reliqua aſtra, quæ nos perperàm vocamus Errantia *& Vaga. nam noſtræ ſententiæ & diſceptationes de motibus eorum, poſſunt impellere animum in errorem. Porrò ille diſpoſitor rerum ſic diſpoſuit recurſus eorum, ortus, occaſus, retrogreſſiones, ſtationes, & progreſſiones, ut ne parvi quidem erroris anſa relicta eſſet. nam dies ſimul & noctes perficere intervalla menſium, menſes vice verſâ complere circulos annorum: & tempora non potuiſſe computari, antequàm hæc aſtra incepiſſent fulgere lumine cœleſti. Interituram etiam eſſe obſervationem ſupputationis, ſi hic vetus ſiderum cœtus aliquando ceſſaverit moveri. Etenim, ut cognoſcerentur menſuræ & recurſus temporum, & ut cerneretur revolutio orbis. fax Solis accenſa eſt: & vice verſâ obſcuritas noctis reperta eſt, ut requies optata concederetur animalibus. & men-*

Notæ.

1. *Si quando hoc decreverit Deus.*] Hinc videre eſt Platonem, cùm immortali perſeverantiâ futurum mundum dixit, non intellexiſſe quaſi res ſic ſe neceſſariò habitura ſit: ſed tantùm, ſi finem mundus ſit habiturus, hoc non ex ejus principiorum conſtitutione, ſed ex merâ Dei voluntate eventurum, cùm mundi primordia ipſius Dei prudentiâ ita diſpoſita ſint, ut annuente eodem ſupremo conditore, æternitatem ſpondeant.

2. *Solis quippe.*] MS. Thuan. *Solem quippe.*

3. *Quas non rectè Erroneas & Vagas dicimus.*] Noſter in De Deo Socratis: *Verùm etiam quinque Stellas, quæ vulgò Vagæ ab imperitis nuncupantur: quæ tamen indeflexo, & certo, & ſtato curſu meatus longè ordinatiſſimos divinis vicibus æternos efficiunt.*

4. *Poſſunt in errorem intellectum inducere.*] MS. Thuan. *poſſunt in errorem incidere.* optimè. ſic legendum omninò.

5. *Animantibus.*] Pleriſque, non tamen omnibus, ſunt enim quædam, quæ ſolent in tenebris victum quærere, & capere ſomnum interdiù, ut noctuæ.

6. *Menſemque efficit, cum Luna, &c. ad eundem locum, à quo diſceſſerit, revertatur.*] Talis menſis à Mathematicis dicitur menſis lunaris ſidereus, dierum circiter viginti ſeptem, ſed nullius

effici, cùm Luna circuli ſui completo curriculo, ad eundem locum, à quo diſceſſerit, revertatur. Anni verò ſpatia concludi, cùm Sol [1] quadrinas temporum contigerit vices, & ad idem ſignum fuerit invectus. Horum enumerationem in ſe revertentium, & à ſe proficiſcentium, intellectu cogitationis invenit. Eſſe autem Stellarum nihilominùs certos ambitus, legitimis curriculis perpetuò ſervatos, quos vix hominum ſolertia comprehendit. Unde fit ut & [2] Magnus ille vocitatus annus facilè noſcatur: cujus tempus implebitur, cùm vagantium Stellarum comitatus ad eundem pervenerit finem, novumque ſibi exordium & itinera per vias Mundi reparaverit. Globorum verò cœleſtium inter ſe nexorum per vices mutuas, omnium ſupremum eſſe [3] eum, qui inerrabili meatu cenſetur: ejus amplexu cæteros coërceri. Et eſſe ἀπλανῆ primum ordinem, ſecundum Saturno datum, Jovi tertium, Martem quartum tenere, quintum Mercurio dari, ſextum Veneris eſſe, ſeptimum Solis itineribus incendi, octavum metiri Lunam. Exinde elementis omnia ac principiis occupari. Ignem ante alia ſu-

INTERPRETATIO.

ſem aiebat *conflari, quando Luna peracto curſu ſui orbis, redit eodem unde profecta eſt. Abſolvi autem intervalla anni, quando Sol percurrerit quatuor mutationes temporum, & relatus fuerit ad idem ſignum. Reperit cogitatione animi numerationem horum in ſe redeuntium, & diſcedentium à ſe. Ait tamen eſſe quoſdam circuitus Aſtrorum ſemper obſervatos curſibus juſtis, quos intellectus mortalium ægrè complectitur. Unde evenit ut ille annus appellatus magnus cognoſcatur facilè: cujus tempus adimplebitur, quando cœtus Siderum errantium pervenerit ad eundem terminum, & reſtauraverit ſibi novum initium,* & novas *vias per meatus mundi. Inter orbes verò cæleſtes, qui ſibi invicem cohærent alternis nexibus, illum eſſe ſummum omnium, cujus curſus dicitur* eſſe *erroris expers: reliquos contineri ejus ambitu. Ac primum quidem ordinem eſſe* erroris expertem, *ſecundum attributum eſſe Saturno, tertium Jovi, Martem occupare quartum, quintum tribui Mercurio, ſextum eſſe Veneris, ſeptimum inflammari meatibus Solis, Lunam percurrere octavum. Poſteà elementa ac primordia tenere omnia* reliqua ſpatia. *Ignem primum*

NOTÆ.

usûs eſt. cumque menſis lunaris pronuntiatur, intelligendus eſt menſis lunaris ſynodicus 29 dierum & 12 horarum cum 44 minutis. qui menſis fit, dum Luna à conjunctione cum Sole ſive Novilunio procedens, ad proximam conjunctionem, ſive ad proximum Novilunium redit. Parùm accuratè ergo videtur hic locutus Apuleius. & reverâ non benè tranſtulit verba Platonis. ſic enim is habet in Timæo: Μεὶς δ' ἐπειδὰν Σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον, Ἥλιον ἐπικαταλάβοι. MS. Thuan. *menſes* hîc habet, non *menſem.*

1. *Quadrinas temporum vices.*] Prima puncta Arietis, Cancri, Libræ, & Capricorni, in quibus fiunt Æquinoctium Vernum, Solſtitium Æſtivum, Æquinoctium Autumnale, & Solſtitium Hibernum.

2. *Magnus ille vocitatus annus.*] Quem Plato τέλεον ἐνιαυτὸν appellat. hoc eſt, *perfectum & abſolutum annum.*

3. *Eum, qui inerrabili meatu cenſetur.*] Cœlum eſt Stellarum Fixarum.

periorem eſſe, mox Aëris locum: hinc Aquæ proximum: & tunc globum Terræ in medio ſitum æqualem loco, ac figurâ immobilem ſtare. Hos aſtrorum ignes [1] ſphæris affixos, perpetuis atque indefeſſis curſibus labi: [2] & hos animales Deos dicit eſſe: Sphærarum verò ingenium ex igne coalitum & fabricatum. Jam ipſa animantium genera [3] in tres ſpecies dividuntur: quarum una eſt ex naturâ ignis ejuſmodi, qualem Solem & Lunam videmus, cæteraſque ſiderum ſtellas: alteram ex Aëris qualitate; [4] hanc etiam Dæmonem dicit: tertiam ex Aquâ Terrâque coaleſcere, & mortale genus corporum ex eo dividi [5] Terrenum atque Terreſtre. ſic enim χοϊκὰ cenſuit nuncupanda: Terrenumque eſſe arborum, cæterarumque frugum, quæ humi fixæ vitam trahunt: Terreſtria verò, quæ alit, ac ſuſtinet tellus. Deorum trinas nuncupat ſpecies, quarum eſt prima unus & ſolus ille ſummus,

INTERPRETATIO.

omnium altiſſimum eſſe, poſt eum locum eſſe Aëris: inde conterminum eſſe locum *Aquæ; ac denique orbem Telluris eſſe æqualiter in medio poſitum, immotum loco ac figurâ. Hæc lumina ſiderum adnexa globis volvi curriculis aſſiduis & nunquam laſſatis. & ait hos eſſe Deos animales: naturam verò Globorum* illorum *conflatam eſſe & effectam ex igne. Ipſa autem genera animalium diſtribuuntur in tres ſpecies: quarum una eſt ex qualitate ignis, cujuſmodi cernimus* eſſe *Solem & Lunam, ac reliquas Stellas aſtrorum: alteram ait* eſſe *ex naturâ Aëris; hanc ait eſſe* ſpeciem *Dæmonum. tertiam* ſpeciem *conflatam eſſe ex Aquâ & Terrâ, & genus mortale corporum ex hac* eſſe, & *diſtribui in Terrenum & Terreſtre. nam exiſtimavit* pulverea *eſſe ita vocanda: & genus* quidem *Terrenum eſſe arborum, ac reliquarum frugum, quæ vivunt implantatæ terræ.* Illa *verò* dici *terreſtria, quæ Terra nutrit ac ſuſtentat. Dicit eſſe tria genera Deorum, quorum primum eſt ille unicus ac ſolus*

NOTÆ.

1. *Sphæris adfixos.*] Deſunt hæc duo vocabula in MS. Thuano.

2. *Et hos animales Deos dicit eſſe.*] Quos etiam idcircò in animalium diviſione collocat.

3. *In tres ſpecies.*] Plato Tim. pag. 40. quatuor conſtituit: εἰσὶ δὲ τέτταρες· μία μὲν οὐράνιον θεῶν γένος· ἄλλη δὲ πτηνὸν καὶ ἀεροπόρον· τρίτη δὲ ἔνυδρον εἶδος· πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον, τέταρτον. Et Chalcidius: *Deus animalium genera conſtituit quatuor. primum cœleſte, plenum divinitatis: alterum deinde præpes, aërivagum: tertium aquæ liquoribus accommodatum; quartum, quod terrena ſoliditas ſuſtineret.*

4. *Hanc etiam Dæmonem dicit.*] Reſtitue ex Thuanis membranis, *Hanc eſſe Dæmonum dicit.* ſic etiam Colvius.

5. *Terrenum atque terreſtre.*] *Terrenum* vocat Plato χερσαῖον, *terreſtre* verò πεζόν, hoſt eſt, *pedeſtre*, quod ſuper terram pedibus graditur. Malè ergo Colvius, quod ſequitur, *ſic enim* χοϊκὰ emendare voluit, & reponere χερσαῖα. quæ enim hîc χοϊκὰ Apuleius nominat, ea ſunt Platoni πεζὰ, non autem χερσαῖα. adde quod & hoc utitur vocabulo Tertullianus de reſurrectione carnis cap. 36. *Primus homo de terrâ Choicus, id eſt, Limaceus, ſecundus de cœlo. id eſt, ſermo Dei.* MS. Thuanus. pro χοϊκὰ habet corruptè *ponmpioton*, quod fortaſſè ex his corruptum eſt, quæ Plato habet χερσαῖον, καὶ πεζόν.

[1] ultramundanus, incorporeus: quem patrem & architectum huius divini Orbis ſuperiùs oſtendimus. Aliud genus eſt, quale aſtra habent, cæteraque Numina, quos cœlicolas vocamus. [2] Tertium habent, quos Medioxumos Romani veteres appellant: quòd & ſui ratione, & loco, & poteſtate Diis ſummis ſunt minores, hominum naturâ profectò majores. Sed omnia, quæ naturaliter, & propterea rectè feruntur, Providentiæ cuſtodiâ gubernantur, [3] nec ullius mali cauſa Deo poterit adſcribi. Quare nec omnia ad Fati ſortem arbitratur eſſe ferenda. Ita enim definit: [4] Providentiam divinam eſſe ſententiam, conſervatricem proſperitatis ejus, cujus cauſa tale ſuſcepit officium: [5] divinam legem eſſe Fatum, per quod inevitabiles cogitationes Dei atque incepta complentur. Unde ſi quid Providentiâ geritur, id agitur etiam Fato: & quod Fato terminatur, Providentiâ debet ſuſceptum videri.

INTERPRETATIO.

Deus *ſupremus, ultra orbem habitans, corporis expers, quem ſuprà probavimus eſſe creatorem & fabricatorem hujus divini Mundi. Altera ſpecies* Deorum *eſt, qualem ſidera obtinent, & reliqui Dii, quos appellamus Cœleſtes. Tertium* genus *eſt eorum, quos antiqui Romani vocant Medioxumos: quia ſunt inferiores ſupremis Diis & naturâ, & habitatione, & virtute, ſuperiores certè hominibus ex ſuâ naturâ. Aſt cuncta quæ moventur naturaliter ac perinde benè, reguntur tutelâ Providentiæ, neque cauſa ullius mali poterit attribui Deo. Quapropter non putat quoque univerſa eſſe referenda ad decreta Fatorum. Nam ita definit: Providentiam eſſe decretum Dei, quod tuetur incolumitatem* illius rei, *propter quam recepit* ad ſe *illud munus: Decretum Dei eſſe Fatum, quo ineluctabiles ſententiæ & ſuſcepta Dei perficiuntur. Ideòque, ſi aliquid fit à Providentiâ, illud fit etiam à Fato: & quod perficitur à Fato, exiſtimandum quoque eſt Providentiam illud eſſe aggreſſam.*

NOTÆ.

1. *Ultramundanus.*] Mart. Capella, lib. 2.

Ultramundanum fas eſt cui cernere patrem,
Et magnum ſpectare Deum.

2. *Tertium habent, quos Medioxumos Romani veteres appellant.*] Plaut. Ciſtellar. Act. 2. Scen. 1.

At ita me Dii Deæque, Superi, atque Inferi & Medioxumi, &c.

Græci δαίμονας appellant. Vide Platonem in Sympoſio.

3. *Nec ullius mali cauſa Deo poterit adſcribi.*] Plato, de Repub. lib. 2. καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον. τῶν δὲ κακῶν ἀλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν. *& bonorum quidem nullus alius auctor dicendus eſt. malorum verò alia quævis à Deo cauſa quærenda ſunt.*

4. *Providentiam divinam eſſe ſententiam conſervatricem, &c.*] Plato, lib. 10. de Leg. ὡς τῷ τοῦ παντὸς ἐπιμελουμένῳ πρὸς τὴν σωτηρίαν καὶ ἀρετὴν τοῦ ὅλου πάντ' ἐστὶ συντεταγμένα. *Eum, qui toti providet, ad virtutem ſalutemque totius omnia ordinare.* MS. Thuan. habet *Providentiam eſſe divinam ſententiam.*

5. *Divinam legem eſſe fatum, per quod, &c.*] Fatum ſic definiebat Chryſippus, & alii Stoïci, referente Laërtio, in Zenonis Cittiei Vitâ: ἔστι δὲ εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται. *Fatum eſt connexa rerum cauſa, ſive ratio, per quam mundus adminiſtratur.* Vide Plut. *De Fato.*

Et primum

Et primam Providentiam eſſe ſummi exuperantiſſimique Deorum omnium; qui non ſolùm [1] Deos Cœlicolas ordinavit, quos ad tutelam & decus per omnia Mundi membra ſparſit; [2] ſed natura etiam mortales Deos, qui præſtarent ſapientiâ cæteris terrenis animantibus, [3] ad ævitatem temporis edidit: fundatiſque legibus reliquarum diſpoſitionem ac tutelam rerum, quas quotidie fieri neceſſe eſt, Diis cæteris tradidit. Unde ſuſceptam Providentiam Dii ſecundæ Providentiæ ita gnaviter retinent; ut omnia etiam, quæ cælitùs mortalibus exhibentur, immutabilem ordinationis paternæ ſtatum teneant. Dæmones verò, quos Genios & Lares poſſumus nuncupare, miniſtros Deorum arbitratur, cuſtodeſque hominum [4] & interpretes, ſi quid à Diis velint. Nec ſanè omnia referenda eſſe ad vim Fati putat: ſed eſſe aliquid in nobis, [5] & in Fortunâ eſſe non nihil. & Fortunæ quidem

INTERPRETATIO.

Ac primam quidem Providentiam pertinere ad ſupremum & præſtantiſſimum omnium Deorum; qui non modò diſpoſuit Deos Cœleſtes, quos diſperſit per cunctas partes orbis, ad ejus *conſervationem, & ornamentum; verùm produxit quoque Deos mortales naturâ ſuâ, qui ſuperarent prudentiâ reliqua animalia terreſtria,* quíque duraturi eſſent *quandiu tempus duraret; & ſtabilitis decretis* ſuis, *permiſit reliquis Diis ordinationem & conſervationem cæterorum, quæ oportet evenire ſingulis diebus. Ideoque Dii illi, quibus* tradita *eſt ſecunda Providentia, tam firmiter tenent Providentiam, quæ ipſis tradita eſt; ut cuncta etiam, quæ ex cœlo oſtenduntur hominibus, retineant ſtatum immobilem diſpoſitionis* illius Dei *parentis* aliorum. *Exiſtimat autem Dæmones, quos nobis licet appellare Genios & Lares,* eſſe *famulos Deorum, & tutores hominum, & eorum internuncios, ſi cupiant aliquid à Diis. Neque arbitratur certè univerſa attribuenda eſſe potentiæ Fati, verùm aliquid pendere à nobis, & aliquid pendere à Caſu. & confitetur quidem nos*

NOTÆ.

1. *Deos Cœlicolas.*] Solem, Lunam, cæteraque Aſtra, quæ in cœlo cernuntur.

2. *Sed natura etiam mortales Deos.*] Alios ab illis Cœlicolis, nempè Oceanum, Thetyn, Phorcyn, Saturnum, Rheam, & alios, quos omnes Plato ait eatenùs nobis conſpicuos, quatenùs ipſi volunt.

3. *Ad ævitatem temporis edidit.*] Plato in Timæo, Deum inducit illos Deos ſic alloquentem: *Quia generati eſtis, immortales quidem & indiſſolubiles omninò non eſtis. nec tamen unquam diſſolvemini, nec mortis Fatum ſubibitis. nam voluntas mea majus præſtantiuſque vobis eſt vinculum ad vitæ cuſtodiam, quam nexus illi, quibus fuiſtis colligati tunc, cùm gignebamini.*

4. *Et interpretes, ſi quid à Diis velint.*] Noſter, de Deo Socratis: *Cæterùm ſunt quædam divinæ mediæ Poteſtates, inter ſummum æthera & infimas terras, in iſto interſito aëris ſpatio, per quas & deſideria noſtra, & merita ad Deos commeant. Hos Græco nomine δαίμονας nuncupant, inter Terricolas Cœlicolaſque vectores hinc precum, inde donorum: qui ultrò citroque portant hinc petitiones, inde ſuppetias, &c.*

5. *Et in Fortunâ, &c.*] Fatum & Fortunam ſic diſtinguit Marſil. Ficinus, in Argumento lib. 4. Platonis, de Legibus. *Cæterùm illa ipſa concurſionum cœleſtium diſpoſitio, quando talis provenit, ut artem neceſſariò ſuperatura*

improvidos caſus ignorari à nobis fatetur. Inſtabile enim quiddam, & incurrens intercedere ſolere, quæ conſilio fuerint & meditatione ſuſcepta, quod non patiatur meditata ad finem venire. Et tunc quidem, cùm impedimentum iſtud utiliter provenerit, res illa Felicitas nominatur: at ubi repugnationes iſtæ nocivæ erunt, Infelicitas dicitur. Omnium verò terrenorum nihil homine præſtantius Providentia dedit. Quare idem benè pronuntiat [1] hominis animam eſſe corporis dominam. [2] Atenim cùm tres partes animæ dicat eſſe: [3] Rationabilitatem, id eſt, mentis optimam portionem, ait capitis arcem tenere: Iraſcentiam verò procul à ratione, ad domicilium cordis deductam eſſe, obſequíque eam, & in loco reſpondere ſapientiæ: Cupidinem atque Appetitus, poſtremam mentis portionem, infernas abdominis ſedes tenere; ut popinas quaſdam & latrinarum latebras, diverſoria nequitiæ atque luxuriæ. relegatam verò idcircò longiùs à Sapientiâ hanc partem videri, ne importuna vicinitas & rationem conſumptam deſuper cunctorum ſaluti, in ipsâ cogitationum utilitate turbaret. [4] Totum verò hominem in capite vultuque eſſe. Nam Prudentiam ſenſuſque omnes, non aliàs quàm illâ parte corporis contineri. Cætera enim membra ancillari & ſubſervire capiti, cibos & alia ſubminiſtrare.

INTERPRETATIO.

non cognoſcere caſus improviſos Fortunæ. Nam aliquid inconſtans & interveniens ſolere obſtare iis, *quæ fuerint incepta conſilio &* longâ *recogitatione, quòd non ſinat excogitata perduci ad exitum. Et quidem, quando illud obſtaculum ſucceſſerit commodè, id vocatur Felicitas: verùm, quando illa obſtacula erunt nocua, appellatur Infelicitas. Ex cunctis autem Terreſtribus* rebus *Providentia nihil produxit excellentius homine. Quapropter idem* Plato *rectè ait mentem hominis eſſe dominam corporis. Sed enim cùm pronuntiet tres eſſe partes animæ: dicit Rationem, hoc eſt, excellentiſſimam partem animi, occupare arcem capitis: Iraſcentiam autem dimotam eſſe ad ſedem cordis longè à Ratione, atque eam obedire & parêre Prudentiæ, cùm eſt opus. Cupiditatem & Appetitum, quæ ſunt ultima pars animi, occupare loca inferiora ventris, veluti quaſdam ganeas, & latibula cloacarum, ſtabula malitiæ & impudicitiæ. Hanc autem* mentis *portionem videri ideò procul remotam procul à Ratione, ne moleſta propinquitas* illius *in ipſo fructu meditationum prudentiam interturbaret intentam ex alto incolumitati cunctarum* partium. *Totum autem hominem conſiſtere in capite & facie. Rationem enim & omnes ſenſus non alibi reſidere, quàm in illâ parte corporis. Nam reliquos artus famulari & miniſtrare capiti, ſuppeditare eſcam atque alia. Conſtituit etiam caput in*

NOTÆ.

ſit, Fatum dicitur potiùs, quàm Fortuna: quando verò talis, ut exuperare inertem poſſit, & ſuperari ab arte, Fortuna potiùs nominatur.

1. *Hominis animam eſſe corporis dominam.*] Ex Platonis Phædone.

2. *Atenim cùm tres partes animæ dicat eſſe, &c.*] Vide Platon. de Republ. lib. 9. pag. 734.

3. *Rationabilitatem, &c. ait capitis arcem tenere*] Vide Plat. Timæum, pag. 1073. & ſeqq.

4. *Totum verò hominem in capite vultuque eſſe.*] Vide Timæum pag. 1056.

[1] Verticem etiam in ſublime poſuit, ut dominum atque rectorem, providentiâque ejus à periculis vindicari. Sed & [2] machinamenta, quibus ad ſentiendas dijudicandaſque quantitates & qualitates ſenſus inſtructi ſunt, ibidem erga regiam capitis conſtituta eſſe, in conſpectu Rationis, ut intelligendi ac perſentiſcendi veritas adjuvetur. Senſus verò ipſi ad ea, quæ ſunt ſenſibilia, aptè compoſiti à naturâ, intelligentiam cognatam tenent. Et primò oculorum acies gemellas perlucidas eſſe, & quadam luce viſionis illuſtres, noſcendi luminis officium tenere: Auditionem verò aëreæ naturæ participem, aëriis nuntiis percipere ſonores. Jam Guſtatûs ſolutiores eſſe ſenſus, ideóque humidioribus potiùs & aquoſis commodatos: Tactum etiam terrenum atque corporeum, ſolidiora quæcumque contingi offendique poſſunt, ſentire. Eorum etiam, quæ corrupta mutantur, ſeparata intelligentia eſt. In mediâ namque regione oris nares natura conſtituit, quarum bifori viâ odor cum ſpiritu commeat. [3] Converſiones autem mutationeſque, odoratûs cauſas dare, eaſque de corruptis vel aduſtis, [4] vel muceſcentibus, vel madefactis ſentiri, cùm quidem ea eruuntur, vapore vel fumo exhalantur: odoris in his judicium, ſenſuſque ſuccedunt.

INTERPRETATIO.

ſummâ parte corporis *tanquam dominum & gubernatorem* ejus, *&* quidem illud ait *defendi à periculis, ipſius prudentiâ. Verùm & organa, quibus ſenſus præditi ſunt, ad percipiendas & æſtimandas magnitudines & qualitates, poſita eſſe ibidem circa arcem capitis prope rationem, ut veritas intellectionum & ſenſationum juvetur. Ipſi autem ſenſus à naturâ facti convenienter ad res ſenſibiles habent rationem* ſibi *affinem. Primò enim binos oculorum orbes eſſe perlucidos, & ſplendentes quodam lumine viſûs, gerere munus cognoſcendæ lucis: Auditum autem, qui de aëris naturâ participat, ſentire ſonos ope nuntiorum aëriorum. Quod ad Guſtum attinet, ſenſationes ejus eſſe laxiores, atque ideircò congruere magis rebus humidis & aquoſis: Tactum quoque, qui terreſtris & corporeus eſt, percipere omnia ſolidiora, quæ poſſunt palpari, & tangi. Eſt etiam alia perceptio eorum, quæ ex corruptione immutantur. Nam natura locavit in medio vultu naſum, per cujus binos meatus odor fertur unâ cum halitu. Converſiones autem & immutationes præbere cauſas olfactûs, atque eas percipi ex corruptis, aut uſtulatis, aut ranceſcentibus, aut humefactis, cùm quidem ea promuntur, & vapore vel fumo ſpirant: ſequitur perceptio & æſtimatio odoratûs in eis.*

NOTÆ.

1. *Verticem etiam in ſublime poſuit.*] Sic reſtituit VVowver. ex MS. Fulvii. legebatur priùs *vectare etiam ſubiime poſſit.* ab aliis *vectare ut in ſublime poſſit* ſenſu aut nullo, aut certè intricatiſſimo.

2. *Machinamenta, quibus ad ſentiendas, &c.*] Organa ſenſuum, putà nares, oculos, &c. vox *quantitates* deeſt in MS. Thuano.

3 *Converſiones autem mutationeſque odoratûs cauſas dare.*] Vide Timæum.

4. *Vel muceſcentibus.*] MS. Thuanus: *vel miteſcentibus*, quod ſi recipias, intellige de fructibus matureſcentibus.

[1] Nam ſi res ſint integræ & aër purus, nunquam ejuſmodi auras inficiunt. Et ſenſus quidem ipſi nobis communes ſunt cum cæteris animantibus. Atenim hominum ſolertia ejuſmodi beneficio divino inſtructior auctiorque eſt, quòd auditus illis eſt viſuſque præſtantior. Oculis namque metitus eſt cœlum, ſiderumque circuitus, & aſtrorum obitus atque ortus, eorumque cum ſignificatibus [2] ſpatia compreh ndit. ex quo pulcherrimus & uberrimus fons ille Philoſophiæ profluxit. Auditu verò quid homini magnificentius potuit evenire; per quem prudentiam ſapientiamque condiſceret, numeroſque orationis metiretur, ac modos faceret. fieretque totus ipſe modulatus ac muſicus. Linguæ & [3] dentium vallum, & ipſius oſculi venuſtas acceſſit. quod quidem aliis animantibus ad explendam victûs neceſſitatem, inferendaſque ventri copias comparatum eſt: ſed homini promptuarium potiùs rectæ Rationis & ſuaviſſimæ Orationis hoc datum eſt; ut quæ Prudentia corde conceperit, ea ſenſa promat Oratio. Sed & totius corporis habitus & figura membrorum alia conditione ſunt optima, aliaque longè pejora. Inferiora reguntur optimatium præſtantiâ, & ipſa miniſterium ſuggerunt victuale. Pedes denique humero tenùs capiti obediunt. [4] At Superciliorum ſepes præmuniunt Oculos; ne de-

INTERPRETATIO.

Si enim res ſint incorruptæ, & aër ſit ſerenus, nunquam infectant tales exhalationes. Ac ipſi quidem ſenſus ſunt nobis communes cum reliquis animalibus. Verùm ſagacitas hominum meliùs ornata & dotata eſt hoc divino munere, quia habet auditum & viſum excellentiorem. Etenim homo *menſus eſt oculis cœlum, & complexus eſt* mente *revolutiones aſtrorum, & ortus, occaſuſque ſtellarum, & eorum intervalla cum ſuis ſignificationibus. Unde præſtantiſſimus ille & abundantiſſimus Philoſophiæ fons manavit. Quid autem potuit accidere homini præſtantius Auditu, cujus ope diſceret prudentiam & ſapientiam, & expenderet numeros ſermonis, & daret* ipſi *modulos, ipſeque evaderet totus numeroſus ac muſicus. Præter linguam additum eſt ſeptum dentium, & decor ipſius oris, quod quidem datum eſt cæteris animalibus ad ſubveniendum neceſſitati victûs, & ſuppeditanda alimenta alvo: at illud conceſſum eſt homini* ut eſſet *penus rectæ rationis & ſermonis jucundiſſimi, ut ſermo efferat illas cogitationes, quas Prudentia formaverit in pectore. Verùm habitudo etiam totius corporis & forma* ſingularis eſt. *Membrorum quædam habent optimam conditionem, quædam habent multò deteriorem. Quæ deteriora ſunt, gubernantur excellentiâ meliorum. Atque ipſa funguntur officio nutriendi. Denique à pedibus uſque ad humeros* omnia membra *parent capiti. Porrò ſepta ſuperciliorum defendunt oculos, ne aliquid cadat ex ſu-*

NOTÆ.

1. *Nam ſi res ſint integræ, & Aër purus, nunquam, &c.*] Plato, eodem Timæi loco: τὸ γὰρ τῶν ὀσμῶν πᾶν, ἡμιγενές. εἴδει δὲ οὐδενὶ ξυμβέβηκε συμμετρία πρὸς τὸ τινὰ σχεῖν ὀσμήν. *Semigenia enim eſt odorum natura. ſpeciei verò nulli competit odorem habere*, hoc eſt, ex ſe, & quandiu ad corruptionem non vergit.

2. *Spatia.*] Vulgò *aſpectus* aſtrorum vocant.

3. *Dentium vallum.*] Homero ἕρκος ὀδόντων.

4. *Ad ſuperciliorum ſepes.*] Lege ex MS. Thuano *At ſuperciliorum ſepes.* &c.

ſuper protuat quòd teneras viſiones molleſque perturbet. Pulmones loco, ac ſui genere, cordi plurimùm conſulunt. [1] Cùm exardeſcit Ira, trepidanſque celerioribus motibus vertex cordis ipſius madens ſanguine, pulmonum excipitur mollitiâ, ſiti, frigore. [2] Lienem verò jecinori non fruſtrà eſſe finitimum, ut ejus redundantiam participatis hauſtibus relevet, abſtergatque ea, quæ ſordium fuerint, purumque ac ſincerum præſtet. [3] quod maximè fibris eſt commodum. Ventrem gyris inteſtinorum circumplexum, & nexibus impeditum eſſe, ne eſculenta & poculenta ſeſe penetrarent, ſed ut retenta pauliſper utilitatem ſui, & cenſum animantibus exhiberent, [4] Nam ne exhauſtis & labentibus iis, quæ inferuntur, momentis omnibus appetendi cibi neceſſitas immineret, & ad hoc unum occupari nobis dies noctesque eſſet neceſſe. Viſceribus oſſa ſunt tecta. eadem revincta ſunt nervis. Et, tamen ea, quæ ſunt internuntia ſentiendi, ſic ſunt operta viſceribus, ne craſſitudine ſenſus hebetentur. Illa etiam, quæ juncturis & copulis nexa ſunt, ad celeritatem faciliùs ſeſe movenda haud multis impedita ſunt viſceribus. Denique ipſius capitis verticem ſpecta: contectum tenui cute, capilliſque hirſutum videbis, adverſus vim frigo-

INTERPRETATIO.

periori parte, quod turbet viſus teneros ac delicatos. Pulmones permultùm proſunt cordi, ſitu ſuo, & ſuâ naturâ. Quando Ira inflammatur, & cacumen ipſius cordis palpitans pulſibus citatioribus, plenum ſanguine excipitur mollitie, ſiccitate, & frigiditate pulmonum. Lienem autem idem Plato ait *non incaſsùm eſſe vicinum hepati*, nempè *ut exoneret ejus exuberantiam, combibendo partem* ejus humorum, *&, ſi quæ impura ſint, ea detergat, ac reddat eum mundum ac ſanum. quod eſt valdè utile viſceribus. Alvum eſſe circumvolutam anfractibus inteſtinorum & intricatam eorum connexionibus, ne cibi & potûs ſtatim effluerent; ſed ut tantiſper cohibiti præberent ex ſe emolumentum & vectigal* quoddam *animalibus*, & *ne abſorptis & effluentibus iis, quæ eduntur, neceſſitas appetendæ eſcæ inſtaret ſingulis momentis, & cogeremur intenti eſſe huic uni* rei *per dies ac noctes. Oſſa ſunt cooperta carnibus. eadem ſunt alligata* inter ſe *ligamentis. Nihilominùs ea, quæ ſunt inſtrumenta ſenſuum, ita ſunt tecta carnibus, ut ſenſus non retundantur* earum *ſpiſſitudine. Ea etiam, quæ colligata ſunt commiſſuris & ligamentis, non ſunt onerata multis carnibus, ut moveantur velociùs & faciliùs. Poſtremò, aſpice ſummum ipſius capitis, videbis illud eſſe opertum exiguâ pelle, & hirtum crinibus contra impreſſionem fri-*

NOTÆ.

1. *Cùm exardeſcit ira. &c.*] Vide Platonem in Timæo pag. 1073. Hæc quæ ſequuntur omnia, in Fragmento MS. Thuano deſunt.

2. *Lienem verò jecinori*, &c.] Tim. pag. 1075

3. *Quod maximè fibris commodum.*] Divinationis ergò, ut inſtar ſpeculi nitentes ſint & perſpicuæ, atque ad imagines exprimendas accommodatæ, ut habet Plato ibidem. Jecur enim ſomniorum, ac viſorum vaticiorumque cauſam eſſe vult. ut videre eſt tota pag. 1074. Timæi.

4. *Nam ne exhauſtis, &c.*] Tollendum eſſe illud *nam*, & punctum ante hæc verba *viſceribus oſſa ſunt tecta, &c.* ponendum eſſe, facilè videbit quiſquis Timæi paginam 1075. legere voluerit.

ris & caloris. Atenim illæ opimæ ſunt partes, quas labor ſubigit: ut femina ipſa, quà ſeſſitandi regio eſt. Quid [1] de cibatu ipſo loquar? quem [2] itinera ex utero manantia fibris jecoris adjuncta diſpertiunt, in cruoris habitudinem verſum, ut eum ex loco per omnes artus Natura ſolers derivari faciat. Sed è regione cordis [3] Venarum meatus oriuntur per pulmonum ſpiracula [4] vivacitatem transferentes, quam de corde ſuſceperunt: & rursùs ex illo loco diviſæ per membra totum hominem juvant [5] ſpiritu. Hinc illæ anhelandi vices hauſtæ, redditæque alterno modo, ne mutuis impediantur occurſibus. [6] Venarum diverſæ ſunt qualitates, quas [7] ad procreandum è regione cervicum, per medullas Renum commeare, & ſuſcipi Inguinum loco certum eſt: [8] & rursùm Venarum Genitale ſeminium humanitatis exire.

Interpretatio.

goris & caloris. Verùm illa membra, quæ macerantur labore, ſunt pinguia: qualia ſunt femora, quâ parte ſedetur. Quid dicam de ipſo cibo? quem viæ meantes ex ventre, & annexæ fibris hepatis, diſtribuunt mutatum in ſpeciem ſanguinis, ut Natura prudens curet eum inde deduci in omnia membra. At canales venarum naſcuntur ex parte cordis, tranſvehentes per ſpiracula pulmonum ſpiritum vitalem, quem acceperunt à corde; atque inde iterùm diſtributæ venæ *per artus ſuppeditant ſpiritum univerſo corpori. Hinc illæ alternationes ſpirandi, acceptæ & remiſſæ per vices, ne ſibi invicem obſtent occurſibus reciprocis. Aliæ ſunt qualitates venarum illarum, quas conſtat ex colli partibus tranſire per intima renum, generationis cauſâ, atque excipi regione Inguinum: ac iterùm egredi* inde *tanquam ſeminarium generationis humanæ naturæ.*

Notæ.

1. *De cibatu ipſo.*] Chylum intellige.

2. *Itinera ex utero manantia.*] Venæ portæ rami, quibus ſanguis ex inteſtinis ad jecur defertur, & quibus chylum deferri putabant. neque enim notæ ipſis erant venæ lacteæ his poſterioribus temporibus repertæ. *Uterus* porrò, qui ut plurimùm *vulvam* ſignificat, hîc *venter* eſt.

3. *Venarum meatus, &c.*] Arteriarum, quas hîc venarum nomine complectitur.

4. *Vivacitatem.*] Sanguinem in corde calefactum & rarefactum.

5. *Spiritu.*] Sanguine illo ſubtiliori, qui ſæpè etiam ab Anatomicis *ſpiritus vitalis* dicitur.

6. *Venarum diverſæ ſunt qualitates, quas ad procreandum è regione cervicum, &c.*] Arterias intelligit ſpermaticas, quæ procedunt à trunco aortæ, ſub claviculis deorſùm reflexæ.

7. *Ad procreandum è regione cervicum.*] Baſileenſ. 1., Aldus, & Roman. *ad procurandum è regione ſervitium.*

8. *Et rurſùm venarum Genitale ſeminium humanitatis exire.*] Aliquid hîc corruptum eſſe videtur, nec facile eſt emendare. Colvius pro *exire* reponebat *exeire*, ſed neque hoc ſenſum ſatis planum efficit. Videtur tollenda vox *venarum*, ac legendum *& rurſum Genitale ſeminium humanitatis exire*, ut ſit ſenſus: venas illas ſeu arterias, quæ ſuſceptæ ſunt inguinum loco in teſticulis, & ſic vulgò ab Anatomicis *vaſorum deferentium* nomine inſignitæ veniunt, ab iiſdem teſticulis ad paraſtatas redire, ſeminium humanitatis continentes; quo loco *vaſa ejaculatoria* dicuntur. videturque inde eſſe, quòd illarum venarum diverſas eſſe qualitates dixerit, ad illa duo diſtincta earum munia reſpiciens.

At cùm totius corporis diverſas dicat eſſe ſubſtantias : [1] primam vult videri ex Igne & Aquâ, & cæteris elementis : aliam ex conſimilibus partibus Viſcerum, Oſſiculorum, Cruoris, & cæterorum : tertiam de diſcrepantibus diverſiſque membris, id eſt, Capite, Utero, & Articulis diſparibus. Unde & ſubſtantia, quæ de ſimplicibus conſtat elementis, ſi id, quod ex neceſſitate victûs, extrinſecùs arrogatur quomodo congruit & generi ſingulorum, qualitatem corporis temperiemque cuſtodit : at illis, quæ de conſimilibus robur auget [2] iis, quæ inter ſe diſparia ſuprà diximus, pulchritudinem nutrit : & ſimul æqualitas iſta ſicci, humidi, ferventis ac frigidi ſanitatem, vires, ſpeciemque largitur : ſicut illa intemperans atque immoderata permixtio, ſingulis univerſiſque vitiatis, animal celeri exitio corrumpit. Tripartitam Animam idem dicit. primam ejus Rationabilem eſſe partem : aliam Excandeſcentiam, vel Irritabilitatem : tertiam Appetitum, eandemque Cupiditatem poſſumus nuncupare. Sed tunc animanti ſanitatem adeſſe, vires, & pulchritudinem, cùm Ratio totam regit, parentque ei

INTERPRETATIO.

Sed cùm affirmet eſſe varias ſubſtantias univerſi corporis, cenſet primam videri conflatam ex Igne, & Aquâ, atque reliquis primordiis : aliam ex partibus ſimilibus Carnis, Oſſium, Sanguinis, & aliorum : tertiam de membris diſſimilibus ac diverſis, hoc eſt, Capite, Ventre, & diſſimilibus compagibus. Unde etiam ſubſtantia, quæ compoſita eſt ex elementis ſimplicibus, ſi illud, quod eſt *neceſſarium ad vivendum, tribuitur extrinſecùs quemadmodum expedit naturæ uniuſcujuſque, conſervat habitum & temperamentum corporis : addit autem vires illis* partibus, *quæ* conſtant *ex ſimilibus* ſubſtantiis*: alit verò pulchritudinem in illis, quæ ſuprà diximus eſſe diſſimilia inter ſe : atque illa æqualitas ſicci, humidi, calidi, & frigidi ſimul confert bonam valetudinem, robur, & pulchritudinem : quemadmodum ea commixtio malè temperata & immoderata, corruptis ſingulis & univerſis, reſolvit animal veloci morte. Affirmat Animam diſtingui in tres partes. primam partem ejus eſſe Rationem : alteram eſſe Iracundiam, ſive Irritabilitatem : tertiam Appetitum, quam poſſumus quoque nominare Concupiſcentiam. Verùm animal tunc præditum eſt proſperâ valetudine, robore & formâ, quando Ratio gubernat totam* Animam, *ac duæ partes inferiores ei*

NOTÆ.

1. *Primam vult videri ex Igne & Aquâ, & cæteris elementis : aliam ex conſimilibus partibus viſcerum, &c*] Cave hunc locum ſic intelligas, quaſi viſcera, oſſa, cruor, & cæteræ ejuſmodi partes ex elementis non conſtent, aut caput, uterus, &c. non conſtent ex carnibus, oſſibus, cruore : ſed hoc ſibi velle Apuleium exiſtima, Corpus tribus modis vulgò dividi, nempè ultimâ & ſimpliciſſimâ diviſione in partes elementares, Ignem nempè, Aërem, &c. ex quibus conſtat : diviſione verò non ultimâ, in partes ſimilares carnium, oſſium, ſanguinis, venarum, nervorum, &c. ex quibus eſt conflatum : ac denique aliâ diviſione, nec ipsâ ultimâ, in partes diſſimilares, putà, caput, brachia, pectus, ventrem, &c.

2. *Iis, quæ inter ſe, &c*] Vulgò legitur, *uſque inter ſe, &c.* nullo ſenſu. Emendavi, mutatâ voce, *uſque*, in has duas, *iis quæ :* ex quibus per errorem fuerat conflata. Patet emendationis ratio ex interpretatione.

inferiores duæ partes, concordanteſque inter ſe, Iracundia & Voluptas, nihil appetunt, nihil commovent, quod inutile eſſe duxerit Ratio. Ejuſmodi ad æquabilitatem partibus Animæ temperatis, corpus nullâ perturbatione frangitur. Alioquin invehit ægritudinem atque invalentiam & fœditatem: cùm incompoſitæ & inæquales inter ſe erunt: cùm Iraſcentiam & Conſilium ſubegerit, ſibique ſubjecerit Cupiditas: aut cùm dominam illam reginamque Rationem, licèt obſequente & pacatâ Cupidine, Ira flagrantior vicerit. [1] Sed ægritudinem mentis ſtultitiam dicit eſſe, eamque in partes duas dividit, harum unam Imperitiam nominat, alteram Inſaniam vocat, & Imperitiæ morbum ex glorioſâ jactatione contingere, cùm eorum, quorum ignarus eſt aliquis, doctrinam ſcientiamque mentitur: Furorem verò, peſſimâ conſuetudine & libidinoſâ vitâ ſolere evenire. Hancque Inſaniam nominari, quam vitioſa qualitas corporis prodit, cùm ea, quæ ſunt Rationi parata in ipſo vertice, importunis anguſtiis coarctantur. [2] Atenim tunc hominem eſſe perfectum, cùm Anima & Corpus æqua-

INTERPRETATIO.

obediunt, atque Iracundia & Cupiditas ſibi invicem conſentientes, nihil cupiunt, nihil excitant, quod ratio pronuntiaverit eſſe noxium. Illis partibus Animæ ſic compoſitis ad æqualitatem, corpus nullâ perturbatione labefactatur. Aliàs trahit morbum, debilitatem, & deformitatem: quando erunt inordinatæ, & inæquales invicem: quando nempè *Concupiſcentia devicerit ac ſibi ſubdiderit partem iraſcentem, & Rationem: vel quando Iracundia ardentior ſuperaverit illam magiſtram ac Reginam Rationem, quamvis Concupiſcentia ipſi obediat, & ſit ſedata. Ait autem morbum Animi eſſe Stultitiam, & diſtribuit eam in duas partes, quarum alteram vocat Ignorantiam, alteram nominat Dementiam. Aitque ægritudinem Ignorantiæ accidere ex ſuperba oſtentatione, quando aliquis falsò præ ſe fert cognitionem eorum, quæ neſcit. Dementiam autem ſolere contingere ex malis moribus, & vitâ luxurioſâ. Atque eam appellari Inſaniam, quam corrupta qualitas corporis demonſtrat, quando* nimirùm *ea, quæ ſunt præparata Rationi, in ipſo capite coërceantur anguſtiis moleſtis. Verùm tunc* demùm *hominem eſſe perfectum, quando Anima & Corpus jun-*

NOTÆ.

1. *Sed ægritudinem mentis ſtultitiam dicit eſſe, eamque in partes duas &c.*] In Timæo. pag. 1084.

2. *At enim tunc hominem eſſe perfectum, cùm Anima & Corpus æqualiter copulantur, & inter ſe conveniunt, ſibique reſpondent.*] Nam, ut ait Plato, quando anima corpore admodùm potentior eſt, exultat in eo atque effertur, & totum ipſum intrinſecùs quatiens languoribus implet. Si diſcere aut docere ambitioſâ quadam concertatione contendit, liquefacit protinùs, aut inflammat corpus, atque labefactat. Contrà verò, ſi corpus grande ac pigriori mole ſuperexcedens puſillæ exilique animæ copulatur, ſuam molem adaugebit, animum verò reddet hebetem, indocilem, & oblivioſum. Igitur μία δὴ (inquit Plato) σωτηρία πρὸς ἄμφω, μήτε τὴν ψυχὴν ἄνευ σώματος κινεῖν, μήτε σῶμα ἄνευ ψυχῆς· ἵνα ἀμυνομένω γίγνησθον ἰσοῤῥόπω καὶ ὑγιῆ. *una eſt utriuſque conſervatio, neque animam ſine corpore movere, neque corpus ſine animâ. ut ea inter ſe contendentia ſiant æquipollentia, & ſana,*

liter

liter copulantur, & inter ſe conveniunt, ſibique reſpondent: ut firmitas Mentis prævalentibus Corporis viribus non ſit inferior. Corpus verò tunc nativis incrementis augetur, cùm valetudinis portio procurata ſalubriter modum neceſſarii victûs neſcit excedere: nec Valetudo obteritur magnitudine externorum laborum, nec pabuli ſarcinâ immoderatiùs invecti, vel non, ut oportet, digeſti diſtributique per corpus. Tunc enim artus ac membra vigoris debiti modum & vires retinent; cùm id, quod infertur ad totius corporis conſervationem, veluti ſingillatim exæquatùm, cunctis partibus dividitur. Verùm enimverò cùm id minimè fit, tunc ſequi exitium corporis.

INTERPRETATIO.

guntur ex æquo, & conſentiunt inter ſe, ac ſibi ſunt proportionata, ita ut Animi robur non cedit robori corporis exuperanti ipſum. Corpus autem tunc gaudet ſuis naturalibus augmentis, quando pars ſanitatis jam *comparata ſalubriter nunquam tranſgreditur quantitatem alimenti neceſſarii: neque ſanitas opprimitur mole laborum externorum, neque onere cibi avidiùs congeſti, aut non concocti, neque derivati per corpus, ut opus eſt. Etenim artus & membra tunc conſervant modum & robur firmitatis debitæ, cùm illud, quod editur ad ſuſtentationem totius corporis, diſtribuitur in omnia membra tanquam ſingulis præparatum ex æquo. At quando id non fit, tunc* ait *ſequi mortem corporis.*



LUCII APULEII MADAURENSIS PLATONICI

DE HABITUDINE DOCTRINARUM Platonis Philoſophi.

LIBER SECUNDUS.

De Philoſophiâ Morali.

MORALIS Philoſophiæ caput eſt, 1 Fauſtine fili, ut ſcias, quibus ad beatam vitam perveniri rationibus poſſit. 2 Verùm ad Beatitudinem Bonorum finem ante alia contingere, oſtendam, ut de hoc Plato ſenſerit. 3 Bonorum igitur alia eximia ac prima per ſe ducebat eſſe:

INTERPRETATIO.

FILI Fauſtine, præcipuum Philoſophiæ Moralis eſt, ut cognoſcas quibus modis poſſit perveniri ad vitam felicem. Sed demonſtrabo definitionem Bonorum ſecundùm ſententiam Platonis præcipuè conducere ad Felicitatem. Aiebat ergo ex Bonis quædam egregia & prima eſſe bona *ex ſeipſis: putabat re-*

NOTÆ.

1. *Fauſtine fili.*] Quis fuerit Fauſtinus ille, dicere in promptu non eſt. Exiſtimo fuiſſe nobilem quempiam adoleſcentem, cui librum ſuum inſcribit, quemque filium vocat blandiens, neque enim ejus reverà filium fuiſſe puto, cùm ipſe vetulam duxerit Pudentillam, ut patet ex Apologiâ, ac proinde partui vix habilem.

2. *Verùm ad Beatitudinem bonorum finem ante alia contingere, &c.*] Locus hic non omninò ſanus mihi videtur. ut ſenſus eliciatur commodus, lege: *Et cùm ſit verum ad &c.* hoc vult ſcilicet, cùm ad naturam Beatitudinis, quæ in Bonorum omnium aggregatione conſiſtit, rectè cognoſcendam, opus ſit ipſa bona & eorum naturam ac finem, hoc eſt, τ͂ ὅρον *definitionem* cognoſcere: ſe demonſtraturum quæ fuerit Platonis ſuper illâ bonorum definitione ſententia. Sic nomen *finis* Cicero uſurpat lib. 1. *De Finibus Bonorum & Malorum.*

3. *Bonorum igitur alia, &c.*] Vide hanc diviſionem Bonorum apud Plotinum Ennead. 1. lib. 7 Porrò quæ hoc libro habet Apuleius, ea pleraque ex libris Platonis de Leg. & de Rep. deſumpſit.

[1] per perceptionem cætera fieri Bona exiſtimabat. Prima Bona eſſe Deum ſummum, Mentemque illam, quam νοῦν idem vocat: ſecundùm ea, quæ ex priorum fonte profluerent, eſſe animi virtutes, Prudentiam, Juſtitiam, Pudicitiam, Fortitudinem. Sed his omnibus præſtare Prudentiam. ſecundam numero ac poteſtate Continentiam poſuit. has Juſtitiam ſequi. Fortitudinem quartam eſſe. [2] Differentiam hanc bonorum eſſe conſtituit: Partim divina per ſe, & prima, ſimplicia duci Bona: alia hominum: nec eadem omnium exiſtimari. Divina quippe eſſe atque ſimplicia, [3] virtutes animi: Humana autem Bona ea, quæ quorumdam eſſent, [4] quæ cum corporis commodis congruunt, [5] & illa, quæ nominamus Externa: [6] quæ ſapientibus & cum ratione ac modo viventibus ſunt ſecundùm Bona; ſtolidis & eorum uſum ignorantibus oportet eſſe Mala. Bonum primum eſt verum, & divinum illud optimum, & amabile, & concupiſcendum, cujus pulchritudinem rationabiles appetunt mentes, Naturâ duce, inſtinctæ eâ-

INTERPRETATIO.

liqua evadere Bona per participationem. Primaria Bona eſſe ſupremum Deum, & illam mentem, quam ipſe appellat νοῦν: poſt illa, Bona *quæ emanarent è ſcaturigine primorum, eſſe virtutes mentis,* nimirùm *Prudentiam, Juſtitiam, Continentiam, Fortitudinem. Verùm Prudentiam præcellere his omnibus. Conſtituit Continentiam ſecundam numero & vi. Poſt has eſſe Juſtitiam. Fortitudinem eſſe quartam. Affirmat hoc eſſe diſcrimen Bonorum: quædam Bona vocari divina ex ſeipſis & primaria ac ſimplicia; alia humana, & illa quidem non cenſeri* Bona *omnium. Etenim divina* Bona *& ſimplicia eſſe virtutes mentis: Bona verò humana eſſe ea, quæ ſpectarent* tantùm *ad aliquos,* ea, *quæ conveniunt cum bonis corporis, & ea, quæ vocamus extrinſeca: quæ poſt Bona ſunt iis, qui ſapiunt, & vivunt ſecundùm rectam rationem: neceſſe* autem *eſt eſſe mala ſtultis, & neſcientibus iis* rectè *uti. Primum Bonorum eſt illud verum & divinum, præſtantiſſimum, & amabile, & appetendum, cujus omnes animæ ratione præditæ exoptant pulchritudinem, Naturâ monſtrante viam, ipsâ allectæ*

NOTÆ.

1. *Per perceptionem.*] Quædam Exemplaria habent *per præceptionem*, malè. *per perceptionem* eſt quod κατὰ μέθεξιν Alcinoo cap. 27 *per participationem* vulgò in ſcholis.

2. *Differentiam hanc bonorum eſſe conſtituit: partim divina per ſe &c.*] Plato lib. 1. de Legibus, pag. 773 διπλᾶ δὲ ἀγαθά ἐστι, τὰ μὲν ἀνθρώπινα, τὰ δὲ θεῖα, &c. ubi hanc bonorum diviſionem explicat. Vide totum locum.

3. *Virtutes animi*] Prudentiam, temperantiam, juſtitiam, & fortitudinem, quam jam ſuprà commemoravit.

4. *Quæ cum corporis commodis congruunt.*] Ea ſunt apud Platonem ὑγίεια, κάλλος, & ἰσχύς. *ſanitas, pulchritudo & vires.*

5. *Et illa, quæ nominamus externa.*] Platoni πλοῦτος, οὐ τυφλός, ἀλλ' ὀξὺ βλέπων, ἄνπερ ἅμ' ἕπηται φρονήσει. *divitiæ, non cæcæ, ſed acutum cernentes, ſi prudentiam ſequantur.*

6. *Quæ ſapientibus, &c.*] Sic Hieronymus in Eſaiam: *perſpicuum eſt divitias & egeſtatem, ſanitatem & languorem, voluptatem & cruciatus nec bona eſſe, nec mala, ſed pro ſuſtinentium diverſitate bona & mala fieri.* Vide Platonem, lib. 2. de Legibus, pag. 792.

dem ad ejus ardorem. Et quòd non omnes id adipiſci queunt, [1] neque primi Boni adipiſcendi facultatem poſſunt habere, ad id feruntur [2] quod hominum eſt. [3] Secundum, nec commune multis eſt, nec quidem omnibus ſimiliter Bonum. Namque Appetitus, & agendi aliquid Cupido, aut vero Bono incitatur, [4] aut eo quod videatur Bonum. unde Naturâ duce cognatio quædam eſt cum Bonis, ei Animæ portioni, quæ Rationi conſentit. Accidens autem bonum eſſe putat, [5] quod corpori, rebuſque venientibus extrinſecùs copulatur: [6] & illum quidem, qui naturâ imbutus eſt ad ſequendum Bonum, non modò ſibimet ipſi natum putat, ſed omnibus: nec pari aut ſimili modo, verum [7] patriæ unumquemque acceptum eſſe, dehinc proximis, & mox cæ-

INTERPRETATIO.

ad ejus amorem. Quia tamen non poſſunt omnes illud *conſequi, neque poſſint habere copiam conſequendi primi Boni, tendunt ad illud, quod ſpectat ad homines. Secundum* Bonum *neque extenditur ad plurimos, neque certè eſt æqualiter Bonum omnibus. Appetitus enim & Cupiditas aliquid faciendi, vel inſtigatur vero Bono, vel illo quod apparet Bonum. Quare illa pars Animæ, quæ conjuncta eſt cum Ratione, habet affinitatem quandam cum Bonis inſtinctu Naturæ. Exiſtimat autem Bonum contingens eſſe* illud, *quod conjungitur corpori, & rebus accidentibus ab extrinſeco: & credit quidem eum, qui naturâ edoctus eſt ad ſectandum bonum, non tantùm natum eſſe ſibi ipſi, verùm etiam cunctis* hominibus: *neque hoc eâdem vel ſimili ratione, ſed unumquemque amicum eſſe patriæ, poſteà parentibus, ac denique reliquis, qui*

NOTÆ.

1. *Neque primi Boni adipiſcendi facultatem, &c.*] Quia ipſum nequeunt cognoſcere, ac proinde neque appetere, cùm ignoti nulla ſit cupido. Deum autem, qui ſummum Bonum eſt, difficile eſſe invenire ſecundum Platonem jam obſervavimus lib. ſuperiori, ad hæc Apuleii verba θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον, &c. ubi Platonis ipſius verba protulimus ex Timæo. Porrò, quod hìc ait, verum utique eſſe poteſt de Paganis, qui veri Boni cognitionem habere non poterant niſi ope Philoſophiæ, cui ſanè non omnes erant idonei. At de Chriſtianis falſum eſt, cùm ſtupidiſſimi quique ad ſummi illius Boni cognitionem ope fidei evehantur.

2. *Quod hominum eſt.*] *Sanitatem* nempè, *formam, vires, & divitias,* quæ Platoni ἀνθρώπεια ἀγαθὰ ſunt.

3. *Secundum.*] Bonum illud, de quo modò.

4. *Aut eo quod videatur bonum.*] Hinc eſt quod Plato ait in Protagora, pag. 248. ἐπὶ τὰ κακὰ οὐδεὶς ἑκὼν ἔρχεται, οὐδὲ ἐπὶ ἃ οἴεται κακὰ εἶναι. *nemo lubens ad mala deſcendit, neque ad illa, quæ mala exiſtimat.*

5. *Quod corpori rebuſque venientibus extrinſecùs copulatur.*] Ejuſmodi bona ſunt ſanitas, forma, vires, divitiæ, nobilitas generis, &c.

6. *Et illum quidem, &c. non modò ſibimetipſi natum putat, ſed omnibus.*] Plato, Epiſt. 9. quæ eſt ad Archytam Tarentinum, ait *nullum noſtrûm ſibi ſoli natum eſſe: ſed ortûs noſtri partem ſibi patriam vendicare: partem parentes: partem amicos, &c.* quod Cicero ex Platone tranſtulit in lib. 1. de Officiis.

7. *Patriæ unumquemque acceptum eſſe.*] Obſerva *acceptum* hîc neſcio an ſatis propriè, ſed certè neceſſariò (ut ex ſuperioribus patet) poſitum non paſſivè pro eo, qui placet & amatur à patriâ, &c. ſed activè pro eo, qui amat patriam. Quæ quidem acceptio ſingularis mihi videtur, ne quid pejus dicam. Quod ſi quidquam contra editionum omnium conſenſum liceret mutare, pro *acceptum* libenter legerem *addictum.*

teris, qui familiari uſu vel notitiâ junguntur. [1] Hominem ab ſtirpe ipsâ, neque abſolutè bonum, nec malum naſci; ſed ad utrumque proclive ingenium ejus eſſe, habere quidem ſemina quædam utrarumque rerum cum naſcendi origine copulata, quæ educationis diſciplinâ in partem alteram debeant emicare. doctoreſque puerorum nihil antiquiùs curare oportet, quàm ut ſint amatores virtutum; vel moribus & inſtitutis eos ad id prorsùs imbuere, ut regere & regi diſcant magiſtrâ Juſtitiâ. Quare præter cætera induci ad hoc eos oportere, ut ſciant quæ ſequenda fugiendaque ſint, Honeſta eſſe, ac Turpia: [2] illa Voluptatis, hæc Laudis; hæc verò dedecoris, ac turpitudinis, Honeſta eadem, quæ ſunt Bona, confidenter optare nos oportere. Tria genera Ingeniorum ab eo ſunt comprehenſa, quorum præſtans & egregium appellat unum: alterum, teterrimum peſſimumque: tertium ex utroque modieè temperatum, medium nuncupavit. Mediocritatis hujus vult eſſe participes puerum docilem, & virum progredientem ad modeſtiam, [3] eumdemque commodum ac venuſtum. Ejuſmodi quippe medietates inter Virtutes & Vitia intercedere dicebat, tertium quiddam: ex quo alia laudanda, alia culpanda eſſent. [4] Inter Scien-

INTERPRETATIO.

connectuntur cum ipſo *neceſſitudine familiari aut notitia. Hominem ab ipsâ* ſuâ *origine, non procreari omninò bonum, neque malum: verùm ejus naturam propenſam eſſe ad utrumque*, il lum *quidem habere primordia aliqua utriuſque conjuncta cum initio ſui ortûs, quæ neceſſe ſit proſilire in alteram partem pro ratione inſtitutionis* eorum. *atque opus eſt, ut Magiſtri puerorum nulli rei magis ſtudeant, quàm ut* illi *evadant ſtudioſi virtutum, aut ipſos adeò continuò imbuant moribus & præceptis. ut diſcant gubernare & gubernari Æquitate rectrice. Ideoque eos præſertim ad id impellendos eſſe, ut noſcant quæ oporteat ſectari, & quæ evitare, quædam eſſe Honeſta, quædam Inhoneſta; illa* eſſe *jucunda & decora. hæc autem indecora ac inhoneſta. nobis appetenda eſſe audacter Bona ea, quæ ſunt Honeſta. Complexus eſt tres ſpecies ingeniorum, quarum unam excellentem vocat eximiam: alteram deterrimam & peſſimam: tertiam appellavit mediam, quæ mediocriter mixta eſt ex duabus* aliis. *Cenſet puerum docilem, & virum tendentem ad moderationem. quique ſit commodus & lepidus, participare hanc mediocritatem. Nam aiebat talia media eſſe inter virtutes & vitia*, quæ quidem eſſent *aliquid tertium: & ex iis quædam eſſe laudabilia, quædam* verò *vituperabilia. Inter ſcientiam firmam &* igno-

NOTÆ.

1. *Hominem ab ſtirpe ipsâ neque abſolutè bonum, &c.*] Vide Platonem, in Menone, pag. 420. & ſeqq.

2. *Illa voluptatis, hæc laudis: hæc verò, &c.*] Cenſeo legendum *illa voluptatis ac laudis: hæc verò, &c.* duo enim tantùm poſuit genera, ſequendorum nempè, & fugiendorum, ſive Honeſtorum, & Turpium. Deinde Honeſta voluptatem afferre dicit, & laudem, Turpia verò, dedecus & turpitudinem.

3. *Eumdemque commodum ac venuſtum.*] Colvius conjiciebat reponendum *eundemque comm modò ac venuſtum.*

4. *Inter ſcientiam validam, alteram falſam, &c.*] Videtur hiare hic locus. ſic reſtituendum crediderim: *inter igno-*

tiam validam, alteram falſam, pervicaciæ vanitate jactatam: inter Pudicitiam libidinoſamque vitam, Abſtinentiam & Temperantiam poſuit. Fortitudini ac Timori medios Pudorem & Ignaviam fecit. Horum quippe, quos mediocres vult videri, neque ſinceras eſſe Virtutes, nec Vitia tamen mera & intemperata, ſed hinc atque inde permixta eſſe. Malitiam verò deterrimam, & omnibus vitiis imbuti hominis dicebat eſſe, quod accidere cenſebat, [1] cùm optima & rationabilis portio, & quæ etiam imperitare cæteris debet, ſervit aliis, [2] illæ verò vitiorum ducatrices Iracundia & Libido, Ratione ſub jugum miſsâ, dominantur. [3] Eam Malitiam de diverſis conſtare: Abundantiâ, Inopiâque. Nec ſolùm ea inæqualitatis vitio claudicare arbitratur, ſed etiam incumbere diſſimilitudinem. Neque enim poſſet cum Bonitate congruere, quæ à ſemetipsâ tot modis diſcrepet; & non ſolùm diſparilitatem, ſed etiam inconcinnitatem præ ſe gerat. Quapropter tres partes Animæ tribus dicit vitiis urgeri. Prudentiam Indocibilitas impugnat, (quæ non abolitionem infert Scientiæ, ſed contraria eſt Diſciplinæ diſcendi. Hujus duas ab eo ſpecies accepimus, Imperitiam & Fatuitatem: quarum Imperitia Sapientiæ, Fatuitas Prudentiæ inve-

INTERPRETATIO.

rantiam conſtituit alteram ſcientiam *adulterinam, quæ oſtentatur ſuperbiâ pertinaci: & inter Pudicitiam ac vitam luxurioſam, Continentiam & Incontinentiam. Interpoſuit Audaciæ ac Metui Verecundiam & Puſillanimitatem. Nam illorum* hominum, *quos ait eſſe in mediocri ſtatu,* exiſtimat *nec virtutes eſſe puras, neque tamen vitia pura & impermixta, ſed ex hac atque illâ parte eſſe temperata. Malitiam autem aiebat pertinere ad hominem peſſimum & pollutum cunctis vitiis. quod aiebat contingere quando pars* Animæ *potiſſima & rationalis, quæque debet dominari reliquis, ſubdita eſt aliis, illæ autem anteſignanæ vitiorum Ira & Libido ſubditâ ſibi Ratione imperitant.* Ait præthereà *illam ipſam Malitiam conſtitui in diverſis, exceſſu nempè & defectu. Neque exiſtimat tantùm eam vacillare vitio inæqualitatis, verùm etiam laborare* eam *diſparitate. Nam non poſſet convenire cum Bonitate, quandoquidem tam multiplici ratione differat à ſeipsâ; & non tantùm præ ſe ferat diſſimilitudinem, verùm etiam incongruitatem. Quamobrem affirmat tres portiones Animæ premi tribus vitiis. Ratio oppugnatur ab Indocilitate, quæ non importat ſublationem doctrinæ, ſed adverſatur docilitati* requiſitæ *ad diſcendum. Didicimus ab ipſo duas eſſe ſpecies illius, Ignorantiam & Stoliditatem, quarum Ignorantia ſcientiæ Stoli-*

NOTÆ.

rantiam, & ſcientiam validam, alteram falſam, &c. Ratio emendationis patet ex eo, quod paulò antè ſcriptum eſt: *ejuſmodi quippe medietates inter virtutes & vitia intercedere dicebat, &c.* juxta hanc emendationem verti in interpretatione.

1. *Cum optima & rationabilis portio.*] Supple *animæ*, quam quidem portionem in capite ponit Plato.

2. *Illæ verò vitiorum ducatrices Iracundia & libido, &c.*] De his Plato in Timæo.

3. *Eandem malitiam de diverſis conſtare, Abundantiâ, Inopiâque.*] Abundantia enim nimia (ut ait Plato Dial. 4. de Republ.) delicias deſidiam, & rerum novarum ſtudium parit: Inopia verò cùm rerum innovatione illiberalitatem, & maleficia gignit.

niuntur inimicæ.) Iracundiam, [1] Audacia. Ejus comitatum ſequuntur Indignatio & [2] Incommobilitas, dicta Græcè ἀοργησία. ita enim dixerim, quæ non extinguit incitamenta Irarum; ſed ea ſtupore defigit immobili. Cupiditatibus applicat Luxuriam, id eſt, appetitus voluptatum, & deſideriorum, ad fruendum potiendumque hauſtus inexplebiles. Ex hac manat Avaritia atque Laſcivia: quarum altera Liberalitatem coërcet, altera immoderatiùs fundendo patrimonii prodigit facultates. [3] Sed Virtutem Plato habitum eſſe dicit mentis optimè & nobiliter figuratum, quæ concordem ſibi & quietum, conſtantem etiam facit eum, cui fuerit fideliter intimata, non verbis modò, ſed etiam factis, ſecum & cum cæteris congruentem. Hoc verò proclivius, ſi Ratio in regni ſui ſolio conſtituta, Appetitus & Iracundias ſemper domitas & in frænis habet: ipſique ita obediunt, ut tranquillo miniſterio fungantur. [4] Unimodam verò eſſe Virtutem, quòd Bonum ſuâpte naturâ adminiculo non indiget. perfectum autem quod ſit, ſolitudine debet eſſe contentum. Nec ſolùm qualitas, verùm etiam ſimilitudo cum Virtutis ingenio conjungitur. Ita enim ſecum ex omni parte con-

INTERPRETATIO.

ditas Prudentiæ contrariæ reperiuntur. Pars Iraſcibilis oppugnatur *ab Audaciâ. Ejus aſſeclæ ſunt Indignatio, & Stupor dictus Græcè ἀοργησία. ſic enim vocaverim* affectum, *qui non aufert ſtimulos Irarum; verùm ſiſtit illos torpore immobili. Apponit parti concupiſcenti Libidinem, hoc eſt, deſideria Voluptatum, & inſatiabiles hauſtus cupiditatum ad fruendum & potiendum. Ex hac* libidine *derivantur Avaritia & Laſcivia, quarum una cohibet largitatem, altera diſſipat bona patrimonii, profundendo* ea *intemperantiùs. Plato autem ait Virtutem eſſe habitum animi optimè & præclariſſimè formatum, quæ* Virtus *illum, cui fuerit ſincerè infixa, reddit ſibi unanimem, & pacatum, ſtabilem quoque, & convenientem ſecum, & cum reliquis, non verbis tantùm, ſed & factis quoque. Id autem facilius* eſt, *ſi Ratio collocata in throno ſui Regni, teneat perpetuò Cupiditates & Iras ſibi ſubditas, & illæ ſic ei pareant, ut exerceant ſua munia quietè. Virtutem autem* ait *eſſe uniformem, quia Bonum ex ſuopte ingenio non opus habet ſuſtentaculo, ſed quod eſt perfectum, debet eſſe contentum e uno. Neque tantùm qualitas connectitur cum naturâ virtutis, ſed etiam & ſimilitudo. Nam ſic ſibi ipſi undique convenit.*

NOTÆ.

1. *Audacia.*] Quam à Fortitudine plurimùm diſcrepare ait Plato in Protagora, & Audaciam quidem hominibus provenire ab arte, ab irâ, ab inſaniâ, Fortitudinem verò à naturâ debitâque educatione animorum.

2. *Incommobilitas dicta Græcè ἀοργησία.*] Alii ἀναλγησία, quæ eſt *indolentia* Ciceroni, quidam ἀναισθησία, quam *inſenſibilitatem* vertere poſſumus. At ἀοργησία magis quadrat huic loco, meliùs enim exprimit quam habet Apuleius *incommobilitatem*. Et magis convenit cum corruptâ lectione codicis Florentini ab Elmenhorſtio relatâ, DORTESIA NYIS, quam puto corruptam fuiſſe ex hac germanâ: ΑΟΡΓΗΣΙΑ ΝΟΟΥ *incommobilitas animi.*

3. *Sed virtutem Plato, &c.*] Vide Platonis Menonem, & lib. 4. de Repub.

4. *Unimodam verò eſſe virtutem.*] Vide Plat. in Protagora, pag. 129. & ſeqq.

gruit, ut ex ſe apta ſit, ſibique reſpondeat. Hinc etiam [1] Medietates; [2] eaſdemque Virtutes ac ſummitates vocat: [3] non ſolùm quòd careant redundantiâ & egeſtate, ſed quòd in meditullio quodam vitiorum ſint ſitæ. Fortitudo quippe circumſiſtitur, hinc Audaciâ, inde Timiditate. Audacia quidem Confidentiæ fit abundantiâ; Metus verò vitium deficientis Audaciæ. [4] Virtutum perfectæ quædam ſunt, imperfectæ aliæ. Et imperfectæ ſunt illæ, [5] quæ in omnibus beneficio ſolo Naturæ proveniunt, [6] vel, quæ ſolis Diſciplinis traduntur: & magiſtrâ Ratione diſcuntur. Eas igitur, quæ ex omnibus conſtant, dicimus eſſe perfectas. Imperfectas virtutes ſemet comitari negat. [7] Eas verò, quæ perfectæ ſunt, individuas ſibi, & inter ſe connexas eſſe, ideò maximè arbitratur: quòd ei, cui ſit egregium ingenium, ſi accedat Induſtria, Uſus etiam & Diſciplina, quam dux rerum Ratio fundaverit,

INTERPRETATIO.

ut ex ſe ipsâ ſibi *ſit concinna, & ſibi conſentiat. Hac etiam de causâ appellat Medietates eaſdem virtutes, quæ etiam Summitates* dicuntur, *non modò quia expertes ſunt exceſsûs & defectûs, verùm* etiam *quia locatæ ſunt quodammodo in medio vitiorum. Etenim Fortitudinem circumſtant hinc Audacia, illinc Metus. Audacia quidem fit ex copiâ Fiduciæ; Timor verò eſt vitium Confidentiæ deſtituentis. Ex virtutibus aliquæ ſunt perfectæ, aliæ imperfectæ. Ac illæ* quidem *ſunt imperfectæ, quæ naſcuntur in ſingulis ſolo munere naturæ, aut quæ produntur ſolis præceptis, & addiſcuntur Ratione docente. Dicimus ergo illas eſſe perfectas, quæ conflatæ ſunt ex omnibus. Negat* Plato *virtutes imperfectas inter ſe connexas eſſe. Idcircò autem præcipuè exiſtimat illas, quæ ſunt perfectæ, eſſe inter ſe conjunctas & inſeparabiles, quòd is, qui habet præſtantem indolem, ſi inſuper habeat Solertiam, Experientiam quoque, & Diſciplinam, quam Ratio gubernatrix rerum firmaverit, nihil*

NOTÆ.

1. *Medietates.*] Cave has medietates eaſdem eſſe putes, ac ea, quæ Philoſophi τὰ μέσα *media* vocant, de quibus infrà nonnihil. Hæc enim ſic dicta ſunt, quòd ex ſe neque bona, neque mala ſint, ſed media inter utraque: illæ verò, quòd mediæ ſint inter duo contraria vitia, quales eſſe virtutes jam ſuprà dictum, & fuſiùs infrà declaratur ab Apuleio.

2. *Eaſdemque virtutes ac ſummitates vocat: non ſolùm, &c.*] Totum hunc locum mirè illuſtrant quæ habet Ariſtoteles lib. 2. de Moribus cap. 6. quem vide.

3. *Non ſolùm quòd careant, &c.*] Refer hoc ad *medietates*, non autem ad *ſummitates*.

4. *Virtutum perfectæ quædam ſunt.*] Diogenes Laërt. in Vitâ Platonis: τῆς τελείας ἀρετῆς εἴδη τέτταρα, ἓν μὲν φρόνησις, ἓν δὲ δικαιοσύνη, τρίτον δὲ ἀνδρεία, τέταρτον σωφροσύνη. *perfectæ conſummatæque virtutis eſſe ſpecies quatuor, primam Prudentiam, ſecundam Juſtitiam, Fortitudinem tertiam, quartam Temperantiam.*

5. *Quæ in omnibus beneficio ſolo naturæ proveniunt.*] Quales ſunt naturales omnes animi dotes.

6. *Vel, quæ ſolis diſciplinis traduntur, &c.*] Quales ſunt artes omnes.

7. *Eas verò, quæ perfectæ ſunt individuas ſibi, &c.*] Hoc eſt, quod in ſcholis vulgò dicunt Virtutes connecti in ſtatu heroïco.

nihil

nihil relinquetur quod non Virtus adminiſtret. [1] Virtutes omnes cum Animæ partibus dividit: & illam virtutem, quæ Ratione ſit nixa, & eſt ſpectatrix dijudicatrixque omnium rerum, [2] Prudentiam dicit, atque Sapientiam; quarum Sapientiam diſciplinam vult videri divinarum humanarumque rerum: Prudentiam verò, ſcientiam eſſe intelligendorum Bonorum & Malorum, [3] eorum etiam, quæ Media dicuntur. In eâ verò parte, quæ iracundior habeatur, Fortitudinis ſedem eſſe & vireis Animæ, nervoſque ad ea implenda, quæ nobis ſeveriùs agenda Legum imponuntur imperio. Tertia pars Mentis eſt Cupidinum & Deſideriorum, cui neceſſariò Abſtinentia comes eſt: quam vult eſſe ſervatricem convenientiæ eorum, quæ naturâ recta pravaque ſunt. In homine ad Placentiam ac Mediocritatem Libido flectitur, actuſque voluptarios ratione hujus dicit ac modeſtiâ coërceri. Per has treis Animæ parteis quartam virtutem Juſtitiam [4] æqualiter dividentes, ſcientiamque cauſam eſſe dicit, ut unaquæque potiore ratione ac modo,

Interpretatio.

ampliùs habebit quod virtus non exequatur. Diſtribuit virtutes juxta diſtributionem *portionum animæ: atque illam virtutem, quæ innititur Rationi & conſiderat atque æſtimat omnia, appellat Prudentiam, & Sapientiam; ex quibus cenſet ſapientiam eſſe ſcientiam rerum divinarum & humanarum: Prudentiam autem eſſe diſciplinam cognoſcendorum Bonorum & Malorum, atque eorum, quæ appellantur Media. In illâ autem* Animæ *portione, quæ eſt commotior*, dicit *eſſe domicilium Fortitudinis, & robur Animæ ac vires ad exequenda illa, quæ nobis ſeveriùs præſcribuntur facienda juſſu* Legum. *Tertia portio Animæ eſt ea*, quæ pertinet *ad Cupiditates & Appetitus, cui neceſſe eſt adeſſe Temperantiam, quam ait* Plato *eſſe conſervatricem congruentiæ illarum rerum, quæ ex ſe ſunt bonæ & malæ. In homine Cupido inclinatur ad complacentiam, & moderationem, & ait actiones voluptuoſas cohiberi hujus* virtutis *dictamine & moderatione. Diſtribuit ex æquo per has tres portiones mentis Juſtitiam quartam virtutem, & ait eam eſſe cauſam cur ſingulæ pareant optimâ ratione & modo ad*

Notæ.

1. *Virtutes omnes cum animæ partibus dividit.*] Lib. 4. de Repub. pag. 641 & 642. quas vide.

2. *Prudentiam dicit atque ſapientiam.*] Harum duarum Prudentia tantùm virtus eſt moralis, quippe quæ ſola circa Bona & Mala ac Media verſetur. Sapientia verò ex numero eſt illarum virtutum, quas dicit Plato beneficio naturæ aut diſciplinâ comparari.

3. *Eorum etiam quæ media dicuntur.*] τῶν μέσων, de quibus ſupra, quæ nimirùm ex ſeſe neque Bona, neque Mala, ſed perinde ſunt atque illius animus, qui ea poſſidet: qualia ſunt Bona fortunæ & corporis.

4. *Æqualiter dividentes, ſcientiamque.*] Corruptus proculdubio locus, quem reſtituere abſque MSS^um ope non auſim. Interim, ut ſenſum elicerem commodum ſic interpretatus ſum quaſi fuiſſet ſcriptum: *Per has tres animæ partes quartam virtutem Juſtitiam æqualiter dividit, eamque cauſam eſſe dicit, &c.* Favet meæ interpretationi quod ait Plato lib. 4. de Rep. pag. 640. Juſtitiam eſſe, quæ Temperantiæ, Fortitudini, & Prudentiæ vim præbuit, quâ & innaſcerentur, & innatæ perſeverarent quandiu ipſa adeſſet.

ad fungendum munus obediat. Hanc ille heros Juſtitiam modò nominat, nunc univerſæ Virtutis nuncupatione complectitur, & item Fidelitatis vocabulo nuncupat; ſed cùm ei, à quo poſſidetur, eſt utilis, Benivolentia eſt: at cùm foras ſpectat, & eſt fida ſpeculatrix utilitatis alienæ, Juſtitia nominatur. [1] Eſt & illa Juſtitia, quæ quartum vulgatâ diviſione virtutum locum poſſidet, [2] quæ cum Religioſitate, id eſt, ὁσιότητι copulatur. quarum Religioſitas Deûm honori [3] ac ſuppliciis divinæ rei mancipata eſt; illa verò hominum ſocietatis & concordiæ remedium atque medicina eſt. Duabus autem æqualibus de cauſis utilitatem hominum Juſtitia regit, [4] quarum eſt prima, numerorum obſervantia, & diviſionum æqualitas, [5] & eorum quæ pacta ſunt ſymbolæ. ad hæc ponderum menſurarumque cuſtos, & communicatio opum publicarum: [6] ſecunda finalis eſt, & veniens ex æquitate partitio, ut ſingulis in agros dominatus congruens deferatur, ac ſer-

Interpretatio.

exequendum ſuum munus. Eam Divinus ille vir nunc appellat Juſtitiam, nunc eam *comprehendit generali vocabulo Virtutis, atque appellat etiam* eam *nomine Fidelitatis; at quando utilis eſt illi, qui eam habet, dicitur Benevolentia: ſed cùm reſpicit extra ſe, atque eſt fidelis exploratrix commodi alieni, appellatur Juſtitia. Illa etiam Juſtitia eſt, quæ tenet quartum locum in communi diſtributione Virtutum, quæ conjungitur cum Religione, hoc eſt,* Sanctimoniâ. *ex quibus Religio addicta eſt cultui Deorum, & ſupplicationibus Religionis. Juſtitia autem eſt medela ac remedium ſocietatis & pacis humanæ. Juſtitia vero dirigit commoda hominum ob duas rationes æqualis momenti, quarum prima eſt obſervatio computationum, & æqualitas diviſionum, & inſtrumenta pactorum. inſuper cuſtodia ponderum ac menſurarum, & diſpenſatio divitiarum publicarum: ſecunda pertinet ad limites* agrorum, *& eſt diviſio procedens ex juſtitiâ, ut conveniens dominium in agros tribuatur unicuique, & major ſervetur bonis.*

Notæ.

1. *Eſt & illa Juſtitia, &c.*] Strictiùs ſumpta pro virtute illâ, quæ ſuum unicuique tribuit.

2. *Quæ cum religioſitate, id eſt, ὁσιότητι copulatur.*] ὁσιότης hæc, ſeu ſanctitas, ſecundùm Platonem, ea Juſtitiæ pars eſt, quæ ſuum Deo tribuit. Vide illum in Dialogo, cui *Eutyphro* nomen eſt. *Religioſitas* vox Apuleio peculiaris.

3. *Ac ſuppliciis.*] Sacrificiis, & propitiationibus. Hoc ſenſu apud Livium, lib. 27. legas *ſuppliciis votiſque fatigavere Deos.*

4. *Quarum eſt prima numerorum obſervantia &c.*] Hæc vulgò Juſtitia commutativa dicitur: cujus eſt conſulere, ut ne quis in ſolitis hominum commerciis & contractibus injuriâ afficiatur.

5. *Et eorum, quæ pacta ſunt ſymbolæ.*] Hoc eſt, tabulæ, inſtrumenta, teſſeræ, arræ, ea denique omnia, quæ pactorum firmandæ fidei inſerviunt. Sæpiùs in hoc ſignificatu legas *ſymbola* quàm *ſymbolæ*. Reperitur quidem cùm apud alios, tùm apud Plautum multis in locis ſed non eodem planè ſignificatu: Curcul. Act. 4 Scen. 1.

Symbolarum collatores apud forum piſcarium.

6. *Secunda finalis eſt &c.*] Hæc poſterior dicitur Juſtitia Diſtributiva. ipſiuſque eſt, præmia & pœnas pro meritorum ratione ſtatuere. Finalis ideò hîc dicta, quòd ea ſtatuat, quæ ad agrorum fines ſpectant.

vetur bonis potior, minor non bonis. Ad hoc, bonus quiſque Naturâ & induſtriâ in honoribus & officiis præferatur : peſſimi cives luce careant dignitatis. Sed ille juſtus in deferendo honore, ac ſervando, modus eſt ei, qui eſt ſuffragator Bonorum, & Malorum ſubjugator : ut ſemper in civitate emineant quæ ſunt omnibus profutura, jaceant & ſubjecta ſint cum ſuis auctoribus vitia. Quod faciliùs obtinebitur, ſi duobus exemplis inſtruamur : unius, divini & tranquilli & beati : alterius, irreligioſi & inhumani, [1] ac meritò inteſtabilis, [2] ut peſſimo quidem alienus, & averſo à rectâ vivendi ratione, facultates ſuas divino illi & cœleſti ac bono meliores eſſe velit. [3] Hinc Rhetoricæ duæ ſunt apud eum partes. [4] quarum una eſt Diſciplina contemplatrix Bonorum, juſti tenax, apta & conveniens cum ſectâ ejus, qui Politicus vult videri : alia verò adulandi ſcientia eſt, captatrix veriſimilium, uſus nullâ ratione collectus. [5] Sic enim ἄλογον τριβὴν elocuti ſumus, quæ perſuaſum velit, quod docere non valeat : [6] Hanc δύναμιν τοῦ τὰ

Interpretatio.

minor verò *malis. Præterea, ut ſinguli boni tum ſuâpte indole, tum arte ſuâ anteponantur in dignitatibus & muneribus adipiſcendis, cives autem mali priventur ſplendore Magiſtratûs. Verùm hæc eſt ratio æqua* obſervanda *illi, qui favet bonis & proculcat malos, in tribuendâ & conſervandâ dignitate : ut illa ſemper excellant in civitate, quæ futura ſunt utilia univerſis, vitia verò cum ſuaſoribus eorum negligantur, & proculcentur. Quod efficietur faciliùs, ſi erudiamur exemplis duorum hominum, unius religioſi & quieti ac felicis : alterius impii & crudelis, ut* qui edocetur *averſus quidem à deterrimo & eo, qui aberrat à juſtâ inſtitutione vitæ, malit ſuas opes convenire illi religioſo cœleſti & probo. Exinde ipſe ponit duas partes Rhetoricæ, quarum una eſt ſcientia obſervatrix Bonorum, ſtudioſa Æquitatis, quæ idonea eſt, & congruit cum profeſſione illius, qui vult haberi aptus regendæ civitati : altera autem eſt diſciplina adulandi, quæ aucupatur veriſimilitudinem, experientia comparata ſine ratione. Nam ſic expoſuimus ἄλογον τριβὴν, quæ vult perſuadere, quod non poteſt docere : Plato definivit eam ſa-*

Notæ.

1\. *Ac meritò inteſtabilis.*] *Antiqui* (inquit Porphyrio ad Horat Sermon. Sat 3.) *Eos, quos ad teſtimonium admitti nolebant, inteſtabiles vocabant. Deteſtabiles, quorum teſtimonium malum & execrandum eſſet. Improbus inteſtabiliſque* in Legg. 12. Tab.

2\. *Ut peſſimo quidem alienus, & averſus à rectâ Ratione. &c.*] Locus hic procul dubio corruptus eſt. Conjiciebam ſic legendum : *ut peſſimo quidem alienus & averſo à rectâ vivendi ratione, facultates &c.* ut ſenſus eſſet : *ut* (Civis quiſpiam, cui hæc duo exempla proponerentur) *abhorrens ab improbo illo, qui à recta vitâ deflectit, malit ſuas opes probo illi viro permittere, quem iis credat meliùs uſurum.*

3\. *Hinc Rhetoricæ duæ ſunt partes.*] Vide Platonis Gorgiam.

4\. *Quarum una eſt diſciplina contemplatrix bonorum, &c.*] Hanc tamen Plato non Rhetoricam, ſed Juſtitiam Judiciariam appellat, eamque opponit Rhetoricæ.

5\. *Sic enim ἄλογον τριβὴν elocuti ſumus.*] Quod magis ad verbum vertas : *uſum ratiocinio carentem.*

6\. *Hanc δύναμιν τοῦ τὰ ψευδῆ πιθανὰ δοκεῖν.*] Hæc Vulcanii editio eſt,

ψευδῆ τέχνην δοκεῖν definivit Plato: [1] quam Civilis particulæ umbram, id eſt, imaginem nominavit. Civilitatem verò, quam πολιτικὴν vocat, ita vult à nobis intelligi, ut eam eſſe ex virtutum numero ſentiamus: nec ſolùm agentem, atque in ipſis adminiſtrationibus rerum ſpectari ab eâ univerſa atque diſcerni. Nec ſolùm providentiam prodeſſe Civilibus rebus, ſed omnem ſenſum ejus atque propoſitum, fortunatum & beatum ſtatum facere Civitatis. Hæc eadem utilitatem animæ procurat duobus modis. Altera namque Legalis eſt, Juridicialis altera. Sed prior conſimilis eſt [2] exercitationi, per quam pulchritudo animæ & robur acquiritur: ſicut exercitatione valetudo corporis gratiaque retinetur. [3] Juridicialis illa Medicinæ par eſt, nam morbis animæ me-

INTERPRETATIO.

cultatem perſuadendi abſque docendo: *quam appellavit umbram, hoc eſt, ſimulacrum* cujuſdam partis ſcientiæ *Politicæ. Vult autem Scientiam Civilem, quam appellat Politicam, ſic à nobis concipi, ut exiſtimemus eam eſſe unam ex Virtutibus: neque eam tantùm eſſe activam, &* occupatam *in ipſo regimine, ſed omnia* prorsùs *conſiderari ab eâ, & diſtingui. Et Providentiam non tantùm promovere res Politicas; verùm omne ejus intentum & propoſitum eſſe, ut reddat ſtatum Civitatis* omninò *proſperum & felicem. Hæc ipſa ſtudet commodis mentis duplici ratione. Nam una eſt Legalis, altera Juridicialis. At prima* harum *perſimilis eſt exercitio, quo decor & firmitas comparatur menti: quemadmodùm ſanitas & pulchritudo corporis conſervatur exercitio. Hæc Judicialis ſimilis eſt Medicinæ, affert enim remedium ægritudinibus men-*

NOTÆ.

habent Florent. & Leidenſ. membranæ: ΔΥΝΑ MEIN TOTE TOIN DE FITOTT DASKEIN. monſtrosè & nullo ſenſu. Exemplar meum Elmenhorſtianum habet ad marginem manu emendatum δύναμιν τοῦ πείθειν οὐδὲ τοῦ διδάσκειν *virtutem perſuadendi nec docendi*, quod magis accedit, meliúſque quadrat cum eo, quod habet Plato in Gorg. pag. 313. οὐκοῦν (ῥητορικὸν φῄς ποιεῖν οἷός τε εἶ) περὶ πάντων ὥστ' ἐν ὄχλῳ πιθανὸν εἶναι, οὐ διδάσκοντα, ἀλλὰ πείθοντα; hoc eſt, *nonne (dicis te quempiam efficere poſſe Rhetorem) ut de omnibus in turbâ probabiliter dicere, poſſit non docendo, ſed ſuadendo?*

1. *Quam civilis particulæ umbram, id eſt, imaginem nominavit.*] Pleræque editiones habent, *civilis articuli*, malè. Debetur hæc emendatio Lindenbrogio, ad Ammianum lib. 30. pag. 196. quam rectam eſſe probant hæc Platonis in Gorg. pag. 316. ἔστι γὰρ ἡ ῥητορικὴ, κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον, πολιτικῆς μορίου εἴδωλον. Quænam verò ſit illa pars Civilis Scientiæ, cujus Rhetorica umbra tantùm eſt & ſimulacrum, inferiùs declarat idem Plato: nempè eam eſſe Juſtitiam Judiciariam, quam in adulationis genere mentitur Rhetorica, quemadmodùm Sophiſtica Legalem, Fucatoria Gymnaſticam, & Coquinaria Medicinam. Verùm hæc, & quæ ſequuntur fuſiùs vide apud Platonem, pag. 316. 317. & ſeqq. in Gorgia.

2. *Exercitationi per quam pulchritudo, &c.*] Gymnaſticæ.

3. *Juridicialis illa Medicina par eſt.*] Malè in cæteris editionibus, *Medicinæ pars eſt.* Emendationem hanc, ut & alias non paucas ignotæ manui debeo, cujus nonnulla habeo annotata ad marginem mei Elmenhorſtiani exemplaris. Cæterùm hæc ad verbum pœnè expreſſa ſunt ex Platone. ſic enim habet: τῆς δὲ πολιτικῆς, ἀντὶ μὲν τῆς γυμναστικῆς τὴν νομοθετικὴν (λέγω) ἀντίστροφον δὲ τῇ ἰατρικῇ τὴν δικαιοσύνην.

detur, ſicut illa corporis. Has Diſciplinas vocat, plurimumque earum curationem commoditatis afferre profitetur. Harum imitatrices eſſe Coquinam & Unguentariam. Sed & artem Sophiſticam, [1] profeſſionemque Juris blandam, & aſſentationum illecebras turpes profitentem, inutilem cunctis. [2] quarum Sophiſticam Coquinæ conjungit. Nam ut illa Medicinæ profeſſionem interdum opinione imprudentium captat, quaſi ea, quæ agit, cum morborum medelâ conveniant: ſic Sophiſtice imitata Juridicialem ſtatum, dat opinionem ſtultis, quaſi Juſtitiæ ſtudeat, quam iniquitati favere conſtat. Unguentariam verò profeſſores Juris imitantur: nam ſicut illa remedio vult eſſe, per quod ſpecies corporibus ac valetudo ſerventur, & non modò utilitatem corporum minuit, ſed robur etiam vireſque frangit, & verum colorem ad deſidiam ſanguinis mutat: ſic hæc ſcientiam imitata Juris, ſimulat quidem virtutem ſe animis augere, enervat autem quod in illis nativæ fuerit Induſtriæ. [3] Virtutes eas doceri & ſtuderi poſſe arbitrabatur, quæ ad rationabilem Animam pertinent, id eſt, Sapientiam & Prudentiam: & illas, quæ vitioſis partibus pro remedio reſiſtunt, id eſt,

INTERPRETATIO.

tis, quemadmodùm Medicina ægritudinibus *corporis. Has nominat Scientias, & affirmat ſtudium ipſarum parere permultùm utilitatis.* Dicit *Culinariam & Coſmeticen eſſe earum ſimias. Verùm autem Sophiſticam, & profeſſionem Juris aſſentatricem, ac præ ſe ferentem inhoneſtas blanditias adulationum, eſſe omnibus noxiam. Ex quibus Sophiſticam copulat cum Culinariâ. Sicut enim illa nonnunquam aucupatur nomen Medicinæ exiſtimatione ignarorum, quaſi illa, quæ facit, congruant remedio morborum: ita Sophiſtica mentita profeſſionem Juris dicundi,* hanc de ſe *ignaris facit exiſtimationem, veluti faveat æquitati, cùm certum ſit ſtudere* eam *injuſtitiæ. Profeſſores autem Juris referunt Coſmeticen. Quemadmodum enim hæc contendit* unguenta ſua *mederi* morbis, *per quæ* etiam *pulchritudo & ſanitas conſerventur corporibus, &* tamen *non tantùm imminuit commoda corporum, ſed labefactat quoque firmitatem & vires, & immutat colorem genuinum,* faciendo *ut ſanguis ſubſidat* ad interiora*: ita hæc mentita Juriſprudentiam, fingit quidem ſe procurare mentibus incrementa Virtutis, at* reverà *debilitat naturalem ſolertiam, quæ eſt in illis. Exiſtimabat virtutes illas, quæ ſpectant ad portionem rationalem mentis nimirùm Sapientiam & Prudentiam, poſſe tradi* præceptis, *& comparari* ſtudio*: atque eas quidem, quæ obſiſtunt portionibus Animæ corruptis, veluti* earum *remedium,*

NOTÆ.

1. *Profeſſionemque Juris blandam, & aſſentationum illecebras turpes profitentem.*] Hanc Plato unico vocabulo ἐμπειρίαν vocat, ſemperque opponit Juſtitiæ Judiciariæ, quam Noſter ſuprà Rhetoricæ partem dixit contemplatricem Bonorum, juſti tenacem, &c.

2. *Quarum Sophiſticam Coquinæ conjungit.*] Paulò aliter Plato. Ait enim more Geometrico: *quòd Fucatrix ad Gymnaſticam, id ad Medicinam eſſe Coquinariam: imò ſic, quòd Fucatrix ad Gymnaſticam, hoc Sophiſticam ad Legalem: rurſúſque quòd Coquinaria ad Medicinam, id Rhetoricam eſſe ad Juſtitiam.*

3. *Virtutes eas doceri & ſtuderi poſſe, &c.*] Contrarium docet Plato, in Menone, ubi fusè diſſerit Virtutem doceri non poſſe.

Fortitudinem & Continentiam rationabiles quidem eſſe. Superiores autem Virtutes pro Diſciplinis haberi. Cæteras, ſi perfectæ ſunt, Virtutes appellat: [1] ſi ſemiperfectæ ſunt, non eas quidem Diſciplinas vocandas eſſe cenſet; ſed nec in totum exiſtimat Diſciplinis alienas. [2] Juſtitiam verò, quòd ex trinis Animæ regionibus ſparſa ſit, artem vivendi, ac Diſciplinam putat: & nunc [3] docilem eſſe, nunc uſu & experiendo provenire. Bonorum autem quædam ſui gratiâ aſſerit expetenda, ut Beatitudinem, [4] ut bonum Gaudium: alia non ſui gratiâ, [5] ut Medicinam: alia & ſui & alterius, & Providentiam, cæteraſque Virtutes, quas & ſui causâ expetimus, ut præſtantes per ſe, & honeſtas: & alterius, id eſt, Beatitudinis, quæ eſt Virtutum exoptatiſſimus fructus. Hoc pacto etiam Mala quædam ſui causâ fugitanda ſunt, alia cæterorum, pleraque & ſui & aliorum: ut Stultitia, & ejuſmodi vitia, quæ & ſui causâ vitanda ſunt, & eorum, quæ accidere ex his poſſunt: id eſt, Miſeriæ & Infelicitates. Eorum, quæ appetenda ſunt, quædam abſolutè Bona dicimus, quæ ſemper atque omnibus, cùm aſſunt, invehunt commoda: ut Virtutes, quarum Beatitas fructus

INTERPRETATIO.

nempè Fortitudinem, & Temperantiam eſſe quidem rationis participes. Priores verò Virtutes exiſtimari Scientias. Si reliquæ ſint perfectæ, vocat eas Virtutes: ſi verò tantùm *ſemiperfectæ ſunt, non exiſtimat quidem eas appellandas eſſe Scientias: at non putat eas omninò remotas eſſe à Scientiis. Exiſtimat autem Juſtitiam eſſe artem & Scientiam vivendi, quæ extenditur per tres partes mentis: &* eam *comparari præceptis, modò uſu & experientiâ. Affirmat autem aliqua Bona cupienda eſſe propter ſe, v. g. Beatitudinem, & juſtam Lætitiam: alia non propter ſe, veluti Medicinam; alia & propter ſe & propter aliud, veluti Prudentiam ac reliquas Virtutes, quas exoptamus & propter ſe, tanquam ex ſuâ naturâ excellentes atque honeſtas, & propter aliud, nempè* propter *Beatitudinem, quæ eſt deſideratiſſimus fructus Virtutum. Eâdem ratione aliqua etiam Mala fugienda ſunt propter ſe, quædam propter alia: quamplurima tùm propter ſe, tum propter alia: quemadmodum Inſania, ac ſimilia Mala, quæ fugienda ſunt tùm propter ſe, tùm propter ea, quæ poſſunt evenire ex ipſis: nempè* propter *Miſerias & Infortunia. Ex iis, quæ ſunt optanda, vocamus nonnulla ſimpliciter Bona, quæ, cùm poſſidentur, inferunt utilitatem perpetuò, & cunctis,* qui ea poſſident: *quales ſunt Virtutes, quarum*

NOTÆ.

1. *Si ſemiperfectæ ſunt, &c.*] Has ſuprà imperfectas appellavit, dixitque illas eſſe, quæ in omnibus beneficio ſolo Naturæ proveniunt, vel, quæ ſolis Diſciplinis traduntur: & magiſtrâ ratione diſcuntur.

2. *Juſtitiam verò, quòd trinis Animæ regionibus ſparſa ſit.*] Unde & Virtutes omnes Morales Plato uno Juſtitiæ nomine complectitur.

3. *Docilem.*] Obſerva hìc *docilem*, non vulgato ſenſu accipi pro eo, qui facilè ſe doceri patitur, ſed pro eo, quod facilè præceptis traditur & comparatur.

4. *Ut bonum gaudium.*] Illud, quod ex animi voluptatibus ac virtutum poſſeſſione percipitur. nam gaudium, quod ex ſenſibus provenit, bonum eſſe negat Plato in Gorgia, pag. 338. & 339.

5. *Ut Medicinam.*] quæ expetitur propter Sanitatem.

eſt: alia quibuſdam, nec cunctis, vel perpetuò Bona, ut [1] Vires, Valetudo, Divitiæ, & quæcunque Corporis ac Fortunæ ſunt. Pari pacto, & eorum, quæ declinanda ſunt, quædam omnibus ac ſemper videri Mala, quoniam nocent atque obſunt; ut ſunt Vitia & Infortunia: quædam aliis, nec ea ſemper nocere; [2] ut Ægritudinem, Egeſtatem, & cætera. Sed Virtutem liberam, & in nobis ſitam, nobiſque voluntate appetendam: Peccata verò eſſe non minùs libera, & in nobis ſita, [3] non tamen ea ſuſcipi voluntate. Namque ille virtutis ſpectator, cùm eam penitùs intellexit bonam eſſe, & benignitate præſtare, eam affectandam profectò, & ſectandam exiſtimavit ſui causâ. ut item ille, qui ſenſerit Vitia non ſolùm turpitudinem exiſtimationi invehere, ſed nocere alio pacto, fraudique eſſe; quî poteſt ſpontè ſe ad eorum conſortium jungere? Sed, ſi ad ejuſmodi Mala pergit, ac ſibi uſuram eorum utilem credit; deceptus errore, & imagine Boni ſollicitatus quidem, [4] ſciens verò ad Mala præcipitatur. Diſcrepes quippe à communi ſententiâ, ſi non quidem ignores, quid inter Pauperiem ac Divitias interſit: & cùm hæc in proclivi ſita ſint, nec Pauperies honeſtatem, vel turpitudinem Divitiæ allaturæ ſint, ſi Egeſta-

INTERPRETATIO.

fructus eſt Beatitudo: alia ſunt Bona aliquibus, non autem *omnibus, nec ſemper, veluti Robur, Sanitas, Opes ac omnia, quæ pertinent ad Corpus & ad Fortunam. Simili quoque ratione, ex iis, quæ vitanda ſunt, aliqua apparere Mala universis, & perpetuò, quia lædunt & officiunt; qualia ſunt vitia & infelicitates: aliqua quibuſdam* tantùm, *ac ne perpetuò quidem ea officere; veluti Morbum, Pauperiem, ac reliqua. At virtutem eſſe liberam, & poſitam penes nos, & ultrò exoptandam nobis: vitia autem non eſſe minùs libera, & noſtri arbitrii, nec tamen illa eligi ultrò. Ille enim qui contemplatur Virtutem, quando cognovit omninò eſſe bonam, & excellere beneficentiâ, judicavit eam procul dubio appetendam eſſe, & ſequendam propter ſe. Sicut ille quoque, qui animadverterit vitia non modò inferre ſiniſtram notam famæ, verùm etiam lædere aliâ ratione, & decipere; quomodo poteſt ſe ultrò affinem facere eorum? At ſi tendit ad ejuſmodi mala, & arbitratur ſibi fore utile iis uti, falſus errore, & invitatus quidem ſpecie boni: ſciens tamen detruditur ad Mala. Etenim differas à communi opinione, ſi ſcias quidem quantum ſit diſcriminis inter Egeſtatem & Opes; atque, cùm iſta ſint* tibi *facilia* paratu *& Egeſtas non ſit paritura honorem, aut Opes dedecus, ſi anteponas penuriam*

NOTÆ.

1. *Ut vires, valetudo, &c.*] Hæc ſunt τὰ μέσα *media*, de quibus jam ſuprà.

2. *Ut ægritudinem, egeſtatem, &c.*] Hæc quoque è numero ſunt τῶν μέσων.

3. *Non tamen eâ ſuſcipi voluntate.*] Hoc eſt, non appeti ſub ratione vitiorum, ſed ſub aliquâ falsâ bonorum & commodorum ſpecie: ut infrà explicatur. adeò ut cùm ea perpetramus, voluntas noſtra non in peccata ipſa feratur: ſed in illa, quæ nobis finximus, commoda.

4. *Sciens verò ad mala præcipitatur.*] Locus hic non mihi videtur ſanus, neque enim ſi quis errore deceptus & invitatus boni imagine (ut dixit) tendit ad mala, dici poteſt in ea ſe ſcientem præcipitâſſe.

tem rerum victui neceſſariarum copiis præferas, ineptire videatis. & adhuc illud abſurdius, ſi quis ſanitatem corporis ſpernat, eligens morbos. Sed illud poſtremæ dementiæ eſt, eum, qui Virtutis pulchritudinem oculis Animæ viderit, utilitatemque ejus uſu & ratione perſpexerit, non ignarus quantùm dedecoris atque incommodi adipiſcatur ex participatione Vitiorum; tamen addictum ſe velit Vitiis. Corporum Sanitatem, Vires, Indolentiam, cæteraque ejus Bona extraria, item Divitias, & cætera, quæ Fortunæ commoda ducimus, ea non ſimpliciter Bona nuncupanda eſſe. Nam, ſi quis ea poſſidens, uſu ſe abdicet, ea illi inutilia erunt; ſi quis autem eorum uſum converterit ad malas artes, ea illi etiam noxia videbuntur. [1 Si quis autem iis abutitur, obnoxius erit vitiis: qui ea poſſidet, habere hoc etiam cùm obit, non poteſt.] Unde colligitur, Bona hæc ſimpliciter dici non oportere: nec ea, quæ ſunt morboſa, ut Pauperiem, cæteraque, exiſtimari Mala oportet. Nam qui tenuis eſt, ſi modificetur in ſumptibus, nullam noxam ex eo ſentiet: & qui rectè pauperie ſuâ utitur, non ſolùm nihil capiet incommodi, verùm ad toleranda cætera melior, atque præſtantior fiet. Si igitur nec habere pauperiem, neque eam ratione regere contrarium eſt; Paupertas per ſe malum non eſt. 2 Voluptatem verò neque Bonum eſſe abſolutè, neque ſimpliciter, Malum:

INTERPRETATIO.

rerum, quæ neceſſariæ ſunt ad vitam, earumdem *abundantiæ, exiſtimaberis inſanire. Atque hoc* erit *adhuc ineptius, ſi quis contemnat proſperam valetudinem corporis præponens* ei *ægritudines. Verùm hoc eſt extremæ inſaniæ, cùm is, qui conſpexerit acie mentis, formoſitatem virtutis, & cognoverit experientiâ & ratione ejus utilitatem, ſciens quantum probri & damni ferat ex conſortio vitiorum, velit nihilominùs eſſe mancipatus vitiis.* Dicit *hæc non appellanda eſſe abſolutè bona proſperam Valetudinem, corporum Robur, doloris carentiam, aliaque hujuſmodi bona externa, prætereà Opes, & alia, quæ vocamus Bona Fortunæ: Si enim aliquis illa poſſidens, privet ſe* eorum *uſu, ipſa erunt ei ſupervacanea. Si verò quiſpiam detorſerit eorum uſum ad pravas artes, ipſa videbuntur etiam illi pernicioſa. (Si verò aliquis malè utitur eis, propenſus erit in vitia, &, qui habet ea, non valet* ea *retinere, quando moritur.) Ex quo infertur ea non eſſe nuncupanda abſolutè Bona: nec illa quoque, quæ ſunt ægritudinis plena; ut Egeſtas ac reliqua, judicanda ſunt mala. Qui enim eſt anguſtâ re, ſi moderetur impenſis, nihil inde percipiet incommodi, & qui benè utitur ſuâ tenuitate, non tantùm nullam moleſtiam patietur, ſed etiam evadet paratior atque aptior ad reliqua ſuſtinenda. Si ergo non repugnat pati inopiam, & eam moderari ratione, Inopia ex ſuâ naturâ non eſt Malum. Exiſtimabat Voluptatem nec eſſe ſimpliciter Bonum, nec abſolutè Malum:*

NOTÆ.

1. *Si quis autem iis abutitur, &c. cùm obit, non poteſt.*] Quidam codices omninò hæc ignorant, & certè videntur eſſe Gloſſemata eorum, quæ præceſſerunt. Si tamen retineas, interpungere inter vocem *vitiis*, &, *qui ea poſſidet*. ut ſit ſenſus, quem expreſſi in interpretatione

2. *Voluptatem verò neque Bonum eſſe abſolutè, &c.*] Vide Platonis Gorgiam pag. 3,8. & ſeqq. & ejuſdem Philebum.

ſed eam

ſed eam, quæ ſit honeſta, nec pudendis rebus, ſed glorioſis actibus veniat, non eſſe fugiendam: illam verò, quam aſpernatur Natura ipſa, turpi delectatione quæſitam, vitari oportere cenſebat. Sollicitudinem & Laborem, [1] ſi naturabiles eſſent, & ab ipsâ virtute deſcenderent, & eſſent pro aliquâ præclarâ adminiſtratione ſuſceptæ, appetibiles ducebat eſſe: ſed, ſi adverſum Naturam turpiſſimarum rerum causâ gignerentur, malas [2] inteſtabileſque eſſe. Non ſolùm Vitia voluntate accidere animis, & venire corporibus. ſed eſſe medium quemdam ſtatum: qualis eſt, cùm abeſt Triſtitia, nec tamen Lætitiam adeſſe ſentimus. Ex his, quæ in nobis ſunt, primum Bonum atque Laudabile eſt Virtus, Bonum ſtudenti. ideò Honeſtum appellari oportet. Solum quippè quod Honeſtum eſt, Bonum ducimus: ut & Malum, Turpe. & meritò quod Turpe eſt, Bonum non poteſt eſſe. [3] Amicitiam ait ſociam, eamque conſenſu conſiſtere: reciprocamque eſſe, ac delectationis vicem reddere, quando æqualiter redamat. Hoc Amicitiæ commodo provenit, cùm amicus eum, quem diligit, pariter ac ſe cupit proſperis rebus potiri: Æqualitas iſta non aliter provenit, niſi ſimilitudo in utroque parili caritate conveniat. Nam ut pares paribus irreſolubili nexu junguntur: ita diſcrepantes, inter ſe disjuncti ſunt, nec aliorum amici. Inimicitiarum autem Vitia gignuntur ex Malivo-

INTERPRETATIO.

verùm illam non eſſe evitandam, quæ ſit honeſta, nec oriatur ex rebus turpibus, ſed ex præclaris facinoribus: illam autem partam oblectamento inhoneſto, quam ipſa Natura reſpuit, eſſe fugiendam. Exiſtimabat anxietatem & laborem eſſe optanda, ſi eſſent Naturæ conſentanea, & procederent ab ipsâ Virtute, atque ſubirentur ob aliquid egregii gerendum: verùm eſſe mala & execranda, ſi crearentur contra Naturam ob res inhoneſtas. Non tantùm vitia evenire voluntariè Mentibus, & contingere corporibus, verùm eſſe etiam *quemdam ſtatum medium, veluti quando caremus mœrore, neque tamen experimur nos affici gaudio eorum, quæ reperiuntur in nobis. Primum Bonum & laudabile illi, qui appetit Bonum, eſt Virtus. idcircò vocandum eſt Honeſtum. Etenim id tantùm exiſtimamus* eſſe *Bonum, quod eſt Honeſtum: quemadmodum &* exiſtimamus *Malum* id, quod eſt *Inhoneſtum. Et jure* id, *quod eſt Inhoneſtum, nequit eſſe Bonum. Dicit Amicitiam eſſe conciliatricem ſocietatis, atque eam poſitam eſſe in Concordiâ, & eſſe mutuam, & parere gaudium reciprocum, cum redamat ex æquo. Hoc evenit utiliter Amicitiæ, quando amicus optat, ut ille, quem amat, fruatur ſecundâ fortunâ eodem modo, quo ipſe* optat eâ frui. *Hæc æqualitas non gignitur niſi ſimilitudo conſentiat in ambobus æquali dilectione. Sicut enim æquales connectuntur æqualibus vinculo indiſſolubili, ſic inæquales diſcordant invicem, neque amici ſunt aliorum. Labes autem odiorum creantur ex Ma-*

NOTÆ.

1. *Si naturabiles eſſent.*] *Naturabilis*, *naturalis*. juxtà naturam, ut patet ex iis quæ ſequuntur.

2. *Inteſtabileſque.*] *Inteſtabilis* hîc idem eſt ac *deteſtabilis*.

3. *Amicitiam ait ſociam. &c.*] Conſule Platonis libros de Legibus.

lentiâ per morum diſſimilitudinem, & diſtantiam vitæ, & ſectas, atque ingenia contraria. [1] Alia etiam Amicitiæ genera dicit eſſe: quarum pars Voluptatis gignitur causâ, pars Neceſſitatis. Neceſſitudinum & Liberorum amor Naturæ congruus eſt: ille alius abhorrens ab humanitatis clementiâ, qui vulgò Amor dicitur: & eſt Appetitus ardens, cujus inſtinctu per Libidinem capti amatores corporum, in eo quod viderint, totum hominem putant. Ejuſmodi calamitates Animarum, Amicitias idem appellari vetat, quòd nec mutuæ ſunt, nec reciprocari queant, ut ament, quæ redamantur; nec conſtantia illis aſſit, & diuturnitas deſit: Amoreſque ejuſmodi ſatietate ac pœnitentiâ terminentur. [2] Plato tres Amores hoc genere dinumerat. quòd ſit unus divinus, cum incorruptâ Mente, & Virtutis ratione conveniens, non pœnitendus; alter degeneris animi, & corruptiſſimæ Voluptatis: [3] tertius ex utroque permixtus, mediocris ingenii, & cupidinis modicæ. Animas verò fuſciores impelli cupidine corporum, unumque illis propoſitum eſſe, ut eorum uſurâ potiantur, atque ejuſmodi voluptate & delectatione ardorem ſuum mulceant. [4] Illæ verò facetæ & urbanæ ſunt. Animas Bonorum deamare, & ſtudere illis, [5] factumque velle

Interpretatio.

levolentiâ per diſparitatem indolis, & diſcrepantiam vitæ, & profeſſiones ac ingenia ſibi *adverſantia. Ait etiam eſſe alias ſpecies Amicitiæ: quarum quædam conciliantur propter voluptatem, quædam propter Neceſſitatem. Amor familiarum & filiorum eſt conſentaneus Naturæ: ille alter, qui ferè vocatur Amor, adverſatur Manſuetudini humanitatis: eſtque vehemens Cupido, cujus ſtimulatione libidinosâ correpti Amatores corporum, exiſtimant univerſum hominem* conſiſtere *in eo quod aſpexerint. Idem Plato prohibet, ne tales peſtes Animorum vocentur Amicitiæ, quia nec ſunt reciprocæ, nec poſſunt fieri mutuæ, ita ut quæ amantur, redament, &* quoniam *neque habent ſtabilitatem, neque diu durant: atque tales Amores finiuntur faſtidio & pœnitentiâ. Plato recenſet tres ejuſmodi Amores, quia unus eſt Cœleſtis congruens cum animo ſano, & cum Virtutis naturâ, nullam inferens* ſui *pœnitentiam. Alter* proprius *mentis ignavæ & libidinis teterrimæ: tertius temperatus ex ambobus, proprius Animi mediocris, & moderatæ Cupiditatis. Tetriores autem Mentes inſtigari Cupiditate corporum, atque hoc tantùm habere in votis ut fruantur uſu eorum, & leniant ſuum æſtum tali voluptate atque oblectamento. Illæ autem* puriores mentes *ſunt lepidæ & comes.* Ait illas *diligere Animas Bonorum, & benè velle illis,*

Notæ.

1. *Alia etiam Amicitiæ genera, &c. quarum pars voluptatis causâ, &c.*] Vide Platonis Lyſidem.

2. *Plato tres Amores, &c.*] Vide ejus Dialogum, cui titulus *Convivium.*

3. *Tertius ex utroque permixtus.*] Quem in tres adhuc dividit, quorum unus medium tenet inter Divinum & Vulgarem, duo reliqui magis accedunt, hic ad Divinum, ille ad Vulgarem, ſed hos tres medios affectus, potiùs quàm Amores dicendos exiſtimat, ideóque nec illis Dæmonum nomen tribuit, quo Amores Divinum & Vulgarem inſignit.

4. *Illæ verò.*] Puriores mentes, quæ Amore divino flagrant, de quibus tamen nondum locutus eſt.

5. *Factumque velle.*] De hac formulâ jam ad Apologiam diximus.

uti quamplurimùm potiantur bonis artibus, & meliores præſtantioreſque reddantur. Medias ex utroque conſtare: nec delectationibus corporum prorsùs carere, & lepidis animatum ingeniis capi poſſe. Ut igitur ille Amor teterrimus, ac inhumaniſſimus, atque turpis, non ex rerum naturâ, [1] ſed ægritudine corporali morboque colligitur: ſic ille divinus, Deorum munere beneficioque conceſſus, aſpirante cœleſti Cupidine in animos hominum creditur venire. Eſt Amoris tertia ſpecies, quam diximus mediam, divini atque terreni proximitate collectus, nexuque & conſortio parili copulatus, [2] & Rationi propinquus eſt, ut divinus ille; ut terrenus ille cupidini junctus eſt Voluptatis. [3] Culpabilium autem virorum quatuor formæ ſunt: quarum prima [4] Honoripetarum eſt, ſequens [5] Abſtemiorum, tertia Popularis, Tyrannicæ dominationis eſt ultima. Quapropter [6] illud primum Mentibus evenit vitium, cùm vigor Rationis elanguerit, ſuperiorque &

INTERPRETATIO.

optareque ut quàm maximè poſſideant bonas artes, atque efficiantur probiores & excellentiores. Ait verò *medias* Mentes *conflari ex ambabus* extremis, *atque ipſas non omninò abhorrere à delectationibus corporeis, & poſſe* etiam *trahi eleganti indole Animarum. Quemadmodum ergo ille Amor teterrimus, & ſe iſſimus ac inhoneſtus non concipitur ex naturâ rerum, verùm ex morbo atque infirmitate corporali: ita ille cœleſtis tributus dono ac liberalitate Deorum putatur penetrare in mentes humanas inſpiratione Cupidinis divini. Eſt tertium genus Amoris, quod appellavimus medium, quod concipitur affinitate* Amoris *cœleſtis & terreſtris, & connectitur vinculo & ſocietate æquali* utriuſque, *& affinis eſt Rationi, quemadmodum ille cœleſtis*; & *adnexus eſt cupiditati Voluptatis, ſicut ille terreſtris. Sunt autem quatuor ſpecies hominum vituperabilium: quarum prima eſt Ambitioſorum, altera Avarorum, tertia Plebeia, poſtrema eſt Imperii Tyrannici. Quare illa prima labes accidit Animis quando robur Rationis fuerit debilitatum, &* ea *pars Animæ,*

NOTÆ.

1. *Sed ægritudine corporali, morboque provenit.*] Eſt enim juxtà Platonem Inſaniæ ſpecies à bile aduſtâ provenientis.

2. *Et ut Rationi propinquus eſt.*] Lege meo periculo: *Et Rationi propinquus eſt, ut divinus ille; ut terrenus ille cupidini, &c.*

3. *Culpabilium autem virorum quatuor formæ ſunt.*] Videndus Plato lib. 8. de Republ. de his quoque infrà iterùm aget.

4. *Honoripetarum.*] Φιλοτίμους vocat Plato.

5. *Abſtemiorum.*] Φιλοχρήματοι Platoni ſunt non *abſtemii.* Excerpta Puteani habent *abſtrenuorum*, hoc eſt, ignavorum, quod nihilo magis invenitur apud Platonem, non abhorret tamen ab ejus ſenſu. cùm enim φιλοχρήματοι illi congerendis pecuniis unicè incumbant, res bellicas negligunt, atque etiam vitant bella quantum poſſunt, utpote quæ congeſtam pecuniam exhauriant, ipſoſque theſauros ac eorum poſſeſſores, militum & invidorum civium rapacitati exponant. Minùs quadrat τὸ *Abſtemiorum*: *Abſtemius* enim nihil aliud ſonat quam *à temeto*, hoc eſt, *vino, abhorrens.* Corruptus procul dubio hic locus, unde certò emendem non habeo. quid, ſi legas *Abſtentorum*, hoc eſt, *Abſtinentium*, & nummis ſuis tanquam ſacris parcentium?

6. *Illud primum &c. vitium.*] Ambitionis.

robuſtior fuerit Animæ portio, in quâ Ira dominatur. [1] Ὀλιγαρχία dicitur altera. ea ſic naſcitur, cùm propter peſſimum paſtum ejus partis animæ, quæ ex Cupiditatibus conſtat, non ſolùm Rationabilis & Iraſcentiæ loca poſſidentur, ſed etiam ejus, quæ non neceſſarias Cupidines acuunt. [2] Hunc talem Plato Lucricupidinem [3] atque Accipitrem pecuniæ nominavit. [4] Qualitas popularis exiſtit, [5] cùm indulgentiâ cupidines laboratæ, non ſolùm juſtis deſideriis exardeſcunt: [6] ſed his etiam obviæ atque occurſantes, [7] & illam conſiliariam, & illam alteram Iratiorem Animam conditionibus ſuis preſſerunt. Τυραννὶς eſt luxurioſa & plena libidinis vita, quæ ex infinitis & diverſis & illicitis Voluptatibus conflata, Mente totâ dominatur. [8] Qui ſit autem omnium

INTERPRETATIO.

cui Ira imperat, evaſerit ſuperior, & fortior. Secunda vocatur ὀλιγαρχία. Ea ſic oritur, quando ob deterrimum alimentum illius portionis Animæ, quæ conflatur ex Cupidinibus, non tantùm occupantur ſedes partis *Rationalis & Iraſcibilis, verùm etiam* illa loca *ipſius* Concupiſcibilis, *quæ excitant Cupiditates non neceſſarias. Ejuſmodi* virum *Plato appellavit Avidum quæſtûs, & Accipitrem pecuniæ. Indoles eſt, quando Cupiditates, fatigatæ nimiâ licentiâ, non tantùm incenduntur æquis deſideriis, verùm reſiſtentes quoque & obluctantes eis oppreſſerunt ſuis qualitatibus illam Animæ* partem *conſiliatricem, & illam alteram ardentiorem.* Tyrannis *eſt vita laſciva & libidinoſa, quæ compoſita ex innumeris, & variis, & interdictis Voluptatibus, regnat per univerſam Animam. Dicit autem illum,*

NOTÆ.

1. Ὀλιγαρχία. *dicitur altera. ea ſic, &c.*] Sic omninò reſtituendum eſt, & punctum præponendum voci ὀλιγαρχία, ut ſenſus ſuperiorum verborum finitus intelligatur. neque enim Honoripetarum vitium ὀλιγαρχίαν Plato vocat, ſed τιμαρχίαν, & τιμοκρατίαν, eaque primam apud eum conſtituit corruptæ Reipubl. formam, ὀλιγαρχία ſecundam, δημοκρατία tertiam, τυραννὶς denique quartam. cùm benè conſtitutæ Reipublicæ ſit una tantùm forma apud eum, nempè ἀριστοκρατία regiæ poteſtati mixta.

2. *Hunc talem Plato Lucricupidinem.*] Repone *Lucricupidum*, nempè virum τῆς ὀλιγαρχίας ſtudioſum. *Lucricupidus*, φιλοκερδὴς Platoni in Hipparcho Dialogo.

3. *Atque Accipitrem pecuniæ.*] *Qui pecuniam rapit, ut Accipiter aviculas.* Porrò *Accipitrem* hunc nequaquam potui in Platone deprehendere, tametſi diu multumque fuerim aucupatus. Non Plato ergo, quantùm arbitror, ſed, ex ſenſu Platonis, Apuleius hoc, avaro ὀλιγαρχίας ſtudioſo, nomen indiderit, & quidem maximè congruum.

4. *Qualitas popularis.*] Studium τῆς δημοκρατίας.

5. *Cum indulgentia cupidines laboratæ*] Colvius *ſaburratæ* aut quid ſimile reponendum cenſebat. Ego nihil muto, *cupidineſque laboratæ indulgentiâ*, quæ eſt Apuleii in abutendis vocabulis licentia, hîc nihil aliud ſunt quàm *cupidines laborantes nimiâ indulgentiâ.*

6. *Sed his etiam, quæ obviæ atque occurſantes, &c.*] Corruptus locus & ſenſu carens. Tollebam *quæ*, ut eſſet ſenſus illas cupiditates non ſemper ſequi juſta deſideria, ſed eis etiam ſæpè reluctari, ut in interpretatione expreſſi.

7. *Et illam conſiliariam & illam alteram iratiorem Animam.*] Hoc eſt, Rationem & Apppetitum Iraſcibilem.

8. *Qui ſit autem omnium peſſimus, &c.*] Peſſimus vir Platoni Tyrannus eſt. De quo vide libb. 8. & 9. de Republicâ.

peſſimus, eum, non ſolùm turpem, & damnoſum, & contemptorem Deorum, & immoderatam & inhumanam atque inſociabilem vitam ait vivere, ſed nec cum proximis ſecúmve congruere, atque ideò non modò à cæteris, verùm etiam à ſe diſcrepare: nec aliis tantùm, ſed etiam ſibi inimicum eſſe, & idcircò hunc talem neque bonis, nec omninò cuiquam, nec ſibi quidem amicum eſſe. ſed eum peſſimum videri, quem nulla malignitatis ſuperlatio poſſit excedere. Hunc talem nunquam in agendis rebus expedire ſe poſſe, non ſolùm propter inſcientiam, ſed quòd etiam ſibimet ſit ignotus, & quòd perfecta malitia ſeditionem mentibus pariat: impediens incepta ejus, atque meditata conſilia, nec permittens quidquam eorum, quæ volet. Peſſimo quapropter deterrimoque non ea tantùm vitia, quæ ſecundùm Naturam non ſunt, pariunt execrabilitatem, ut eſt Invidentia, ut eſt de alienis incommodis Gaudium: ſed etiam quæ Natura non reſpuit, Voluptatem dico, atque Ægritudinem, Deſiderium, Amorem, Miſericordiam, Metum, Pudorem, Iracundiam. Idcircò autem hoc evenit, quòd immoderatum Ingenium, in quæcumque proruerit, modum non habet. atque ideò ſemper ei aut deeſt aliquid, aut redundat. Hinc ejuſmodi hominis Amor omni tenore eſt corruptus, quòd non ſolùm effrænatis Cupiditatibus, [1] & inexplebili ſiti haurire avet omnia genera Voluptatis, ſed quòd ipſo etiam formæ judicio, irrationabili errore

Interpretatio.

qui eſt deterrimus omnium, non tantùm eſſe turpem, & pernicioſum, & ſpretorem Deorum, & degere vitam intemperantem, & feram, & ſocietatis inimicam, quin & eum non conſentire cum cognatis, neque cum ſeipſo, proptereáque diſſentire non ſolùm ab aliis, verùm à ſeipſo quoque: nec ſolùm eſſe infenſum cæteris, ſed etiam ſibimetipſi, ideòque ejuſmodi hominem neque eſſe amicum bonis, nec ulli prorſus, nec ſibi quidem ipſi. at illum videri deterrimum, quem nullus exceſſus improbitatis poſſit ſuperare. Ejuſmodi hominem nunquam poſſe ſe extricare in negotiis gerendis, non tantùm ob imperitiam, verùm etiam quia eſt incognitus ſibi ipſi, & quia ſumma improbitas excitat tumultum in animis: officiens propoſitis ejus inchoatis & præcogitatis, nec ſinens eum facere *quidpiam ex iis, quæ cupiet. Quâ de causâ non ſolùm illa Vitia, quæ ſunt præter Naturam, qualia ſunt Invidia, & Delectatio de alieno malo, reddunt deteſtabilem hominem, nequiſſimum & improbiſſimum, verùm & illa quoque à quibus Natura non abhorret, nempè Voluptas, Sollicitudo, Cupido, Amor, Commiſeratio, Timor, Verecundia, Ira. Hoc autem contingit propterea quòd Animus intemperans, in quamcumque partem ſe conjecerit, nullam ſervat mediocritatem, & propterea ſemper aliquid deſit, vel abundat. Ideò Amor talis hominis eſt corruptus ſecundum ſe totum, non modò quia* ipſe *optat Cupidinibus effrænibus & ſiti inextinguibili ſe ingurgitare omnimodis Voluptatibus, ſed etiam quia fallitur cæco errore inter judican-*

Notæ.

1. *Et inexplebili ſiti.*] Sic malui cum Colvio, quam, ut in vulgatis *inexplicabili*, reluctante licèt Elmenhorſtio, qui, ut alteram hanc lectionem tueatur, exempla duo alia affert, ſed certè minimè ſimilia.

diſtrahitur: ignorans veram pulchritudinem, & corporis effœtam & enervem, & fluxam cutem deamans. nec ſaltem [1] coloratos ſole, aut exercitatione ſolidatos, & opacos umbrâ, vel molles deſidiâ, [2] ſed curâ nimiâ medicatos artus magni facit. Non ſponte graſſari malitiam multis modis conſtat. [3] Namque injuriam, inordinatam paſſionem & ægritudinem mentis eſſe ait. unde liquidò arbitratur, homines [4] non ſponte ferri. Quis enim tantùm mali voluntate ſuſciperet, ut in optimâ Mentis ſuæ parte ſcelus & flagitium ſciens veheret? Cùm ergo poſſeſſio mali ab imprudentibus capitur; uſum ejus & actiones oportet ab ignorantibus ſuſtineri. Idcircòque pejus eſt nocere, [5] quàm noceri. Etenim his rebus nocetur quæ ſunt viliores, corporis ſcilicet

INTERPRETATIO.

dum de pulchritudine: non cognoſcens veram formam, atque amans mollem, & languidam, & fragilem cutem corporis. neque ſaltem in pretio habet membra infuſcata ſole, aut indurata exercitio, & obeſa ob umbram, aut delicata ex otio, ſed fucata ingenti curâ. Certum eſt multiplici ratione improbitatem ſævire invito homine. *Dicit enim* Plato *contumeliam eſſe perturbatum affectum, & morbum animi. Ex quo manifeſtè infert homines agi invitos. Nam quis ultrò reciperet in ſe tantùm mali, ut inferret prudens crimen & turpitudinem in præſtantiſſimam portionem ſui Animi? Cùm igitur malum incipiat committi ab ignorantibus; neceſſe eſt ut uſus ejus & facta exerceantur* etiam *ab ignaris. Atque ideò deterius eſt lædere quàm lædi. Nam lædi his rebus* quis *poteſt, quæ abjectiores ſunt, videlicet corporalibus, & ex-*

NOTÆ.

1. *Coloratos ſole.*] Ex more veterum, qui, ut vires, firmitatem, coloremque, ac ſiccitatem corporibus conciliarent, cutem ſole curabant, ἡλίασιν *inſolationem* vocabant, Perſius Sat. 4.

Quæ tibi ſumma boni eſt? unctâ vixiſſe patellâ
Semper, & aſſiduo curata cuticula ſole.

Ad quem locum vetus Scholiaſtes. *Curata, ſcilicet à Chromatiariis. nam Chromatiarii dicuntur Colorarii, vel, qui totâ die in arenâ ſunt, vel in ſole. Antiqui enim ungebant ſe, & in ſole erant, ut oleum corpus imbiberet:* Et Juvenalis:

Noſtra bibat vernum contracta cuticula ſolem,
Effugiatque togam.

2. *Sed curâ nimiâ medicatos.*] Sic legit VVovverus, non ut in vulgatis *medullatos.* ſic in Apologiâ dixit *medicatus es.*

3. *Namque injuriam, &c.*] Obſerva *injuriam* hîc activè poni pro ipsâ injuriæ illatione. *Injurias* (inquit Gell. lib. 9. cap. 12. *itidem dicimus tam illorum qui patiuntur, quàm qui faciunt.*

4. *Non ſponte ferri.*] Supple, *ad injuriam inferendam.* Cave exiſtimes Platonem, cùm homines ad injuriam inferendam non ſponte ferri ait, id eo ſenſu dicere, quaſi ſuperiore aliquâ vi impulſi cogantur eam inferre, nec poſſint ab inferendâ ſibi temperare: ſed ſic accipe, *non ſponte*, quaſi dicat, non cum plenâ ipſius injuriæ cognitione, ſi enim certò cognoſcerent injuriam, quam aliis inferunt, plus ſibi quàm illis nocere, nunquam profectò tantum in ſe malum admitterent. Hanc eſſe mentem Platonis & Apuleii noſtri ſatis declarant quæ ſequuntur.

5. *Quàm noceri.*] Verbum hoc in paſſivâ voce uſurpatum, pro *lædi* arbitror jam obſervâſſe me.

& externis, quæ vel imminui poſſunt, vel fraudibus interire: illæſis potioribus, quæ ad ipſam attinent Animam. Sed nocere longè pejus eſſe. Ex quo intelligi poteſt, quòd animis bonis eo vitio pernicies infertur: pluſque ſibi obeſt, qui alium cupit perditum, quàm illi nocet adverſum quem talia machinatur. & cùm nocere alteri malorum omnium maximum ſit; multò gravius eſt, ſi, qui nocet, abeat impunè: graviuſque & acerbius eſt omni ſupplicio, ſi noxio impunitas deferatur, nec hominum interim animadverſione plectatur. ſicut gravius eſt acerbiſſimorum morborum carere medicinâ, medentes fallere: nec uri aut ſecari eas partes, quarum dolore, incolumitati reſiduarum partium conſulatur. Quare, ut optimi medici conclamatis deſperatiſque corporibus non adhibent medentes manus, ne nihil profutura curatio doloribus ſpatia promulget: ita eos, quorum Animæ vitiis imbutæ ſunt, nec curari queunt medicinâ Sapientiæ, eos mori præſtat. Namque eum, cui non ex Naturâ, nec ex induſtriâ, rectè vivendi ſtudium conciliari poteſt, vitâ exiſtimat Plato eſſe pellendum: vel, ſi cupido vitæ eum teneat, oportere ſapientibus tradi, quorum arte quâdam ad rectiora flectatur. Et eſt ſanè melius talem regi, nec ipſum regendi alios habere poteſtatem: nec dominari, ſed ſervire [1] ſervitium, impotem ipſum aliorum addici poteſtati, parendi potiùs quàm jubendi officia ſortitum. Virum peſſimum non ſolùm deteriorem etiam di-

INTERPRETATIO.

trinſecis, quæ poſſunt aut diminui, aut perire fallaciis: melioribus, quæ ſpectant ad ipſam Mentem, ſalvis remanentibus. Verùm dicit *multò deterius eſſe lædere. Unde poteſt cognoſci exitium importari probis Mentibus hoc vitio: & illum qui optat perdere alium, magis lædere ſeipſum, quàm lædat eum, contra quem molitur talia. Et cùm alium lædere ſit ſummum omnium malorum; longè pejus eſt, ſi ille qui lædit, diſcedat impunitus: & durius atque aſperius eſt quàvis pœna, ſi concedatur impunitas ſonti. neque* ipſe *intereà puniatur caſtigatione hominum. quemadmodum pejus eſt deſtitui remedio graviſſimorum morborum: fugere medicorum cognitionem: neque illa membra aduri, aut abſcindi, quorum dolore proſpiciatur ſaluti cæterorum membrorum. Quapropter, ſicut præſtantiſſimi medici non admovent manus opitulatrices corporibus jam deſletis & deſperatis, ne eorum opera, quæ nulli uſui futura eſt, protoget tempus doloribus* perferendis; *ſic ſatius eſt ut illi moriantur quorum Mentes infectæ ſunt vitiis, nec poſſunt ſanari remediis Sapientiæ. Etenim Plato arbitratur eum, qui nequit ſibi comparare deſiderium benè vivendi, neque Naturâ, neque arte, eſſe tollendum è vivis: vel, ſi poſſideatur deſiderio vivendi, eum eſſe committendum ſapientibus, quorum induſtriâ quâdam inclinetur ad meliora. Et certè præſtat ejuſmodi hominem gubernari, neque eum habere auctoritatem gubernandi alios: atque eum non eſſe dominum, ſed ſervilem operam dare, ipſum impotentem ſubdi potentiæ aliorum, nactum munus obediendi potiùs, quàm imperandi. Aiebat quoque nequiſſimum hominem non tantùm pe-*

NOTÆ.

1. *Servitium.*] Hîc eſt *ſervitus*. Aliàs eſt *ipſa familia*, ſeu ſervorum turba, quæ & *famulitium*.

cebat eſſe, quòd diſtrahatur ſemper [1] additione vitiorum, etſi deſideriorum æſtibus differtur: qui quantò plurium cupidior ſit, tantò egentior ſibimet, & propterea aliis videri poteſt. Sperata quippè atque exoptata vix pauca & cum maximâ ærumnâ proveniunt. iiſque flagrantiores [2] Cupidinum furores ſuccedunt, nec futuris modò angitur malis, verùm etiam præteritis tranſactis torquetur. [3] Quos omnes morte ſolâ ab ejuſcemodi malis deduci poſſe manifeſtum eſt. Sed apprimè bonos, & ſine mediocritate deterrimos, paucos admodùm, rarioreſque, &, ut ipſe ait, numerabiles eſſe: eos autem qui nec planè quidem optimi, nec oppidò deterrimi ſint, ſed quaſi mediè morati, plures eſſe. Sed neque [4] ſuperiores obtinere recta omnia, neque [5] culpabiles in omnibus labi. Horum vitia nec gravata, nec intempeſtiva ſunt, aut nimiùm criminoſa. quorum ſubſtantia eſt ex redundantiâ, vel defectu. quibus & approbationis integritas & modus eſt. & qui inter laudem vituperationemque mediam viam vadant, & rerum capeſſendarum ejuſmodi ſtudio excitantur; ut nunc boni atque honeſti eos ratione invitent; nunc inhoneſta lucra & turpes illiciant voluptates. Talibus viris nec amicitiarum fides perſeverat, & amores non

INTERPRETATIO.

jorem eſſe, quia ſemper differtur adjectione vitiorum, quanquam diſtrahitur fluctuationibus cupiditatum: qui, quò plura appetit, eò magis inops videtur ſibi ipſi, ideoque & aliis. Etenim vix aliqua ex iis quæ ſperavit, & cupivit, ei contingunt, idque eum ſummâ difficultate. & ardentiores furores cupiditatum ea ſequuntur, nec tantùm cruciatur malis futuris, ſed etiam jam elapſis & anteactis. Quos omnes homines *evidens eſt non poſſe ſubtrahi talibus malis niſi ſolâ morte. Verùm eos qui ſunt ſummè boni, & eos qui ſunt immodicè peſſimi, perpaucos eſſe & rariſſimos, &, ut ipſe dicit, numerari poſſe: illos verò qui neque ſunt prorſùs optimi, neque omninò peſſimi, ſed morum veluti mediorum, permultos eſſe. Sed neque præſtantiores* horum *ſe benè gerere in omnibus, neque eos qui ſunt vituperabiles, ſemper peccare. Vitia horum* hominum *nec ſunt gravia, nec importuna, vel nimis damnabilia, quorum natura conſiſtit in exceſſu vel defectu, quæ habent & probitatem & mediocritatem* requiſitam *ad laudationem, & qui inſiſtunt iter medium inter approbationem & vituperium. & inſtigantur ad res ſuſcipiendas tali affectu, ut modò probi ac honeſti* viri *perliciant eos ratione, modò turpes quæſtus, atque obſcœnæ voluptates* eos *attrahant. Ejuſmodi homines neque perſeverant in fidelitate amicitiarum, & amores non*

NOTÆ.

1. *Additione vitiorum.*] Colvius malebat *addictione vitiorum.*

2. *Cupidinum furores.*] Sic reſtituendum putavi, & commodus ſenſus efficitur. In vulgatis eſt, *Cupidinum flores*, pro quo reponebat Colvius *fluores*, vel *livores.*

3. *Quos omnes.*] Cùm de uno tantùm peſſimo viro hactenùs locutus ſit, mirum quàm ſubitò tranſit ad numerum pluralem! ſed animus ejus potiùs ſpectandus eſt, quàm verba.

4. *Superiores.*] Qui inter illos mediè moratos meliores ſunt.

5. *Culpabiles.*] Vitioſiores ex illis mediorum morum hominibus. Aldinus Codex & Rom. habent *inferiores.*

ſemper

ſemper improbi, nec honeſti tamen, eorum animos incurrunt. Perfectè Sapientem eſſe non poſſe dicit Plato, niſi cæteris ingenio præſtet, artibus & Prudentiæ partibus abſolutus, atque iis jam tum a puero imbutus, factis congruentibus & dictis aſſuetus: purgatâ & effœcatâ animi voluptate, [1] electis ex animo hinc Abſtinentiâ atque Patientiâ, inde Doctrinis ex rerum ſcientiâ eloquentiâque venientibus. Eum, qui per hæc profectus fidenti & ſecuro gradu Virtutis viâ graderetur, adeptum ſolidam vivendi rationem, repentè fieri perfectum: hoc eſt, repentè præteriti futurique ævi ultimas partes attingere, & eſſe quodammodo intemporalem. Tum poſt hæc, vitiis excluſis, inſertiſque & immiſſis omnibus, quæ ad beatam vitam ferunt, non ex aliis pendêre, nec ab aliis deferri ſibi poſſe, ſed in ſuâ manu eſſe Sapiens rectè putat. Quare nec in ſecundis rebus effertur, nec contrahitur in adverſis: cùm ſe ornamentis ſuis ita inſtructum ſciat, ut ab iis nullâ vi ſegregetur. Hunc talem non ſolùm inferre, ſed ne referre quidem oportet injuriam. Non enim eam contumeliam putat, quam improbus faciat: ſed eam non putat, quam Patientia firmiter toleret. Quâ quidem Naturæ lege in animo ejus ſculptum ſit, quod nihil horum poſſit nocere Sapienti, quæ opinantur cæteri mala eſſe. Equidem Sapientem illum, conſcientiâ ſuâ fretum, ſecurum & confidentem in

INTERPRETATIO.

ſemper mali, neque tamen ſemper *probi invadunt eorum mentes. Plato ait neminem poſſe eſſe abſolutè Sapientem, niſi ſuperet reliquos ingenio, perfectus diſciplinis, & partibus Prudentiæ, & eis inſtructus ab ipsâ uſque pueritiâ: aſſuefactus conſentanea facere & loqui: purificatâ & defæcatâ delectatione mentis, amplexus volenter hinc Continentiam & Tolerantiam, illinc Diſciplinas, quæ procedunt ex cognitione rerum, & facundiâ. Illum, qui incipiens ab his, incederet per ſemitam Virtutis greſſu audaci & tuto, acquiſitâ firmâ ratione vitæ ſubitò evadere perfectum: id eſt, ſubitò aſſequi extremas partes temporis elapſi & venturi, atque eſſe aliquo modo à tempore ſolutum. Tunc deinde expulſis vitiis, & implantatis ac inductis cunctis quæ ducunt ad vitam felicem, Sapiens jure arbitratur* eam *non eſſe penes alios, neque poſſe ſibi tribui ab aliis, verùm eſſe penes ſeipſum. Quapropter neque extollitur in proſperâ fortunâ, neque angitur in ſiniſtrâ, cùm noverit ſe ſic ornatum eſſe ſuis dotibus, ut non poſſit ſeparari ab iis ullâ violentiâ. Non modò non decet ejuſmodi virum facere injuriam, verùm ne reddere quidem* illatam. *neque enim exiſtimat illam eſſe injuriam, quam homo malus inferat, ſed nec illam exiſtimat eſſe, quam Tolerantia conſtanter ferat. Quâ quidem naturali lege infixum eſt ejus menti nullum ex iis, quæ reliqui exiſtimant eſſe mala, poſſe lædere Sapientem. Illum quidem Sapientem innixum ſuâ conſcientiâ, eſſe tutum & confidentem per totam*

NOTÆ.

1. *Electis ex animo hinc Abſtinentiâ atque Patientiâ, inde Doctrinis, &c.*] In vulgatis editionibus *ejectis ex animo hinc Abſtinentiâ, &c.* mendoſè procul dubio. quo enim pacto ſapiens quis evadere poteſt, ſi ex animo ejiciat hinc Abſtinentiam & Patientiam, inde Doctrinas, &c. Malui, mutatâ unâ litterulâ *electis*.

omni vitâ [1] dici & futurum, quòd omnia accidentia reputet ad meliores rationes trahens: & quod nihil moroſè vel difficulter excipiat, [2] ſibique perſuadeat, pertinere res ſuas ad immortales Deos. Idem ille diem mortis ſuæ propitius nec invitus exſpectat; quòd de Animæ immortalitate confidat. [3] Nam vinculis liberata corporeis Sapientis Anima [4] remigrat ad Deos: & pro merito vitæ puriùs caſtiúſve tranſactæ, hoc ipſo Deorum ſe conditioni conciliat. Eumdem Sapientem optimum nominat, ac bonum, ac prudentem rectè arbitratur: cujus ſanè conſilia cum factis rectiſſimis congruunt, & cui principia profecta ſunt à Juſti ratione. At hunc ſapientem & fortiſſimum dicit eſſe, qui vigore Mentis ad omnia perpetienda ſit paratus. Inde eſt quòd [5] Fortitudinem nervos Animi, ipſaſque cervices ait: ut Ignaviam Animæ dicit imbecillitati eſſe finitimam. [6] Divitem hunc ſolum quidem rectè putat: quippe cum theſauris omnibus pretioſiores ſolus videatur poſſidere Virtutum opes; etiam quia ſolus Sapiens opes poteſt in uſibus neceſſariis regere, videri ditiſſimus debet. Nam cæteri,

INTERPRETATIO.

vitam dici ac fore, quoniam quidquid ſibi contigerit, ſic exiſtimet ſecum, ut *revocet ad meliorem partem: & quoniam nihil accipiat graviter ac moleſtè, & habeat pro certo ſua negotia ſpectare ad Deos immortales. Ipſe quoque opperitur diem ſui obitûs tranquillè ac libenter; quoniam ſecurus eſt de immortalitate Animi. Etenim Animus Sapientis ſolutus nexibus corporis revertitur ad Deos: ac ſecundùm meritum vitæ ſanctiùs ac pudiciùs peractæ, propter id ipſum acquirit ſibi ſortem Deorum. Appellat eundem Sapientem excellentiſſimum, & meritò exiſtimat eum eſſe bonum & prudentem; cujus certè conſilia conveniunt cum factis juſtiſſimis, & qui hauſit ſua principia ab Æquitate. Hunc verò Sapientem ait quoque eſſe conſtantiſſimum*, quippè *qui præparatus ſit robore Animi ad cuncta toleranda. Hinc eſt quòd dicit Fortitudinem eſſe nervos atque ipſas cervices Animæ: quemadmodum & ait Puſillanimitatem eſſe proximam Debilitati Animi. Meritò quidem arbitratur eum unum eſſe Locupletem; quia nempè videtur ſolus habere divitias Virtutum, pretioſiores univerſis theſauris; Sapiens debet quoque exiſtimari locupletiſſimus, quoniam ipſe unus poteſt rectè diſpenſare divitias in neceſſariis uſibus. Alii*

NOTÆ.

1. *Dici & futurum.*] Fortè meliùs legas *dicit futurum, &c.* ſupple, *Plato.*

2. *Sibique perſuadeat pertinere res ſuas ad immortales Deos.*] Socrates apud Ciceronem Tuſcul. Quæſt. lib 1. *Ne vos quidem, Judices, ii qui me abſolviſtis, mortem timueritis. nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire poteſt nec vivo, nec mortuo: nec unquam ejus res à Diis immortalibus negligentur.* quæ verba tranſlata ſunt ex verbis Platonis in fine Apolog. ejuſdem Socratis.

3. *Nam vinculis liberata corporeis Sapientis Animæ.*] Cicero prædicto loco: *Nos verò ſi quid tale acciderit, ut à Deo denunciatum videatur, ut exeamus è vitâ læti, & agentes gratias pareamus, emittique nos è cuſtodiâ, & levari vinculis arbitremur.*

4. *Remigrat ad Deos.*] Vide Platonis Phædonem.

5. *Fortitudinem nervos Animi, ipſaſque Cervices, &c.*] Adi Platonis Dialogum, cui titulus *Laches.*

6. *Divitem hunc ſolum quidem rectè putat.*] In fine Phædri: πλούσιον δὲ νομίζοιμι μόνον τὸν σοφόν.

quamvis ſint opibus affluentes, tamen quòd vel uſum earum neſciant, vel deducant eas ad peſſimas partes, inopes videntur. Egeſtatem namque non abſentia pecuniæ, ſed præſentia immoderatarum cupidinum gignit. Philoſophum oportet, ſi nihil indigens erit, & [1] omni Fortunæ ſit contumax, & ſuperior iis, quæ homines acerba toleratu arbitrantur, nihil ſic agere, quàm ut ſemper ſtudeat Animam Corporis conſortio ſeparare: & ideò exiſtimandum [2] Philoſophiam eſſe mortis affectum, conſuetudinemque moriendi. Bonos omnes inter ſe oportet amicos eſſe, etſi ſint minùs noti: & poteſtate ipsâ, quâ mores eorum ſectæque conveniunt, amici tamen ſunt habendi. paria quippe à ſimilibus non abhorrent. [3] Unde inter ſolos bonos fidem amicitiæ eſſe conſtat. Sapientia Boni amatorem aduleſcentem facit, ſed eum, qui probitate ingenii ſit ad artes bonas promptior. Nec deformitas corporis talem poterit abigere appetitum. Nam cùm ipſa Anima complacita eſt, homo totus adamatur: [4] ſed cùm Corpus expetitur, pars ejus deterior eſt cordi. Jure igitur putandum eſt; eum qui ſit gnarus bonorum, cupidum quoque ejuſmodi rerum eſſe. Is enim ſolus bonis deſideriis accenditur, qui Bonum illud oculis Animi videt: hunc eſſe Sapientem. Iſtud verò, quoniam qui eſt ignarus, oſor quoque nec

INTERPRETATIO.

enim licèt abundent divitiis; nihilominùs videntur egeni, quoniam aut ignorant earum uſum, aut iis abutuntur ad deterrima; etenim non penuria opum parit indigentiam, ſed abundantia cupiditatum immodicarum. Si Sapiens nullâ re egeat, & obſtinatus ſit adverſus omnem fortunam, & elatus ſupra ea, quæ homines exiſtimant dura ad patiendum, opus eſt ut nihil tam curet, quàm ut ſemper conetur ſegregare mentem ex ſocietate corporis: ac propterea putandum Philoſophiam eſſe deſiderium mortis & aſſuetudinem moriendi. Neceſſe eſt ut cuncti viri probi ſint amici invicem, tametſi non ſe noverint inter ſe, *& ſunt exiſtimandi amici vel ipsâ virtute, quâ eorum vita ac profeſſio congruunt. Nam ſimilia non diſſident à ſimilibus. Ex quo certum eſt fidelem amicitiam inveniri tantùm inter probos* viros. *Sapientia reddit amantem Boni juvenem, ſcilicet illum, qui ſit paratior ad bonas artes bonitate* ſuæ *indolis. Neque turpitudo corporis poterit arcere ejuſmodi amorem. Quando enim ipſe Animus placet, totus homo diligitur: at quando concupiſcitur corpus, pejor ejus pars amatur. Ergo meritò exiſtimandum eſt illum, qui noverit bona, eſſe etiam avidum eorumdem. Nam ille unus inflammatur bonis deſideriis, qui intuetur illud Bonum acie mentis: talem eſſe Sapientem. Hoc autem* ſic eſt, *quia oportet ut* ille *qui eſt ignorans, ſit*

NOTÆ.

1. *Omni Fortunæ ſit contumax.*] Hæc eſt lectio Romani codicis & Aldi, quam ſecutus ſum. Et *omni Fortunæ*, intelligo *adverſus omnem Fortunam.* Alii codices habent tantùm, *omnium ſit contumax.*

2. *Philoſophiam eſſe mortis affectum, &c.*] Idem habet Cicero lib. 1. Tuſcul. Quæſt.

3. *Unde inter ſolos bonos fidem amicitiæ eſſe conſtat.*] Vide quæ de Amicitiâ Plato habet in Lyſide.

4. *Sed cùm corpus expetitur, &c.*] Conſule Platonis Convivium.

amicus Virtutum ſit neceſſe eſt. Nec fruſtrà hic talis amator eſt turpium voluptatum. Sapiens [1] non modò meræ voluptatis quidem alicujus gratiâ veniet ad agendum, niſi præſtò fuerint honeſta emolumenta Virtutis. Hunc eumdem cum hujuſmodi voluptate oportet vitam vivere honeſtam, & admirabilem, plenamque laudis & gloriæ: neque harum modò rerum causâ cæteris omnibus præferri, verùm etiam jucunditate & ſecuritate ſolum & ſemper frui. [2] Nec angetur cariſſimis orbatus affectibus. vel quòd ex ſe omnia ſunt apta quæ ad Beatitudinem pergunt; vel quòd decreto & lege rectæ rationis interdicitur ejuſmodi afflictatio; & quòd qui ſe tali de causâ diſcruciet, [3] vel illam ægritudinem propter eum, qui eſt emortuus, ſuſcipiat, quaſi in pejore ſit parte: aut ſuâ gratiâ, quòd tali neceſſitudine doleat ſe privatum eſſe. Sed neque obitûs causâ lamentationes ſuſcipi oportet; ſi ſciamus illum neque aliquid mali paſſum: ac ſi fuerit bonæ voluntatis, etiam melioribus aggregatum. neque ſui gratiâ, ut qui in ſe reponit omnia, nec cujuſquam abſentiâ virtutis eſſe indigens poteſt, cujus perpetuam poſſeſſionem ſibi vindicat. Igitur Sapiens non erit triſtis. Sapientiæ finis eſt, ut ad Dei meritum Sapiens provehatur: hancque fu-

INTERPRETATIO.

inimicus & adverſarius Virtutum. Et vir ejuſmodi non de nihilo eſt ſectator voluptatum inhoneſtarum. Sapiens non accinget ſe ad faciendum quidpiam *propter ſolam duntaxat voluptatem, niſi honeſti fructus Virtutis adfuerint. Neceſſe eſt eum ipſum cum tali voluptate, ducere vitam honeſtam, mirandam, & cumulatam honore & gloriâ: nec tantùm anteponi cunctis aliis propter hæc, verùm etiam* ipſum *ſolum compotem eſſe voluptatis & fiduciæ. Neque dolebit*, cùm *privatus* erit *dilectiſſimis* ſuis *liberis, aut quia cuncta quæ tendunt ad felicitatem, ſunt* ipſi *convenientia; aut quia talis dolor prohibetur ſententiâ ac præſcripto rectæ rationis; & quoniam* ille *qui ſic ſe maceret ob rem ejuſmodi, vel patitur illum angorem illius causâ qui diem obiit, veluti ſit deteriore loco: vel propter ſe* ipſum, *quoniam graviter ferat ſe eſſe orbatum ejuſmodi conſuetudine. At neque mœrendum eſt propter mortem, ſi noverimus eum, qui obiit, nec expertum eſſe quidquam mali; &* eum, *ſi fuerit probè moratus, eſſe etiam accenſitum beatis. Neque* etiam dolebit Sapiens *propter ſe* ipſum, *quippe qui collocat cuncta in ſe* uno, *neque poteſt laborare penuriâ Virtutis ob amiſſum ullum hominem, cùm ſibi afferat æternam ejus poſſeſſionem. Ergo Sapiens non mœrebit. Sapientiæ finis eſt ut Sapiens perducatur ad meritum Dei; atque hoc ipſi*

NOTÆ.

1. *Non modò meræ voluptatis causâ.*] *Modò* hîc eſt *duntaxat*, *ſolummodò*, ut ſit ſenſus, quem expreſſi.

2. *Nec angetur cariſſimis orbatus affectibus.*] Cariſſimi affectus ſunt Liberi, qui & *pignora chara* dicuntur. Jul. Capitolinus, in M. Antonino: *Et Antoninus quidem non eſt ſatis motus defectione Caſſii, nec in ejus affectus ſævit.*

3. *Vel illam ægritudinem propter eum, qui ſit emortuus, ſuſcipiat, quaſi in pejore ſit parte.*] Cicero Tuſc. Quæſt. lib. 1. *Quis eſt igitur, qui ſuorum mortem primùm non eò lugeat, quòd eos orbatos vitæ commodis arbitretur?*

turam ejus operam, ut æmulatione vitæ ad Deorum actus accedat. Verùm hoc ei poterit provenire, ſi virum perfectè juſtum, pium, prudentemque ſe præbeat. Unde non ſolùm in proſpectandi cognitione, verùm etiam agendi operâ ſequi eum convenit, quæ Diis atque hominibus ſint probata. Quippè cùm ſummus Deorum cuncta hæc non ſolùm cogitationum ratione conſideret, ſed prima, media, & ultima obeat, compertaque intimè, providæ ordinationis univerſitate & conſtantiâ regat. Verùm enimverò illud omnibus beatum videri, cui & bona ſuppetunt, & quemadmodum carere vitiis debeat, callet. Una quidem beatitudo eſt, cùm Ingenii noſtri præſentiâ tutamur, quæ perficimus: alia, cùm ad perfectionem vitæ nihil deeſt, atque ipsâ ſumus contemplatione contenti. Utrarumque autem feliciratum origo ex virtute manat; & ad ornamentum quidem [1] genialis loci, vel virtutis, nullis extrinſecùs eorum, quæ bona ducimus, adminiculis indigemus. Ad uſum autem vitæ communis, corporis curâ, & eorum, quæ extrinſecùs veniunt, præſidiis opus eſt: ita tamen, ut hæc eadem fiant virtute meliora, ejuſque ſuffragio beatitudinis commodis copulentur, ſine quâ hæc in Bonis minimè ſunt habenda. Nec fruſtrà eſt, quòd ſola Virtus fortunatiſſimos poteſt facere; cùm abſque hac ex aliis proſperis non poſſit felicitas inveniri. [2] Sapientem quippe pediſ-

INTERPRETATIO.

faciendum incumbere, ut appropinquet ad actiones Deorum imitatione ſuæ *vitæ. Sed ipſe poterit hoc aſſequi, ſi præſtet ſe virum omni ex parte æquum, religioſum, ac prudentem. Quapropter oportet eum imitari* ea, *quæ laudata ſunt à Diis & hominibus, non tantùm in cogitatione providendi, ſed etiam in uſu actionum. Siquidem ſupremus Deorum non tantùm intuetur hæc univerſa cogitationibus* ſuis, *ſed percurrit prima, media, & extrema, & cognita penitùs, gubernat immenſitate & immutabilitate prudentis* ſuæ *diſpoſitionis. Atenim hoc* ait *exiſtimari à cunctis beatum, quod & habet bona, & ſcit quâ ratione debeat eſſe immune à vitiis. Felicitas quidem altera eſt quando dirigimus applicatione noſtræ mentis* ea, *quæ agimus: altera, quando nihil deſit perfectioni vitæ, & contenti ſumus ipsâ ſpeculatione. Fons autem utriuſque* hujus *beatitudinis fluit ex virtute. Et nullis quidem opus habemus auxiliis externis eorum quæ exiſtimamus bona ad decus patriæ vel virtutis. Cura autem corporis, & auxilia earum rerum quæ accedunt extrinſecùs, neceſſaria ſunt ad uſum vitæ communis: ſic tamen ut illa ipſa reddantur melio*ra ope *virtutis, & adjungantur bonis beatitudinis ipſius operâ, ſine quâ ea nequaquam ſunt accenſenda Bonis. Et jure quidem ſola virtus poteſt reddere beatiſſimos: ſiquidem ſine ipsâ beatitudo nequit acquiri ex cæteris proſperis rebus. Etenim appellamus Sapien-*

NOTÆ.

1. *Genialis loci.*] Genialem locum intelligo, in quo quis genitus ſit.

2. *Sapientem quippe pediſſequum & imitatorem Dei, &c.*] Hoc eſt quod ſuprà dixit, *Sapientiæ finem eſſe, ut ad Dei meritum ſapiens provehatur: hancque futuram ejus operam, ut æmulatione vitæ ad Deos accedat.*

ſequum & imitatorem Dei dicimus, & ſequi arbitramur Deum. [1] Id enim eſt ἕπου θεῷ. Non ſolùm autem oportet, dum vitam colit, [2] digna Diis diſcere, nec ea agere, quæ eorum majeſtati diſpliceant, verùm & tunc cùm corpus relinquit. [3] quod non faciet invito Deo. Nam etſi in ejus manu eſt mortis facultas, quamvis ſciat ſe terrenis relictis conſecuturum eſſe meliora; niſi neceſſariò perpetiendum eſſe iſtud lex divina decreverit, accerſire ſibi tamen eum mortem non debere. & ſi anteactæ vitæ ornamenta cohoneſtant, honeſtiorem tamen & rumoris ſecundi oportet eſſe, cùm ſecurus de poſteritatis ſuæ vitâ, ad immortalitatem Animam ire permittit, eamque, quòd piè vixerit, præcipit [4] Fortunatorum habituram loca, Deorum choreis Semideûmque permixtam. De civitatum verò conſtitutione, & de obſervatione regendarum Rerumpublicarum, ita jubet Plato. Jam principio Civitatis definit formam ad hunc modum: Civitatem eſſe conjunctionem inter

INTERPRETATIO.

tem ſecutorem & æmulatorem Dei, & putamus eum *imitari Deum. Hoc enim ſibi vult* hæc ſententia ἕπου θεῷ ſequere Deum. *Non tantùm autem opus eſt ut loquatur digna Diis, quandiu vivit, neque illa faciat quæ odioſa ſint eorum Majeſtati, ſed etiam eo ipſo tempore, quo deſerit* ſuum *corpus. quod quidem non debet facere adverſus* Dei *voluntatem. Etenim licèt habeat penes ſe poteſtatem moriendi, eum tamen* ait idem Plato *non debere ſibi conſciſcere mortem, ni decretum divinum ſtatuerit hoc eſſe neceſſariò ſubeundum; tametſi certus ſit ſe adepturum meliora, cùm deſeruerit terreſtria. & ſi egregia facta vitæ præteritæ* eum *ornant, decet tamen eum eſſe honeſtiorem & bonæ famæ, quando confidens de duratione ſuæ poſteritatis ſinit ſuam Animam pergere ad immortalitatem, ac præſumit eam occupaturam ſedes beatorum, commixtam cœtibus Deorum, ac Semi-Deorum, quoniam religioſè vixerit. De ordinatione autem urbium, & de iis quæ obſervanda ſunt in Rebuſpublicis adminiſtrandis ſic Plato præcipit. Ac primùm quidem deſcribit formam Civitatis hoc pacto: Civitatem eſſe colle-*

NOTÆ.

1. *Id enim eſt ἕπου θεῷ.*] Ambroſius de Abraham lib. 1. c. 2. *Inter ſeptem Sapientum dicta celebratur ἕπου θεῷ.* VVovverus exiſtimat hæc verba è textu tollenda tanquam Gloſſema aliquod.

2. *Digna Diis dicere.*] Sic rectè emendandum putavit Stevvechius, quod erat in vulgatis *digna diſcere*, ratio patet ex ſequentibus.

3. *Quod non faciet invito Deo.*] Vide Plat. in Phædone. Cicero lib. 1. Tuſcul. Quæſt. *Vetat enim dominans ille in nobis Deus, injuſſu hinc nos ſuo demigrare. cùm verò cauſam juſtam Deus ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, ſæpè multis. næ ille medius fidius vir Sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesſerit: nec tamen illa vincula carceris ruperit: leges enim vetant.* Hinc, ſi quis, causâ Magiſtratibus non probatâ, vitâ ſe privâſſet, inhumatus abjiciebatur. Seneca lib. 8. Controverſ. 4. Lex: HOMICIDA (ſui) INSEPULTUS ABJICIATUR; *facinus indignum, ſi inveniantur manus, quæ ſepeliant eum, quem occidêre ſuæ, &c.*

4. *Fortunatorum habituram loca.*] Fortunatorum inſulas Plauto in Trinummo, Act. 2. Scen. 4.

Sicut Fortunatorum memorant inſulas,
Quò cuncti, qui ætatem egerunt caſtè ſuam,
Conveniant.

ſe hominum plurimorum, in quibus ſunt regentes alii, alii deteriores, conjuncti inter ſe concordiâ, & invicem ſibi opem atque auxilium deferentes, iiſdem legibus, rectis tamen, officia ſua temperantes. unamque Civitatem, iiſdem mœnibus illam futuram, &, ſi eadem velle atque eadem nolle incolarum mentes aſſueverint. Quare ſuadendum eſt fundatoribus Rerumpublicarum, [1] ut uſque ad id locorum plebes ſuas taliter augeant, ut eidem rectori noti omnes eſſe poſſint, [2] nec ſibimet incogniti. ſic enim fiet, ut omnes unâ mente ſint, æquumque ſibi factum velint. Magnam ſanè civitatem non habitantium multitudine, eorumque magnis viribus niti oportet. Vires enim non corporis, nec pecuniæ, collectas dominatione multorum, æſtimandas putat, cum vecordiâ impotentiâque, ſed cùm decreto communi Virtutibus omnibus ornati viri incolæ & omnes fundati legibus obſequuntur Cæteras verò, quæ non ad hunc modum forent conſtitutæ, non arbitrabatur ſanas Civitates, ſed tetras & morbis tumentes Reſpublicas. Eas demùm fundatas ratione dicebat eſſe, quæ ordinatæ ad inſtar Animarum forent: ut pars optima, quæ ſapientiâ prudentiâque præcellit, imperitet multitudini: &, ut illa totius habet curam corporis,

INTERPRETATIO.

ctionem multorum hominum, inter quos alii aliis *imperant, alii parent, ſociati invicem conſenſu, & mutuò ſibi præbentes præſidium atque adjumentum, moderantes ſua munia iiſdem legibus, quæ tamen juſtæ ſint. atque illam civitatem fore unam,* ſi cincta ſit *iiſdem muris, & animi civium aſſuefacti fuerint eadem velle, & eadem nolle. Quapropter dandum eſt hoc conſilium inſtitutoribus Rerumpublicarum, ut eò uſque regionum ſic dilatent ſuos populos, ut univerſi poſſint cognoſci ab eodem gubernatore, neque ſint ſibi invicem ignoti. nam hac ratione efficietur ut cuncti ſint unanimes, & velint æquo jure uti. Profectò non expedit ut ampla civitas freta ſit ingenti numero civium, & magnis eorum opibus. Nam non exiſtimat robora corporis ac divitiarum, coacervata imperio in multos, eſſe magni facienda,* ſi conjuncta ſint *cum ignaviâ & ſuperbiâ, ſed quando cives, viri præditi cunctis Virtutibus, & omnes innixi Legibus, parent communi ſtatuto. Reliquas autem civitates, quæ non eſſent ordinatæ hac ratione, non putabat eſſe ſapientes civitates, ſed Reſpublicas tetras & tumidas ex morbis. Poſtremò, aiebat illas inniti ratione, quæ eſſent diſpoſitæ veluti Animæ: ita ut excellentiſſima pars, quæ præſtat Sapientiâ & Prudentiâ, imperet populo: & quemadmodum Anima proſpicit toti*

NOTÆ.

1. *Ut uſque ad id locorum plebes ſuas taliter augeant, &c.*] Plato lib. 5. de Legib. tot vult cives eſſe in civitate, ut injuriantes vicinos poſſint depellere, & iiſdem injuriam patientibus opitulari: horumque numerum ſic definit, ut quinquies mille & quadraginta omninò habitationes ſeu domus in civitate ſint, totidemque familiæ, quæ illas incolant, quem numerum non eſſe temerè augendum, vel minuendum affirmat.

2. *Nec ſibimet incogniti.*] Plato ibidem. *μεῖζον οὐδὲν πόλει ἀγαθὸν, ἢ γνωρίμους πολίτας αὐτοῖς εἶναι, Civitati nihil melius, quàm ut cives invicem ſeſe cognoſcant.*

[1] ita prudentiæ delectus tueatur univerſæ commoda civitatis. Fortitudo etiam pars Virtutis ſecunda, ut vi ſuâ Appetentiam caſtigat, & reprimit: ita in civitate vigilet. excubitorum loco quidem militet juventus pro utilitate cunctorum. ſed inquietos & indomitos, ac proptereà peſſimos cives refrænet, contineat, ac, ſi neceſſe ſit, frangat potioris conſilii diſciplina. Illam verò deſideriorum tertiam partem plebi & agricolis parem ducit, quam exiſtimat moderatis utilitatibus ſuſtinendam. Atenim Rempublicam negat poſſe conſiſtere, [2] niſi is, qui imperitet, habeat Sapientiæ ſtudium: aut is ad imperandum deligatur, quem eſſe inter omnes Sapientiſſimum conſtet. Moribus etiam hujuſcemodi cunctos cives imbuendos eſſe dicit, ut iis, in quorum tutelam atque fidem Reſpublica illa credatur, auri atque argenti habendi cupido nulla ſit. nec ſpecie communi privatas opes appetant, nec hujuſcemodi hoſpitia ſuccedant, ut, cæteris januâ non recluſâ, cibos victumque ita ſibi curent, ut acceptam mercedem ab his, quos protegunt, communibus epulis inſumant. [3] Matrimonia quoque non privatim maritanda eſſe, ſed fieri communia, deſpondentibus ipſis ejuſmodi nuptias publicè civitatis Sapientibus & Magiſtratibus & ſorte quâdam ei negotio præditis; idque præcipuè curantibus, ne diſpares ſui, vel inter ſe diſſimiles copulentur. His adnectitur utilis neceſſaria-

Interpretatio.

corpori, ſic cœtus Prudentium conſervet bona totius Reipublicæ. Fortitudo quoque pars ſecunda virtutis, quemadmodum corripit ac retundit ſuo vigore Concupiſcentiam, ſic etiam debet excubias agere in urbe. vice quidem vigilum juvenes bellum gerant in commodum omnium. at oportet ut *regimen prudentiorum comprimat, cohibeat, &, ſi opus eſt, perdat cives cupidos novarum rerum contumaceſque, & ideò deterrimos. Exiſtimat autem illam tertiam portionem* Animæ, *in quâ ſunt Cupiditates, ſimilem eſſe popello & ruſticis, quam putat eſſe ſuſtentandam modicis commodis. Verùm ait civitatem non poſſe permanere, niſi ille qui* ipſi *præeſt, teneatur amore ſapientiæ; vel ille eligatur ad imperandum, quem certum ſit eſſe ſapientiſſimum omnium. Ait etiam omnes cives informandos eſſe talibus inſtitutis, ut illi, quorum cuſtodiæ ac poteſtati illa civitas permittatur, nullam habeant cupiditatem poſſidendi auri & argenti. neque concupiſcant divitias privatorum ſub obtentu generali* utilitatis publicæ, *neque habitent in talibus ædibus, ut non aperto oſtio reliquis, ſic ſibi parent eſcas & victum, & abſumant in convivia mutua, munera quæ acceperint ab illis quos tuentur. Connubia etiam non eſſe jungenda privatim, verùm efficienda communia, ipſis Sapientibus & Magiſtratibus civitatis, & iis, qui habent quandam aptitudinem ad eam rem, ſancientibus publicè tales nuptias; & id præſertim caventibus, ne inæquales aut diſſimiles conjungantur inter ſe. His adjicitur permixtio utilis &*

Notæ.

1. *Ita prudentiæ delectus tueatur univerſæ commoda civitatis. Fortitudo etiam. &c.*] Adi librum 4 de Repub.

2. *Niſi is qui imperitet habeat Sapientiæ ſtudium.*] Hoc eſt quod Plato lib. 6. de Rep. affirmat & fusè probat, civitati præeſſe debere Philoſophos.

3. *Matrimonia quoque non privatim, &c.*] Vide lib. 5. de Rep.

que confuſio

que confuſio, ut permixta nutrimenta puerorum ignotorum adhuc, agnitionis parentibus afferant difficultatem: ut dum ſuos liberos neſciunt, omnes, quos viderint ejus ætatis, ſuos credant; & veluti communium liberorum omnes omnium ſint parentes. Ad hæc ipſorum connubiorum quæritur tempeſtiva conjunctio, cujus futuram ſtabilem fidem credit, [1] ſi cum harmoniâ Muſicæ dierum conſonent numeri: & qui de talibus nuptiis erunt orti, ſtudiis congruentibus imbuentur, & optimis diſciplinis communi præceptorum magiſterio docebuntur, [2] non virile ſecus modò, verùm etiam fœminarum. [3] quas vult Plato omnibus artibus, quæ propriè virorum putantur, conjungendas eſſe; bellicis etiam. quippè utriuſque cùm natura una ſit, eandem eſſe virtutem. Ejuſmodi civitatem nullis extrinſecùs latis legibus indigere. regiâ quippè prudentiâ & ejuſmodi inſtitutis ac moribus, quibus dictum eſt, fundata, cæteras leges non requirat. Et hanc quidem, ut figmentum aliquod veritatis, exempli causâ per ſe compoſitam vult eſſe Rempublicam. [4] Eſt & alia optima quidem, & ſatis juſta, & ipſa quidem ſpecie & [5] dicis causâ civitas fabricata, non ut ſuperior ſine evidentiâ;

Interpretatio.

neceſſaria, ut permixtæ educationes infantium nondum agnitorum reddant eorum agnitionem difficilem genitoribus, ut quandiu ignorant ſuos filios, quotquot aſpexerint illius ætatis, exiſtiment eſſe ſuos, atque omnes ſint patres omnium tanquam filiorum communium. Inſuper inquiritur opportuna copulatio Matrimoniorum cujus putat fidelitatem fore conſtantem, ſi numeri dierum congruant cum harmoniâ Muſicæ. Et qui nati erunt ex ejuſmodi conjugiis, erudientur ſtudiis ſibi convenientibus, & inſtituentur optimis artibus communi operâ Magiſtrorum, non tantùm ſexus virorum, ſed etiam mulierum. quas Plato vult eſſe adhibendas cunctis Diſciplinis, quæ exiſtimantur ſpeciatim pertinere ad viros; & etiam Militaribus. Etenim utroſque habere eandem vim, cùm habeant eandem naturam. Talem Rempublicam non habere opus ullis legibus externis: nam, cùm fuerit *conſtituta prudentiâ regali, & talibus legibus ac conſuetudinibus quas dixi, non deſiderabit alias leges. Et ait quidem hanc Rempublicam eſſe à ſe effectam velut ſimulacrum aliquod veritatis ad exemplum* ob oculos ponendum. *Eſt etiam* apud Platonem *alia Reſpublica, optima certè, ſatque æqua, quæ quidem etiam conficta eſt exempli & ratiocinii gratiâ, non quidem abſque veriſimilitudine quemadmodum* illa *prior;*

Notæ.

1. *Si cum harmoniâ Muſicæ dierum conſonent numeri.*] Harmonicam hanc nuptiarum rationem exponit initio lib. 8. de Rep. ſed obſcure admodùm & ænigmaticè.

2. *Non virile ſecus modò.*] Similiter apud Plautum legas *virile ſecus*, pro *virili ſexu*. Rudente, Act. 1. Scen. 2.

Filiolam ego unam habui, eam unam perdidi.
Virile ſecus nunquam ullum habui.

Apul.

3. *Quas vult Plato omnibus artibus, quæ propriè virorum putantur conjungendas eſſe; bellicis etiam.*] Initio lib. 5. de Republ. & lib. 6. de Legibus.

4. *Eſt & alia optima quidem, &c.*] Cujus deſcriptio extat libro 5. de Leg. hanc ſecundam vocat.

5. *Dicis cauſa.*] Formula eſt vetus. Arnob. adverſus Gentes lib. 3. *Honoris & dicis cauſa, vos ſpecies Diis accommodaviſſe mortalium.* item lib. 4. *an*

ſed jam cùm aliquâ ſubſtantiâ. In hac non ſuo nomine, de ſtatu & de commodis civitatis, requirens originis ejus principia & fundamenta, diſponit: ſed eo tendit, quemadmodum civilis gubernator ejuſmodi locum conventûſque multitudinem nactus, juxta naturam præſentium rerum & convenarum debeat facere civitatem plenam bonarum legum & morum bonorum. In hac equidem eaſdem puerorum nutricationes, eaſdem vult eſſe artium diſciplinas. Sed in connubiis, & partubus, & patrimoniis ac domibus deſciſcit à prioris obſervatione Reipublicæ: matrimonia privata & ſingularia faciens, procorúmque ipſorum. Et, ſi in contrahendo matrimonio conſulere ex voluntate ſuâ debeant, univerſæ tamen civitatis principibus, ut communis commodi cauſam decernit ſpectandam eſſe. [1] Quare & dites inferiores nuptias non recuſent; & locupletum conſortium inopes conſequantur: &, ſi vires opum non congruunt, ingenia tamen diverſa miſcenda eſſe: ut iracundo tranquilla jungatur, & ſedato homini incitatior mulier applicetur. ut talibus obſervationum remediis & proventibus ſoboles naturâ diſ-

Interpretatio.

ſed quæ jam aliquid habet veritatis, In eâ non ordinat ſtatum, & utilitates Reipublicæ ad ſuum arbitrium, inveſtigans primordia ac fundamenta ejus ortûs: verùm hoc ſibi proponit, quomodo adminiſtrator Reipublicæ, qualemcumque regionem ſortitus ſit, ac cœtum populorum, debeat efficere Rempublicam repletam bonarum conſtitutionum ac bonarum conſuetudinum ſecundum ſtatum rerum præſentium, & indolem *hominum qui in unum confluxerint. Vult quidem in eâ eſſe eaſdem educationes liberorum, & eaſdem traditiones ſcientiarum,* quas in ſuperiori. *Ac quoad matrimonia liberorum & partus, & bona, atque ædes, diſcedit ab iis, quæ præceperat in ſuperiore Republicâ, reddens connubia propria & peculiaria, ac eorum quidem, qui* virgines *ambierint. Et quamvis debeant* ſibi *proſpicere ex ſuo arbitrio in jungendo connubio, præcipit tamen rem eſſe conſiderandam à proceribus totius Reipublicæ, utpote quæ ſpectat ad utilitatem publicam. Quapropter neque locupletes debent reſpuere connubia cum pauperioribus, &* oportet ut *pauperes adipiſcantur ſocietatem divitum: quamvis fortunæ* eorum *non ſint pares. Attamen contrarias indoles ait eſſe* inter ſe *copulandas: ita ut* mulier *manſueta copuletur* viro *commotiori, & fœmina iracunda nubat viro tranquillo. ut proles procreata ex diverſis ingeniis, ope ac fructu ejuſmodi obſervationum concreſcat*

Notæ.

ita ut aſſolet, dicis cauſa. Gloſſæ veteres *Dicis cauſa* Νόμȣ χάριν. Vocem *Dicis* ab antiquâ *Dex* inclinatam vult Varro, quemadum à *Judex* fit *Judicis*, &c. nam, ut ait, ſi juncto verbo *Judex* dicitur qui *jus dicit*, veriſimile eſt voce ſimplici ſimiliter eum, qui *dicit*, appellatum fuiſſe *dicem*. Itaque *dicis cauſa* aliquid fit, cùm nullâ aliâ de causâ fit, quàm ut dici poſſit eſſe factum.

1. *Quare & Divites inferiores nuptias non recuſent, &c.*] Deſumpta hæc ſunt ex lib. 6. de Legib. pag. 859. Francofurt. editionis, quem locum adi. In hanc ſententiam loquitur Megadorus apud Plautum in Aulular. Act. 3. Scen. 5.

Nam meo quidem animo, ſi idem faciant cæteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum:
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidiâ nos minore utamur quàm utimur, &c.

crepante confecta, morum proventu meliore coaleſcat: & ita compoſitarum domorum opibus civitas augeatur. Puerperia quoque ipſa morum diſſimili ſeminio concepta, cùm utriuſque inſtar ſimilitudinis traxerint; neque illis vigorem in rebus gerendis, neque tamen in ſpectandis conſilium defuturum. Inſtituendos verò eos eſſe, utcumque parentes cenſuerint. Domos verò & poſſeſſiones habeant privatas, ut queunt ſinguli, quæ quidem nec in immenſum augeri per avaritiam, nec prodigi per luxuriam, aut deſeri per negligentiam ſinit. Legeſque civitati huic promulgari jubet, & legum moderatorem, cùm aliquid tale concipiet, ad contemplandas virtutes hortatur. Imperitandi autem modum eum eſſe utilem cenſet, qui ex tribus fuerit temperatus. Nec enim vel optimatium, vel etiam popularis imperii ſolos & meros ſtatus utiles arbitratur; [1] nec impunitas rectorum culpas relinquit: ſed magis cenſet his debere [2] conſtare rationem, qui ſint potiores poteſtate. Et alii publicarum rerum ſtatus definirivi ab eo putantur, nitentes ad bonos mores; & ſuper eâ Republicâ, quam vult emendatione con-

INTERPRETATIO.

in laudabiliorem morum inſtitutionem: & Reſpublica ditetur fortunis familiarum ſic conſtitutarum. Ipſi etiam fœtus generati ſemine parentum diſſimilium *indole, quando duxerint formam ſimilem ambobus;* ait *eos non carituros robore in negotiis agendis, neque etiam prudentiâ in ipſis proſpiciendis. Illos autem educandos eſſe quoquo modo parentibus viſum fuerit. Singuli autem poſſideant ædes ac patrimonia peculiaria pro ſuis viribus, quæ quidem Plato nec permittit protendi vaſtiùs ex avaritiâ, neque diſſipari luxu, vel dimitti ex incuriâ. Præcipit etiam ut leges ferantur pro tali Republicâ, atque exhortatur Legiſlatorem ad intuendas virtutes, quando meditabitur quidpiam hujuſmodi. Exiſtimabat verò bonam eſſe illam rationem imperii, quæ mixta ſit ex tribus. Nam non exiſtimat ſola ac pura regimina procerum, vel dominationis plebeiæ bona eſſe; neque ſinit errata moderatorum impunita; ſed tamen ſatius eſſe ducit illos gubernare, qui ſint ſuperiores potentiâ. Atque alii ſtatus Rerumpublicarum creduntur ab eo definiri poſſe, tendentes ad probos mores. & quantum ad illam Rempublicam, quam ait conſtitui correctione, præcipit*

NOTÆ.

1. *Nec impunitas rectorum culpas relinquit.*] In quo recedit à regiâ gubernatione, in quâ Reges ſuorum rectè aut malè factorum rationem nemini reddunt. Regimen itaque ſuæ Reipublicæ temperat Plato ex Democratico, Ariſtocratico, & Regio, ſive Monarchico. vult enim comitia populi fieri ad eligendos Magiſtratus legumque cuſtodes, quod Democraticum eſt: vult ſummam poteſtatem penes Magiſtratus eſſe, qui quidem ex optimis civibus conſtent, atque hoc Ariſtocraticum. vult denique his Magiſtratibus præeſſe ſupremum quemdam Magiſtratum, quod Monarchicum eſt. magis tamen accedit ad Monarchiam, ſed temperatam Ariſtocratiâ. Certè in Dialogo illo, cui Politicus nomen eſt, affirmat rectam civitatis adminiſtrationem apud unum, vel apud pauciſſimos ſaltem, eſſe quærendam.

2. *Conſtare rationem.*] VVovverius legit *conſtare gubernationem.* At in idem recidunt ambæ lectiones.

ſtare, rectori mandat, ut priùs reſiduas leges compleat, aut vitioſas leges correctas velit. deinde mores pernicioſos, & diſciplinas corrumpentes commoda civitatis ad meliora convertit. à quibus ſi conſilio & ſuadelâ depravata multitudo deflecti non poterit, abducenda eſt tamen ab incepto vi & ingratiis. [1] In actuosâ verò civitate deſcribit quemadmodum ſimul omnis hominum multitudo bonitate & juſtitiâ conducta habeatur. Hi tales complectentur proximos honores cuſtodient, intemperantiam arcebunt, injuriam refrænabunt: prudentiæ ornamentiſque cæteris vitæ honores maximos deferentes. [2] Nec temerè multitudo convolet ad ejuſmodi rerum publicarum ſtatus, niſi qui optimis legibus & egregiis inſtitutis fuerint educati, moderati erga cæteros, inter ſe congruentes. [3] Quatuor denique culpabilium civium genera eſſe ait: unum eorum qui ſunt honore præcipui: alterum paucorum, penes quos rerum eſt poteſtas: tertium omnium: ultimum dominationis tyrannicæ. Et primùm quidem confunditur, cùm prudentiores viri per Magiſtratus ſeditioſos civitate pelluntur, deferturque poteſtas ad illos qui ſunt manu tantummodò ſtrenui: nec ii qui blandiore conſilio agere res poſſint, adipiſcuntur imperii facultatem; ſed

INTERPRETATIO.

moderatori, ut primò ſuppleat leges quæ ſuperſunt, vel emendet vitioſas. poſteà mutat in melius pravos mores, & artes, quæ labefactant utilitatem civitatis, à quibus ſi populus corruptus nequeat averti conſilio & exhortatione, avertendus eſt nihilominùs vi & invitus à ſuo propoſito. *In Republicâ autem jam omninò conſtitutâ, exponit quomodo tota ſimul multitudo hominum contineatur gubernata probitate & æquitate. Ejuſmodi* viri *amabunt* ſuos *affines, obſervabunt Magiſtratus, abigent immoderationem, repriment injuriam, tribuentes ſummos dignitatis gradus prudentiæ ac reliquis egregiis dotibus vitæ. Neque plebs temerariè confluet ad regimen talium civitatum, præter eos qui inſtituti fuerint optimis legibus, & eximiis moribus, modeſti adverſus alios, conſentientes inter ſe. Poſtremò, dicit eſſe quatuor ſpecies civium vituperabilium; primam illorum qui præſtant dignitate: ſecundam paucorum, in quorum poteſtate eſt ſumma rerum: tertiam univerſorum: poſtremam Imperii Tyrannici. Et prima quidem* ſpecies regiminis *perturbatur quando viri ſapientiores ejiciuntur è Republicâ à Magiſtratibus ſeditioſis, &* ſumma *auctoritas traditur illis qui ſunt ſolùm manu validi: neque illi qui noverunt negotia gerere prudentiâ mitiore, ſiunt compotes adminiſtrationis; ſed ii qui ſunt tur-*

NOTÆ.

1. *In actuosâ verò civitate.*] Hoc eſt, in civitate, quæ jam optimè conſtituta eſt, & ſecundùm leges priùs traditas reipsâ regitur.

2. *Nec temerè multitudo convolet ad e. r. ſ. n. q. o. l. & e. i. fuerint educati.*] Eam ob cauſam Plato lib. 5. de Leg. ait, ſi morborum lues, bellorumve calamitas ſic vaſtaverit civitatem, ut multò pauciores ſint quinque millibus & quadraginta, quem numerum civitatis incolis conſtituit, cives alicubi adulterinâ educatos diſciplinâ ſponte quidem ſuſcipiendos non eſſe, ut numerus ille compleatur. ne videlicet cæteros malis ſuis moribus corrumpant

3. *Quatuor denique culpabilium civium genera eſſe ait.*] De his jam ſuprà. vide Platonem in Politico.

qui turbidi violentique ſunt. Paucorum veró ſtatus obtinetur; cùm inopes criminoſi multi ſimul paucorum divitum impotentiæ ſubjacentes, dederint ſe atque permiſerint: omnemque regendi poteſtatem non mores boni, ſed opulentia fuerit conſecuta. Popularis autem factio roboratur, cùm inops multitudo viribus obtinuerit adverſus divitum facultates, lexque juſſu populi fuerit promulgata, ut ex æquo liceat omnibus honores capeſſere.[1] Ad hæc tyrannidis illius ſingulare caput tunc oritur, cùm is qui leges contumaciâ ſuâ ruperit, [2] ſimili legum conjuratione adoptatum imperium invaſerit: conſtituens deinceps ut omnis civium multitudo deſideriis ejus & cupiditatibus parens, obſequium ſuum tali fine etiam moderetur.

Interpretatio.

bulenti & violenti. Reſpublica verò venit in manum paucorum, quando pauperes, & facinoroſi, plures ſimul ſubditi ambitioni paucorum locupletum, tradiderint ſe & commiſerint eis *: ac non probi mores, verùm divitiæ adeptæ fuerint auctoritatem adminiſtrandæ* Rei publicæ. *Partes autem plebeiæ confirmantur quando plebs egena ſuperavit opes locupletiorum, & lex fuerit lata jubente plebe, ut poſſint omnes pariter adipiſci dignitates. Præter hæc, unicum caput illius tyrannicæ dominationis tunc naſcitur, quando ille, qui violaverit leges ſuâ pervicaciâ, occupaverit dominationem ad quam fuerat aſſumptus pari conſpiratione adverſus leges: decernens poſteà ut tota multitudo civium obſequens cupiditatibus & libidinibus ipſius, dirigat ſuam obedientiam in hunc quoque finem.*

Notæ.

1. *Ad hæc tyrannidis illius ſingulare caput.*] Sic ex membranis Florentinis repoſuit Elmenhorſtius. Vulgati codices habent, *ad hæc tyrannis illa ſingulare dominationis caput*, quam lectionem æquè, aut etiam magis probandam exiſtimo. ſicque expono, *prætereà illa tyrannis, quæ eſt unicum caput dominationis*, hoc eſt, quæ in eo conſiſtit, ut unus dominetur cæteris omnibus, *oritur*, *&c.*

2. *Simili legum conjuratione.*] Expone: *conjuratione adverſus leges*, aliàs non video quis poſſit elici ſenſus.

LUCII APULEII
MADAURENSIS PLATONICI
DE
HABITUDINE DOCTRINARUM Platonis Philoſophi.

LIBER TERTIUS.

ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ,
SIVE
DE SYLLOGISMO CATEGORICO.

STUDIUM Sapientiæ, quod Philoſophiam vocamus, pleriſque 1 vi-

INTERPRETATIO.

AMOR Sapientiæ, quem appellamus Philoſophiam, exiſtmatur à quamplu-

NOTÆ.

MEMINERUNT libri hujus ſub Apuleii nomine Iſidorus Hiſpalenſis libro 2. Originum, cap. 28. & Carolus Magnus, *de non adorandis Imaginibus*, lib. 4. At illum neque codex Rom. nec Aldus, nec Florentinæ, nec Leidenſes membranæ continent. hinc factum eſt ut mendoſus valdè hactenùs prodierit. Emendatiorem tibi en damus, SERENISSIME DELPHINE, ex fide duorum tantùm hujus libelli MSS^um^ Codicum, qui in Bibliothecâ Inſignis Eccleſiæ Carnotenſis aſſervantur. quorum alter, quem primum nominabo, quantum ex ſcripturæ formâ conjicere licet ad nonum ſæculum: alter, qui dicetur ſecundus, ad decimum accedit. Horum variantes à Scriverianâ edititione Guillelmi Cæſii Amſterod. anno 1624. lectiones ſummâ curâ ac ſtudio collegit, & ad me miſit clariſſimus Vir, mihique cum laude nominandus Blaſius le Feron Theologus Pariſienſis, ejuſdem Inſignis Eccleſiæ Carnotenſis Canonicus, Vir Græcarum Hebraïcarumque Litterarum peritiſſimus, & multiplici Doctrinæ genere clarus.

1 *Videtur tres ſpecies habere.*] Quartam adde τὴν μετὰ τὰ φυσικά. Cæteræ enim, ut Geometria, Medicina, Oeconomica, Politica, &c. ad alias reducuntur, putà ad Phyſicam, & Moralem, &c.

detur tres ſpecies habere: Naturalem, Moralem, & , de quâ nunc dicere propoſui, Rationalem, quâ continetur ars diſſerendi. Sed cùm diſſeramus de Oratione, cujus variæ ſpecies ſunt, ut Imperandi, vel Narrandi, Mandandi, Succenſendi, Optandi, [1] Vovendi, Iraſcendi, Odiendi, Invidendi, Favendi, Miſerandi, Admirandi, Contemnendi, Objurgandi, Pœnitendi, Deplorandi, [2] tum Voluptatem afferendi, tum Metum incutiendi; in quibus Oratoris excellentis eſt, lata anguſtè, anguſta latè, vulgata decenter, nova uſitatè, uſitata novè proferre, extenuare magna, maxima è minimis poſſe efficere, aliaque id genus plurima: eſt una inter has ad propoſitum potiſſima, [3] quæ Pronuntiabilis appellatur, abſolutam ſententiam comprehendens, [4] ſola ex omnibus veritati aut falſitati obnoxia. quam vocat [5] Sergius Effatum, Varro Proloquium, Cicero Enuntiatum; Græci Protaſin, tum Axioma. Ego verbum è verbo, tum [6] Protenſionem, tum Rogamentum. familiariùs tamen dicetur Propoſitio. Propoſitionum igitur, perinde ut

INTERPRETATIO.

rimis habere tres partes: Phyſicam, Ethicam & Logicam, de quâ ſtatui nunc loqui, quæ complectitur artem ratiocinandi. At quoniam loquimur de Oratione, quæ habet diverſa genera, putà, Jubendi, aut Referendi, Præcipiendi, Expoſtulandi, Expetendi, Blandiendi, Iraſcendi, Odiendi, Invidendi, Favendi, Miſerendi, Mirandi, Aſpernandi, Increpandi, Pœnitendi, Lamentandi, prætereà, Oblectandi, & Terrendi; in quibus eſt officium *præſtantis Oratoris enuntiare prolixa breviter, brevia prolixè, communia gratè, nova ut ſi uſu venire ſoleant, ea* verò *quæ uſu veniunt, ut ſi nova* eſſent, *elevare grandia, poſſe facere maxima ex tenuiſſimis, ac permulta alia ejuſmodi: eſt una* oratio *ex illis, quæ maximè facit ad inſtitutum* meum, *quæ dicitur Enuntiabilis, complectens ſenſum finitum, quæ una inter cunctas eſt capax veritatis vel falſitatis. quam Sergius nominat Effatum, Varro Proloquium, Cicero Enuntiatum; Græci* πρότασιν, *atque* ἀξίωμα. *Ego verto ad verbum Protentionem, & Rogamentum. vocabitur tamen notiori* voce *Propoſitio. Sunt ergo duo genera Propoſitionum ſicut*

NOTÆ.

1. *Vovendi.*] Sic Lipſius. Quidam *fovendi.*

2. *Tum voluptatem afferendi.*] Membranæ Carnotenſes, *tum voluntatem afferendi.* at nihil muto.

3. *Quæ Pronuntiabilis appellatur.*] Ariſtoteli ἀποφαντικὸς λόγος, *Enuntiativa oratio.*

4. *Sola ex omnibus veritati aut falſitati obnoxia.*] Ariſtot. περὶ ἑρμηνείας cap. 4. ἀποφαντικὸς δὲ (λόγος) οὐ πᾶς, ἀλλ' ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν, ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. οὐκ ἐν ἅπασι δὲ ὑπάρχει, &c. *Enuntiativa autem (oratio) eſt non omnis, ſed ea cui verum vel falſum dicere convenit, non omnibus autem convenit, &c.*

5. *Sergius.*] Quis ille ſit non video, niſi dicamus illum eſſe Sergium Galbam, de quo Cicero in Bruto: *ſed inde hos ætate paulùm his antecedens ſine controverſiâ Serg. Galba eloquentiâ præſtitit, & nimirùm is Princeps ex Latinis: illa Oratorum propria, & quaſi legitima opera tractavit, ut egrederetur à propoſito ornandi causâ, ut delectaret animos, aut permoveret, ut augeret rem, ut miſerationibus, ut communibus locis uteretur, &c.*

6. *Tum Rogamentum.*] Non tamen hoc ſonat vox ἀξίωμα, ſicut *protenſionem* vox πρότασις.

ipſarum Concluſionum, duæ ſpecies ſunt: [1] altera Prædicativa, quæ etiam ſimplex eſt; ut, ſi dicamus, *Qui regnat, beatus eſt:* altera Subſtitutiva vel Conditionalis, quæ etiam compoſita eſt: [2] ut, *Ajax: qui regnat, ſi ſapit, beatus eſt.* Subſtituis enim Conditionem, quâ, niſi ſapiens eſt, non ſit beatus. Nos nunc de Prædicativâ dicemus, quæ naturâ prior eſt, ac velut elementum Subſtitutivæ. Sunt & aliæ differentiæ, Quantitatis & Qualitatis. Quantitatis quidem, quòd [3] aliæ Univerſales ſunt: ut, *Omne ſpirans vivit:* [4] aliæ Particulares: ut, *Quædam animalia non ſpirant:* [5] aliæ Indefinitæ: ut, *Animal ſpirat:* non enim definit utrum omne, an aliquod, ſed tamen pro Particulari ſemper valet: quia tutius eſt id ex incerto accipere, quod minus eſt.

INTERPRETATIO.

& ipſarum Concluſionum: unum Enuntiativum, quod dicitur quoque ſimplex, veluti ſi dicamus, Ille qui regnat, eſt felix: *alterum Suppoſitivum, aut Conditionale, quod dicitur quoque compoſitum: veluti ſi dicas,* Ille qui regnat, felix eſt, ſi ſapit: *nam ponis conditionem, quâ, non eſt felix, niſi ſit ſapiens. Nos nunc loquemur de Enuntiativo, quod præcedit ex ſuâ naturâ, atque eſt quaſi principium Conditionalis. Sunt etiam alia diſcrimina* Propoſitionum, *Quantitatis* nempè *& Qualitatis.* Differentiæ *quidem Quantitatis; quia aliæ ſunt Generales: ut hæc,* Quidquid ſpirat, vivit: *aliæ Particulares: veluti,* Quædam animalia non reſpirant: *aliæ Indeterminatæ: quemadmodum hæc,* Animal reſpirat: *neque enim determinat an omne* animal reſpiret, *an aliquod* tantùm, *attamen ſemper vim habet Particularis: quoniam ſecurius eſt illud ex re incertâ ſumere, quod eſt minus.*

NOTÆ.

1. *Altera Prædicativa.*] Per Prædicativam hîc intellige Enuntiationem ſimplicem ſive affirmativam, ſive negativam, quam quidem Enuntiationem ſic definit Ariſtoteles περὶ ἑρμηνείας cap. 5. Ἐςὶ δ᾽ ἁπλῆ ἀπόφανσις, φωνὴ σημαντικὴ περὶ τοῦ ὑπάρχειν, ὡς οἱ χρόνοι διῄρηνται. *ſimplex Enuntiatio vox eſt ſignificans ineſſe aliquid, aut non ineſſe, pro temporum diviſione.*

2. *Ut Ajax qui regnat, &c.*] Sichardus. *ut ſi dicas: Qui regnat.* non malè Nauſius. *ut ſi aias: Qui regnat.* Certè videtur hîc *Ajax* abſque ratione poſitus.

3. *Aliæ univerſales ſunt.*] Quarum ſubjectum in totâ ſuâ extenſione ſumitur.

4. *Aliæ particulares.*] Quarum ſubjectum non ſumitur in totâ ſuâ extenſione & ſecundùm omnia inferiora ſua.

5. *Aliæ indefinitæ, ut,* Animal ſpirat.] Ejuſmodi Propoſitiones licèt non habeant univerſalitatis notam, nempè vocem *omnis* aut *omnes*, reverà tamen univerſales cenſendæ ſunt: affirmant enim aut negant prædicatum ſuum de eo omni quod comprehenditur in ideâ ſui ſubjecti. Porrò omnia inferiora ſubjecti illius comprehenduntur in ejus ideâ, proindeque intelligi debet Propoſitio de illis omnibus inferioribus, ideóque eſt univerſalis. in exemplo propoſito *Animal ſpirat*, ſpiratio affirmatur de eo omni quod comprehenditur in ideâ animalis, putà, de homine, belluis, avibus, piſcibus, &c. univerſalis ergo eſt; ſed univerſalis. falſa, quales plerumque ſunt ejuſmodi Indefinitæ Propoſitiones, cùm ſumuntur univerſaliter, & ut jacent: ideóque magis pro particularibus valent, ut rectè obſervat noſter. Neque his, quæ dicimus, obſtat quod ſubjungit, hanc Propoſitionem non definire utrum omne, an aliquod animal ſpiret, cùm enim Propoſitio intelligatur de eo quod comprehenditur ideâ animalis, intelligenda eſt de omnibus omninò animalibus.

Qualitatis

Qualitatis autem, quòd [1] aliæ Dedicativæ ſunt, quòd dedicant aliquid de quopiam: ut, *Virtus bonum eſt.* dedicat enim virtuti ineſſe bonitatem. aliæ Abdicativæ, quæ abdicant aliquid de quopiam: ut, *Voluptas non eſt bonum.* abdicat enim voluptati ineſſe bonitatem. At Stoïci hanc quoque Dedicativam putant, cùm inquiunt, *Evenit cuidam voluptati bonum non eſſe.* [2] ergo dedicat quid evenerit ei, id eſt, quid ſit. Idcircò, Dedicativa, inquiunt, eſt, quia ei in quo negavit eſſe, dedicat [3] id quod non videtur eſſe. Solum autem Abdicativum vocant, cui negativa particula præponitur. Verùm hi quidem cùm in aliis, tùm in hac re vincuntur; ſi qui ita rogaverit: *Quod nullam ſubſtantiam habet, non eſt:* [4] cogentur enim ſecundùm quod di-

INTERPRETATIO.

Differentiæ verò *Qualitatis* ſunt, *quòd aliæ ſunt Affirmativæ, quia affirmant aliquid de aliquo: ut,* Virtus eſt *aliquid* bonum. *affirmat enim bonitatem eſſe in virtute. aliæ Negativæ, quæ negant aliquid de aliquo: veluti,* Voluptas non eſt *aliquid* bonum: *negat enim bonitatem eſſe in voluptate. Verùm Stoici arbitrantur hanc etiam* propoſitionem *eſſe Affirmativam, quando dicunt:* Accidit cuidam voluptati ut non ſit *quid* bonum. *Affirmat igitur quid ipſi acciderit, hoc eſt, quid* illud *ſit. Proinde (aiunt) affirmativa eſt, quia affirmat id quod non apparet eſſe, de eo, in quo negavit* illud *eſſe. Id autem duntaxat appellant Negativum cui præfigitur particula negativa. At hi quidem ſuperantur tùm in aliis rebus tùm maximè in hac, ſi aliquis ſic propoſuerit:* Quod caret ſubſtantiâ non exiſtit: *nam juxta id, quod aiunt, compellentur*

NOTÆ.

1. *Aliæ Dedicativæ ſunt, quòd dedicant, &c.*] Obſerva toto hoc opere per *Dedicativam* Propoſitionem intelligi *Affirmativam*, per *Abdicativam* verò, *Negativam*. Et *Dedicare* idem eſſe quod *affirmare*, ſicut *abdicare*, *negare eſt* Attius in Alpheſibœâ, referente Nonio Marcello.

At verior cùm te eſſe Alcmæonis fratrem factis dedicat.

Feſtus, *Dedicare autem propriè eſt dicendo deferre.*

Lucretius lib. I.

At contra gravius plus in ſe corporum eſſe
Dedicat, & multò vacui minus intus habere

Vide Lexicon Lucretianum Parei. Eodem ſenſu Dedicativas & Abdicativas Enuntiationes appellat Martian. Capella initio Dialecticæ

2. *Ergo dedicat*] Ita Sichardus & Baſileenſis editio, quam lectionem confirmant MSS. Carnot. Elmenhorſt. habet *ergo dicit*.

3. *Id quod non videtur eſſe.*] Hæc eſt Carnot. Membranarum & Sichardi lectio, quam retineo. Elmenhorſt. minùs benè *id quod non videt eſſe*. neque enim propoſitio dici poteſt videre, aut non videre. Hujus autem loci ſenſus eſt propoſitionem ab Apuleio relatam, *Evenit cuidam voluptati bonum non eſſe*, ideò videri Stoïcis Affirmativam, quoniam ea affirmat voluptati ineſſe negationem bonitatis, quod certè nugatorium eſt, & ſophiſticum: quid enim aliud eſt affirmatio negationis niſi mera negatio?

4. *Cogentur enim, &c. confiteri eſſe quo non eſt, quod nullam ſubſtantiam habet.*] Propoſitio enim *quod nullam ſubſtantiam habet, non eſt* poterit eodem modo converti ac ſuprà relata, & ſic enuntiari, *evenit ei quod nullam ſubſtantiam habet ut non ſit*: quæ propoſitio ad hanc reducetur, *quod nullam ſubſtantiam habet, eſt aliquid quod non*

cunt, confiteri eſſe quod non eſt, quod nullam ſubſtantiam habet. Cæterùm & Propoſitio, ut ait in Theæteto Plato, duabus pauciſſimis orationis partibus conſtat, Nomine & Verbo: ut, *Apuleius diſſerit.* quod aut verum aut falſum eſt: & ideò Propoſitio eſt. Unde quidam rati ſunt has duas ſolas Orationis partes eſſe, quòd ex iis ſolis fieri poſſit perfecta Oratio: id eſt, quòd abundè ſententiam comprehendant. Adverbia autem & Pronomina, & Participia; [1] & Conjunctio, & id genus cætera quæ Grammatici numerant, non magis partes Orationis eſſe, [2] quam navium apluſtria, & hominum pilos, aut certè in universâ compage Orationis vice clavorum, & picis, & glutinis deputanda. Porrò ex duabus prædictis partibus [3] altera Subjectiva nominatur, velut ſubdita; ut, *Apuleius*: [4] altera Declarativa: ut, *Diſſerit*, vel *Non diſſerit.* declarat enim quid faciat Apuleius. Licet autem eâdem vi manente, utramvis partem in plura verba protendere. [5] ut,

INTERPRETATIO.

fateri illud, quod nullam habet ſubſtantiam, eſſe id quod non eſt. Porrò, Propoſitio, quemadmodum Plato dicit in Theæteto, componitur ex duabus tantummodò partibus Orationis: Nomine ſcilicet *& Verbo, veluti,* Apuleius diſſerit. *quod vel eſt verum vel eſt falſum. ac proinde eſt Propoſitio. quâ de causâ nonnulli exiſtimaverunt eſſe tantùm has duas partes Orationis, quia poteſt conſtrui Oratio abſoluta ex his ſolis: hoc eſt, quia ſatis complectantur ſenſum. Adverbia verò, & Pronomina, & Participia, & Conjunctionem, atque alia ejuſmodi, quæ Grammatici recenſent,* ait *non eſſe potiori jure partes Orationis, quàm apluſtria* ſunt partes *navium, & capilli hominum, vel certè* illa *eſſe exiſtimanda in totâ coagmentatione Orationis loco clavorum, & picis, & glutinis. Cæterùm duarum prædictarum partium una appellatur Subjectiva, quaſi ſuppoſita: veluti,* Apuleius: *altera Enuntiativa: veluti,* Diſſerit, *aut* Non diſſerit: *enuntiat enim quid Apuleius agat. Porrò fas eſt extendere utramlibet earum partium in plura vocabula, modò idem ſenſus rema-*

NOTÆ.

eſt. quemadmodum illa ſuperior ad hanc reduci poterat *quædam voluptas eſt aliquid non bonum.* Hunc puto intricatiſſimi hujus loci ſenſum eſſe. Si quis quid melius habeat, pergratum faciet, ſi protulerit in medium.

1. *Et conjunctio.*] Solœciſmus merus, repone ergo vel *conjunctionem*, vel *conjunctiones.* in quarto caſu: id enim vult quod ſequitur, *non magis partes orationis eſſe, &c.*

2. *Quam navium apluſtria.*] Quæ & *apluſtra.* Feſtus: *Apluſtria. navium ornamenta, quæ quia erant amplius quàm eſſent neceſſaria uſui, etiam ampluſtria dicebantur.* At futilis videtur hæc Etymologia. Magis formatum putaverim hoc nomen ab *α* privativo, & verbo *πλεῖν navigare*, eo quòd ad navigationem eſſent inutilia; vel etiam à Græco *ἄφλαστα.*

3. *Altera Subjectiva nominatur.*] Vulgò in Scholis *ſubjectum.*

4. *Altera Declarativa: ut*, Diſſerit, vel non diſſerit.] Hæc ſcinditur vulgo in duas, in copulam nempè, hoc eſt, affirmationem vel negationem *eſt*, aut *non eſt*, & attributum ſeu prædicatum, putà *differens*, reſolviturque hæc propoſitio, *Apuleius diſſerit*, in hanc, *Apuleius eſt differens.*

5. *Ut ſi pro* Apuleio *dicas* Philoſophum Platonicum Madaurenſem.] Ejuſmodi terminus dicitur *complexus.*

ſi pro *Apuleio*, dicas *Philoſophum Platonicum Madaurenſem*: item, pro *Diſſerendo*, dicas eum *Uti oratione.* [1] Plerumque autem Subjectiva minor eſt, Declarativa major: & non hanc modò, ſed alias quoque Subjectivas comprehendens. Non enim ſolus Apuleius diſſerit, ſed etiam alii plurimi, qui ſub eâdem Declaratione poſſunt contineri. [2] niſi fortè Proprium cujuſpiam de eo declararetur. ut ſi dicas, *Qui equus eſt, hinnibile eſt.* at Proprium eſt equi, Hinnire. Et idcircò in his Propriis par eſt Declarativa, par Subdita; ac non, ut in cæteris, major: quippe cùm eadem poſſit, mutatâ vice, Subdita fieri: & quam priùs habuerit Subditam, nunc habere ſui Declarativam. ut ſi, verſo ordine, ita dicas, *Quod hinnibile eſt, equus eſt.* At non itidem ubi impares partes ſunt, convertere vices poſſis. Non enim quia verum eſt, *Omnem hominem animal eſſe*: idcircò, ſi convertas, verum erit, *Omne animal hominem eſſe.* Neque enim ut Proprium eſt equi, Hinnire, ita proprium eſt homini, Animal eſſe; cùm ſint animalia alia innumera. Agnoſcitur hinc de pluribus Declarativa, li-

INTERPRETATIO.

neat. veluti, ſi loco Apuleii *pronunties* Philoſophum Platonicum Madaurenſem: *prætereà, ſi loco* Diſſerendi *dicas eum* habere orationem. *Subjectiva verò ut plurimùm anguſtiùs patet, Prædicativa latiùs: & complectitur non illam tantùm* Subjectivam, *verùm & alias etiam Subjectivas. nam non Apuleius tantùm diſſerit, ſed & permulti alii quoque, qui poſſunt comprehendi ſub eâdem enuntiatione. Niſi forſan Proprietas alicujus rei prædicetur de eâ, veluti ſi dicas,* Qui eſt equus, eſt *aliquid* hinnibile. *Sed hinnire eſt Proprium equi. Ideò in his Propriis Prædicatum & Subjectum æqualiter patent, neque* Prædicatum *latiùs extenditur, quemadmodum in aliis* Propoſitionibus; *ſiquidem idem poteſt evadere Subjectum vice verſâ, & habere pro ſuo Prædicato illud, quod antè habebat pro Subjecto, veluti, ſi, mutatâ ſerie, ſic dicas,* Quod eſt hinnibile, eſt equus. *Verùm, quando partes ſunt inæquales, non poſſis mutare ordinem eodem modo. neque enim, quoniam verum eſt* Omnem hominem eſſe animal, *ideò ſi mutes vicem, verum erit* Omne animal eſſe hominem. *nam non eſt Proprium hominis eſſe animal, ſicut Proprium eſt equi hinnire: quandoquidem ſunt infinita alia animalia. Hinc Prædicatum dignoſcitur ex multis* indiciis, *quam-*

NOTÆ.

1. *Plerumque autem Subjectiva minor eſt, Declarativa major.*] Quod videre eſt in hac propoſitione: *Omnis homo eſt animal*, in quâ licet *animal* de omni homine affirmetur ſecundùm omnia ſua attributa eſſentialia, non tamen affirmatur ſecundum omnem ſuam extenſionem, ſive ſecundùm omnia inferiora, ad quæ extenditur neque enim ſic invertere licet propoſitionem, *Omne animal eſt homo.* latiùs enim patet *animal*, quod eſt Genus, quam *homo*, quod eſt tantùm una ex Speciebus huic Generi ſubjectis. Hinc eſt quòd Subjectum dicitur *minor terminus*: Prædicatum verò, *major*.

2. *Niſi fortè proprium cujuſpiam de eo declaretur.*] Aut Differentia de Specie, quam conſtituit, puta *ſentiens* de *animali*. Rectè enim dicas *Omne animal eſt ſentiens*, & vice verſâ *Omne ſentiens eſt animal.* Item ſi Definitio affirmetur de Definito, *Omnis homo eſt animal rationale*, &, *Omne animal rationale eſt homo.* in iis enim omnibus Attributum non latiùs patet Subjecto.

licet converſo ordine Rogamentum proponatur: primò, quòd plura comprehendere poteſt Declarativa, quàm Subdita: dehinc, [1] quod nunquam vocabulo, ſed ſemper verbo terminatur. [2] quo præcipuè etiam in illis Proprietatibus à pari Subjectivâ diſcernitur. Id etiam pro ſimilitudine tenendum eſt, quia ut ſunt Propoſitiones Definitæ, [3] & Indefinitæ: ita etam conſtat Particulas tam Subjectivas, quàm Declarativas partim Definitas eſſe, ut, *homo*, *animal*: partim Indefinitas, ut, *non homo*, *non animal*. Non enim definiunt quid ſit, cùm hoc non ſit, ſed tantùm oſtendunt aliud præter hoc eſſe. Nunc dicendum eſt quemadmodum [4] quatuor illæ Propoſitiones inter ſe affectæ ſint: quas non ab re eſt in quadratâ formulâ ſpectare. Sunt igitur in ſuperiore lineâ, ut infrà ſcriptum eſt, Univerſalis Dedicativa & Abdicativa: ut, *Omnis voluptas bonum eſt*, *Nulla voluptas eſt bonum*. [5] dicanturque hæ inter ſe Incongruæ. Item in inferiori lineâ ſub utrâque Particulares ſubnotentur: *Quædam voluptas bonum eſt*, *Quædam non*

INTERPRETATIO.

vis Propoſitio exhibeatur vice inversâ: primò, quia Prædicatum poteſt complecti plura, quàm Subjectum: deinde, quia nunquam exprimitur nomine, ſed ſemper verbo. ob quam cauſam præſertim diſtinguitur quoque à Subjecto æqualiter patente in illis Proprietatibus. Illud quoque pro exemplo ſciendum eſt, quòd quemadmodum ſunt Propoſitiones Determinatæ, & Indeterminatæ: ſic quoque certum eſt vocabula, tàm ſubjecta, quàm prædicata, alia eſſe determinata, veluti homo, animal: *alia Indeterminata, putà,* non homo, non animal. *neque enim determinant, quid ſit quando non eſt hoc, verùm demonſtrant eſſe* aliquid *aliud quàm hoc. Jam exponendum eſt quomodo illæ quatuor Propoſitiones ſe habeant ad invicem, quas eſt operæ pretium aſpicere in ſchemate quadrato. Sunt ergo in lineâ ſuperiore, quemadmodum exaratum eſt inferius, Generalis Affirmativa, &* Generalis *Negativa: veluti* Omnis voluptas eſt bonum, Nulla voluptas eſt bonum. *Atque hæ appellentur Contrariæ invicem. Præterea ſub illis ambabus ſubſcribantur in lineâ inferiore* hæ *Particulares:* Quædam voluptas eſt bonum,

NOTÆ.

1. *Quod nunquam vocabulo, ſed ſemper verbo terminatur.*] Hoc ut intelligas, obſerva quod jam monuimus, per *Declarativam* Apuleium intelligere non Attributum ſolum, ſed Attributum cum affirmatione vel negatione conjunctum, quæ abſque verbi ſaltem ſubſtantivi ope exprimi non poteſt. v. g. *differit, non differit, eſt animal, non eſt animal* Falſum autem eſſet, ſi per Declarativam ſolum Attributum intelligeretur, illud enim ferè ſemper nomine exprimitur, non verbo.

2. *Quo præcipuè, &c. à pari Subjectivâ diſcernitur.*] Quoniam affirmatio vel negatio non cadit in Subjectivam tanquam in affirmatum aut negatum, ſed tanquam in id de quo quid affirmatur negaturve.

3. *Et Indefinitæ.*] Qualis eſt Propoſitio quam ſuprà attulit, *Animal ſpirat.*

4. *Quatuor illæ Propoſitiones.*] Nempè Univerſalis affirmativa, Univerſalis negativa, Particularis affirmativa, Particularis negativa.

5. *Dicanturque hæ inter ſe Incongruæ.*] Ariſtoteli ἐναντίαι, *contrariæ.*

eſt bonum: [1] dicanturque hæ inter ſe Suppares. Deinde ducantur obliquæ lineæ angulares: altera pertinens ab Univerſali Dedicativâ ad Particularem Abdicativam; altera à Particulari Dedicativâ ad Univerſalem Abdicativam: quæ inter ſe, & Quantitate & Qualitate contrariæ, [2] Alterutræ nominentur; quòd jam neceſſe eſt alterutram veram eſſe. quæ dicitur perfecta pugna & integra. At inter Suppares & Incongruas pugna dividua eſt; quòd Incongruæ nunquam quidem fiant ſimul veræ, interdum tamen ſimul mentiuntur: Suppares autem, mutatâ vice, nunquam quidem ſimul mentiuntur, interdum tamen fiunt ſimul veræ & ideò utriuſvis harum revictio confirmat alteram, non tamen & utriuſvis confirmatio revincit alteram. De Incongruis qui utramvis poſuit, utique alteram tollit: non tamen mutatâ vice, qui utramvis tollit, utique alteram ponit. Enimverò de Alterutris qui utramvis comprobat, utique alteram refutat: & qui alteram refutat, utique alteram comprobat. [3] Cæterùm Univerſalis utravis Particularem ſuam comprobata utique confirmat: revicta non utique infirmat. Particularis autem, vice verſâ, Univerſalem ſuam revicta utique infirmat; probata non utique firmat. Hæc omnia ita eſſe ut dicimus ex ipſis Propoſitionibus facile oſtendunt infrà ſcripta.

INTERPRETATIO.

Quædam non eſt bonum. *Atque hæ vocentur Suppares inter ſe. poſteà perducantur ab angulo ad angulum lineæ* duæ *obliquæ; quarum una extendatur à Generali Affirmativâ ad Particularem Negativam, altera à Particulari Affirmativâ ad Generalem Negativam: quæ* Propoſitiones *oppoſitæ invicem tum Quantitate, tum Qualitate vocentur Alterutræ; quia jam oportet ut altera harum ſit vera. quæ Contrarietas vocatur abſoluta & omnimoda. Verùm dimidia* tantùm *Contrarietas intercedit inter Subcontrarias, & inter Contrarias; quia Contrariæ nunquam quidem evadant ſimul veræ, aliquando tamen ſint ſimul falſæ: Subcontrariæ verò vice verſâ, nunquam quidem ſimul falſæ ſunt, nonnunquam tamen evadunt ſimul veræ. atque idcirco refutatio utriuſlibet earum comprobat alteram, neque tamen probatio utriuſlibet refutat alteram. Qui probavit alterutram ex Contrariis, profectò negat alteram: non tamen vice verſâ, qui negat alterutram affirmat propterea alteram. Atenim ex Contradictoriis qui confirmat unam, eâdem operâ refellit alteram: & qui refellit alteram, confirmat quoque alteram. Porrò qualibet Generalis* Propoſitio *probata, probat quoque ſuam Particularem: ſi refutata* ſit, *non ideò refellit* eam. *At Particularis contrà ſi refellatur, refellit quoque ſuam Generalem: ſi* verò *confirmetur, non propterea* eam *probat. Quæ inferiùs exaratæ ſunt, facilè demonſtrant ope ipſarum Propoſitionum, univerſa hæc ſic ſe habere ut dicimus.*


NOTÆ.

1. *Dicanturque hæ inter ſe Suppares.*] In ſcholis *Subcontrariæ.* prætereà Univerſalis & Particularis ejuſdem qualitatis dicuntur *Subalternæ.*

2. *Alterutræ nominentur.*] Ariſtoteli, ἀντιφατικῶς ἀντικεῖσθαι *contradictoriè oppoſitæ*, & ſimpliciter ἀντιφάσεις *contradictiones*,

3. *Cæterùm Univerſalis utravis Particularem ſuam comprobata utique confirmat, &c.*] Hic locus eſt, quem, factâ Apuleii mentione, laudat Carolus Magnus, lib. 4. *De non adorandis Imaginibus.*

Omnis voluptas bonum eſt. Incongruæ. *Nulla voluptas bonum eſt.*



Quædam voluptas bonum eſt. Suppares. *Quædam voluptas non eſt bonum.*

[1] Certum eſt enim, quod concedat qui aliquid propoſuerit. Deſtruitur autem utravis Univerſalis trifariàm : dum aut Particularis ejus falſa oſtenditur, aut utravis ex duabus cæteris vera, ſive Incongrua, [2] ſive Alterutra. Inſtruitur autem uno modo, ſi Alterutra ejus falſa oſtenditur. Contrà, Particularis uno quidem modo deſtruetur, ſi Alterutra vera oſtenditur. Inſtruitur autem trifariàm: ſi aut Univerſalis ejus vera eſt : aut utravis ex duabus cæteris falſa, [3] ſive Suppar ejus, ſive Alterutra. Eadem ſervabimus etiam in æquipollentibus Propoſitionibus.

INTERPRETATIO.

Nam conſtat quid fateatur ille qui propoſuerit quidpiam. Utralibet verò Generalis refellitur triplici modo : quando vel ejus Particularis demonſtratur eſſe falſa, vel qualibet ex aliis duabus probatur eſſe *vera, ſive Contraria ejus, ſive Contradictoria. Confirmatur autem unicâ ratione, nempè ſi ejus Contradictoria demonſtretur eſſe falſa. Contrà, Particularis confutabitur quidem unâ ratione, ſi* ejus *Contradictoria demonſtratur eſſe vera. Probatur verò tribus modis : ſi nempè vel ejus Generalis eſt vera; vel altera ex ambabus reliquis* eſt *falſa, ſive ejus Subæqualis, ſive* ejus *Contradictoria. Obſervabimus quoque eadem in Propoſitionibus Æquivalentibus.*

NOTÆ.

1. *Certum eſt enim quod concedat.*] MSS. Carnot. *certum eſt enim quid concedat, &c.* quod magis placet.

2. *Sive Alterutra.*] Sic reponendum omninò cenſui, non *ſive Subjectiva.* Ratio patet attendenti.

3. *Sive Suppar ejus, ſive Alterutra.*] MSS. Carnot. ſive *Subneutra.* ubi ſuprà vocabulum *Subneutra* inſtar Gloſſæ legitur *id eſt Alterutra.* quam Gloſſam ego textui libens prætuli.

Æquipollentes autem dicuntur, quæ aliâ enuntiatione tantundem poſſunt: & ſimul veræ fiunt, aut ſimul falſæ: altera ob alteram ſcilicet, [1] ſicut Indefinita & Particularis. Item omnis Propoſitio, ſi aſſumat in principio negativam particulam, fit Alterutra ejus Æquipollens. ut cùm ſit Univerſalis Dedicativa: *Omnis voluptas bonum*: ſi ei negatio præponatur, fiet, *Non omnis voluptas bonum*, tantundem valens quantùm valebat Alterutra ejus, *Quædam voluptas non eſt bonum.* [2] Hoc in cæteris tribus Propoſitionibus intelligendum eſt. [3] Deinde de Converſione. Convertibiles propoſitiones dicuntur Univerſalis Abdicativa, & Alterutra ejus, id eſt Particularis Dedicativa: [4] eò quòd

INTERPRETATIO.

Appellantur verò Æquivalentes illæ Propoſitiones, *quæ idem valent* licèt *ſub aliâ expreſſione: atque evadunt ſimul veræ, vel ſimul falſæ: altera nempè propter alteram, veluti Indeterminata & Particularis. Prætereà, quævis Propoſitio, ſi habeat initio particulam negativam, ejus Contradictoria evadit ipſi Æquivalens. veluti cùm* hæc Propoſitio: Omnis voluptas eſt bonum, *ſit* Propoſitio *Generalis affirmativa, ſi addatur ipſi negatio, efficietur* hæc Propoſitio: Non omnis voluptas eſt bonum, *idem ſignificans, quod ſignificabat ejus Contradictoria*, Quædam voluptas non eſt bonum. *Idem putandum eſt in tribus reliquis Propoſitionibus. Jam de Inverſione* eſt agendum. *Invertibiles Propoſitiones appellantur Generalis Negativa, & Contradictoria ipſius, hoc eſt Particularis affirmativa. quia*

NOTÆ.

1. *Sicut Indefinita & Particularis.*] V. G. *Homo eſt doctus: Quidam homo eſt doctus.*

2. *Hoc in cæteris tribus Propoſitionibus intelligendum eſt.*] Non eodem tamen modo. Si enim Contrarias duas, ſeu, ut noſter ait, *Incongruas* Propoſitiones ad æquipollentiam velis reducere, ponenda erit negatio poſt ſubjectum, non autem ante, ut fit in Contradictoriis ſive *Alterutris*. Quod ſi Subalternas Æquipollentes velis efficere, adhibenda erit duplex negatio, una ante ſubjectum, altera poſt ipſum, atque illud omne artificium hoc verſu vulgò complectuntur memoriæ juvandæ causâ.

Præ Contradic. poſt Contra. præ poſtque Subalter.

Cujus arcana facilè patebunt, ad hæc quæ mox diximus, attendenti.

3. *Deinde de Converſione*] Hæc verba videntur à manu ſtudioſi cujuſpiam memoriæ fortaſsè cau â in margine ſcripta in textum irrepſiſſe. Obſerva autem Converſionem Propoſitionis tunc fieri, cùm Subjectum ejus fit Attributum, & vice versâ, Attributum fit Subjectum, permanente ſemper eâdem conditione veritatis, aut falſitatis, affirmationis, aut negationis. Quæ Converſio vel fit ſimpliciter, cùm nempè Propoſitio Univerſalis convertitur in Univerſalem, & Paricularis in Particularem, quomodo converti poſſunt Univerſalis negativa, & Particularis affirmativa: vel fit per accidens, quando nimirùm Propoſitio Univerſalis convertitur in Particularem, quomodo converti poſſunt ambæ Univerſales, affirmans & negans: vel denique fit Converſio per Contrapoſitionem, ut vocant: cùm ſcilicet Propoſitio ſervatâ quantitate ſuâ convertitur, ſed ita ut termini finiti redduntur infiniti per additionem particulæ *non*. atque hoc ſolùm modo convertitur Particularis negativa. converti etiam poteſt univerſalis affirmans, v. g. *Aliquis homo non eſt Philoſophus.* converte *Aliquis non Philoſophus non eſt non homo: Omnis homo eſt mortalis.* Converte: *Omne non mortale eſt non homo.*

4. *Eò quòd particulæ earum Subje-*

particulæ earum, Subjectiva & Declarativa, poſſunt ſemper ſervare inter ſe vices, permanente conditione veritatis aut falſitatis. Nam, ut vera eſt hæc Propoſitio, *Nullus prudens eſt impius*: ita, ſi convertis partium vices, verum erit, *Nullus impius prudens*. Item, ut falſum eſt, *Nullus homo eſt animal*: ita, ſi convertas, falſa erit, *Nullum animal homo*. Pari ratione & Particularis Dedicativa convertitur, *Quidam Grammaticus homo eſt.* &, *Quidam homo, Grammaticus eſt.* Quod duæ cæteræ Propoſitiones ſemper facere non poſſunt, [1] quanquam interdum convertantur: nec tamen idcircò Convertibiles dicuntur. nam quod alicubi fallit, pro certo repudiatur. Ergo unaquæque Propoſitio per omnes ſignificationes reperienda eſt, an etiam converſa congruat. [2] Nec innumeræ ſunt iſtæ, ſed quinque ſolæ, [3] aut enim Proprietas declaratur alicujus, aut Genus, aut Differentia, [4] aut

INTERPRETATIO.

earum voces, Subjectum nempè *& Prædicatum, poſſunt perpetuò mutare inter ſe loca, remanente eodem ſtatu veritatis & falſitatis. Quemadmodum enim hæc Propoſitio vera eſt,* Nullus prudens eſt impius: *ſic etiam ſi permutes loca terminorum:* Nullus impius *eſt* prudens, *erit vera. Similiter quemadmodum* hæc *falſa eſt,* Nullus homo eſt animal: *ſic falſa erit, ſi invertas:* Nullum animal *eſt* homo. *Simili modo & Particularis affirmativa invertitur,* Quidam Grammaticus eſt homo, *&*, Quidam homo eſt Grammaticus. *quod ambæ aliæ Propoſitiones nequeunt perpetuò facere, licèt invertantur aliquando: neque tamen propterea vocantur Invertibiles, quod enim decipit aliquando, non accipitur pro certo. Igitur explorandum eſt per cunctos ſignificatus utrùm ſingulæ Propoſitiones ſibi ipſis reſpondeant, etiam* quando ſunt *inverſæ. Atque illæ non ſunt infinitæ, ſed quinque tantùm, nam vel prædicatur de aliquo* ejus *Proprietas, vel Genus, vel Differentia, vel*

NOTÆ.

ctiva & Declarativa poſſunt ſemper ſervare inter ſe vices. &c.] Hoc ideò fit, quia in Univerſali negante, & Particulari affirmante Attributum ſumitur in eâdem extenſione ac ſubjectum, in illâ ſcilicet univerſaliter, in hac particulariter.

1. *Quanquam interdum convertantur.*] Etiam Converſione ſimplici, cùm nempè Attributum non latiùs patet Subjecto, ut in hac Univerſali Affirmativâ, in quâ proprium affirmatur de Specie: *Omnis equus eſt hinnitivus.* ſimpliciter enim convertere licet: *Omne hinnitivum eſt equus.* Verùm, quoniam per accidens eſt quod termini illi ſint reciproci & convertibiles, ideò de Propoſitionibus ejuſmodi non eſt certa regula.

2. *Nec innumeræ ſunt iſtæ.*] MS. Carnot. 1. *Nec Univerſæ verè ſunt.* MS. Carnot. 2. meliùs: *nec innumeræ reverà ſunt iſtæ.*

3. *Aut enim Proprietas, &c. aut Genus, &c.*] Hæc ſunt quinque in ſcholis celebrata Univerſalia.

4. *Aut Finis.*] Id eſt, *Definitio.* Sic apud Quintilianum, lib. 2. cap. 16. *hic igitur frequentiſſimus finis, Rhetoricen eſſe vim perſuadendi.* item *finire* pro *definire* apud eumdem eodem libro. *Ante omnia, quid ſit Rhetorice, quæ finitur quidem variè.* Suprà initio libri de Philoſophiâ Morali: *ad beatitudinem bonorum finem ante alia contingere.* Cicer. *de Finibus bonorum & malorum,* hoc eſt, *definitionibus.*

Finis,

Finis, aut Accidens: [1] Nec præter hæc unquam inveniri poteſt ulla propoſitio. ut ſi *hominem* ſubſtituas: quidquid de eo dixeris, aut Proprium ejus ſignificaveris, ut *cachinnabile*; aut Genus, ut *animal*; aut Differentiam, ut *rationale*: [2] aut Definitionem, ut *animal rationale mortale*: aut Accidens, ut *Orator*. Quippe omne Declarativum alicujus, aut poteſt ejus viciſſim fieri Subjectivum, aut non poteſt. Sed ſi poteſt; aut ſignificat quid ſit, & eſt Definitio: aut non ſignificat, & eſt Proprium. Sin autem non poteſt; aut id eſt quod in Definitione poni debeat, [3] atque eſt Genus, [4] vel Differentia: aut quod non debeat, & eſt Accidens. Igitur per hæc agnoſcetur particularis Abdicativa non eſſe convertibilis. Univerſalis autem Dedicativa, & ipſa quidem non eſt convertibilis, ſed particulariter tamen poteſt converti, ut, cùm ſit, *Omnis homo animal*; non poteſt ita converti, ut ſit *Omne animal homo*: ſed particulariter poteſt, *Quidam animal homo*. Verùm hoc in

INTERPRETATIO.

Definitio, vel Accidens: Neque poteſt reperiri ulla Propoſitio ultra hæc prædicata. *veluti ſi pro Subjecto ponas* hominem; *quodcunque prædicaveris de ipſo, vel exprimes ejus Proprietatem, veluti* riſivum; *vel Genus, veluti* animal; *vel Differentiam, veluti* rationale: *vel Accidens, veluti* Orator. *Etenim omne Prædicatum alicujus vel poteſt vice versâ evadere Subjectum ejus, vel non poteſt. At ſi poteſt; vel exprimit quidnam* illud *ſit, eſtque Definitio: vel non exprimit, atque eſt Proprietas. Si verò nequit* fieri ejus Subjectum, *vel eſt illud quod collocandum eſt in Definitione, & eſt Genus, aut Differentia; vel quod non eſt collocandum* in Definitione, *atque eſt Accidens. Ex his ergo animadvertetur Particularem Negativam non poſſe inverti. Ipſa verò Generalis Affirmativa non eſt quoque permutabilis, at nihilominùs poteſt inverti particulariter. veluti quando eſt,* Omnis homo eſt animal, *nequit ſic inverti, ut fiat* Omne animal *eſt* homo: *verùm poteſt inverti particulariter:* Quoddam animal eſt homo. *At fit in*

NOTÆ.

1. *Nec præter hæc unquam inveniri poteſt ulla propoſitio.*] MS. Carn. 1. *nec præter hæc unquam inveniri poteſt in nullâ propoſitione.* MS. Carn. 2. *nec præter hæc unquam inveniri poteſt in ullâ propoſitione*: meliùs. quid, ſi legas, *nec præter hæc quidquam inveniri poteſt in ullâ propoſitione*, hoc eſt, præter Genus, Differentiam, Proprium, &c.?

2. *Aut Definitionem, ut* Animal rationale mortale.] Obſerva definitioni hominis hîc adjungi ab Apuleio *mortale*, ut diſtinguatur homo a Dæmonibus, qui ſecundum Platonicos, animalia etiam ſunt rationalia, ſed immortalia: in quo ab hominibus differunt.

3. *Atque eſt Genus, vel Differentia, aut quod non debeat. & eſt Accidens: Igitur per hæc agnoſcetur.*] Ita MSS. Carnot. rectè. Vulgatæ editiones, *ut eſt Genus, &c. aut quod non debeat, ut eſt Accidens, &c.* minùs benè. Suprà enim ſic incepit enumerationem hanc Apuleius. *Sed ſi poteſt, aut ſignificat quid ſit: & eſt Definitio; aut non ſignificat, & eſt Proprium.* ubi obſervare licet ubique & poſitum, non autem *ut*.

4. *Vel Differentia.*] Differentiam tamen cum ſpecie, quam conſtituit, converti nihil vetat. quid enim obſtat quominùs hæc propoſitio, *Omnis homo eſt rationalis mortalis*, ſic convertatur, *Omne rationale mortale eſt homo?*

ſimplici Converſione, quæ in Concluſionum illationibus Reflexio nominatur. [1] Eſt enim & altera Propoſitionum Converſio, quæ non tantùm ordinem, ſed etiam ipſas particulas in contrarium perducit; ut quæ Definita eſt, Indefinita fiat: & contrà, quæ Indefinita eſt, Definita. Hanc Converſionem viciſſim reliquæ duæ admittunt, Univerſalis Dedicativa, & Particularis Abdicativa: ut, *Omnis homo, animal; Omne non animal; non homo.* [2] item, *Quoddam animal non eſt rationale; Quoddam non rationale, animal.* Id ita eſſe perpetuò ut dicimus, per illas quinque prædictas ſpecies explorabis. Conjugatio autem Propoſitionum, dicitur ipſa connexio earum [3] per aliam communem Particulam, quâ inter ſe copulantur. ita enim poſſunt ad unam Concluſionem conſentire. quæ Particula communis neceſſe eſt aut in utrâque Propoſitione Subjecta ſit, aut in utrâque Declarans: aut in alterâ Subjectâ, in alterâ Declarans. [4] Tres igitur formulæ fiunt. quarum prima dicatur, cùm illa communis Particula in alterâ Subjecta,

INTERPRETATIO.

ſimplici Inverſione, quæ in illationibus Concluſionum vocatur Reflexio. Nam eſt etiam alia Inverſio Propoſitionum, quæ non modò trahit di poſitionem terminorum *in contrarium, verùm & ipſos quoque terminos; ita ut* ille, *qui eſt Determinatus, evadat Indeterminatus, & vice versâ, qui eſt Indeterminatus,* fiat *Determinatus. Aliæ duæ Propoſitiones vice versâ recipiunt hanc Inverſionem, Generalis* nempè *Affirmativa, & Particularis Negativa: veluti,* Omnis homo *eſt* animal Omne non animal *eſt* non homo. *Similiter* Quoddam animal non eſt rationale; Quoddam non rationale *eſt* animal. *Experieris ope illorum ſupradictorum quinque generum* ſignificationis, *hoc ſemper ſe habere quemadmodum affirmamus. Connexio verò Propoſitionum vocatur ipſa Copulatio earum ope alterius termini communis, quo junguntur invicem. ſic enim poſſunt concurrere ad unam illationem. qui terminus communis neceſſario eſt vel Subjectum in ambabus Propoſitionibus, vel Prædicatum in ambabus, vel denique Subjectum in unâ, & Prædicatum in alterâ. Efficientur ergo tres figuræ. quarum prima appelletur, quando ille terminus communis eſt ſubjectum in*

N O T Æ.

1. *Eſt enim & altera Propoſitionum Converſio, &c.*] Hæc eſt, quam ſuprà diximus in ſcholis vocari Converſionem per Contrapoſitionem.

2. *item*, Quoddam animal non eſt rationale, quoddam non rationale eſt animal.] In hac Converſione ſervatur quidem quantitas Propoſitionis. permanet enim Particularis, at non ſervatur qualitas. ſi enim attendas, prior negativa eſt; poſterior affirmativa. qualitatem ſervare ſi velis, præpone utrique termino & copulæ *eſt* negationem, hoc modo, *Quoddam animal non eſt rationale: Quoddam non rationale non eſt non animal,*

3. *Per aliam communem particulam.*] Hæc in ſcholis dicitur *medius terminus.*

4. *Tres igitur formulæ fiunt.*] Quartam excogitavit Galenus, in quâ nempè medius terminus eſſet prædicatum majoris propoſitionis, Subjectum verò minoris, atque ad hanc figuram pertinere exiſtimavit quinque modos indirectos primæ figuræ, cùm in primâ figurâ, cui quatuor tantùm primos modos tribuit, medius terminus ſit majoris propoſitionis Subjectum, & Prædicatum minoris. Galenicam hanc figuram vulgò reſpuunt in ſcholis, neſcio an meritò. verùm hoc fuſiùs expendere non eſt hujus loci.

in alterâ Declarans eſt. qui ordo non tantùm enumeratione, ſed Concluſionum dignitate contentus eſt. Quippe ultima eſt formula tertia, quia nihil in eâ niſi Particulare concluditur. Hac ſuperior eſt ſecunda, quæ habet Concluſiones Univerſales, ſed tamen Abdicativas tantùm. Et ideò ſic prima pollet, quia in omne genus Illationum concluditur. Dico autem Illationem vel Illativum Rogamentum, [1] quod Acceptionibus colligitur & infertur. Porrò Acceptio eſt propoſitio quæ conceditur à reſpondente. ut, ſi quis ita proponat: *Eſt-ne omne honeſtum bonum?* Propoſitio eſt. &, ſi aſſentire ſe dicet; fit Acceptio, remotâ interrogatione: quæ & ipſa tamen communiter appellatur Propoſitio: *Omne honeſtum bonum eſt.* Huic junge alteram Acceptionem ſimiliter propoſitam & conceſſam, *Omne bonum utile eſt.* Ex hac Conjugatione, ut mox oſtendemus, primi modi fit Illativum: ſi directim, Univerſale, *Omne igitur honeſtum utile eſt:* ſi reflexim, Particulare; *Quoddam igitur utile eſt honeſtum:* quia particulariter tantùm in Reflexionibus converti poteſt Univerſalis Dedicativa. Directim autem dico inferri, [2] cùm eadem Particula Subjecta eſt tam in Conjugatione quàm in ipsâ Illatione: itemque Declarans eadem cùm eſt utrobique: [3] reflexim verò, cùm hoc fit vice verſâ. Cæterùm

INTERPRETATIO.

unâ, & Prædicatum in alterâ. quæ diſpoſitio non nititur recenſione ſolùm fortuitâ, *ſed præſtantiâ Illationum. Etenim tertia figura eſt poſtrema, quoniam nihil in eâ infertur niſi particulare. Secunda figura illâ eſt præſtantior, quæ* quidem *complectitur Illationes Generales, verùm negativas ſolùm. Ac propterea prima figura ita præſtat* cæteris, *quòd* in eâ *inferuntur Concluſiones omnis generis. Appello autem Concluſionem aut Propoſitionem Concluſivam eam, quæ colligitur & concluditur ex Acceptionibus. Cæterùm Acceptio eſt Propoſitio quæ conceditur à reſpondente. veluti, ſi aliquis hoc modo roget:* Omne honeſtum eſt ne bonum? *Rogamentum eſt. Si verò dicat ſe fateri, Interrogatione ſublatâ, efficitur Acceptio* Omne honeſtum eſt bonum. *quæ quidem Acceptio dicitur nihilominùs vulgò Propoſitio. Adde huic alteram Acceptionem eodem modo petitam & datam:* Omne bonum eſt utile. *Ex combinatione harum* Propoſitionum *efficitur, ut modò probabimus, primæ figuræ Concluſio Generalis* Ergo omne honeſtum eſt utile, *ſi* inferatur *directè. Si verò indirectè,* fit Concluſio *Particularis:* Ergo aliquod utile eſt honeſtum: *quia* Propoſitio *Generalis Affirmativa non poteſt inverti in Converſionibus niſi particulariter. Aio autem concludi directè, quando idem terminus ſubjicitur, tum in alterâ combinatarum* Propoſitionum, *tum in ipsâ Concluſione, & ſimiliter quando idem* terminus *prædicatur in ambabus.* Concluditur *autem reflexim, quando id fit inverſo ordine. Porrò omnis*

NOTÆ.

1. *Quod Acceptionibus colligitur &c.*] Melius MSS. Carnott. *quod ex Acceptionibus colligitur.*

2. *Cùm eadem particula Subjecta eſt tàm in Conjugatione quàm, &c.*] Hoc eſt, quando Subjectum Concluſionis eſt etiam Subjectum unius ex Præmiſſis, prædicatum verò ejuſdem Concluſionis, eſt Prædicatum alterius. quod evenit tantùm in quatuor modis directis primæ figuræ

3. *Reflexim verò cùm hoc fit verſâ*

tota ratiocinatio iſta, quæ Acceptionibus, & Illatione conſtat,[1] & Collectio vel Concluſio nominatur,[2] ſecundum Ariſtotelem commodiſſimè poteſt ità definiri: *Oratio, in qua, conceſſis aliquibus, aliud quiddam præter illa quæ conceſſa ſunt, neceſſariò evenit, ſed per illa ipſa conceſſa.* In quâ Definitione & Orationis ſpecies non alia quàm Pronuntiabilis intelligenda eſt, quæ, ut ſupra diximus, ſola aut vera eſt aut falſa. Et, *conceſſis aliquibus*, pluraliter ideò dictum eſt, quia ex unâ Acceptione non fit Collectio: licèt[3] Antipatro Stoïco contra omnium ſententiam videatur plena Concluſio eſſe; *Vides, vivis igitur:* cùm ſit ullo modo plena: [4] *Si vides, vivis: atqui vides: igitur vivis.* Item, quia concludere volumus, non quod conceſſum eſt nobis, ſed quod negatum: idcircò in Definitione, *aliud quiddam præter illa quæ conceſſa ſunt, neceſſariò evenire.* Quapropter[5] ſupervacanei ſunt Moduli Stoïcorum non idem differenter peragentes: ut, *Dies eſt, aut nox:*

INTERPRETATIO.

hæc argumentatio, quæ conflata eſt ex conceſſis Propoſitionibus & Illatione, ac vocatur Collectio ſive Concluſio, poteſt ſic optimè deſcribi ex Ariſtotele: Sermo, in quo, datis quibuſdam, aliquid aliud ab iis, quæ data fuerunt, neceſſariò accidit, ſed vi illorum ipſorum, quæ data fuerunt. *In quâ Definitione non intelligendum eſt aliud genus ſermonis, niſi Enuntiatio, quæ una, ut diximus ſuperiùs, vel vera eſt vel falſa. Et idcircò dictum eſt* datis quibuſdam, *numero plurali, quoniam non fit Illatio ex unicâ* Propoſitione *conceſsâ: quamvis Antipater Stoïcus adverſus opinionem omnium exiſtimet hanc Illationem eſſe perfectam:* Vides, ergo vivis. *quæ quidem* hoc modo *aliquatenus completa eſt:* Si vides, vivis: atqui vides: ergo vivis. *Prætereà, quoniam volumus inferre, non* id *quod datum eſt nobis, ſed id quod eſt negatum: idcò* poſitum eſt *in Definitione*, aliquid aliud neceſſariò contingere præter ea quæ data fuerunt. *Quare ſuperfluæ ſunt formulæ Stoïcorum diſſimiliter concludentes diverſum: veluti*, dies eſt, vel nox:

NOTÆ.

vice.] Id eſt, cùm Prædicatum Concluſionis Subjicitur in Præmiſſarum unâ, Subjectum verò in alterâ prædicatur. atque hoc in ſolis quinque modis indirectis primæ figuræ contingit. licèt enim cæteræ duæ figuræ indirectæ ſint, nihilominùs non eadem eſt earum ratio; in ſecundâ enim Subjectum & Prædicatum Concluſionis ſubjiciuntur in Præmiſſis, in tertiâ verò prædicantur.

1. *Et Collectio.*] Græcis hoc ſonat συλλογισμός.

2. *Secundum Ariſtotelem commodiſſimè poteſt ita definiri.*] Ariſtot. Analyticorum priorum cap. 1. Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι. *Syllogiſmus autem eſt oratio, in quâ quibuſdam poſitis, aliud quiddam ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eo, quod hæc ſunt.*

3. *Antipatro Stoïco.*] Hujus Antipatri ſæpiùs meminit Diogenes Laërt. in Vitâ Zenonis Cittiei Stoïcorum Principis: meminit & illius librorum de mundo. Tyrius fuit, Catonis Uticenſis præceptor, ut teſtatur Plutarchus in *Catone.*

4. *Si vides, vivis: atqui, &c.*] Aut ſic potiùs, *quiſquis videt vivit: atqui tu vides: ergo vivis.*

5. *Supervacanei ſunt moduli Stoïcorum.*] Stoïcorum Dialecticam fusè explicatam vide apud Laërt. in Vitâ Zenonis Cittiei.

atqui dies eſt. Item idem geminantes, *Si dies eſt, dies eſt: dies igitur eſt.* Fruſtrà enim colligunt quod ſine controverſiâ ultrò conceditur. Illud potiùs veriſimile eſt, cùm dico, [1] *Si dies eſt, lucet: atqui dies eſt: igitur & lucet*: non malè colligere præter quod accepi. [2]Nam quod eſt in Concluſione *lucet*, fuerat & in Propoſitione. hoc tamen ita refutabimus, aliter dici in Concluſione *Igitur lucet*, ut oſtendatur nunc lucere: aliter in Propoſitione acceptum, in quâ non eſt dictum nunc lucere: ſed tantùm conſequens eſſe ut, ſi dies ſit, utique & luceat. [3] Multùm autem refert num affirmes aliquid eſſe, aut tantùm ſolere eſſe, cùm aliud quiddam præceſſerit: [4] item illud quod in eâdem Definitione neceſſitas comprehenſa eſt, factum eſt, ut Concluſionis vis à ſimilitudine Inductionis diſtingueretur. Nam & in Inductione quædam conceduntur: ut putà, *Homo inferiorem molam movet, equus inferiorem molam movet: item bos & canis.* Ex iſtis Acceptionibus in Concluſione aliud quid infertur: *Ergo & omne ani-*

Interpretatio.

atqui dies eſt. *Inſuper duplicantes idem: veluti*, Si dies eſt, dies eſt: ergo dies eſt. *nam incaſsùm inferunt quod conceditur ſponte ac citra diſputationem. Quando dico*, Si dies eſt, lucet: atqui dies eſt: ergo lucet quoque: *magis probabile eſt me non malè inferre* aliud, *quàm quod mihi conceſſum eſt. Atenim τὸ* lucet, *quod eſt in Concluſione, erat etiam in Propoſitione. id verò ſic refellemus*, dicendo *τὸ* ergo lucet *alio modo enuntiari in Illatione, nempè, ut demonſtretur nunc lucere: alio modo ſumptum fuiſſe in Propoſitione, in quâ non dictum eſt nunc lucere, at ſolummodò ſi dies ſit, ſequi ut luceat quoque. plurimùm vero intereſt an affirmes quidpiam eſſe, an ſolùm*, illud *ſolere eſſe quando aliquid aliud anteceſſerit: præterea quòd in eâdem Definitione mentio facta eſt neceſſitatis, id factum eſt, ut robur Concluſionis diſcerneretur à ſimilitudine Inductionis. In Inductione enim aliqua etiam conceduntur, verbi gratiâ:* Homo movet maxillam inferiorem, equus movet inferiorem, bos quoque, & canis. *Ex his conceſſis aliquid aliud colligitur in Illatione*: Igitur & omne animal movet

Notæ.

1. *Si dies eſt, lucet, &c.*] Refertur etiam hæc formula inter Stoïcorum formulas à Laërt. ſuprà laudato.

2 *Nam quod eſt, &c.*] Vocem *nam* verti *atenim*, ut accipiatur hîc quo modo cùm multis in locis, tùm in hoc Plauti verſu Capt. Act. 3. Scen. 1.

Nam herclè, ego huic dies, ſi liceat, oculos effodiam libens, &c.

Ubi ſonat *atqui*, aut quidpiam ſimile. Virgil. Georgic. 4.

Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos?

3. *Multùm autem refert num affirmes aliquid eſſe, &c.*] MSS. Carnott. *Multum autem* (1us habet *enim*) *refert ita-ne nunc affirmes aliquid eſſe, &c.*

4. *Ita illud quod in eâdem Definitione neceſſitates comprehenſum eſt, factum eſt ut Incluſionis viâ ſimilitudine Inductionis diſtingueretur. nam & in diſtinctione quædam conceduntur.*] Locum hunc omni ex parte & in omnibus editionibus contaminatum ſic reſtituo ex Membranis Carnotenſibus. *Item illud quod in eâdem Definitione neceſſitas comprehenſa eſt, factum eſt, ut Concluſionis vis à ſimilitudine Inductionis diſtingueretur. nam & in Inductione quædam conceduntur, &c.* quâ lectione quid purius? quid clarius?

mal inferiorem mo'am movet. quod cùm ſit in Crocodilo falſum; potes, ſuperioribus conceſſis, Illationem ipſam non recipere, quam tibi in Concluſione non licuiſſet recuſare: quippè cujus Illatio in ipſis acceptionibus continetur, & ideò in eâ additum eſt, *neceſſariò evenire.* [1] Ne ultima quidem pars Definitionis vacat, ſed oſtendit ex eiſdem ipſis, quæ conceſſerit, evenire debere Illationem, cæterùm ratam non fore. Ac de his quidem ſatis dictum. Nunc tradendum eſt quibus Modis & Conjugationibus fiant intra certum numerum Prædicativi generis veræ Concluſiones. [2] quippè in primâ Formulâ novem ſoli moduli; [3] ſex autem Conjugationes reperiuntur: [4] in ſecundâ quatuor Mo-

Interpretatio.

maxillam inferiorem. *quod cùm ſit falſum in Crocodilo; licet tibi, datis præcedentibus, repudiare conſequentiam, quam non potuiſſes repudiare in Syllogiſmo: cujus nimirùm ſequela comprehenditur in ipſis præconceſſis, & proptereà in eâ* Definitione *adjectum eſt* neceſſariò contingere. *ne poſtrema quidem particula Definitionis ſuperflua eſt, verùm indicat Concluſionem inferendam eſſe ex iiſdem ipſis quæ quis conceſſerit, aliàs* eam *non fore certam. Et ſat multis quidem actum de his, jam dicendum eſt quibus rationibus & combinationibus veræ Illationes fiant quodam numero* tantùm, *in genere Enuntiativo. Etenim in primâ figurâ inveniuntur tantùm novem modi, ſex verò combinationes: in ſecundâ* reperiuntur

Notæ.

1. *Ne ultima quidem * definitionis vacat, ſed oſtendit quod ipſa conceſſerit, evenire debere, Illationem cæterùm ratam non fore.*] Et hunc locum ex fide earumdem membranarum ſic reſtitutum imus: *Ne ultima quidem pars definitionis vacat, ſed oſtendit ex eiſdem ipſis ipſis, quæ conceſſerit, evenire debere Illationem, cæterùm ratam non fore.* Senſus eſt planiſſimus.

2. *Quippe in primâ figurâ novem ſunt moduli.*] Quos memoriæ juvandæ causâ novem his fictitiis vocibus vulgò exprimunt in ſcholis:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Quarum artificium omne ut intelligas, obſerva quantitatem & qualitatem Propoſitionum, quæ ſingulos Syllogiſmos conſtituunt, per vocales ſingularum vocum deſignari, ita ut vocalis A ſignificet Propoſitionem univerſalem affirmantem: vocalis E, univerſalem negantem: vocalis I, particularem affirmantem: ac denique vocalis O, particularem negantem: ſicque vox *Barbara* Syllogiſmum deſignet ex tribus univerſalibus affirmativis propoſitionibus conflatum. *Darii* Syllogiſmum ex univerſali & duabus particularibus affirmativis. & ſic de cæteris.

3. *Sex autem Conjugationes.*] Per Conjugationem intelligit Apuleius combinationem duntaxat ambarum præmiſſarum, nullâ habitâ ratione Concluſionis. Unde, ſi ſingularum vocum ſuprà relatarum duas tantùm priores ſyllabas intuearis, invenies has ſex tantùm combinationes A, A: E, A: A, I: E, I: A, E: I, E: tres enim priores bis ſingulæ occurrunt, nempè A, A: in vocibus *Barbara* & *Baralipton.* E, A: in vocibus *Celarent*, & *Celantes* A, I: in vocibus *Darii*, & *Dabitis.* Quod ſi per Conjugationes intelligeret varias trium Propoſitionum, quæ Syllogiſmum conſtituunt, inter ſe combinationes, totidem eſſent proculdubio Conjugationes in ſingulis figuris quot ſunt moduli.

4. *In ſecundâ quatuor moduli.*] His vocibus fictitiis expreſſi:

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

duli,[1] tres Conjugationes: [2] in tertiâ ſex Moduli, quinque Conjugationes. De quibus hîc jam ſuo ordine demonſtrabo: præfatus, neque ex Particularibus ſolis, neque Abdicativis ſolis ratam fieri Concluſionem, quia ſæpè poſſunt & ad falſa conducere. [3] Item quamlibet multis dedicativis, ſi utravis Abdicativa jungatur, non Dedicativam, ſed Abdicativam fieri Illationem. [4] tantum vel una mixta cæteris prævalet. [5] Similis etiam Particularium vis eſt. Utravis enim mixta Univerſalibus, particularem facit Illationem. Igitur in primâ Formulâ Modus primus eſt, qui conducit ex univerſalibus Dedicativis Dedicativum univerſale directum: [6] ut,

Omne juſtum honeſtum:
Omne honeſtum bonum:
Omne igitur juſtum bonum eſt.

INTERPRETATIO.

quatuor modi, & tres combinationes: in tertiâ ſex modi, quinque combinationes. De quibus hic mox agam ſuo loco: ſi præmonuero, non fieri probam Illationem ex ſolis Particularibus Propoſitionibus, neque ex ſolis Negativis, quoniam ex iis poſſunt ſæpè concludi falſa. Præterea, ſi altera Negativa addatur pluribus Affirmativis, non fieri Concluſionem Affirmativam, ſed Negativam, adeo vel una Negativa *addita aliis præpollet. Eadem quoque virtus eſt Particularium* Propoſitionum. *Nam utralibet* Particularis *juncta Generalibus efficit Concluſionem Particularem. In primâ ergo Figurâ primus Modus eſt qui infert directè* Concluſionem *Generalem Affirmativam ex* præmiſſis *Generalibus Affirmativis: veluti,*

Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Omne honeſtum *eſt* bonum:
Ergo, Omne juſtum *eſt* bonum.

NOTÆ.

1. *Tres Conjugationes.*] Videntur tamen eſſe quatuor. at noſter negat Conjugationem ſecundi modi, nempè *Cameſtres* differre a Conjugatione primi, qui eſt *Ceſare.*

2. *In tertiâ ſex moduli * Conjugationes.*] Lacunam Aſteriſco notatam expleo ex MS. Carnot. 2. qui ſic habet: *in tertiâ VI. moduli, V. Conjugationes* Sex illi moduli ſunt

Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon

quos, ordine tamen paulùm immutato, infrà recenſet Apuleius, ſex item videntur eſſe Conjugationes: ſed Conjugationes *Diſamis* & *Datiſi* ſimul confundit.

3. *Item ex Dedicativis, ſi utravis jungatur, Dedicativam non eſſe, non Abdicativam fieri Illationem.*] Et hunc corruptiſſimum locum reſtituunt MSS. Carnot. hoc modo: *Item quamlibet multis Dedicativis, ſi utravis Abdicativa jungatur, non Dedicativam, ſed Abdicativam fieri Illationem.* Utravis Abdicativa: hoc eſt, vel negativa univerſalis, vel negativa particularis.

4. *Tantum vel una mixta cæteris prævalet. Similis etiam particularibus, &c*] Hoc eſt quod in ſcholis dicunt, *Concluſionem ſequi deteriorem partem.*

5. *Similis etiam particularibus particularium vis eſt.*] Vocem *particularibus* ignorant membranæ Carnot. & habent meliùs meâ quidem ſententiâ *ſimilis etiam particularium vis eſt*

6 *Ut*, Omne juſtum honeſtum, Omne honeſtum bonum, Omne igitur juſtum bonum eſt.] Obſerva Apuleium ordinem præmiſſarum ubique invertere, & ſecundo loco ponere Majorem propoſitionem, quam Ariſtoteles meliùs in primo locat. Reſtitue ergo,

at ſi reflexim inferas, *Quoddam igitur bonum juſtum*, [1] fit ex eâdem Conjugatione [2] quintus Modus. nam ſic tantùm reflecti poſſe univerſalem Dedicativam, ſuprà docui. Secundus Modus eſt, qui conducit ex univerſalibus Dedicativâ, & Abdicativâ Abdicativum univerſale directim: [3] ut,

Omne juſtum honeſtum,
Nullum honeſtum turpe:
Nullum igitur juſtum turpe.

At, ſi reflexim inferas, *Nullum igitur turpe juſtum*, [4] ſextum Modum effeceris. nam, ut dictum eſt, reflectitur in ſe univerſalis Abdicativa. Tantùm meminiſſe debemus, [5] Subjectum ex Dedicativâ trahendum ad Illationem in ſecundo Modo. atque ideò eam priorem æſtimandam, licèt antè Abdicativa enuntietur. Similiter & in cæteris

INTERPRETATIO.

Si verò concludas indirectè, Ergo quoddam bonum eſt juſtum, *Efficitur ex eâdem combinatione quintus Modus. Monui enim ſuperiùs Propoſitionem Generalem Affirmativam hac ſolùm ratione poſſe converti. Secundus Modus eſt, qui infert directè Negativum Generale ex Propoſitionibus Affirmativâ, & Negativâ Generalibus. v. g.*

Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Nullum honeſtum *eſt* turpe:
Ergo nullum juſtum *eſt* turpe.

Si verò concludas inversè: Ergo nullum turpe *eſt* juſtum, *efficies ſextum Modum. Ut enim jam dixi* Propoſitio *Generalis Negativa convertitur in ſe* ipſam. *Obſervandum tantùm nobis eſt Subjectum ſumendum eſſe ex* Propoſitione *Affirmativâ ad concludendum in ſecundo Modo, proptereáque eam reputandam eſſe primam, quamvis* Propoſitio *Negativa proferatur prior. Eodem Modo & in reliquis* Propoſitio, *quæ*

NOTÆ.

inter legendum, Syllogiſmum hunc hoc modo:

Omne honeſtum bonum:
Omne juſtum honeſtum:
Omne igitur juſtum bonum.

Et ſic de cæteris qui deinceps occurrent. Hic primus modus ſignificatur voce *Barbara*.

1. *Fit autem ex eâdem Conjugatione.*] Abundat illud *autem*: neque reperitur in MSS. Carnot.

2. *Quintus modus.*] *Baralipton*, qui primus eſt ex modis indirectis primæ Figuræ.

3. *Ut, Omne juſtum honeſtum: Nullum honeſtum turpe, &c.*] Reſtitue ad hunc modum:

Nullum honeſtum turpe:
Omne juſtum honeſtum:
Nullum igitur juſtum turpe.

& habebis ſecundum modum primæ Figuræ *Celarent*. Apuleio, qui ordinem inverrit præmiſſarum, *Calerent*.

4. *Sextum modum effeceris.*] Modum *Celantes*. Apul. *Calentes*.

5. *Subjectum ex Dedicativâ trahendum, &c. atque ideò eam priorem æſtimandam, &c.*] Immò eâ de causâ poſterior æſtimanda eſt juxta Ariſtotelem. Prior enim continere debet Attributum Concluſionis, quod, quia latiùs vulgò patet Subjecto, dicitur majus Extremum, ut jam obſervavimus: & ab eo prior Præmiſſarum *Major* nuncupatur. Subjectum verò reperiri debet in ſecundâ Præmiſſarum, quam ideò *Minorem* denominat, quia ipſum vocatur *minus Extremum*. Atque hic ordo legitimus eſt, & naturalis, & in eo meliùs elucet obſervatio horum Principiorum *Dictum de omni*, & *Dictum de nullo*, ut Logici loquuntur.

[1] quæ prior eſt poteſtate, prior intelligatur. In ſexto autem Modo trahitur Subjectiva ex Abdicativâ. Hæc ſola differentia eorum. [2] Item tertius Modus, qui conducit ex Dedicativis Particulari & Univerſali Dedicativum Particulare directim: ut,

Quoddam juſtum, honeſtum:
Omne honeſtum, utile:
Quoddam igitur juſtum, utile.

Sed ſi reflexim inferas, *Quoddam igitur utile juſtum*, [3] ſeptimum modum effeceris. nam, ut dictum eſt, reflectitur in ſe Particularis Dedicativa. [4] Quartus Modus eſt, qui conducit ex Particulari Dedicativâ & Univerſali Abdicativâ Abdicativum Particulare directim: ut

Quoddam juſtum, honeſtum eſt:
Nullum honeſtum, turpe:
Quoddam igitur juſtum, non eſt turpe.

[5] Ex hoc modo contrariæ vices inveniuntur prioribus. Octavus & nonus quippè ſervant ejus Illationem, non ut illi reflexam. Conjugationem ipſam tantùm reflectunt Propoſitionibus æquipollentibus,

INTERPRETATIO.

præſtat virtute, exiſtimanda eſt prima. At in ſexto Modo Subjectum ſumitur ex Propoſitione *Negativâ. Hoc unum diſcrimen* eſt *inter eos. Prætereà tertius Modus eſt, qui concludit directè Particulare Affirmativum ex Particulari & Univerſali Affirmativis; putà,*

Aliquod juſtum *eſt* honeſtum:
Omne honeſtum *eſt* utile:
Ergo aliquod juſtum *eſt* utile.

At ſi concludas inverſè, Ergo quoddam utile *eſt* juſtum, *fiet ſeptimus Modus. Etenim, ut jam monui, Propoſitio Particularis Affirmativa convertitur in ſe ipſam. Quartus Modus eſt qui infert directè Particulare Negativum ex Particulari Affirmativâ & Generali Negativâ: veluti,*

Aliquod juſtum eſt honeſtum:
Nullum honeſtum *eſt* turpe:
Ergo aliquod juſtum non eſt turpe.

Ex hoc modo reperiuntur converſiones contrariæ ſuperioribus Modis. *nam octavus & nonus retinent ejus Concluſionem, non* autem *inverſam quemadmodum illi. invertunt ſolùm ipſam Combinationem per Propoſitiones æquivalentes,*

NOTÆ.

1. *Quæ prior eſt poteſtate.*] Hoc eſt, ſecundum Apuleium, *quæ continet Subjectum*, cui deberi primum locum ſupra dixit. MS. Carnot. 1. ignorat has voces. 2. eas habet, exceptâ *quæ*.

2. *Item tertius Modus.*] *Darii*: Apuleio: *Dirat*.

3. *Septimum Modum.*] *Dabitis*: Apuleio, *Dibatis*.

4. *Quartus Modus.*] *Ferio*. Apuleio: *Firio*

5. *Ex hoc Modo contrariæ vices inveniuntur octavus & nonus. quippè ſervatâ ejus Illatione, non ut illi priores reflexam. Conjugationem ipſam, &c.*] Meræ tenebræ. Reſtituo ex MSS. Carnot. *Ex hoc Modo contrariæ vices inveniuntur prioribus. Octavus & Nonus quippe ſervant ejus Illationem, non ut illi reflexam. Conjugationem ipſam, &c.* Porrò, quod hîc Apuleius de Modis octavo & nono ait, neſcio unde hauſerit, certè non apud Ariſtotelem, qui quinque indirectos primæ Figuræ reſpuit tanquam inutiles.

6. *Octavus & nonus.*] Ariſtotelicis, *Fapeſmo* & *Friſeſomorum*. Apuleio verò *Feſpamo*, & *Freſiſomorum*.

mutatoque ordine, ut prior fiat Abdicativa. [1] atque ideò conducere dicuntur ambo per Conjugationis converſionem. Nam & ſi Abdicativam Univerſalem quarti modi convertas, [2] & ſubjicias ei [3] Univerſalem Dedicativam, quam converterit Particularis Dedicativa, fiet octavus Modus, qui conducit ex Univerſalibus Abdicativâ & Dedicativâ Particulare Abdicativum reflexim: velut,

Nullum turpe, honeſtum:
Omne honeſtum, juſtum:
Quoddam igitur juſtum, non eſt turpe.

Nonus quoque Modus per ſimilem Converſionem ex Univerſali Abdicativâ & Particulari Dedicativâ Abdicativum Particulare conducit reflexim:

Nullum turpe, honeſtum:
Quoddam honeſtum, juſtum:
Quoddam igitur juſtum non eſt turpe.

Cur autem ſolus quartus Modus duos genuerit, cæteri ſingulos, illa ratio eſt; quia primi Modi ſi utramque Propoſitionem convertamus, fiet Conjugatio irrita duarum Particularium: ſin alteram tantùm, fiet

INTERPRETATIO.

& converſo ordine, ita *ut Negativa* Propoſitio *prior evadat. & idcircò uterque dicitur concludere per inverſionem Combinationis. Si enim invertas Univerſalem Negativam quarti Modi, & ponas poſt eam Univerſalem Affirmativam, ex quâ inverſa fuerit Particularis Affirmativa, efficietur octavus Modus, qui infert indirectè Particulare Negativum ex Univerſalibus* Propoſitionibus *Negativâ & Affirmativâ: ut,*

Nullum turpe *eſt* honeſtum:
Omne honeſtum *eſt* juſtum:
Ergo aliquod juſtum non eſt turpe.

Nonus etiam Modus pari inverſione concludit indirectè Negativum Particulare ex Generali Negativâ & Particulari Affirmativâ: ut,

Nullum turpe *eſt* honeſtum:
Aliquod honeſtum *eſt* juſtum:
Ergo aliquod juſtum non eſt turpe.

Hæc autem ratio eſt quare quartus tantùm Modus produxerit duos alios, *reliqui* verò producant *ſolùm ſingulos; quoniam ſi invertamus ambas Propoſitiones primi Modi, efficietur vana combinatio duarum Particularium: ſi verò* invertamus *ſolùm alterutram, ef-*

NOTÆ.

1. *Atque ideò conducere dicitur ambo, &c.*] Solœciſmus: quem emendant Membranæ Carnot. *atque ideò conducere dicuntur ambo, &c. Conducere* hîc *concludere* eſt.

2. *Et ſubiicias ei Univerſalem Dedicativam: qua converterat Particularis ejus D. dicativa fiet. Octavus Modus eſt, qui, &c.*] Nullus hinc elici ſenſus poteſt. MSS. Carnot. rectiùs multò: *& ſubjicias ei Univerſalem Dedicativam, quam converterit Particularis Dedicativa, fiet octavus Modus, qui, &c.*

3. *Univerſalem Dedicativam, quam converterit Particularis Dedicativa.*] Putà hanc Propoſitionem, quam mox affert: *Omne honeſtum eſt juſtum*, quam converterat hæc Propoſitio paulò antè relata *Quoddam juſtum eſt honeſtum.*

aut ſecunda Formula, aut tertia. Ita ſecundi Modi ſi utramque convertas, fiet Conjugatio noni, quam jam oſtendimus ex quarto gigni, quia Univerſalis Dedicativa ſecundi Modi nonniſi particulariter converti poteſt: ſin alteram tantùm, fiet ſecunda Formula aut tertia. Ex hiſce igitur in primâ Figurâ Modis novem, primi quatuor Indemonſtrabiles nominantur: non quòd demonſtrari nequeant, [1] ut univerſitas maris, quæ demonſtrabilis non eſt, & ut circuli quadratura: ſed quòd ſimplices tamque manifeſti ſunt, ut demonſtratione non egeant; adeò ut ipſi cæteros gignant, fidemque illis ex ſe impertiant. Nunc [2] Formulæ Modos trademus ſecundæ. [3] Primus Modus in ſecundâ Formulâ eſt, qui conducit ex Univerſalibus Dedicativâ & Abdicativâ Abdicativum Univerſale directim: velut,

Omne juſtum, honeſtum:
Nullum turpe, honeſtum:
Nullum igitur juſtum, turpe.

Hæc redigitur [4] in ſecundum Indemonſtrabilem, [5] converſâ ejus ſe-

INTERPRETATIO.

ficietur vel ſecunda Figura, vel tertia. Similiter ſi invertas ambas Propoſitiones *ſecundi Modi, efficietur Combinatio noni, quam ſuprà docuimus produci ex quarto, quia Generalis Affirmativa ſecundi Modi nequit inverti niſi particulariter: ſi verò* convertas *ſolùm alterutram, efficietur Figura ſecunda vel tertia. Inter hos ergo novem Modos primæ Figuræ quatuor primi dicuntur Indemonſtrabiles; non quia nequeant demonſtrari, quemadmodum immenſitas maris, quæ non eſt demonſtrabilis, & quemadmodum quadratura circuli: ſed quia ſunt adeò ſimplices & adeò evidentes, ut non habeant opus demonſtratione: ita ut ipſi producant reliquos, & largiantur eis probabilitatem ex ſe ipſis. Jam recenſebimus Modos ſecundæ Figuræ. Primus Modus eſt qui concludit directè Generale Negativum ex Generalibus Affirmativâ & Negativâ: ut,*

Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Nullum turpe *eſt* honeſtum:
Ergo nullum juſtum *eſt* turpe.

Hic Modus *reducitur ad ſecundum* Modum *Indemonſtrabilem inversâ ſecun-*

NOTÆ.

1. *Ut univerſitas maris, quæ demonſtrabilis non eſt, & ut Circuli quadratura.*] Locus non omni ex parte ſanus, ut arbitror, ſenſum tamen elicui quàm potui commodiſſimum. MSS. Carnot. obſcuriùs habent: *univerſi maris æſtimat quod non demonſtrentur, ſicut circuli quadratura.* MSS. 2[us] habet ſupra vocabulum *maris* has litteras *pp. nom.* quaſi innuat *maris* eſſe nomen proprium. Quid ſi non *univerſi maris*, ſed *univerſim Ariſt.* hoc eſt, *Ariſtoteles æſtimat, &c?*

2. *Formulæ Modos trademus ſecundæ.*] In hac Formulâ, ſeu, ut loquuntur ſcholæ, Figurâ medius terminus prædicatum eſt tum majoris tum minoris, unde negativè tantùm in hac figurâ concluditur: cùm medium, utpote ſemper prædicatum, non poſſit univerſaliter ſumi (quod ad legitimam Concluſionem neceſſe eſt) niſi altera Præmiſſarum ſit negans, proindeque & Concluſio, quæ, ut dictum eſt, deteriorem ſemper partem ſequitur.

3. *Primus Modus in ſecundâ Formulâ.*] In ſcholis *Ceſare.*

4. *In ſecundum indemonſtrabilem.*] Primæ Figuræ, nempè *Celarent.*

5. *Converſâ ejus ſecundâ Propoſitio-*

cundâ Propoſitione. [1] Secundus Modus eſt, qui conducit ex Univerſalibus Abdicativâ & Dedicativâ Abdicativum Univerſale directim: velut

Nullum turpe, honeſtum:
Omne juſtum, honeſtum:
Nullum igitur turpe, juſtum.

[2] Hic Conjugatione non differt à priore, niſi quod Subjectivam particulam ex Abdicativo trahit ad Illationem: quoniam ita variatus eſt Enuntiationis ordo, quod in primâ Formulâ fieri non poteſt. [3] Tertius Modus eſt, qui conducit ex Particulari Dedicativâ & Univerſali Abdicativâ Abdicativum particulare directim: velut

Quoddam juſtum, honeſtum:
Nullum turpe, honeſtum:
Quoddam igitur juſtum, non eſt turpe.

[4] Hujus ſi convertamus Univerſalem Abdicativam, fit Indemonſtrabilis quartus, ex quo hic naſcitur. [5] Quartus Modus eſt, qui conducit ex Particulari Abdicativâ & Uuniverſali Dedicativâ Abdicativum Particulare directim: ut,

Quoddam juſtum, non eſt turpe:
Omne malum, turpe:
Quoddam igitur juſtum non eſt malum.

INTERPRETATIO.

dâ ejus Propoſitione. Secundus Modus eſt, qui infert directè Univerſale Negativum ex Generalibus Propoſitionibus *Negativâ & Affirmativâ: ut*

Nullum turpe *eſt* honeſtum:
Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Ergo nullum turpe *eſt* juſtum.

Hic Modus *non diſcrepat combinatione à primo, niſi quia ſumit Subjectum Concluſionis ex Negativâ* Propoſitione, *quia ſic mutata eſt ſeries Propoſitionum, quod nequit fieri in primâ Figurâ. Tertius Modus eſt, qui infert directè Particulare Negativum ex Particulari Affirmativâ, & Generali Negativâ: v. g.*

Aliquod juſtum *eſt* honeſtum:
Nullum turpe *eſt* honeſtum:
Ergo aliquod juſtum non eſt turpe.

Si invertamus ejus Univerſalem Negativam, efficitur quartus Modus *Indemonſtrabilis, ex quo hic oritur. Quartus Modus eſt, qui infert directè Particulare Negativum ex Particulari Negativâ & Generali Affirmativa: veluti*

Aliquod juſtum non eſt turpe:
Omne malum eſt turpe:
Ergo aliquod juſtum non eſt malum.

NOTÆ.

ne.] Quæ prima rectiùs ponitur, ut jam monui, ita ut Syllogiſmus redactus ſic ſe habeat:

Nullum honeſtum turpe:
Omne juſtum honeſtum:
Nullum igitur juſtum turpe.

1. *Secundus Modus.*] *Cameſtres.*

2. *Hic conjugatione non differt à priore.*] Hinc eſt, quòd cùm quatuor Modos ſecundæ Figuræ tribuat, tres tantùm tribuit conjugationes.

3. *Tertius Modus.*] *Feſtino.*

4. *Hujus ſi convertamus Univerſalem Abdicativam &c.*] Fiet Syllogiſmus in *Ferio*, hoc modo:

Nullum honeſtum turpe:
Quoddam juſtum honeſtum:
Quoddam igitur juſtum non eſt turpe.

5. *Quartus Modus eſt.*] *Baroco.*

[1] Hic ſolus Modus tantùm per Impoſſibile approbatur. de quâ Propoſitione dicemus, [2] expoſitis Modis Formulæ tertiæ. In tertiâ Formulâ [3] primus Modus eſt, qui conducit ex Dedicativis Univerſalibus Dedicativum Particulare tam directim, quàm reflexim: ut,

Omne juſtum, honeſtum:
Omne juſtum, bonum:
Quoddam igitur honeſtum, bonum.

vel ſic, *Quoddam igitur bonum, honeſtum.* Quippe non intereſt quam ex utrâque Propoſitione facias particulam Subjectivam: quoniam non intereſt utram priùs enunties. Ideò non rectè arbitratus eſt Theophraſtus, propter hoc non unum Modum hunc ſed duos eſſe. [4] Secundus Modus eſt, qui conducit ex Dedicativis Particulari & Univerſali Dedicativum Particulare directim: ut,

Quoddam juſtum, honeſtum:
Omne juſtum, bonum:
Quoddam igitur honeſtum, bonum.

[5] Tertius Modus eſt, qui conducit ex Dedicativis Univerſali & Particulari Dedicativum Particulare directim: ut,

Omne juſtum, honeſtum:
Quoddam juſtum, bonum:
Quoddam igitur bonum, honeſtum:

INTERPRETATIO.

Hic unicus Modus demonſtratur ſolùm per Impoſſibile. de quâ Propoſitione agemus cùm explicuerimus Modos tertiæ Figuræ. In tertiâ Figurâ primus Modus eſt, qui ex duabus *Generalibus Affirmativis infert tam directè quàm inversè Particulare Affirmativum: veluti,*

Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Omne juſtum *eſt* bonum:
Ergo aliquod honeſtum *eſt* bonum

aut hoc modo: Ergo aliquod bonum *eſt* honeſtum. *Etenim minimè refert quem ſumas terminum Subjectivum* Concluſionis *ex duabus* illis *Propoſitionibus: quia non refert quam proferas primam. Idcircò Theophraſtus malè cenſuit eam ob cauſam hunc Modum non eſſe unum duntaxat, ſed duos. Secundus Modus eſt, qui infert directè Particulare Affirmativum ex Affirmativis Particulari & Generali: veluti,*

Aliquod juſtum *eſt* honeſtum:
Omne juſtum *eſt* bonum:
Ergo aliquod honeſtum *eſt* bonum.

Tertius Modus eſt, qui infert directè Particulare Affirmativum ex Affirmativis Generali & Particulari: veluti,

Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Aliquod juſtum *eſt* bonum:
Ergo aliquod bonum *eſt* honeſtum.

NOTÆ.

1. *Hic ſolus Modus.*] Intellige *in hac ſecundâ Figurâ. Sextus* enim tertiæ, qui in ſcholis quintus eſt, nempè *Bocardo*, per impoſſibile etiam tantùm probatur, ut infrà videbimus.

2. *Expoſitis Modis Formulæ.*] Omninò hîc addendum *tertiæ.*

3. *Primus Modus.*] *Darapti*, porrò in totâ hac tertiâ Figurâ non concluditur niſi particulariter.

4. *Secundus Modus.*] Hic in ſcholis quartus recenſetur, non ſecundus, eſtque *Datiſi.*

5. *Tertius Modus.*] *Diſamis.*

[1] Quartus Modus eſt, qui conducit ex Univerſalibus Dedicativâ & Abdicativâ Abdicativum Particulare directim: ut

Omne juſtum, honeſtum:
Nullum juſtum, malum:
Quoddam igitur honeſtum, non eſt malum.

[2] Quintus Modus eſt, qui conducit ex Dedicativâ Particulari & Abdicativâ Univerſali Abdicativum Particulare directim: ut,

Quoddam juſtum, honeſtum:
Nullum juſtum, malum:
Quoddam igitur honeſtum, non eſt malum.

[3] Sextus Modus eſt, qui conducit ex Dedicativâ Univerſali & Abdicativâ Particulari Abdicativum Particulare directim: ut,

Omne juſtum, honeſtum:
Quoddam juſtum, non eſt malum:
Quoddam honeſtum, non eſt malum.

Ex his ſex Modis primi tres rediguntur ad tertium Indemonſtrabilem, converſâ priore Propoſitione primi & ſecundi. tertius cum ſecundo eandem Conjugationem habet: hoc uno differens, quòd ex Univerſali trahit particulam Subjectivam. propter quod non tantùm Propoſitionis, verùm etiam Illationis converſione redigitur ad tertium. [4] Item quartus & quintus naſcuntur ex Indemonſtrabili quarto, converſis

INTERPRETATIO.

Quartus Modus eſt, qui infert directè Negativum Particulare ex Univerſalibus Affirmativâ & Negativâ: velut,

Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Nullum juſtum *eſt* malum:
Ergo aliquod honeſtum non eſt malum.

Quintus Modus eſt, qui infert directè Negativum Particulare ex Affirmativâ Particulari & Negativâ Generali: v. g.

Aliquod juſtum *eſt* honeſtum:
Nullum juſtum *eſt* malum:
Ergo aliquod honeſtum non eſt malum.

Sextus Modus eſt, qui infert directè Particulare Negativum ex Affirmativâ Generali, & Negativâ Particulari: veluti,

Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Aliquod juſtum non eſt malum:
Ergo aliquod honeſtum non eſt malum.

Horum ſex Modorum tres primi reducuntur ad tertium ex Indemonſtrabilibus, inversâ primâ Propoſitione primi, & ſecundi. tertius habet eandem combinationem, quam ſecundus; in hoc tantùm diſcrepans, quòd ſumit ſubjectum ſuæ Concluſionis *ex* Propoſitione *Univerſali. quamobrem reducitur ad tertium* Indemonſtrabilem, *non ſolùm inverſione Propoſitionis, ſed Concluſionis quoque. præterea quartus & quintus oriuntur ex quarto Indemonſtrabili, in-*

NOTÆ.

1. *Quartus Modus.*] In ſcholis ſecundus *Felapton.*

2. *Quintus Modus.*] In ſcholis ſextus *Feriſon.*

3. *Sextus Modus.*] Quintus in ſcholis *Bocardo*, & hic probatur tantùm per reductionem ad impoſſibile.

4. *Item quartus & quintus naſcuntur ex Indemonſtrabili quarto.*] Uno verbo, Modi omnes tam hujus tertiæ Formulæ, quàm ſecundæ, atque etiam indirecti primæ reducuntur unuſquiſ-

prioribus Propoſitionibus eorum. Sextus autem Modus nec utrâque nec alterâ redigi converſâ ad Indemonſtrabilem aliquem poteſt, ſed per Impoſſibile tantum approbatur: ſicuti quartus in ſecundâ Formulâ, & ideò uterque noviſſimi numerantur. Cæterorum autem in omnibus Formulis ordinatio facta eſt pro differentiâ Conjugationum & Illationum. Nam quia prius ſit dedicare quam negare, potentiuſque eſt Univerſale quàm Particulare: priores ſunt univerſales particularibus, & in utriſque Dedicatio & Illatio ſimiles ſunt. [1] & is præponitur modus, qui celerius ad Indemonſtrabilem redigitur, [2] id eſt unâ Converſione, quæ una probatio eſt certos eos ad cludendum Modos. Eſt & altera Probatio communis omnium, etiam Indemonſtrabîlium, quæ dicitur Per impoſſibile, appellaturque ab Stoïcis prima Conſtitutio, vel primum Expoſitum. quod ſic definiunt: [3] *Si ex duobus tertium quid colligitur, alterum*

Interpretatio.

verſis prioribus eorum Propoſitionibus. Sextus verò Modus non poteſt reduci ad quempiam ex Indemonſtrabilibus, neque inverſis ambabus ejus Propoſitionibus, *neque unâ* earum: *ſed demonſtratur tantùm per impoſſibile: quemadmodum quartus in ſecundâ Figurâ, atque eâ de causâ ambo recenſentur poſtremi. Ordo verò reliquorum in omnibus Figuris diſpoſitus eſt ſecundùm diverſitatem combinationum ac Concluſionum. Etenim quoniam prius eſt affirmare, quàm negare, & Generale præpollet Particulari: Generales* Modi *præcedunt Particulares, atque in utriſque affirmatio, & Concluſio ſunt pares: & ille Modus præcedit, qui citiùs reducitur ad Indemonſtrabilem, hoc eſt, unicâ inverſione, quæ eſt una Demonſtratio illos Modos eſſe certos ad inferendum. Eſt & alia Demonſtratio communis univerſis* Modis, ipſis *quoque Indemonſtrabilibus, quæ appellatur* Demonſtratio *per impoſſibile, & vocatur à Stoicis prima Conſtitutio, aut prima expoſitio. quam ſic deſcribunt:* Si aliquid tertium infertur ex duobus, alterum ex

Notæ.

que ad illum ex quatuor Indemonſtrabilibus, cujus artificiale vocabulum ab eâdem litterâ incipit, à quâ incipiunt eorum vocabula: putà omnes Modi incipientes à B, reducuntur ad Modum *Barbara*, exceptis *Baroco*, & *Bocardo*, quæ probantur tantùm per impoſſibile: omnes incipientes à C, reducuntur ad *Celarent*, omnes incipientes a D, ad *Darii*, poſtremò, omnes incipientes ab F, ad *Ferio*. quæ reductio fit obſervatis certis regulis, quas hîc tradere atque explicare operæ pretium non duxi, cùm eæ paſſim occurrant in Compendis Philoſophicis.

1. *Et is præponitur Modus, &c.*] Sic reſtitui ex Carnot. MS. 2. malè in vulgatis legitur: *his præponitur, &c.*

2. *Id eſt, unâ converſione, quæ una probatio eſt, certos eos ad cludendum Modos eſſe.*] Ita MSS. Carnott. Vulgati nullo aut abſurdo ſenſu habent: *iiſdem eſt una Converſio, neque una probatio eſt certos eos ad eludendum modos eſſe.* quid ſibi vult *Modus certus ad eludendum?* Porrò vocem *eludendum* facilè corruptam putem ex abbreviatâ voce *cludendum, concludendum*, quanquam & derivari potuit ab antiquo *cludo*, hoc eſt, *claudo*, & ſimplex poni pro compoſito.

3. *Si ex duobus, &c.*] MSS. Carnot. *ſi ex duobus tertium quid colligitur, alterum eorum cùm contrarium Illationis colligit, contrarium relinquit.* Ego legendum potiùs crediderim: *ſi ex duobus tertium quid colligitur, alter eorum cum contrario Illationis colligit contra-*

corum cum contrario Illationes colligit, contrarium relinquit. Veteres autem ſic definierunt: [1] *Omnis concluſionis ſi ſublata ſit Illatio, aſſumptâ alterutrâ Propoſitione tolli reliquam.* Quæ res inventa eſt adverſus eos, qui conceſſis Acceptionibus, id quod ex illis colligitur, impudenter recuſant. [2] per hoc enim compelluntur ad Impoſſibilia; dum ex eo quod negant, contrarium aliquid invenitur [3] ei quod anteceſſerat. Porro Contraria ſimul eſſe vera, impoſſibile eſt. Ergo per Impoſſibile compelluntur ad Concluſionem. Nec fruſtra conſtituerunt Dialectici eum verum Modum eſſe, cujus adverſum Illationis cum alterâ Acceptione tollit reliquam At Stoici quidem tantùm Negativâ particulâ præpoſitâ putant Illationem recuſari; vel ex Propoſitionibus alteram tolli; utpote, *Omnis, non omnis: quidam, non quidam.* Fiunt igitur adverſus unamquamque Concluſionem contrariæ, quæ opponantur, octo; quoniam utraque acceptio bifariam tollitur: fiuntque Concluſiones bis quaternæ, modo Negativâ particulâ præpoſitâ Illationi, modo Alterutrâ Illationis acceptâ. Exemplo ſit primus Indemonſtrabilis:

Omne juſtum, honeſtum:
Omne honeſtum, bonum:
Omne igitur juſtum, bonum.

INTERPRETATIO.

iis cum contrario Concluſionis, infert contrarium ejus quod ſupereſt. *Antiqui verò definierunt hoc modo.* Si negetur conſequentia cujuſvis argumenti, adhibitâ alterâ è Propoſitionibus, refelli alteram. *Quod excogitatum eſt contra eos, qui, conceſſis Præmiſſis, negant impudenter id quod infertur ex eis. namque hac ratione rediguntur ad impoſſibilia; ſiquidem ex illo quod negant, colligitur aliquid contrarium ei quod præceſſerat. Cæterùm impoſſibile eſt ut contraria ſimul ſint vera. Coguntur igitur ad Illationem* concedendam *per impoſſibile. Et meritò Dialectici ſanxerunt eum verum eſſe Modum, in quo contrarium Concluſionis cum unâ ex Præmiſſis refellit alteram. Verùm Stoïci exiſtimant quidem Concluſionem negari, aut alteram ex Præmiſſis refelli ſolummodò præfixâ particulâ negativâ: v. g.* omnis, non omnis; quidam, non quidam. *Efficiuntur ergo octo contraria argumenta, quæ opponantur contra ſingula argumenta; quia ſingulæ Præmiſſæ negantur duobus modis, & efficiuntur bis quatuor argumenta, nunc præfixâ Concluſioni particulâ negativâ, nunc aſſumptâ contradictoriâ* ipſius *Concluſionis. Ponamus pro exemplo primum Modum Indemonſtrabilem:*

Omne juſtum *eſt* honeſtum:
Omne honeſtum *eſt* bonum:
Ergo omne juſtum *eſt* bonum.

NOTÆ.

rium relicti. Ratio patet ex ipſis legibus reductionis ad impoſſibile. quis enim neſcit aſſumptâ contradictoriâ Concluſionis, & alterâ ex Præmiſſis, inferri contrarium alterius, quæ non fuerat aſſumpta, ſicque cogi adverſarium aut fateri quod perperàm negat, aut negare quod priùs conceſſit?

1. *Omnes Concluſiones.*] Repono *omnis Concluſionis*, juxtà membranas Carnotenſes toties laudatas.

2. *Per hoc enim.*] Ita iidem codices.

3. *Ei, quod anteceſſerat.*] Et quod jam conceſſerant.

Qui

Qui hanc Illationem conceſſis Propoſitionibus negat, neceſſe eſt dicat, *Quoddam juſtum non eſt bonum.* Huic ſi proponas priorem ex duabus conceſſis, *Omne juſtum, honeſtum*, fit Illatio ſecundùm ſextum Modum in tertiâ Formulâ, *quoddam igitur honeſtum non eſt bonum.* quod repugnat ſecundæ Propoſitioni, quæ conceſſerat, *Omne honeſtum, bonum* [1] Hæc item omnino oppoſita Concluſio eſt, ſi iiſdem manentibus, æquipollentem ejus inferas. ut, *Non igitur omne honeſtum bonum.* Similiter & alteræ fiant duæ Concluſiones, [2] ſi, ut nunc propoſuimus priorem Propoſitionem, ſic aſſumamus poſteriorem, *Quoddam juſtum non eſt bonum: omne honeſtum bonum*; fit Illatio quarti Modi ſecundæ Formulæ duplex, *non igitur omne juſtum, honeſtum*: vel, *quoddam igitur juſtum, honeſtum non eſt.* quarum utravis æque priori Propoſitioni repugnat, quæ conceſſerat, *omne juſtum honeſtum* [3] His quatuor Concluſionibus manentibus, tantum Propoſitione mutatâ, ſi pro eo quod erat *Quoddam juſtum non eſt bonum*, facias, *non omne juſtum, bonum*, [4] ut bifariam ſit ſublata Illatio: erunt alteræ quatuor Concluſiones iiſdem immutationibus. item ſi pro eodem facias, *nullum juſtum, bonum*, [5] ut trifariam ſit ſublata Illatio, erunt tertiæ qua-

INTERPRETATIO.

Qui negat hanc Concluſionem, conceſſis Præmiſſis, oportet ut dicat, aliquod juſtum non eſt bonum. *Si proponas huic primam duarum* Propoſitionum *conceſſarum:* Omne juſtum eſt honeſtum, *fit Concluſio juxtà ſextum Modum tertiæ Figuræ:* Ergo aliquod honeſtum non eſt bonum: *quod adverſatur ſecundæ Propoſitioni, quâ conceſſum erat* Omne honeſtum *eſſe* bonum. *Hæc inſuper Concluſio eſt omninò contraria, ſi poſitis iiſdem, quæ priùs, concludamus ejus æquivalentem:* Ergo non omne honeſtum *eſt* bonum. *Eâdem ratione efficiantur quoque duo alia argumenta; ſi quemadmodum exhibuimus primam Propoſitionem, ita ſumamus ſecundam*, aliquod juſtum, non eſt bonum: Omne honeſtum *eſt* bonum; *efficiuntur duæ Concluſiones quarti Modi ſecundæ Figuræ*, Ergo non omne juſtum eſt honeſtum: *aut* Ergo aliquod juſtum non eſt honeſtum. *quarum quælibet æqualiter adverſatur priori Præmiſſæ, quâ conceſſum erat* omne juſtum *eſſe* honeſtum. *His quatuor argumentis remanentibus, mutata ſolùm Propoſitione, ſi loco hujus quod erat* aliquod juſtum non eſt bonum, *efficias* non omne juſtum *eſt* bonum, *ita ut Concluſio negata ſit dupliciter: fient quatuor altera argumenta iiſdem mutationibus. Præterea, ſi loco ejuſdem propoſitionis efficias*, Nullum juſtum *eſt* bonum, *ita ut Concluſio negata ſit tripliciter, fient*

NOTÆ.

1. *Hæc omnia oppoſita, &c. inferat his, &c.*] Corruptus locus. Carnotenſes membranæ, ſic optimè reſtituunt: *hæc item omninò oppoſita Concluſio eſt, ſi, iiſdem manentibus, æquipollentem ejus inferas, ut, &c.*

2. *Sicut.*] Eædem membranæ, *ſi ut*, rectè.

3. *His Concluſionibus, &c. pro eo quod eſt.*] Iidem codices meliùs, *his quatuor Concluſionibus, &c. ſi pro eo quod erat.*

4. *Bifaria ſit ſublata Illatio erunt tertiæ quatuor, &c.*] Codices Carnot. *ut bifariam ſit ſublata Illatio; erunt alteræ quatuor Concluſiones*, optimè.

5. *Ut bifaria ſit ſublata Illatio, &c.*] Repone ex MS. Carnot. 2. *ut trifariam ſit ſublata Illatio, &c.*

tuor Concluſiones duntaxat in his quæ habebunt univerſalem Illationem. Ea enim poreſt ſola trifariam tolli. at in cæteris ſolæ octo. quas ſi quis velit ſingillatim ſub unoquoque per omnes formulas[1] poterit ſingere ad exemplum quod propoſuimus. ut etiam [2] Hypotheticorum more, per literas [3] ordine Propoſitionum & partium [4] commutato. ſed vi manente [5] ſit primus indemonſtrabilis:

A de omni B,
Et B de omni C,
Igitur A de omni C.

Incipiunt [6] à Declarante, atque ideo & à ſecunda propoſitione. Hic adeo modus ſecundum hos perfectus, [7] retro talis eſt.

Omne C B:
Omne B A:
Omne igitur C A.

INTERPRETATIO.

tertia quatuor argumenta in iis ſolùm quæ habebunt Concluſionem univerſalem. Nam ipſa tantùm poteſt negari tribus modis. in aliis verò ſunt tantùm octo. quæ, ſi quis voluerit, poterit ſeorſim formare ſub ſingulis Modis *per omnes Figuras juxta exemplum, quod exhibuimus. præterea ope litterarum, ut ſit in hypotheſibus, inversâ ſerie Propoſitionum, & partium, verùm ſervatâ virtute, primus* Modus *indemonſtrabilis eſto:*

A *affirmatur* de omni B,
Et B de omni C:
Ergo *&* A *eſt affirmandum* de omni C.

Incipiunt ab attributo, proptereáque & à ſecundâ propoſitione. Porrò hic Modus compoſitus juxta illos, inversè eſt hujuſmodi:

Omne C *eſt* B,
Omne B *eſt* A:
Ergo omne C eſt A.

NOTÆ.

1. *Potuit ſuggerere.*] Lipſius malebat *poterit fingere*, quem ſecutus ſum.

2. *Hypotheticorum more per litteras.*] Hunc morem ſequitur Ariſtoteles in demonſtrandis Syllogiſmorum proprietatibus, & Modis. Per *hypothetica* autem videtur intelligere Apuleius maximè res Mathematicas, in quibus explicandis litteras adhibent.

3. *Ordine propoſitionum & partium commutato.*] Quæ enim Apuleio ſecunda propoſitio eſt, hîc fit prima, & rectiùs quidem: & pars Declarans propoſitionis, quæ in alterâ Enuntiationis formâ, ſecunda eſt, hîc prima enuntiatur.

4. *Commutato.*] Malè in editis omnibus *commutatio.*

5. *Sit primus Indemonſtrabilis* A de omni B, &c.] Sic reſtituunt hunc locum codices Carnotenſes ambo, niſi quòd ſecundus in hoc à primo diſcrepat, quòd pro litterâ C, ubique ponat litteram F, quod nihil mutat in ſenſu. Vulgati omnes monſtroſè habent: *ſit primus Demonſtrabilis: ſecundus talis A de omni B, & abde, omnis igitur de, omnis incipiunt A, Declaratæ, atque ideò & à ſecundâ propoſitione hic ad ea Modum ſecundum has prætexas retrò talis eſt, omne F B: omne B A: omne igitur F B.*

6. *A Declarante.*] Hoc eſt, ab eâ propoſitione, in quâ reperitur Declarans (id eſt, attributum) Concluſionis, quam Propoſitionem Apuleius ubique ſecundam facit, cùm primam ſtatuat eam, in quâ ſubjectum ejuſdem Concluſionis invenitur, in quo diſſentit ab Ariſtotele, ut jam obſervavimus.

7. *Retrò.*] Hoc eſt, inverſo ordine, ut ſecunda propoſitio ſit prima, & in

Stoici porro pro litteris numeros uſurpant : ut,

Si primum, ſecundum :
Atqui primum :
Secundum igitur.

Verum Ariſtoteles in primâ Formulâ quatuor ſolos Indemonſtrabiles prodit. Theophraſtus & cæteri quinque enumerant. [1] Nam propoſitionem jungunt indefinitam, colliguntque Illationem indefinitam. Hoc ſupervacaneum eſt tradere, cum Indefinita pro Particulari accipiatur, & iidem futuri ſint Modi qui ſunt ex Particularibus. Item jam oſtendimus in primâ formulâ quatuor. quos ſi quis velit geminare, Indefinitam pro Particulari accipiens, Indefinitamque ſubiiciens Illationem; [2] erunt omnes novem & viginti. [3] Ariſto autem Alexandrinus, & nonnulli Paripatetici juniores quinque alios Modos præterea ſuggerunt [4] univerſalis Illationis: [5] in prima formula tres, [6] in ſecunda duos,

Interpretatio.

Cæterum Stoici utuntur numeris loco litterarum. v. g.

Si primum, ſecundum :
Atqui primum :
Ergo ſecundum.

Sed Ariſtoteles tradit tantum quatuor modos *indemonſtrabiles in primâ Figurâ. Theophraſtus & alii recenſent quinque namque addunt propoſitionem Indeterminatam & inferunt concluſionem Indeterminatam. inutile eſt de hoc agere. cum Indeterminata ſumatur pro Particulari, & iidem modi exorituri ſint ac ii qui ſunt ex particularibus propoſitionibus. Præterea jam declaravimus in primâ Figurâ quatuor* modos, *quos ſi aliquis velit duplicare aſſumens Indeterminatam pro Particulari, & ſubdens Concluſionem Indeterminatam; omnes* modi *erunt viginti novem. Ariſto vero Alexandrinus, & quidam recentiores Peripatetici obtrudunt inſuper quinque alios* modos *concluſionis generalis: tres in primâ figurâ & duos in ſecundâ, quorum*

Notæ.

unâquâque propoſitione ſubjectum prius enuntietur, attributum verò poſterius.

1. *Nam primam propoſitionem jungentes, & in infinitam colligentes, quam Illationem Indefinitam ſupervacaneum eſt tradere, cùm indefinita pro particulari, & hujuſdem futura ſit Modi, cujus Particularis, ut jam oſtendimus in primâ Formulâ. quod ſi quis velit geminari.*] MSS. Carnot. *Nam propoſitionem jungens indefinitam, colligenſque Illationem indefinitam. hoc ſuperfluum eſt tradere, cùm indefinita pro particulari accipiatur, & iidem futuri ſint Modi, qui ſunt ex particularibus. Item jam jam oſtendimus in primâ Formulâ quatuor. quos ſi quis velit geminare.* Hanc lectionem ſum amplexus, niſi quòd loco *jungens*, & *colligenſque* legendum potiùs cenſui *jungunt* & *colliguntque.*

2. *Erunt omnes novem & viginti.*] MSS. Carnot. *octo & viginti*, ut verum fatear, non ſatis mihi conſtat hæc Apuleii ſupputatio, ut utra lectio ſequenda ſit determinem.

3. *Ariſto autem Alexandrinus.*] Hujus meminit Laërtius in fine vitæ Zenonis Cittiei, aitque Peripateticum fuiſſe.

4. *Univerſalis Illationis.*] Sic MSS. Carnot. malè vulgati *Univerſales Illationes.*

5. *In primâ Formula tres.*] Duos nempè directos, *Barbara*, & *Celarent*, & unum indirectum. *Celarent.*

6. *In ſecundâ, duos.*] *Ceſare* & *Cameſtres.*

[1] pro quibus illi Particulares inferunt. quod perquam ineptum eſt, [2] cui plus conceſſum ſit, minus concludere. Omnes autem Modos in tribus eorum Formulis certos [3] nonniſi undeviginti eſſe, quos ſupra oſtendimus, comprobatur. [4] Quatuor ſunt Propoſitiones: [5] duæ particulares, duæ univerſales. Harum unaquæque, ut ait Ariſtoteles, [6] ut ſit ſubjecta ſibi, & aliis tribus præponatur, [7] quaternè ſcilicet conjungitur. atque ita ſenæ denæ Conjugationes in ſingulis Formulis erunt. [8] Harum ſex æqualiter in omnibus non valent. duæ quidem, cum [9] ex Abdicatvis [10] utravis alteram præcedit; quatuor au-

Interpretatio.

loco illi colligunt Particulares. quod eſt ineptiſſimum, illum, cui datum ſit plus, inferre minus. Demonſtratur vero eſſe tantum novemdecim modos certos in tribus eorum figuris, quos jam declaravimus. Quatuor ſunt Propoſitiones: duæ particulares, & duæ generales. Unaquaque earum, ſicut Ariſtoteles dicit, quatuor modis conjugatur, ita *ut ſupponatur ſibi ipſi, & ponatur ante tres alias. & ſic erunt in unaquaque Figurâ ſexdecim combinationes. Sex earum ex æquo inutiles ſunt in omnibus. duæ quidem, quando qualibet ex negativis propoſitionibus antecedit alteram: qua-*

Notæ.

1. *Pro quibus illi Particulares inferunt.*] Ut ſi in his duobus argumentis

Omne animal eſt vivens:	*Nullum animal eſt lapis*
Omnis homo eſt animal:	*Omnis homo eſt animal:*
Ergo omnis homo eſt vivens.	*Ergo nullus homo eſt lapis:*

Loco iſtarum Concluſionum inferrem has

Ergo aliquis homo eſt vivens.	*Ergo aliquis homo non eſt lapis.*

2. *Cui plus conceſſum.* Lipſius, *cùm plus conceſſum.*

3. *Nonniſi unum & viginti.*] Codices Carnot. *nonniſi undeviginti.* quæ germana eſt lectio. ſunt enim omninò novemdecim Modi, quos ſuperiùs expoſuimus.

4. *Sed quatuor ſunt propoſitiones.*] Dele *ſed*, ex fide MSS. Carnotenſium: ſic etiam ſenſus poſtulat. Hîc enim initium eſt demonſtrationis, proindéque malè incipias à *ſed.*

5. *Duæ Particulares, duæ Univerſales.*] Quas nos compendii ergò, ut in ſcholis, litteris deſignabimus, Univerſalem nempè Affirmativam A, Univerſalem Negativam E, Particularem Affirmantem I, Particularem Negantem O.

6. *Ut ſit ſubjecta aliis tribus, quaternæ ſcilicet conjungitur.*] Membranæ Carnot. *Ut ſit ſubjecta ſibi, & aliis tribus præponatur, quaternæ ſcilicet conjungitur.* quam lectionem ſic ſequor, ut tamen *quaternè* legam adverbialiter, non *quaternæ.*

7. *Quaternè ſcilicet conjungitur.*] Exempli causâ Propoſitio Univerſalis A ſic conjugetur, A, A: A, E: A, I: A, O. Idem ſi fiat in tribus aliis, erunt omninò ſenæ denæ combinationes, nempè:

A, A:	E, A:	I, A:	O, A:
A, E:	E, E:	I, E:	O, E:
A, I:	E, I:	I, I:	O, I:
A, O:	E, O:	I, O:	O, O:

8. *Harum ſex æqualiter in omnibus non valent.*] Immò ſeptem: nempè, E, E: E, O: O, E: I, I: I, O: O, I: & O, O: quæ quidem ultima Conjugatio duplici de causâ inutilis eſt, nempè & quia eſt ex duabus Negativis, & quia eſt ex duabus Particularibus.

9 *Ex Abdicativo.*] Lege juxtà codd. Carnot. *ex Abdicativis.*

10. *Utravis alteram præcedit.*] Addere debuit *& ſeipſam*, atque hac ratione

tem,[1] cum ex Particularibus utravis aut ſemet præcedit, aut alteri ſubditur. Nihil enim concludi poteſt ubicunque aut duæ Particulares ſunt, aut duæ Abdicativæ. Igitur remanent ſingulis Formulis [2] denæ Conjugationes. Porro ex his tam in primâ quam in ſecundâ Formulâ [3] duæ non valent,[4] cum univerſalis Dedicativa [5] particulari præponitur. Similiter & in primâ & tertiâ Formulâ [6] duæ repudiantur, quibus particularis Abdicativa utramvis Dedicativam [7] antecedit. Quo fit ut remaneant primæ formulæ [8] ſex Conjugationes [9] jam in novem modis: reliquis duabus Formulis adhuc octonæ.[10] ex quibus una in neutrâ pro-

Interpretatio.

tuor vero, quando qualibet ex Particularibus vel antecedit ſeipſam, vel ſubjungitur alteri. Nam nihil poteſt inferri quotieſcumque vel duæ Particulares ſunt, vel duæ Negativæ. Superſunt ergo unicuique Figuræ decem Combinationes. Cæterùm duæ ex illis ſunt inutiles tam in primâ Figurâ quam in ſecundâ, quando nempè *Univerſalis Affirmativa præcedit Particularem. Eodem modo in primâ & tertiâ Figurâ rejiciuntur duæ in quibus Particularis Negativa præponitur cuivis Affirmativæ. Unde efficitur ut ſuperſint ſex Combinationes primæ Figuræ ſed in novem modis: in aliis* autem *ambabus Figuris adhuc octo. quarum una in neutrâ valet, quando gene-*

Notæ.

præter Conjugationes O, E: & E, O: rejeciſſet O, O: quam mox rejicit, juxtà legem particularium, & E, E: quæ omninò rejicienda eſt, licèt hujus non meminerit. Regula eſt in ſcholis vulgata, *Ex duabus Negativis nihil infertur.*

1. *Cùm ex Particularibus utravis à ſemet præcedit.*] Reſtituo ex MSS. Carnot. *cùm ex Particularibus utravis aut ſemet præcedit, aut alteri ſubditur.* Regula in ſcholis: *Ex meris Particularibus nihil concluditur vi formæ.*

2. *Denæ Conjugationes.*] Immò novem tantùm, ſublatis nempè ſeptem, ut monui, non ſex, ut vult Apuleius.

3. *Duæ non valent.*] Ariſtotelicis I, A: & O, A: Apuleio A, I: & A, O. Ratio eſt in primâ Figurâ, quia majore Particulari exiſtente, non diſtribuitur medius terminus: in ſecundâ verò, quia procederetur à non diſtributo ad diſtributum.

4. *Cùm Univerſalis Dedicativa Particulari præponitur.*] Juxtà Apuleium, at poſtponitur juxta Ariſtotelem, ut jam monui.

5. *Particulari.*] Sive Affirmativæ, ſive Negativæ.

6. *Duæ repudiantur.*] A, O: & I, O:

7. *Antecedit.*] Secundùm Ariſtotelem verò, ſequitur.

8. *Sex Conjugationes.*] Quas jam ſuperiùs recenſuimus A, A: E, A: A, I: E, I: in Modis directis, & præter has A, E: & I, E: in indirectis; quas Conjugationes ubique invertit Apuleius, ut ſæpiùs monui.

9. *Jam in novem Formulis adhuc octonæ.*] Corruptus locus, & codicum Carnotenſium auxilio ſic reſtituendus, ſublatâque interpunctione, cum præcedentibus jungendus. *Quo fit ut remaneant primæ Formulæ ſex Conjugationes jam in novem Modis: reliquis duabus Formulis adhuc octonæ.*

10. *Ex quibus una in neutrâ probatur.*] I, E: Apul. E, I: ratio eſt in ſecundâ Figurâ, quòd in eâ ex Majore particulari nihil concluditur, ne ſcilicet procedatur à non diſtributo ad diſtributum. In tertiâ verò, quoniam in eâ ex Minore Negativâ nihil ſequitur, aliàs majus extremum, quod in Majore Affirmativâ non diſtribuebatur, diſtributum inveniretur in Concluſione, utpote negativâ, ſicque à non diſtributo procederetur ad diſtributum.

batur, cum univerſalis Abdicativa præcedit particularem Dedicativam. ex his ſeptenis quæ ſuperſunt, [1] jam propriæ ſunt in ſecundâ Formulâ quatuor falſæ: cum univerſalis Dedicativa vel ſibimet ipſa, vel Particulari ſuæ utrovis loco jungitur: vel cum præcedit altera. [2] Item propriæ in tertiâ Formulâ duæ non valent: cùm utravis Abdicativa univerſali Dedicativæ præponitur. reliquas certas eſſe tres in ſecundâ: quinque in tertiâ Formulâ ſuprà oſtendimus, cum eas ad ſex Conjugationes primæ Formulæ redigeremus. Igitur [3] ex quadraginta octo conjugationibus, quatuordecim ſolæ probantur. Cæteræ triginta quatuor, quas enumeravi, meritò repudiantur, quia poſſunt ex veris falſa concludere. quod facile eſt experiri per illas quinque ſupradictas ſignificationes [4] Generis proprietatis &c. At ex illis quatuordecim quas proba-

Interpretatio.

ralis Negativa præponitur particulari Affirmativæ. jam vero *harum ſeptem* Combinationum *quæ reſtant, ſunt quatuor peculariter falſæ in ſecundâ Figurâ: quando* nempe *univerſalis Affirmativa conjugatur aut ſecum, aut cum ſuâ Particulari, atque hoc quolibet ordine: aut quando altera præponitur. Præterea duæ particulariter inutiles ſunt in tertiâ Figurâ. quando utralibet Negativa præcedit univerſalem Affirmativam. demonſtravimus ſuperius ſupereſſe tres* Combinationes *certas in ſecundâ Figurâ, quinque vero in tertiâ, quando reducebamus eas ad ſex Combinationes primæ Figuræ. Ergo ex quadraginta octo Combinationibus, quatuordecim tantum valent. Reliquæ triginta quatuor quas recenſui, jure rejiciuntur, quoniam poſſunt inferre falſa ex veris. quod facile poteſt probari in illis quinque prædictis ſignificationibus. Generis, Proprietatis, &c. Verum ipſæ concluſiones oſtendunt non plures mo-*

Notæ.

1. *Jam propriæ ſunt in ſecundâ Formulâ quatuor falſæ, cùm Univerſalis &c.*] Tres tantùm video, A, A: A, I: & I, A: niſi ipſam A, A: in duas ſecet, invertendo ordinem Propoſitionum, ut, quæ Major erat, ſit Minor, & vice verſâ, fiantque Conjugationes A, a: & a, A: quod videntur innuere hæc verba inferiùs ſcripta, *vel cùm præcedit altera*, quæ, ut verum fatear non omninò intelligo. Ratio autem cur excludantur eæ combinationes à ſecundâ Figurâ, hæc eſt: *Ex puris Affirmativis nihil ſequitur in ſecundâ Figurâ.* cùm enim medius terminus in eâ ſit prædicatum utriuſque Præmiſſæ, ſi eæ ambæ Affirmativæ forent, in neutrâ diſtribueretur, ut patet ex iis, quæ ſuprà diximus, ubi de Converſione Propoſitionum egimus.

2. *Item propriæ in tertiâ Formulâ duæ non valent, cùm utravis Abdicativa, &c.*] Hæ duæ ſunt A, E: & A, O: Apuleio E, A: & O, A: ſuprà autem & ipſam I, E: tum à tertiâ hac Figurâ, tum à ſecundâ removit. Ratio autem cur A, E: & A, O: non valeant in tertiâ Figurâ, eſt quia *in eâ ex Minore Negante nihil ſequitur.* ſi enim Minor ſit Negans, in Concluſione, quæ negans etiam erit, majus extremum diſtribuetur, quod tamen in Majori, cujus erat prædicatum, diſtributum non fuit: ſiquidem ea debuit eſſe Affirmativa Propoſitio, ſicque procederetur à non diſtributo ad Diſtributum.

3. *Ex quadraginta octo Conjugationibus.*] Cùm ſexdecim fieri poſſint in unaquaque Figurâ, treſque Figuræ ſint, ter ſexdecim poſſunt fieri, hoc eſt, quadraginta octo.

4. *Generis Proprietatis.*] Videntur hæ-

vimus, non plures quàm prædictum eſt Modos fieri, [1] docent ipſæ Illationes; [2] ut tum directim ſumantur, tum reflexim, quouſque ipſa veritas paſſa eſt. propterea eorum non poteſt numetus augeri.

INTERPRETATIO.

dos, quam ſuperius dictum eſt, effici ex his quatuordecim Combinationibus *quas demonſtravimus; ſive* illæ conclusiones *capiantur directè, ſive inversè, quatenus ipſa veritas ſinit. ideo numerus eorum nequit augeri.*

NOTÆ.

voces à manu Gloſſatoris eſſe in fine. Certè MS. Carnor. 1. eas ignorat licèt in ſecundo reperiantur. Si tamen retinere eas vis, adde *&c.* ut legatur *Generis, proprietatis, &c.* hoc eſt generis, proprietatis, differentiæ, definitionis, & accidentis.

1. *Docent cauſa Illationes.*] MSS. Carnot. *docent ipſa Illationes.* benè.

2. *Ut cùm directim ſumitur, tùm reflexim.*] MS. 1. *ut tùm directim ſumatur, tùm reflexim*, ubi malim *ſumantur.*

LUCII APULEII
MADAURENSIS PLATONICI
LIBER
DE
DEO SOCRATIS.

[1] PLATO omnem naturam rerum, quod ejus ad animalia præcipuè pertineat,[2] trifariam diviſit: cenſuitque eſſe [3] Deos ſecundum ſummum, medium, & infimum. Fac intelligas non modò Loci diſcluſione, verum etiam Naturæ dignitate: quæ & ipſa neque uno, neque gemino modo, ſed pluribus diſcernitur. Ordiri tamen manifeſtius fuit à loci diſpoſitione. Nam proinde ut majeſtas poſtulabat, Diis immortalibus Cœlum dicavit. quos quidem Deos cælites partim viſu uſurpamus; alios intellectu veſtigamus. Ac viſu quidem cernimus

INTERPRETATIO.

PLATO diſtribuit in tres partes totam naturam rerum. præſertim illud ex ipſâ quod ſpectat ad animalia: & exiſtimavit exiſtere Deos juxta ſummum, medium, & imum. Intellige non tantum ſeparatione Loci, ſed præſtantiâ quoque Naturæ: quæ etiam diſtinguitur non unâ ratione, neque duabus, ſed multis. At fuit clarius incipere à ſitu loci: Etenim aſſignavit Cœlum Diis Immortalibus, prout eorum *dignitas poſcebat. quorum quidem Deorum Cæleſtium alios aſſequimur oculorum acie, alios indagamus mente. Et intuemur quidem oculis*

NOTÆ.

LIBRI hujus ſub hoc nomine meminerunt D. Auguſtinus *De Civitate Dei*, lib. 8. cap. 14. Priſcianus Grammaticus, lib. 10. Joannes Sariſberienſis, lib 6. *De Nugis Curialium*, cap. 28. & alii multi.

1. *Plato omnem Naturam.*] Malè hic liber incipit in multis editionibus ab eo fragmento, cujus initium eſt, *Qui me voluiſtis dicere, &c.* quod ad Floridorum finem rejeci, auctoribus Lipſio, Elect. l. 2. c. 21. Pithœo, Adverſar. l. 2. cap. 10. & VVovverio. MS. codex Bibliothecæ tùm Thuanæ, nunc Menarſianæ à D. *Queſnel* mihi communicatus, tractatum hunc continens, ab eo quoque Fragmento incipit. Ejus porrò MS. ope non pauca toto hoc Opuſculo emendata invenies.

2. *Trifariàm diviſit.*] In Timæo, cujus locum retulimus ad lib. *de Philoſophiá Naturali.*

3. *Deos ſecundùm ſummum, medium, & infimum.*] Diviſionem hanc expli-

Vos,

[1] Vos, ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum.

Nec modò iſta præcipua: Solem diei opificem, Lunamque Solis æmulam, noctis decus: [2] ſeu corniculata, ſeu dividua, ſeu protumida, ſeu plena ſit: variâ ignium face: quantò longiùs faceſſat à Sole, tantò longiùs colluſtrata: pari incremento itineris & luminis, menſem ſuis auctibus, ac dehinc paribus diſpendiis æſtimans: ſive illa proprio, ſeu perpeti candore, ut Chaldæi arbitrantur, parte luminis compos, parte alterâ caſſa fulgoris, [3] circumverſione oris diſcoloris multijugâ pollens, ſpeciem ſui variat: ſeu tota proprii candoris expers, alienæ

INTERPRETATIO.

Vos, ô ſplendidiſſimæ lampades orbis, quæ agitis per Cœlum annum currentem.

Neque tantùm hos Principes Deos *: Solem patrem diei, & Lunam imitatricem Solis, honorem Noctis: ſive ſit falcata, ſive dimidia, ſive gibboſa, ſive rotunda: ſplendore luminis diverſo: eò impenſiùs illuminata, quo diſcedit longiùs à Sole: æquali augmento viæ ac lucis, definiens menſem ſuis incrementis, ac deinde æqualibus decrementis: ſeu illa* habens *alborem proprium ac permanentem, ut Chaldæi exiſtimant*, dimidiâ ſui *parte luce prædita, alterâ parte carens ſplendore, habens multiplicem converſionem faciei ſuæ diſcoloris, mutat ſuos vultus; ſive omninò deſtituta propriâ albe-*

NOTÆ.

cat ipſe Apuleius, l. *de Philoſophiâ Naturali*, his verbis: *Deorum trinas nuncupat ſpecies, &c.* vide locum, pag. 583.

1. *Vos, ô clariſſima mundi lumina*, Deſumpta hæc ex lib. 1. Georgic. Virgilii.

2. *Seu corniculata, ſeu dividua, ſeu protumida.* &c.] Hæc & multa alia, quæ ſequuntur, ex Platonis Epinomide deſumpta ſunt.

3. *Circumverſione oris diſcoloris multijuga pollens, &c.*] Hanc hypotheſin ſic exponit Lucretius, lib. 5.

Eſt etiam quare proprio cùm lumine poſſit
Volvier, & varias ſplendoris reddere formas,
Corpus enim licèt eſſe aliud, quod fertur, & unà
Labitur omnimodis occurſans, officiens'que,
Nec potis eſt cerni, quia caſſum lumine fertur:
Verſarique poteſt, globus ut, ſi fortè, pilai
Dimidiâ ex parti candenti lumine tinctus:
Verſandoque globum variantes edere formas,
Donicum eam partem, quæcumque eſt ignibus aucta,
Ad ſpeciem vertit nobis, oculoſque patentes:
Inde minutatim retrò contorquet, & aufert
Luciferam partem glomeraminis, atque pilaï:
Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans
Aſtrologorum artem contra convincere tendit.

Ubi obiter obſerva Lucretium opinionem hanc non Chaldæis tribuere, ſed Babyloniis Chaldæos refutantibus. Cæterùm eam refellunt Lunæ Eclipſes, in quibus ea quantumvis totâ facie nobis obverſâ ſplendens, ubi primùm in terræ umbram incidit, obſcuratur paulatim, & prout illam umbram ingreditur: quod fieri minimè poſſet, ſi lumen ſuum facies illa Lunæ ex ſeſe haberet.

lucis indiga, denſo corpore, ſeu lævi ceu quodam ſpeculo [1] radios Solis obſtiti vel adverſi uſurpat, &, ut verbis utar Lucretii,

[2] *Notham jactat de corpore lucem.*

Utra harum vera ſententia eſt, nam hoc poſteà videro, tamen neque de Lunâ, neque de Sole quiſquam Græcus aut Barbarus non facilè conjectaverit Deos eſſe: nec modò iſtos, ut dixi, verùm etiam quinque Stellas, [3] quæ vulgò Vagæ ab imperitis nuncupantur: quæ tamen indeflexo & certo & ſtato curſu meatus longè ordinatiſſimos divinis vicibus æternos efficiunt, [4] variâ quidem curriculi ſui ſpecie, ſed unâ ſemper & æquabili pernicitate, [5] tum progreſſus, tum verò regreſſus mirabili viciſſitudine aſſimilant pro ſitu & flexu, & [6] obſtito Circulorum, quos probè callet qui Signorum ortus & obitus

INTERPRETATIO.

dine, & egens alieno lumine, corpore opaco, vel polito tanquam aliquo ſpeculo excipit radios Solis obliqui, vel recta *oppoſiti, atque, ut adhibeam verba Lucretii*,

Vibrat adulterinum lumen ex ſuo corpore.

Utravis harum opinionum vera ſit, hoc enim expendam infrà, certè, quantum ad Lunam & ad Solem, nemo Graius vel Barbarus non conjecerit facilè eos eſſe Deos; neque tantùm hos, ſicut dixi, aſt quinque etiam Aſtra, quæ vulgò appellantur Errantia ab indoctis: quæ nihilominus ſuo circuitu recto & certo & conſtante faciunt ſibi *tranſitus quàm optimè diſpoſitos*, per quos obeant *perpetuò* ſuos *divinos curſus, diverſâ quidem apparentiâ ſui curſûs, verùm eâdem ſemper & æquali celeritate repræſentant mutatione admirandâ, modò progreſſiones, modò autem regreſſiones, ſecundùm poſituram, & curvaturam, & obliquitatem Circulorum, quos ille optimè novit, qui didicit ortus, & oc-*

NOTÆ.

1. *Radios Solis obſtiti vel adverſi uſurpat.*] Ita Scaliger legendum cenſuit. *Obſtitus Sol* eſt obliquo aſpectu Lunam reſpiciens. *Obſtitum* Feſto, *obliquum.* Lucret.

Et libella aliquâ ſi ex parti claudicat hilum,
Omnia mendoſè fieri, atque obſtita, neceſſe eſt.

Ennius, lib. 18 à Feſto. laudatus:

Montibus obſtitis obſtantibus, unde oritur nox.

Noſter paulò infrà: *pro ſitu, & flexu, & obſtito Circulorum.*

2. *Notham jactat de corpore lucem.*] Ad hos Lucretii verſus reſpexit, qui leguntur lib. 5.

Lunaque ſive notho fertur loca lumine luſtrans,
Sive ſuam proprio jactat de corpore lucem.

3. *Quæ vulgò Vagæ ab imperitis nuncupantur: quæ tamen, &c.*] Noſter, in lib. de Philoſophiâ Naturali: *Solis quippè & Lunæ globum hoc agere, cæteraſque Stellas, quas nos non rectè Erroneas & Vagas dicimus, &c.* Cic. lib. 1. Quæſt. Tuſcul. *Aſtra ſuſpeximus, tùm ea, quæ ſunt infixa certis locis, tùm illa non re ſed verbo Errantia. Archimedes Lunæ, Solis, quinque Errantium motus in Sphæram collegit.*

4. *Variâ quidem.*] MS. Thuan. *variâ quippè.*

5. *Tùm progreſſus, tùm verò regreſſus, &c. aſſimilant pro ſitu, & flexu, &c.*] Progreſſus, ſtationes, & retrogreſſiones Planetarum Veneris, Mercurii & Martis innuit, quas Ptolemaïca hypotheſis nonniſi magnis Deferentium & Epicyclorum ambagibus, Copernicana ſimpliciſſimè ac nullo negotio explicat.

6. *Et obſtito Circulorum.*] *Obliquo Circulorum.* ſuprà: *radios Solis obſtiti, vel adverſi uſurpat.*

comperit. In eodem viſibilium Deorum numero, cætera quoque ſidera, qui cum Platone ſentis, locato,

[1] *Arcturum*, [2] *pluviaſque Hyadas*, [3] *geminoſque Triones*,

alioſque itidem radiantes Deos, quibus [4] Cœli chorum comptum & coronatum ſudâ tempeſtate viſimus, pictis noctibus ſeverâ gratiâ, torvo decore: ſuſpicientes in hoc perfectiſſimo Mundi, ut ait Ennius, clypeo, miris fulgoribus variata cælamina. Eſt aliud genus Deorum, [5] quod Natura viſibus noſtris denegavit, nec non tamen intellectu eos [6] mirabundi contemplamur, acie mentis acriùs contemplantes. Quorum in numero ſunt illi duodecim numero, ſitu nominum in duos verſus ab Ennio coartati:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo,

INTERPRETATIO.

caſus Aſtrorum. Tu, *qui Platonem ſequeris, repone in eodem numero Deorum conſpicuorum,*

Arcturum, & Hyadas Pluvioſas, & ambas Arctos:

ſimiliterque alios Deos fulgentes, quibus cernimus cœleſtem Cœtum ornatum & cinctum ſereno tempore, cùm noctes pictæ ſunt triſti amœnitate truci venuſtate: intuentes cælaturas diſtinctas ſplendoribus admirabilibus in illo præſtantiſſimo ſcuto Mundi, ut inquit Ennius. Eſt alia ſpecies Deorum, quam Naturæ removit à noſtro conſpectu, & tamen ſtupentes intuemur eos cogitatione, conſiderantes eos attentiùs oculis animi. In quorum numero ſunt hi duodecim, comprehenſi duobus verſibus ab Ennio, nominibus eorum aptè inter ſe *diſpoſitis:*

Juno, Veſta, Pallas, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Juppiter, Neptunus, Vulcanus, Phœbus,

NOTÆ.

1. *Arcturum, pluviaſque Hyadas, &c.*] Verſum hunc Fulvius Urſinus aptè repoſuit, lacunæ explendæ causâ. Deſumptus eſt ex lib. 3. Æneid. Fulvii conjecturam probant MSS. Leid excerpta Batav. & Florent. in quibus legitur,

Arcturum, Phiotum, geminoſque Triones.

Arcturus porrò ſtella eſt in Signo Bootæ, poſt majoris Urſæ caudam, a quâ etiam nomen traxit. eſt enim ἄρκτος Græcis *Urſa*, & οὐρὰ *cauda*.

2. *Pluviaſque Hyadas.*] Hyades ſeptem ſunt ſtellæ in capite Tauri. De his Ovid. Faſt. lib. 6.

Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

Veteres Latini Hyadas verterunt *Suculas*, ut obſervat Tiro Ciceronis libertus, apud A. Gellium nomen derivantes ἀπὸ τῶν ὑῶν *à ſuibus*, non autem ἀπὸ τοῦ ὕειν *à pluendo*, quod tamen verum eſt ejus etymon.

3. *Geminoſque Triones.*] Utramque Urſam, majorem & minorem.

4. *Cœli chorum.*] Plato, in Epinomide χορείαν πάντων χορῶν καλλίστην καὶ μεγαλοπρεπεστάτην dixit.

5. *Quod Natura viſibus noſtris denegavit.*] Ex his tamen, quos infrà Ennianis verſibus contentos referet, ſex ſunt viſibiles, Diana nempè, cui Luna: Venus, cui ſtella Phoſphorus, ſeu Lucifer: Mars, cui ſtella Pyroïs: Mercurius, cui proximus Solis Planetes: Jupiter, cui ſtella cognominis: & Apollo, cui Sol vulgò tribuitur.

6. *Mirabundi.*] MS. Thuan. *rimabundi.*

7. *Jovis.*] Antiquus nominativus, cu-

cæterique id genus, quorum nomina quidem ſunt noſtris auribus jam diu cognita: potentiæ verò animis conjectatæ, per varias utilitates in vitâ agendâ animadverſæ in iis rebus, quibus eorum ſinguli curant. Cæterùm profana Philoſophiæ turba imperitorum, vana ſanctitudinis, [1] priva veræ rationis, inops religionis, impos veritatis, [2] ſcrupuloſiſſimo cultu, inſolentiſſimo ſpretu Deos negligit; pars in ſuperſtitionem, pars in contemptum [3] timida, vel tumida. Hos namque cunctos Deos, in ſublimi ætheris vertice locatos, ab humanâ contagione procul diſcretos, plurimi, ſed non ritè, venerantur; omnes, ſed inſciè, metuunt: pauci, ſed impiè, diffitentur. [4] Quos Deos Plato exiſtimat naturas incorporales, animales, neque fine ullo, [5] neque exordio, ſed prorsùs

INTERPRETATIO.

aliique ejuſmodi, quorum vocabula ſunt quidem jam dudum nota noſtris auribus. virtutes autem, quas conjicimus mentibus, inter vivendum comperta ob diverſa commoda in illis rebus, quarum unuſquiſque eorum curam gerit. Porro multitudo ignarorum, quæ rejicitur *à Philoſophiâ* tanquam *profana, cujus ſanctitas eſt falſa, quæ caret rectâ ratione, quæ eſt religionis vacua, quæ non poteſt aſſequi veritatem, Deos inhoneſtat cultu ſuperſtitioſiſſimo*, aut *contemptu impudentiſſimo, dum alii meticuloſi* ſunt *ex ſuperſtitione, alii verò turgidi ex* eorum *ſpretu. Etenim permulti colunt hos omnes Deos reſidentes in alto cacumine Cœli, longè remotos à contagio hominum, verùm* eos colunt *illegitimo cultu; univerſi eos timent, ſed imperitè: pauci negant* eos exiſtere, *ſed irreligiosè* faciunt. *Quos Deos Plato arbitratur eſſe ſubſtantias incorporeas, animatas, abſque ullo fine atque principio, verùm æternas antè*

NOTÆ.

jus obliqui caſus in uſu ſunt, cùm ipſe obſoleverit, ſeu potiùs in unam vocem coaluerit cum voce *pater*. ut factum ex utrâque fuerit vocabulum *Jupiter*.

1. *Priva veræ rationis*] Feſti breviator Paulus: *privos privaſque antiqui dicebant pro ſingulis. ob quam cauſam & privata dicuntur, quæ uniuſcujuſque ſint.* Hinc & *privilegium* & *privatus*. Dicimus tamen & *privatum*, *cui aliquid eſt ademptum*. Plautus, Pſeudolo, Act. 3. Scen. 2.

His diſcipulis privos cuſtodes dabo.

Hinc *privata* potiùs quàm *priva* hoc loco legendum videtur, potuit tamen Apuleius hanc vocem eodem ſenſu uſurpare, quæ eſt ejus in abutendis vocabulis licentia.

2. *Scrupuloſiſſimo cultu, inſolentiſſimo ſpretu.*] Hæc disjunctivè intellige, quaſi ſcriptum ſit: *alii ſcrupuloſiſſimo cultu, alii inſolentiſſimo ſpretu.*

3. *Timida, vel tumida.*] Timida nempè in ſuperſtitionem, vel tumida in contemptum.

4. *Quos Deos Plato exiſtimat Naturas incorporales.*] Contrarium habet Plato, in Epinom. νομίσαι ᾗ δὴ δεῖ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν ταῦτα εἶναι ζώων γένη· ὃ δὴ πᾶν χρὴ φάναι θεῖον γένος ἄστρων γεγονέναι, σώματος μὲν τυχὸν καλλίστου, ψυχῆς δ' εὐδαιμονεστάτης τε καὶ ἀρίστης. *hæc cœleſtia putamus animalia eſſe, divinum aſtrorum genus, corpore pulcherrimo, animâque beatiſſima & optimâ conſtitutum.* Et in Timæo, corpora eis maximâ ex parte ignea tribuit. Pro *Naturâ*, quod in vulgatis eſt, repoſui ex MS. Thuano *Naturas*.

5. *Neque exordio.*] Plato tamen prædictis locis ortum Diis & initium aſſignat quin & in Timæo diſertis verbis affirmat, non ex ſuorum corporum naturâ eſſe eos immortales & indiſſolubiles, ſed ex ſupremi Creatoris voluntate, quæ ipſis majus præſtantiuſque vinculum futurum ſit ad vitæ cuſtodiam, quam nexus illi, quibus fuerunt tunc, cùm gignebantur, colligati.

ac retrò æviternas, corporis contagione [1] ſuâpte naturâ remotas, ingenio ad ſummam beatitudinem perfecto, nullius extrarii boni participatione, ſed ex ſeſe bonas, & ad omnia competentia ſibi promptu facili, ſimplici, libero & abſoluto. quorum parentem, qui omnium rerum dominator atque auctor eſt, ſolutum ab omnibus nexibus patiendi aliquid gerendive, nullâ vice ad alicujus rei munia obſtrictum cur ego nunc dicere exordiar? [2] cùm Plato cœleſti facundiâ præditus, æquiparabilia Diis immortalibus diſſerens, frequentiſſimè prædicet, hunc ſolum majeſtatis incredibili quâdam nimietate & ineffabili, non poſſe penuriâ ſermonis humani quâvis oratione vel modicè comprehendi, vix [3] ſapientibus viris, cùm ſe vigore animi, quantùm licuit, à corpore ſemoverunt, intellectum hujus Dei: id quoque interdum velut in artiſſimis tenebris, rapidiſſimo coruſcamine lumen candidum intermicare. Miſſum igitur hunc locum faciam, in quo non mihi quidem tantùm, ſed ne Platoni quidem meo quiverunt ulla verba pro amplitudine rei ſuppetere: [4] ac jam in rebus mediocritatem meam & quidem longè ſuperantibus, receptui canam, tandemque orationem de

INTERPRETATIO.

& poſt, diſcretas propriâ ſuâ naturâ à contagio corporis, mente factâ ad ſupremam felicitatem, bonas, non communicatione ullius boni externi, verùm ex ſe ipſis, & quibus univerſa ſibi convenientia ſuppetunt facilè, ſimpliciter, liberè, & perfectè. de quorum patre, qui eſt dominus & creator cunctarum rerum, quique eſt liber ab omni neceſſitate quidpiam agendi vel tolerandi, nullo ordine obligatus ad obeunda *officia rei cujuſquam, quare nunc incipiam loqui? quandoquidem Plato inſtructus divina eloquentiâ verba faciens digna Diis immortalibus, ſæpiſſimè affirmat hunc unum, ob incredibilem & inexplicabilem exuberantiam Majeſtatis, non poſſe attingi ſaltem mediocriter ullo ſermone, propter inopiam humanæ orationis, vix ſapientibus viris* obtingere *cognitionem hujus Dei,* etiam *quando ſecreverunt ſe à corpore quàm maximè potuerunt acie mentis: atque eam* cognitionem *interlucere aliquando, quemadmodum lux alba* interlucet *in profundiſſimâ obſcuritate fulgore celerrimo. Omittam ergo hunc locum, in quo voces omnes non modò mihi* deſunt, *verùm ne potuerunt quidem ſufficere Platoni meo* magiſtro, *prout amplitudo rei poſtulabat: & jam canam receptui in rebus excedentibus meam tenuitatem longo intervallo, ac demùm deducam meum ſermonem ex*

NOTÆ.

1. *Suaque natura.*] Lege meo periculo *ſuapte.*

2 *Cùm Plato, &c. prædicet hunc, &c. non poſſe, &c. quàvis oratione vel modicè comprehendi vix aptentibus viris, &c*] Ex Timæo Platonis Noſter, lib. de Philoſophiâ Naturali: *Quem quidem (Deum) cœleſtem pronunciat, (Plato) indictum, innominabilem, &, ut ipſe ait, ἄῤῥητον, ἀκατονόμαστον, &c.*

3. *A ſapientibus.*] Tolle, *à* ſuadente MS. Thuano.

4. *Ac am. &c.*] Ita inveni manu correctum in meo exemplari Elmenhorſtiano, pro eo quod eſt in vulgatis, *quid igitur faciam*, &c. quod ideò amplexus ſum, quia jam ſuprà interrogatio ſimilis præceſſit, cui ſuam cœpit jam addere ſubjectionem. *Miſſum igitur, &c.*

cœlo in terram devocabo. in quâ præcipuum animal Homines ſumus, quanquam plerique ſe, incuriâ [1] bellæ diſciplinæ, ita depravârunt omnibus erroribus, [2] ac piacularibus ſceleribus imbuerunt, [3] & propè exeſâ manſuetudine generis immanè efferârunt; ut poſſit videri nullum animal in terris Homine [4] poſtremius. Sed nunc non de errorum diſputatione, ſed de Naturæ diſtributione diſſeramus.

Igitur homines [5] ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, levibus & anxiis mentibus, brutis & obnoxiis corporibus, diſſimillimis moribus, ſimillimis erroribus, pervicaci audaciâ, pertinaci ſpe, caſſo labore, Fortunâ caducâ, ſingillatim mortales, [6] cuncti tamen univerſo genere perpetui, viciſſim ſufficiendâ prole mutabiles, volucri tempore, tardâ ſapientiâ, citâ morte, querulâ vitâ terras incolunt. [7] Habetis interim bina animalia: Deos ab hominibus plurimùm differentes, loci ſublimitate, vitæ perpetuitate, naturæ perfectione, nullo inter ſe propinquo communicatu; [8] cùm ea ha-

INTERPRETATIO.

cœlo in terram, in quâ nos *Homines ſumus primarium animal, quamvis maxima pars, negligentiâ bonæ inſtitutionis, ſic ſe corruperunt, impleverunt*que *cunctis erroribus, & criminibus atrociſſimis, ſicque crudeliter feroces evaſerunt, propè conſumptâ lenitate ſuæ naturæ; ut nullum animal queat reperiri in terris vilius Homine. At jam agamus, non de diſceptatione errorum, ſed de diviſione Naturæ.*

Ergo homines habitant tellurem præditi ratione, valentes ſermone, mentibus immortalibus, corporibus mortalibus, animis futilibus & ſollicitis, corporibus ſtupidis & infirmis, vitâ maximè diſpari, erroribus valdè paribus, temeritate pertinaci, ſpe obſtinatâ, labore vano, fluxâ ſorte, ſinguli mortales, omnes tamen æterni in totâ ſuâ *ſpecie*, in hoc *mutabiles, quòd ſubſtituant alternis ſobolem* in ſuum locum, *celeri ævo, lentâ prudentiâ, properâ morte, vitâ querulâ. Intereà ecce vobis duo genera animalium, Deos* nempè *permultùm diſcrepantes ab hominibus, altitudine habitationis, æternitate vitæ, præſtantiâ Naturæ, nullam habentes cum iis communicationem proximam: cùm*

NOTÆ.

1. *Bellæ.*] Deeſt in MS. Thuano.

2. *Ac piacularibus ſceleribus.*] Piaculum & piaculare ſcelus eſt, propter quod expiatio debetur, teſte Servio, ad hunc verſum lib. 6. Æneid.

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

3. *Et propè exeſâ manſuetudine, &c.*] Quid, ſi legas *exoſâ?* ſic omninò ſcriptum fuiſſe nullus dubito.

4. *Poſtremius.*] Nomini *poſtremus*, quod ſuperlativi gradûs eſt, alios gradus tribuit noſter, hîc comparativum, in Apologiâ ſuperlativum. *Cum adoleſcentulis poſtremiſſimis inter ſcorta & pocula puer hoc ævi convivium agitat.*

5. *Ratione plaudentes, oratione pollentes.*] Sic legitur hic locus apud D. Auguſtin. de Civit. Dei, lib. 9. cap. 8. Colvius malebat *ratione cluentes.* Lud. Vives, *ratione gaudentes.* VVovver. invertenda verba arbitratur, & legendum, *ratione pollentes, oratione plaudentes.*

6. *Cuncti tamen univerſo genere perpetui.*] Ex Platone, lib. 4. de Legibus.

7. *Habetis interim bina animalia, &c.*] Vide Divum Auguſtinum, lib. 9. cap. 12. de Civitate Dei.

8. *Cùm ea habitacula, &c.*] Locum hunc aliter paulò legit Priſcianus l. 10.

bitacula ſumma ab infimis tanta intercapedo faſtigii diſpeſcat, & vivacitas illic æterna & indefecta ſit; hîc caduca & ſubciſiva: & [1] ingenia illa ad beatitudinem ſublimata ſint; hæc ad miſerias infimata. Quid igitur? nullo-ne connexu Natura ſe vinxit, ſed in divinam & humanam partem ſejugatam eampſe, interruptam, & veluti debilem paſſa eſt? Nam, [2] ut idem Plato ait, Nullus Deus miſcetur hominibus. ſed hoc præcipuum eorum ſublimitatis ſpecimen eſt, [3] quòd nullâ adtrectatione noſtrâ contaminantur. Pars eorum tantummodò obtutu hebeti viſuntur; ut Sidera: de quorum adhuc & magitudine & coloribus homines ambigunt. [4] cæteri autem ſolo intellectu, neque prompto, noſcuntur. Quod quidem mirari ſuper Diis immortalibus nequaquàm congruerit; cùm alioquin & inter homines, qui Fortunæ munere opulentiâ elatus, & uſque ad regni nutabilem ſuggeſtum & pendulum tribunal evectus eſt, [5] raró aditus, & longè remotis arbitris, in quibuſdam dignitatis ſuæ penetralibus degens. Parit enim converſatio contemptum, [6] raritas conciliat ipſa rebus admirationem. Quid

INTERPRETATIO.

illæ ſupremæ ſedes dirimantur ab imis tanto intervallo altitudinis, & illic vita ſit perpetua & nunquam deficiens; hic verò fluxa & interrupta: atque illæ mentes ſint erectæ ad felicitatem; hæ verò depreſſæ ad calamitates. Quid ergo? an Natura nullo vinculo ſeipſam connexuit, ſed reliquit ſe diviſam in partem Deorum, & in partem hominum, atque ideò *interruptam, & quaſi mancam! Ut enim idem Plato dicit, Nullus Deus converſatur cum hominibus. verùm hoc eſt præcipuum argumentum eorum celſitudinis, quòd non inquinentur ullo contactu noſtro. Quidam ex illis conſpiciuntur ſolùm viſu debili, putà Aſtra, de quorum mole & coloribus homines etiamnum dubitant. reliqui verò percipiuntur tantùm cogitatione, eâque non facili. Quod ſanè minimè mirandum eſt in Diis immortalibus, cùm aliàs ex hominibus quoque qui evectus eſt beneficio Fortunæ, & elatus uſque ad ſolium vacillans, & thronum pendentem regni, raro conveniatur, & ſemotis procul teſtibus vivat in quibuſdam receſſibus ſuæ majeſtatis. Nam familiaritas creat contemptum, raritas parit admirationem. Quid*

NOTÆ.

Diſpeſco, inquit, *diſpeſcui, quod ponit Apuleius in Dialogo, qui eſt de Deo Socratis:* cùm habitacula ſumma ab infimis tantâ intercapedine diſpeſcant, *id eſt, diſtent.*

1. *Ingenia illa ad beatitudinem ſublimata ſint, hæc ad miſerias infimata.*] Noſter, lib. 1. Metamorph. *Manes ſublimare, Deos infimare.*

2. *Ut idem Plato ait, nullus Deus miſcetur hominibus.*] In Convivio: θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται. *Deus verò non miſcetur homini.*

3. *Quod nullâ attrectatione noſtrâ contaminantur.*] Deos Plato à contrectatione removet rerum humanarum; non autem ab earum curâ. nam in Epinom. dicit, *Deos rerum omnium maximarum ſimul & minimarum curam habere.*

4. *Cæteri autem.*] Ut Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Neptunus, Vulcanus, Tethys, & reliqui, quibus aſtra aſſignata non ſunt.

5. *Raró aditus.*] Supple *ſit*, ita ut *aditus* participium paſſivum ſit verbi *adeo*, &, *raró aditus ſit*, idem ſit ac *raró adeatur.*

6. *Raritas conciliat ipſa rebus admirationem.*] MS. Thu. non habet: *ipſa rebus.*

igitur (orator objecerit aliquis) poſt iſtam, cœleſtem quidem [1] ſed pœnè inhumanam tuam ſententiam, faciam ? ſi omninò homines à Diis immortalibus procul repelluntur, atque ita in hæc terræ Tartara relegantur, ut omnis ſit illis adverſus cœleſtes Deos communio denegata : nec quiſquam eos è cœlitum numero, velut paſtor, vel equiſo, vel bubſequa ceu balantium, vel hinnientium, vel mugientium greges interviſat, qui ferocibus moderetur, morbidis medeatur, egenis opituletur ? Nullus (inquis) Deus humanis rebus intervenit. Cui igitur preces allegabo ? cui vota nuncupabo ? cui victimam cædam ? quem miſeris auxiliatorem, quem bonis fautorem, quem adverſatorem malis in omni vitâ ciebo ? quem denique (quod frequentiſſimum eſt) jurijurando arbitrum adhibebo ? an, ut Virgilianus Aſcanius,

[2] *Per caput hoc juro, per quod pater antè ſolebat ?*

Atenim, ô Iüle, pater tuus hoc jurejurando uti poterat inter Troianos ſtirpe cognatos, & fortaſſean inter Graios prœlio cognitos : [3] at inter

INTERPRETATIO.

ergo agam (opponet quiſpiam orator) poſt hanc tuam opinionem, cœleſtem quidem, ſed ferè crudelem ? ſi homines penitùs removentur à Diis immortalibus, & ſi detruduntur in hac infima telluris, ut omnis communicatio ſublata ſit ipſis cum Diis cœlicolis, neque ullus ex numero Deorum viſitet eos, tantanquam opilio greges ovium, aut equitarius greges *equorum, aut bubulcus* armenta *boum ; ut reprimat ferocientes, ſanet ægros, juvet pauperes ? Nullus Deus (ais) ſe immiſcet rebus hominum. Quem igitur precabor ? cui faciam vota ? cui immolabo hoſtiam ? quem invocabo per totam meam vitam,* tanquam *adjutorem infortunatorum ? quem* tanquam *amicum proborum ? quem* tanquam *hoſtem improborum ? quem poſtremò admovebo teſtem ſacramento (quod frequentiſſimè accidit ?) num* dicam ſicut *Iülus apud Virgilium :* Juro per hoc caput, per quod *meus* pater conſueverat priùs *jurare ? Sedenim, ô Aſcani, tuus parens poterat adhibere hoc ſacramentum inter Troës affines origine, atque* etiam *forſitan inter Græcos* ſibi *notos certamine : verùm, inter Rutulos nuper*

NOTÆ.

1. *Sed pœnè inhumanam tuam ſententiam.*] Cùm vox *inhumanam* poſſit ſignificare & *crudelem*, & *ab humanâ naturâ alienam*, utrumque hîc ſenſum habet, opponiturque decentiſſimè *cœleſti.* Cùm autem hujuſmodi voces ambigui ſenſûs non poſſint rectè per alias ſimpliciter exponi, ne mirere quòd omnem hujus vim in interpretatione non expreſſerim.

2. *Per caput hoc juro.*] Deſumptus hic verſus ex lib. Æneid. 9. Duplici autem ſenſu intelligitur à Virgilii Interpretibus. alii enim *caput hoc* intelligunt caput Æneæ, per quod ſolitus eſſet ipſe Æneas jurare, & per quod tunc temporis, natus ejus, patrem imitatus, juraret : alii (quod magis placet) caput intelligunt ipſius Iüli, per quod, utpote ſibi cariſſimum, pater jurare eſſet ſolitus, antequàm eſſet Pontifex ; cum enim ex quo Pontifex fuiſſet factus, jurare jam per nati caput non potuiſſe, ſed tantùm per Deos.

3. *At inter Rutulos recens cognitos, ſi nemo huic capiti credat, &c.*] At non Rutulis jurat Iülus, ſed Euryalo, qui & ipſe Trojanus erat, & Priamo ex matris parte cognatus, ut videre eſt lib. 9. Æneid. jam laudato. MS. Thuan. habet: *atenim inter Rutulos.*

Rutulos

Rutulos recens cognitos, ſi nemo huic capiti crediderit, quis pro te Deus fidem dicet? An, ut ferociſſimo [1] Mezentio, dextra & telum? quippè [2] hæc ſola adjurat. quibus propugnabat.

[3] *Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro.*

Apageſis tam cruentos Deos: dexteram cædibus feſſam, telumque ſanguine rubiginoſum. utrumque idoneum non eſt, [4] per quod adjures, [5] neve per iſta juretur, cùm ſit ſummi Deorum hic honor proprius. Nam & jusjurandum [6] Jovisjurandum dicitur, ut ait Ennius. Quid igitur cenſes? Jurabo [7] per Jovem lapidem, Romano vetuſtiſſimo ritu? Atqui, ſi Platonis vera ſententia eſt nunquam ſe Deum cum homine communicare, faciliùs me audierit lapis, quàm Jupiter. Non uſque adeò. Reſpondebit enim Plato pro ſententiâ ſuâ meâ voce: Non uſque adeò, inquit, ſejunctos & alienatos à nobis Deos prædico,

INTERPRETATIO.

tibi *notos, ſi nullus fidem habuerit iſti capiti, quis Deus fidejubebit pro te? Num tua manus, & jaculum, veluti ferociſſimo Mezentio? nam invocat hæc tantùm, quibus ſe defendebat.* Manus *mea* mihi eſt Deus, nec non jaculum, quod mitto libratum. *Aufer, quæſo, Deos tam ſanguinolentos: manum fatigatam homicidiis, & jaculum ferruginoſum cruore. Hæc ambo non ſunt digna quæ invoces, neque jurandum eſt per illa, quandoquidem hic honor peculiariter pertinet ad ſupremum Deorum. Etenim jusjurandum quoque appellatur Jovisjurandum, ut inquit Ennius. Quid ergo ſuades? an jurabo per Jovem lapidem, antiquiſſimo Romanorum more? Verùm, ſi opinio Platonis eſt vera, Deum nempè nunquam habere commercium cum homine, ſaxum faciliùs me audiet, quàm Juppiter. Hoc non verum eſt Nam Plato reponet meo ore pro ſuâ opinione: Non dico (ait) Deos tantopere ſemotos & averſos à nobis,*

NOTÆ.

1. *Mezentio.*] Qui ſæpiùs apud Virgilium *contemptor Divûm* dicitur.

2. *Hæc ſola adjurat.*] MS. Thuan. *advenerat*, fortaſsè *adveneratur.*

3. *Dextra mihi Deus, &c.*] Lib. 10. Æneid. Mezentius hos Deos ſic invocat:

Dextra mihi Deus, & telum, quod
miſſile libro,
Nunc adſint.

4. *Per quod adjures, neve propter iſta.*] MS Thuan. *propter quod adjures, neve per iſta.* ut etiam manu emendatum video in meo Elmenhorſtiano exemplari. in interpretatione ſic verti, quaſi deſit initio *propter*, idque ſensûs commodioris cauſâ.

5. *Neve per iſta juretur.*] Totam hanc periodum VVovverus delet, veluti ſuppoſititiam.

6. *Jovisjurandum.*] Sic Lipſius, l. 1. Elect. cap 18. reſtituit, cùm priùs abeſſet à textu vox *Jovisjurandum.* Laudatur à Cicerone verſus Ennii, ad quem videtur hîc noſter reſpicere:

Fides alma, apta pennis, jurandum
Jovis.

Citatur & à Lipſio verſus Nævii:

In ſacratum Jovis jurandum ſanguine.

7. *Per Jovem lapidem Romano vetuſtiſſimo ritu.*] Ritum hunc explicat Feſtus in voce *lapidem. Lapidem* (inquit) *ſilicem tenebant juraturi per Jovem hæc verba dicentes:* SI SCIENS FALLO, TÙM ME DIESPITER SALVA URBE, ARCEQUE, BONIS EJICIAT, UTI EGO HUNC LAPIDEM. Apud Athenienſes lapis erat, deſtinatus ad quem juramenta fierent, teſte Suida.

ut ne vota quidem noſtra ad illos arbitrer pervenire. Neque enim [1] ipſos à curâ rerum humanarum, ſed à contrectatione ſolâ removi. Cæterùm [2] ſunt quædam divinæ mediæ poteſtates, inter ſummum æthera, & infimas terras, in iſto interſitæ aëris ſpatio, per quas & deſideria noſtra, & merita ad Deos commeant. hos Græco nomine Δαίμονας nuncupant: inter terricolas cœlicolaſque vectores, hinc precum, inde donorum. qui ultrò citróque portant, hinc petitiones, inde ſuppetias: ceu quidam utriuſque interpretes, [3] & ſalutigeri. [4] Per hos eoſdem, ut Plato in Sympoſio autumat, cuncta denuntiata, & Magorum varia miracula, omneſque præſagiorum ſpecies reguntur. [5] Eorum quippè de numero præditi curant ſingula, proinde ut eſt eorum cuique tributa provincia: vel ſomniis conformandis, [6] vel extis fiſſiculandis,

Interpretatio.

ut ne exiſtimem quidem noſtras preces deferri ad eos. Nam non arcui eos à curâ, ſed tantùm à contactu rerum humanarum. Porrò ſunt quædam virtutes divinæ mediæ, poſitæ in hoc intervallo aëris inter ſupremum Cœlum & imam tellurem, quarum operâ & vota noſtra, & egregiè facta tranſeunt ad Deos. hos appellant Græco vocabulo Dæmonas, *qui inter incolas terræ & ætheris portant hinc preces, inde beneficia. qui ab unâ parte in alteram gerant hinc ſupplicationes, illinc auxilia, tanquam aliqui interpretes & ſalutatores amborum. Operâ horum ipſorum, quemadmodum Plato ait in Sympoſio, omnes revelationes, & diverſa miracula Magorum, & omnia genera prædictionum diriguntur. Etenim ex illis præfecti curam gerunt uniuſcujuſque rei, prout aſſignata eſt provincia ſingulis eorum, aut fingendis inſomniis, aut fin-*

Notæ.

1. *Ipſos à curâ.*] Sic repoſui veſtigia ſequutus membranarum Thuanarum, quæ habent *ipſa ſacra*, in vulgatis legitur *illos à ſacris*, nullo ſenſu.

2. *Sunt quædam mediæ poteſtates, &c. per quas & deſideria noſtra, &c.*] Ex Platonis Sympoſio, & Epinomide. Ejuſmodi Dæmones Ἀθάνατοι δεύτεροι Maximo Tyrio, *ſecundæ beatitatis Numina* Martiano Capellæ dicuntur.

3. *Et ſalutigeri.*] Plaut. Aulul. Act. 3. Scen. 5. *ſalutigerulos pueros* dixit, qui ſalutem heræ nomine, quo juberet, ferrent.

4. *Per hos eoſdem, ut Plato in Sympoſio autumat, cuncta denuntiata, & Magorum varia miracula, &c.*] Ait reverà Plato, loco ab Apuleio laudato, per hoc Dæmonum genus vaticinium omne procedere, Sacerdotumque artem circà ſacrificia, expiationeſque, & incantationes, & divinationem omnem, atque Magiam. Deum quidem homini non miſceri, ſed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos, homineſque confici, & vigilantibus nobis, & dormientibus.

5. *Eorum quippè de numero præditi curant ſingula.*] Vox *præditi*, ſi germana ſit lectio, nihil aliud hîc ſonat, quàm *præpoſiti, præfecti.* Eodem ſenſu uſurpatum invenio hoc libro infrà: *at ubi vitâ editâ remeandum eſt eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illicò, &c.*

6. *Vel extis fiſſiculandis.*] Gloſſæ Iſidori *fiſſiculator: augur naturas in extis animantium quærens.* A *fiſſuris*, quæ nonnunquam in extis obſervantur, tractum verbum *fiſſiculare*, quod Elmenhorſt. explicat *rimari*, id eſt, *obſervare fiſſuras.* qui quidem ſenſus cum Gloſſis Iſidori congruit. Hîc tamen crediderim potiùs *fiſſiculare* idem eſſe ac fiſſuris exta diſtinguere, nempè ante extiſpicium. quod munus, ut &

vel [1] præpetibus gubernandis, vel oſcinibus erudiendis, vel vatibus inſpirandis, [2] vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruſcandis, cæteriſque adeò per quæ futura dinoſcimus. Quæ cuncta cœleſtium voluntate & numine & auctoritate, ſed Dæmonum obſequio & operâ & miniſterio fieri arbitrandum eſt. Horum enim munus & opera atque cura eſt, [3] ut Annibali ſomnia orbitatem oculi comminentur: [4] Flami-

Interpretatio.

dendis viſceribus, aut regendis alitibus, aut inſtruendis avibus canoris, aut afflandis prophetis, aut immittendis fulminibus, aut illuminandis fulgure nubibus, ac, uno verbo, reliquis faciendis, *quorum ope diſcimus ventura. Quæ univerſa exiſtimandum eſt geri juſſu, nutu, atque arbitrio Deorum, at famulatu & labore, ac miniſterio Dæmonum. Nam eorum eſt officium, & labor, & ſollicitudo, ut ſomnia prædicant Annibali captivitatem oculi: ut inſpe-*

Notæ.

formationem ſomniorum, eruditionem oſcinum, cæteraque ad divinationem ſpectantia Dæmonibus tribuit poſt Platonem Apuleius. fuerint ergo ii cauſa illa arcana, omnia ad divinationem præparans, quam Cicero ſe ignorare fatetur lib. 1. De Divinatione. *quid fiſſum in extis, quid fibra valeat, accipio, quæ cauſa ſit, neſcio.*

1. *Præpetibus gubernandis, vel oſcinibus erudiendis.*] *Præpetes*, quæ & *alites*, teſte Feſto, *aves ſunt volatu auſpicia facientes*. ideò *præpetes* dictæ, quòd ſe ante auſpicantem ferant, nam *præpetere* antiqui dicebant pro *anteire*. *Oſcines* verò, teſte eodem, *aves auſpicium ore facientes*. Harum ergo obſervabatur cantus & garritus ad auguria; illarum autem volatus. Dicitur porrò avis volatus gubernari, eâdem metaphorâ, quâ infra noſter dicit, *cæterùm cùm illis feſſa ſunt remigia pennarum, terra ceu portus eſt.*

2. *Vel fulminibus jaculandis, vel nubibus. &c.*] Totum hunc locum mirè illuſtrant hæc Martiani Capellæ l. 2. *At intra Solis meatum* (inquit) *uſque lunarem globum ſecundæ beatitatis Numina ſuppar ſque potentiæ: per quæ tamen vaticinia ſomniaque, ac prodigia componuntur. hæc aruſpicio exta fiſſiculant, admonentia quædam, voceſque tranſmittunt, auguratiſque loquuntur ominibus. Plerumque enim quærentes admonent vel ſideris curſu, vel fulminis jaculo, vel oſtentariâ novitate.* Plura vide in eodem libro huc facientia.

3. *Ut Annibali ſomnia orbitatem oculi comminentur.*] Cicero, lib. 1. de Divinat. *Hannibalem Cœlius ſcribit, cùm columnam auream, quæ eſſet in fano Junonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretque utrùm ea ſolida eſſet, an extrinſecùs inaurata, perterebraviſſe: cúmque ſolidam inveniſſet, ſtatuiſſetque tollere, ſecundum quietem viſam eſſe ei Junonem prædicere ne id faceret: minitarique, ſi id feciſſet, ſe curaturam ut eum quoque oculum, quo benè videret, amitteret: idque ab homine acuto non eſſe neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum eſſet, buculam curâſſe faciendam & eam in ſumma columnâ collocaviſſe.*

4. *Flaminio extiſpicia periculum cladis prædicent.*] Cladis, quâ, ipſo duce, ad Thraſymenum lacum ab Annibale deletus eſt exercitus Romanus. Vide Livium lib. 22. capp. 3 & 4. Cicero, lib. 1. de Divinatione. *Quid? bello Punico ſecundo, nonne C. Flaminius Conſul iterùm neglexit ſigna rerum futurarum magnâ cum clade Reipublicæ? qui exercitu luſtrato, cùm Arretium verſus caſtra moviſſet & contra Annibalem legiones duceret: & ipſe & equus ejus ante ſignum Jovis Statoris ſine causâ repentè concidit: nec eam rem habuit religioni objecto ſigno ut peritis videbatur, ne committeret prœlium. Idem cùm tripudio auſpicaretur, pullarius diem prœlii committendi differe-*

minio extiſpicia periculum cladis prædicant;[1] Attio Navio auguria miraculum cotis addicant. item ut nonnullis regni futuri ſigna præcurrant.[2] ut Tarquinius Priſcus Aquilâ obumbretur ab apice;[3] Servius Tullius flammâ colluminetur à capite; poſtremò cuncta ariolum præſagia,[4] Tuſco-

INTERPRETATIO.

ctio viſcerum prænuntient Flaminio periculum ſtragis; ut auſpicia concedant Attio Navio miraculum cotis. præterea, ut indicia venturi imperii præcedant in quibuſdam. ut Aquila operiat verticem Tarquinio Priſco; flamma colluſtret caput Servio Tullio: denique omnes prædictiones divinorum, expia-

NOTÆ.

bat. Tùm Flaminius ex eo quæſivit, ſi ne poſteà quidem pulli paſcerentur, quid faciendum cenſeret. cùm ille quieſcendum reſpondiſſet: Flaminius, præclara verò auſpicia, ſi eſurientibus pullis, res geri poterit, ſaturis nihil geretur? itaque ſigna convelli, & ſe ſequi juſſit. &c. itaque tribus his horis conciſus exercitus, atque ipſe interfectus eſt.

1. *Attio Navio auguria miraculum cotis addicant*] Rem narrat Livius, l. 1. cap. 36. *Tarquinius* (Priſcus) *equitem maximè ſuis deeſſe viribus ratus, ad Ramnenſes, Titienſes, Luceres, quas Centurias Romulus ſcripſerat, addere alias conſtituit, ſuoque inſignes relinquere nomine. id quia inauguratò Romulus fecerat, negare Attius Navius inclytus eâ tempeſtate augur, neque mutari, neque novum conſtitui, niſi aves addixiſſent, poſſe. Ex eo ira Regi mota, eludenſque artem (ut ferunt)* AGEDUM, *inquit*, divine, tu, inaugura, fierine poſſit, quod nunc *ego* mente concipio. *Cùm ille inaugurio rem expertus, profectò futuram dixiſſet,* ATQUI hæc animo agitavi, *inquit*, te novaculâ cotem diſciſſurum. cape hæc & perage quod aves tuæ fieri poſſe portendunt. *Tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotem ferunt.* Cicero lib. 1. de Divinatione idem teſtatur, additque cotem illam & novaculam defoſſam fuiſſe in comitio, ſupráque impoſitum puteal.

2. *Ut Tarquinius Priſcus Aquilâ obumbretur ab apice* Livius lib. 1. cap. 34. *Ad Janiculum fortè ventum erat. ibi ei* (*Tarquinio*) *carpento ſedenti cum uxore, aquila ſuſpenſis demiſſa leniter alis, pileum aufert: ſuperque carpentum magno clangore volitans, rursùs, velut miniſterio divinitùs miſſa, capiti aptè reponit: inde ſublimis abiit. Accepiſſe id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgò Etruſci, cæleſtium prodigiorum mulier: excelſa & alta ſperare, complexa virum, jubet, &c.*

3. *Servius Tullius flammâ colluminetur à capite.*] Idem Livius lib. 1. cap. 39. *Eo tempore in regiâ prodigium viſu eventuque mirabile fuit. Puero dormienti, cui Servio Tullio nomen fuit, caput arſiſſe ferunt multorum in conſpectu. plurimo igitur clamore inde ad tantæ rei miraculum orto, excitum regem, &c. tum adducto in ſecretum viro Tanaquil:* VIDES NE tu puerum hunc, *inquit*, quem tam humili cultu educamus? ſcire licet hunc lumen quondam rebus noſtris dubiis futurum, præſidiumque Regiæ afflictæ, proinde materiem ingentis publicè privatimque decoris omni indulgentiâ noſtrâ nutriamus. *inde puerum liberûm loco cœptum haberi, erudirique artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur.*

4. *Tuſcorum piacula.*] Cærimoniarum, auguriorum, divinationiſque omnis, atque expiationum peritiſſimos olim habitos fuiſſe Tuſcos, ſive Hetruſcos, legere eſt apud Livium paſſim.

rum piacula, [1] fulguritorum bidentalia, [2] carmina Sibyllarum: quæ omnia, ut dixi, mediæ quæpiam poteſtates inter homines ac Deos obeunt. Neque enim pro majeſtate Deûm cœleſtium fuerit, ut eorum quiſquam vel Annibali ſomnium pingat, vel [3] Flaminio hoſtiam conroget, [4] vel Accio Navio avem velificet, vel Sibyllæ fatiloquia verſificet: vel Tarquinio velit [5] apicem rapere, ſed reddere; Servio verò inflammare verticem, nec exurere. [6] Non eſt operæ Diis ſuperis ad hæc deſcendere. Mediorum Divorum iſta ſortitio eſt. qui in aëris plagis terræ conterminis, nec minùs confinibus cœlo perinde verſantur, ut

Interpretatio.

tiones Hetruſcorum, circumſeptiones locorum *fulmine tactorum, verſus Sibyllarum: quæ universa geruntur, ut dixi, ab aliquibus virtutibus mediis inter Deos & homines. Nam non ſit conveniens dignitati Deorum cœlicolarum, ut ullus eorum aut repræſentet ſomnium Annibali, aut ſubtrahat victimam Flaminio, aut dirigat alitem Accio Navio, aut redigat in carmina oracula Sibyllæ: aut velit eripere pileum Tarquinio, verùm ſtatim ei reſtituere; accendere verò caput Servio, at non cremare. Dii ſummi non dignantur ſeſe demittere ad iſta. Hæc eſt provincia Deorum mediorum, qui ſic habitant in regionibus aëris, quæ vicinæ ſunt telluris, & ſimul contiguæ cœlo.*

Notæ.

1. *Fulguritorum bidentalia.*] Feſtus: *Fulguritum, id quod eſt fulmine ictum. qui locus ſtatim fieri putabatur religioſus, quòd eum Deus ſibi dicáſſe videretur.* Sepiebatur ejuſmodi locus, bidentalque dicebatur à *bidentibus*, hoc eſt, ovibus; quæ, fulminis expiandi causâ, in eo immolabantur. Sidon. Apollinaris Carm. 9. ad Felicem Conſulem:

Nec quæ fulmine Thuſcus expiato
Septum Numina quærit ad bidental.

2. *Carmina Sibyllarum.*] Æneas apud Virgil. lib. 6. Æneid. Sibyllam alloquens:

tantùm foliis ne carmina manda.

Librorum Sibyllinorum frequentiſſima apud Livium mentio. Conſulebantur ii à Quindecimviris, quorum munus hoc erat, ſi quod prodigium eveniſſet. atque ex iis ſacra ei expiando decernebantur.

3. *Flaminio hoſtiam conroget.*] Latet mendum. Roman. & Ald. habent *corrodat.* VVovver. *corripiat*, meliùs, ut opinor. Lego enim apud Livium l. 22. cap. ult. cùm Arimini conſulatum iniret Flaminius, immolaretque, vitulum jam ictum è manibus ſacrificantium ſeſe proripuiſſe, multoſque circumſtantes cruore reſperſiſſe; quod à pleriſque in omen magni terroris acceptum eſt.

4. *Vel Accio Navio avem velificet*] Sic Lindenbrogius, & VVovverius ex corruptâ lectione Florent. Leid. & Bremenſ. *navem velificet.* quæ & Thuani codicis eſt. Porrò *avem velificare* dicit Apuleius, ut ſuprà dixit *præpetibus gubernandis*, & infrà, *cùm illis feſſa ſunt remigia pennarum*, metaphorâ ductâ à navibus. Veteres editiones habent *cotificet.* unde Lipſius Elect. 1. cap. 18. *cotim ſicet*, hoc eſt, *ſecet*. acutè certè, & veriſimiliter. ſed ne ejus conjecturam ſequar, prohibet quod ſequitur, *vel Sybillæ fatiloquia verſificet*, unde hoc loco ſcriptum fuiſſe *velificet* ſatis ſuperque evincetur, ſi meminerimus quàm ſtudioſus ſit noſter figuræ illius, Afris Scriptoribus in deliciis habitæ, quæ Græcis ὁμοιόπτωτον, & ὁμοιοτέλευτον, Latinis *ſimiliter cadens*, & *ſimiliter deſinens* dicitur.

5. *Apicem.*] Pileum, quem ſummo capite geſtabat.

6. *Non eſt operæ.*] Supple *pretium.*

in quacumque parte naturæ propria animalia, in æthere volantia, in terrâ gradientia. Nam, cùm quatuor ſint elementa notiſſima, veluti quadrifariam Naturâ magnis partibus [1] diſterminatâ, ſintque propria animalia terrarum & flammarum; ſiquidem [2] Ariſtoteles auctor eſt, in fornacibus flagrantibus quædam propria animalia pennulis apta volitare, totumque ævum ſuum in igni diverſari, cum eo exoriri, cumque eo extingui: Præterea, cùm [3] totjuga ſidera, ut jam priùs dictum eſt, ſurſum in æthere, hoc eſt, in ipſo liquidiſſimo ignis ardore compareant; cur hoc ſolum quartum elementum aëris, quod tanto ſpatio interſitum eſt, caſſum ab omnibus, deſertumque à cultoribus ſuis Natura pateretur? quin in eo quoque aëre animalia gignerentur, ut in igne flammida, in undâ fluxa, in terrâ glebulenta? nam quidem qui aves aëri attribuat, falſum ſententiæ meritiſſimò dixeris. quippe cum avis nulla earum [4] ultrà Olympi verticem ſublimatur. qui cùm excelſiſſimus omnium perhibeatur, tamen altitudinem perpendiculo ſi metiare, ut Geometræ autumant, [5] ſtadia decem altitudo faſtigii non

Interpretatio.

quemadmodum animalia propria degunt *in ſingulis regionibus mundi, volatilia* nempè *in aëre, & quæ* pedibus *incedunt, in terrâ. Cùm enim ſint quatuor elementa maximè cognita, quaſi Natura diviſa ſit in quatuor vaſta membra, & ſint animalia peculiaria telluri, & igni; quoniam Ariſtoteles affirmat quædam peculiaria animalia inſtructa alis volare in caminis ardentibus, & degere omnem ſuam vitam in igne, naſci cum eo, & cum eo interire: Inſuper, quandoquidem, ut jam dictum eſt antè, tot varia aſtra conſpiciuntur ſupernè in æthere, id eſt, in ipsâ clariſſimâ flagratiâ ignis. quare Natura ſineret tantùm illud quartum elementum Aëris, quod tam latè patet, inane omnium* rerum, *& vacuum incolis? quidni animalia procrearentur etiam in illo Aëre, quemadmodum* procreantur animalia *ardentia in igne, mollia in aquâ, terrea* verò *in terrâ? nam certè jure affirmaveris* eum, *qui aſſignet volucres aëri, falli opinione. ſiquidem nulla volucris ex iis extollitur ſuprà cacumen Olympi, qui tametſi feratur altiſſimus omnium* montium, *altitudo tamen ejus verticis non æquat decem ſtadia, ut exiſtimant Geometræ, ſi menſures ejus altitudinem ad per-*

Notæ.

1. *Diſterminata quæ ſit.*] MS. Thuan. *diſterminata ſit, quæ*, unde ſuſpicor *diſterminata, ſintque*, ut in meo Elmenhorſtiano exemplari correctum eſt.

2. *Ariſtoteles auctor eſt.*] Lib. 5. Hiſtoriæ Animalium, cap. 19.

3. *Totjuga ſidera.*] Sic malo, cum Florent. membranis legere, quàm *tot vaga.* neque enim Planetas tantùm, ſed & cætera Aſtra intelligit. *totjuga* dicit pro *tot* vel *totuplicis generis*, ut *multijuga* pro *multiplici*, initio hujus libri de Lunâ loquens; *circumverſione oris diſcoloris multijugâ pollens.*

4. *Ultrà Olympi verticem.*] Mons eſt Theſſaliam inter & Macedoniam, Theſſaliæ tamen vulgò adſcriptus. Sunt & alii montes hoc nomine, in Myſiâ, in inſulâ Leſbo, in Æthiopiâ ad Mare Rubrum haud procul ab urbe Heliopoli, &c.

5. *Stadia decem altitudo faſtigii non æquiparat.*] Deerat numerus *decem*, ſed ſupplevit Colvius Martiani Capellæ auctoritate ductus, qui lib. 2. ſic habet: *Non enim de humilitate aëris il-*

æquiparat; cùm ſit aëris agmen immenſum uſque [1] ad citimam Lunæ helicen, quæ porrò ætheris ſurſum versùs exordium eſt. Quid igitur tanta vis aëris, [2] quæ ab humillimis Lunæ anfractibus, uſque ad ſummum Olympi verticem interjacet? quid tandem? vacabitne animalibus ſuis, atque erit iſta Naturæ pars mortua ac debilis? Imò enim, ſi ſedulò advertas, ipſæ quoque aves terreſtre animal, non aërium rectiùs perhibeantur. Eſt enim ſemper illis victus omnis in terrâ. ibidem pabulum, ibidem cubile. tantùm quòd aëra proximum terræ volitando tranſverberant. Cæterùm, cùm illis feſſa ſunt remigia pennarum, terra ceu portus eſt. Quòd ſi manifeſtum flagitat ratio, debere propria etiam animalia in aëre intelligi; ſupereſt ut, quæ tandem & cujuſmodi ea ſint, diſſeramus. Igitur terrena nequaquam, devergant enim pondere: ſed nec flammida, ne ſurſum versùs calore rapiantur. Temperanda eſt ergo nobis pro loci medietate media natura, ut ex regionis ingenio ſit & cultoribus ejus ingenium. Cedò igitur, mente formemus, & gignamus animo id genus [3] corporum texta, quæ neque

INTERPRETATIO.

pendiculum: cùm ſit immenſa moles aëris, uſque ad citeriorem Lunæ gyrum, qui eſt initium ætheris ſurſum versùs. Quid ergo tanta copia aëris, quæ expanditur ab infimis meatibus Lunæ ad ſupremum uſque cacumen montis *Olympi? quid demùm? an carebit ſuis animalibus, atque hæc pars mundi erit inanima & manca?* Etenim, *ſi diligenter obſerves, ipſæ etiam volucres meliùs cenſebuntur animalia terrena, non* autem *aëria. Namque tota earum vita eſt ſemper in terrâ. in eâ* eſt earum *cibus, in eâ requieſcunt*, nihil habent aërii, *niſi quòd tranant volatu aërem contiguum telluris. Porrò, quando remi alarum ſunt ipſis defatigati, tellus eſt eis quaſi portus. Quod ſi ratio evidenter poſtulat, ut intelligenda ſint etiam propria animalia in aëre: reſtat ut diſceptemus quæ demùm, & qualia illa ſint. Ergo minimè ſunt terreſtria, nam deprimerentur* ſuâ *gravitate: verùm non ſunt quoque ignea, ne extollantur ſurſum ſuo ardore. Igitur formanda nobis eſt quædam natura temtemperata juſto temperamento habitationis, ut incolæ ejus habeant indolem conformem indoli loci. Age ergo, fingamus animo, & mente procreemus corpora ſic conſtituta, ut nec ſint tam*

NOTÆ.

lius quæro qui volucribus permeatur, quem Olympi montis cacumen excedit, qui vix decem ſtadiorum altitudine ſublimatur. Plutarchus, in Paulo Æmilio non *vix*, ſed *pluſquàm* decem ſtadiorum ait eſſe Olympi altitudinem.

1. *Ad ci ima Lunæ helicen, quæ porrò, &c.*] MS. Thuan. *ad citimam Lunæ felicemque.* unde omninò reſtituendum eſt *ad citimam Lunæ helicen, quæ porro, &c.* eo ſenſu, qui in interpretatione expreſſus eſt. *citima helice Lunæ* ſunt gyri ſpirales, quos Luna quotidiano motu deſcribit, quâ parte illi gyri terram ſpectant. Ludovicus Vives in cap. 15. lib. 8. de Civitate Dei D. Auguſtini, hunc locum aliter citat, nempè, *uſque ad extima Lunæ cœlique, &c.*

2. *Quæ ab humillimis Lunæ anfractibus uſque ad ſummum Olympi, &c.*] Hæc quoque lectio MS. Thuani eſt. in Scriverii editione, perperam, *quæ ab humillimis Olympi. &c.*

3 *Corporum texta.*] *Sic* repoſui ex Thuano codice, ubi eſt *textu.* malè in vulgatis *tertia.*

ſint tam bruta quàm terrea, neque tam levia quàm æthecea, ſed quodammodo utrimque ſejugata, vel enim utrimque commixta ſint, ſive amolita, ſeu modificata utriuſque rei participatione. Sed faciliùs ex utroque, quàm ex neutro intelliguntur. Habeant igitur hæc Dæmonum corpora & modicum ponderis, [1] ne ad ſuperna incedant: & aliquid levitatis, ne ad inferna præcipitentur. Quòd ne vobis videar poëtico ritu incredibilia confingere, dabo primum exemplum hujus libratæ medietatis. Neque enim procul ab hac corporis ſubtilitate nubes concretas videmus. quæ ſi uſque adeò leves forent ut ea, quæ omninò carent pondere, nunquam infrà juga, ut ſæpenumerò animadvertimus, gravatæ caput editi montis, ceu quibuſdam curvis torquibus coronarent. Porrò, ſi ſuâptè naturâ tam ſpiſſæ ac graves forent, ut nulla illas vegetioris levitatis admixtio ſublevaret, profectò, non ſecùs quàm [2] plumbi rodus & lapis, ſuopte niſu caducæ terris illiderentur. Nunc enimverò pendulæ & mobiles huc atque illuc vice navium in aëris pelago ventis gubernantur: paululùm immutantes

INTERPRETATIO.

gravia quàm ſunt *terrena, nec tam levia quàm* ſunt *cœleſtia, at* ſint *aliquo modo diverſa ab utriſque, aut etiam temperata ex utriſque, ſive remota à participatione amborum, ſive attemperata* ex eâ. *Verùm faciliùs concipiuntur* commixta *ex ambobus, quàm ex neutris. Ergo illa corpora Dæmonum habere debent & paululum gravitatis, ne ferantur ſurſum, & aliquantum levitatis, ne detrudantur deorſum. Ac ne exiſtimetis me excogitare incredibilia more poëtarum, afferam primùm exemplum hujus temperatæ mediocritatis. Nam cernimus nubes coaleſcere haud multùm diverſè ab hac tenuitate corporis. quæ, ſi eſſent æquè leves atque ea, quæ prorsùs non habent gravitatem, nunquam cingerent cacumen excelſi montis veluti quibuſdam torquibus incurvis, depreſſæ infrà* ejus *verticem, ut obſervamus ſæpiſſimè. Cæterùm, ſi eſſent ex ſuâmet naturâ tam denſæ ac ponderoſæ, ut nulla temperatio levitatis vividioris eas ſuſtolleret, certè impingerent in terram labentes ſuomet conatu, perinde ac maſſa plumbea rudis, & ſaxum. At nunc* ipſæ *pendentes, & mobiles in hanc atque illam partem reguntur à ventis in mari aëris veluti navigia, nonnihil*

NOTÆ.

1. *Ne ad ſuperna incedant.*] Quid, ſi legas *inſcendant*? MS. Thuan. *recedant.*

2. *Plumbi robur.*] Editiones quædam *plumbi globus.* Schoppio magis placet MS. lectio *plumbi robur.* ſic, inquit, *robur ferri, robur æris* Lucretius dixit pro *ferro* & *ære*; nec ferri ſolùm, aut æris, ſed & *ſaxi robur*, pro *ſaxo* dixit lib. 1. verſ. 180.

Conveniebat enim fruges quoque ſæpè minutas,
Robore cùm ſaxi franguntur mittere ſignum.

Sanguinis.

Exemplar meum Elmenhorſtianum habet eâdem doctâ manu emendatum *plumbi rodus*, optimè profectò. *Rodus, vel Raudus* (inquit Feſtus) *ſignificat rem rudem & imperfectam, nam ſaxum quoque raudus appellant poëtæ, &c.* & infrà: *vulgus quidem in uſu habuit, non modo pro ære imperfecto* (hoc eſt, maſſa æris, ut hîc pro maſſa plumbi) *ut Lucilius, cùm ait, Plumbi paxillum, rodus, linique mataxam, ſed etiam pro ſignato, &c.*

proximitate & longinquitate. Quippè ſi [1] aquæ humore fœcundæ ſunt, veluti ad fœtum edendum, deorsùs [2] degravantur. Atque ideò humectiores humiliùs meant, [3] aquilo agmine, tractu ſegniore: [4] ſudis verò ſublimior curſus, & tum lanarum velleribus ſimiles aguntur, cano agmine, volatu perniciore. Nonne audis quid ſuper tonitru Lucretius facundiſſimè diſſerat:

> [5] *Principio tonitru quatiuntur cærula cœli,*
> *Propterea quia concurrunt ſublime volantes*
> *Æthereæ nubes, contrà pugnantibu' ventis.*

Quòd ſi nubes ſublimè volitant, quibus omnis & exortus eſt terrenus, & retrò defluxus in terras eſt; quid tandem cenſes Dæmonum corpora, quæ ſunt concreta multò minùs, & tantò ſubtiliora? Non enim ſunt ex hac fæculentâ nubeculâ, tumidâ caligine conglobata, ſicuti nubium genus eſt; ſed ex illo puriſſimo aëris liquido & ſereno elemento coalita: eoque nulli hominum temerè viſibilia: niſi divinitùs ſpeciem ſui offerant. quòd nulla in illis terrena ſoliditas locum luminis occupârit, quæ noſtris oculis poſſit obſiſtere, quâ ſoliditate neceſſariò offenſa acies immoretur; [6] ſed fila corporum poſſident rara &

INTERPRETATIO.

variantes in propinquitate & remotione. Nam ſi ſunt gravidæ liquore aquæ, deprimuntur ad ima, quaſi ad pariendum. Proptereáque nubes *aquoſiores deprimuntur inferiùs, atrâ catervâ, lentiore curſu: at serenæ altiùs meant, & tunc impelluntur ſimiles globis lanæ, acie candidâ, celeriore curſu. An non auſcultas quid Lucretius diſputet eloquentiſſimè de tonitru?*

Primò *quidem* cæruleum cœlum concutitur tonitru,
Ideò quòd nubes æthereæ altè meantes
Inter ſe concurrunt, ventis *ipſis* adverſantibus.

Quod ſi in alto volant nubes, quæ omnes habent ſuam originem ex terrâ, ac denuò relabuntur in terram; quid poſtremò exiſtimas corpora Dæmonum eſſe, quæ ſunt *longè minùs denſata, eoque tenuiora? nam non ſunt concreta ex hujuſmodi nebulâ ſordidâ, & densâ obſcuritate, quemadmodum natura nubium eſt; verùm conflata ex illo elemento Aëris puriſſimo, fluido, ac ſudo: & propterea non facilè ſpectabilia cuipiam homini: niſi exhibeant ſuam imaginem* juſſu *divino. quoniam nulla denſitas terreſtris in illis uſurpaverit locum lucis, quæ obſtare queat noſtris oculis, in quam denſitatem obtutus impingens neceſſariò tardetur; verùm habent formas cor-*

NOTÆ.

1. *Aquæ humore.*] MS. Thuan. *aliquo humore.*

2. *Degraſſantur.*] Eâdem manu correctum in meo Elmenhorſtiano exemplari *degravantur.*

3. *Aquilo agmine.*] Sic procul dubio legendum. Malè vulgati omnes *Aquilonis agmine.* Aquilus color eſt fuſcus, ſubniger, qui color eſt aquæ. *Aquilum agmen* hîc opponitur cano agmini, quod mox ſequitur.

4. *Sudis verò.*] Sudæ nubes, ſunt nubeculæ illæ tenues, quæ cœlo ſudo ſerenoque ſæpiſſimè conſpiciuntur.

5. *Principio tonitru, &c.*] Lucretius, lib. 6.

6. *Sed fila corporum. &c.*] Germana lectio. *Filum corporis* eſt forma, ſeu lineamenta, ipſeque habitus corporis. A. Gell. lib. 1. cap. 9. *Mores naturaſque*

ſplendida & tenuia, uſque adeò ut radios [1] omnis noſtri tuoris & raritate tranſmittant, & ſplendore reverberent, & ſubtilitate fruſtrentur. Hinc eſt illa Minerva Homerica, quæ mediis cœtibus Grajûm cohibendo Achilli intervenit. [2] verſum Græcum ſi pauliſper operiamini, Latinè enuntiabo. atque adeò hic ſit impræſentiarum. Minerva igitur, ut dixi, Achilli moderando, juſſu Junonis advenit,

Soli perſpicua eſt, aliorum nemo tuetur.

Hinc & illa Virgiliana [3] Juturna, quæ mediis millibus auxiliabunda fratri [4] converſatur,

Miſcetque viris, nec cernitur ulli;

[5] prorsùs quod Plautinus miles ſuper clypeo ſuo gloriatur,

Præſtringens oculorum aciem hoſtibus.

Ac ne cæteros longiùs perſequar, [6] ex hoc fermè Dæmonum numero

Interpretatio.

porum raras micantes & ſubtiles, adeò ut & pervii ſint radiis totius noſtri viſûs ſuâ raritate, & repercutiant eos ſuo *fulgore, atque* eos *effugiant* ſuâ *tenuitate. Inde eſt illa Pallas apud Homerum, quæ aſſiſtit in mediis conventibus Græcorum ad reprimendum Achillem. Efferam Latinè verſum Græcum, ſi expectetis tantillùm, & certè hic eſto nunc. Pallas ergo intervenit ex mandato Junonis, ad coërcendum Achillem, ut dixi,*

Viſibilis eſt ei ſoli, nullus ex aliis *ipſam* aſpicit.

Inde etiam eſt illa Juturna apud Virgilium, quæ verſatur in medio multorum *millium* hominum *ad ferendam opem fratri* ſuo.

Et *ſe* intermiſcet militibus, neque à quoquam videtur;

potiùs quàm, unde Miles Plauti ob ſuum ſcutum ſe jactat,

Retundens obtutum hoſtibus.

Et ne neceſſe habeam fuſiùs recenſere reliquos, poëtæ conſueverunt ex hac ferè

Notæ.

hominum conjectatione quâdam de oris & vultùs ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, ſciſcitari.

1. *Omnis noſtri tuoris.*] *Intuitûs, aſpectûs.* Gloſſæ Iſidori *tuore, viſu.*

2. *Verſum Græcum.* Hic eſt ex Iliad. A. deſumptus.

Οἴῳ φαινομένη, τῶν δ' ἄλλων οὔτις ὁρᾶτο.

3. *Juturna.*] Dauni Rutulorum Regis filia, Turni ſoror, quam Jupiter Deam fecit. De hac Virgil. lib. 12. Æneid.

Extemplo Turni ſic eſt affata ſororem
Diva (Juno) *Deam, ſtagnis quæ fluminibuſque ſonoris*
Præſidet. hunc illi Rex ætheris altus honorem
Juppiter ereptâ pro virginitate ſacravit.

4. *Converſatur.*] Non ſemper inviſibilis, ſed nonnunquam etiam

Formam aſſimila.a Camerti,

nonnunquam,

in faciem converſa Metiſci Aurigæ.

5. *Prorsùs quod Plautinus miles, &c.*] Lipſ. Elector. 2. cap. 21. legit *potiùs quam Plautinus miles, &c.* ego ſcriptum exiſtimo *potiùs quàm quod Plautinus miles, &c.* ut ſit ſenſus Juturnam, fratri in præliis auxiliantem, ideò potiùs à cæteris conſpici non potuiſſe, quòd eorum viſum tenuitate ſuâ fugeret, quàm quod ipſis oculorum aciem præſtringeret nimio ſplendore, qualem clypeo ſuo conciliari præcipit apud Plautum Miles glorioſus. Hunc ſenſum, quia mihi veriſimillimus viſus eſt, in interpretatione expreſſi.

6. *Ex hoc fermè Dæmonum numero poëtæ ſolent, &c.*] Locus hic à Divo

poëtæ ſolent, haudquaquam procul à veritate,[1] oſores & amatores quorumdam hominum Deos fingere: hos proſperare & evehere; illos contra averſari & affligere. Igitur & miſereri, & indignari, & angi, & lætari, omnemque humani animi faciem pati: ac ſimili motu cordis & ſalo mentis ad omnes cogitationum æſtus fluctuare. Quæ omnes turbellæ tempeſtateſque procul à Deorum cœleſtium tranquillitate exulant. Cuncti enim cælites, ſemper eodem ſtatu mentis, æternâ æquabilitate potiuntur. quæ nunquam illis nec ad dolorem verſùs, nec ad voluptatem finibus ſuis pellitur. nec quoquam [2] à ſuâ perpetuâ ſectâ ad quempiam ſubitum habitum dimovetur, nec alterius vi; nam nihil eſt Deo potentius: neque [3] ſuâpte ſponte; nam nihil eſt Deo perfectius. Porrò autem quî poteſt videri perfectus fuiſſe, qui à priore ſtatu ad alium rectiorem ſtatum migrat? cùm præſertim nemo ſponte capeſſat nova, niſi quem pœnitnit priorum. Non enim poteſt ſubſequi illa mutata ratio, ſine præcedentium infirmatione. Quapropter debet Deus nullam perpeti [4] vel opis vel amoris temporalem perfunctionem: & idcircò nec indignatione, nec miſericordiâ contingi, nullo angore contrahi, nullâ alacritate geſtire; ſed ab omnibus animi paſ-

INTERPRETATIO.

multitudine Dæmonum, minimè contra veritatem, comminiſci Deos inimicos, & amicos quorumdam hominum: hos reddere felices & extollere; illos verò odio habere & deprimere. Ergo & miſericordiâ tangi, & iraſci, & ſollicitari, & gaudere, atque experiri cunctas mutationes mentis humanæ: & jactari ad omnes agitationes cogitationum ſimili commotione pectoris, atque æſtu animi. Quæ omnes turbæ ac procellæ longè remotæ ſunt à quiete Deorum Cœlicolarum. Nam omnes Cœlicolæ æqualitate perpetuâ, fruuntur ſemper eâdem temperie animi, qui illis nunquam dimovetur ex ſuis ſedibus, neque ad dolorem, neque ad voluptatem. nec ullâ re diſtrahitur à ſuâ æternâ agendi ratione ad quamvis repentinam habitudinem, neque violentiâ alienâ, quia nihil eſt validius Deo: neque ultroneo motu: nihil enim eſt perfectius Deo. Cæterùm, quomodo ille poteſt exiſtimari fuiſſe perfectus, qui tranſit à priore ſtatu ad alium ſtatum meliorem? præſertim quoniam nullus ultrò amplectitur nova, niſi ille qui faſtidiverit anteriora. Neque enim mutatus ille modus agendi poteſt ſuccedere, niſi priora irrita fiant. Itaque oportet ut Deus nullam ſuſtineat temporalem functionem aut opitulationis, aut affectûs: atque ideò neque afficiatur irâ, neque commiſeratione, neque angatur ullâ ſollicitudine, neque exultet ullâ hilaritate; verùm ſolutus ab univerſis affectibus mentis,

NOTÆ.

Auguſtino citatur lib. 9. *De Civitate Dei.*

1. *Oſores, & amatores &c. hos proſperare & evehere, &c.*] Eadem habet Plato in Epinomide.

2. *A ſuâ perpetuâ ſectâ.*] Hoc loco *ſecta Deorum* nihil aliud eſſe videtur, quàm conſtans ac firma ſententia, quâ res humanas totumque adeò mundum regunt.

3. *Suâpte ſponte.*] MS. Thuan. *ſuâpte naturâ*, quod in idem recidit.

4. *Vel operis, vel amoris.*] MS. Thuanus *vel opis, vel amoris*, meliùs. hoc eſt, neque ad opem ferendam præ miſericordiâ, neque ad amandum ferri. Deos enim vult hîc eſſe prorsù, ἀπαθεῖς, non autem omnis operis expertes.

ſionibus liber, [1] nec dolere unquam, nec aliquando lætari, nec aliquid repentinum velle vel nolle. Sed & hæc cuncta, & id genus cætera, Dæmonum mediocritati ritè congruunt. Sunt enim inter nos ac Deos, ut loco regionis, ita ingenio mentis interſiti: habentes communem cum Superis immortalitatem, cum inferis paſſionem. Nam, proinde ut nos, pati poſſunt omnia animarum placamenta vel incitamenta: ut irâ incitentur, & miſericordiâ flectantur, donis invitentur, precibus leniantur, contumeliis exaſperentur, honoribus mulceantur, aliiſque omnibus ad ſimilem nobis modum varientur. Quippe, [2] ut fine comprehendam, [3] Dæmones ſunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo paſſiva, corpore aëria, tempore æterna. Ex his quinque quæ commemoravi, tria à principio eadem quæ nobiſcum, [4] quartum proprium, poſtremum commune cum Diis immortalibus habent. ſed differunt ab his paſſione. Quæ propterea paſſiva non abſurdè, ut arbitror, nominavi, quòd ſint iiſdem quibus nos perturbationibus mentis obnoxii. Unde etiam religionum diverſis obſervationibus, & ſacrorum variis ſuppliciis fides impertienda eſt. [5] Et ſunt nonnulli ex hoc Divorum numero, [6] qui nocturnis vel diurnis, promptis vel occul-

INTERPRETATIO.

neque mœreat unquam, neque unquam gaudeat, nec velit aut nolit quidquam ſubitaneum. At illa omnia, & alia ejuſmodi, benè conveniunt mediæ perfectioni Dæmonum. Nam illi tam ſunt medii inter nos & Deos indole animi, quàm ſitu ſuæ *habitationis: habentes immortalitatem communem cum Diis, & affectus* communes *cum hominibus. Poſſunt enim, quemadmodum & nos, ſentire omnes mitigationes & irritationes animorum: ita ut ſtimulentur irâ, inclinentur commiſeratione, illiciantur muneribus, demulceantur ſupplicationibus, incendantur contumeliis, deliniantur honoribus, & mutentur omnibus aliis* rebus, *eodem pacto quo nos* mutamur. *Nam, ut complectar definitione* eorum naturam. *Dæmones ſunt ex genere* ſuo *animalia, mente rationabilia, obnoxia affectibus animi, aëria quantum ad corpus, & perpetua quantum ad durationem. Ex his quinque dotibus, quas recenſui, tres primæ ſunt ipſis communes nobiſcum, quarta eſt* eorum *peculiaris, ultima eſt eis communis cum Diis immortalibus. verùm diſcrepant ab illis*, quòd obnoxii ſint *affectibus. Atque ideò non ineptè, ut puto, appellavi eos* Dæmones *paſſivos, quoniam patent iiſdem agitationibus animi ac nos. Quam ob cauſam credendum eſt etiam variis ritibus religionum, & diverſis propitiationibus ſacrificiorum. Et ſunt quidam ex hoc numero Deorum, qui delectentur victimis aut cerimoniis aut obſervationibus, nocturnis aut diurnis, apertis aut abſconditis, hi-*

NOTÆ.

1. *Nec dolere unquam, nec aliquando lætari.*] Plato in Epinomide ait ſimiliter, *Deum, qui divinam ſortem perfectè poſſidet, à doloribus, voluptatibuſque liberum eſſe, & ſapientiâ cognitioneque penitùs frui.*

2. *Ut fine comprehendam.*] MS. Th. *ut finem comprehendam.*

3. *Dæmones ſunt genere animalia, ingenio rationabilia, &c.*] Vide Platonem in Timæo, & Auguſtinum, *De Civitate Dei.* lib. 8. cap. 16. & lib. 9. cap. 8.

4. *Quartum proprium.*] nempè, quòd ſint corpora aërea.

5. *Etſi nonnulli ſunt.*] MS. Thuan. *Et ſunt nonnulli.* meliùs.

6. *Qui nocturnis vel diurnis, prom-*

tis, 1 lætioribus vel triſtioribus hoſtiis, vel cerimoniis, vel ritibus gaudeant: uti 2 Ægyptiaca numina fermè plangoribus, Græca plerumque choreis, Barbara autem ſtrepitu cymbaliſtarum & tympaniſtarum & choraularum. Itidem pro regionibus & cætera in ſacris differunt longâ varietate; 3 pomparum agmina, myſteriorum ſilentia, ſacerdotum officia, ſacrificantium obſequia: item 4 Deorum effigies &

Interpretatio.

larioribus aut mœſtioribus: veluti Dii *Ægyptii ferè* delectantur *planctibus, Græci ut plurimùm ſaltationibus, Barbari verò ſonitu* quem edunt *cymbalyſtæ & tympaniſtæ & tibicines. Similiter & alia diſcrepant magnâ diverſitate in ſacris, ſecundùm varia loca:* putà *turba pomparum, arcana myſteriorum, munia ſacerdotum, obſequia ſacrificantium: præterea ſimulacra ac*

Notæ.

ptis vel occultis, &c.] Virgil. lib. 6. Æneid.

——— *ipſe atri velleris agnam*
Æneas matri Eumenidum, magnæque ſorori
Enſe ferit, ſterilemque tibi, Proſerpina, vaccam.
Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras, &c.

Noſter lib. 1. Metamorphoſ. *devotionibus ſepulchralibus in ſcrobem procuratis.* ad quem locum vide quæ obſervavimus. Dii Superi ſacrificiis diurnis gaudebant in propatulo factis, ſæpéque ex albis pecoribus.

1. *Lætioribus vel triſtioribus hoſtiis.*] D. Auguſtinus, de Civitate Dei, lib. 2. cap. 11. *Labeo, quem hujuſmodi rerum peritiſſimum prædicant, numina bona à numinibus malis, iſtâ etiam cultûs diverſitate diſtinguit: ut malos Deos propitiari cædibus & triſtioribus ſupplicationibus aſſerat, bonos autem obſequiis lætis atque jucundis. qualia ſunt, ut ipſe ait, ludi, convivia, lectiſternia.* Vide Lil. Gyraldum, de Diis, Syntagmate 17.

2. *Ægyptiaca numina fermè plangoribus.*] Tibullus lib. 2. Eleg. 7.

Nile pater, quânam poſſum te dicere cauſâ,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?
Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Jovi.
Te canit, atque ſuum pubes miratur Oſirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.

Apud Ezechielem Prophetam: Phœniſſæ *mulieres ſedebant plangentes Thamus,* qui eſt Adonis, idemque Oſiris, & Bacchus, ut videre eſt apud Lil. Gyraldum. & Adonia anniverſaria ejus feſta menſe Junio celebrari luctu mulierum ſolita. unde Orpheus, in Hymno, ab honore lacrymarum qui illi impendebatur δακρυότιμον eum nuncupat. Maximus Tyrius Diſſertat. 58. παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις ἰσοτιμίαν μὲν ἔχει τὸ θεῖον τιμῆς καὶ δακρύων. *Apud Ægyptios verò tantùm colitur numen, quantum fletur.*

3. *Pomparum agmina myſteriorum ſilentia, &c.*] Vid. lib. ultimum de Aſino, ubi pompam & ſacra Iſidis fuſè deſcribit.

4. *Deorum effigies & exuviæ.*] Exuviæ Deorum ſunt ſacra ſymbola, donaria, aut etiam ſpolia Diis dicata. Noſter lib. 11. Metamorphoſ. *potentiſſimorum Deûm præferebant inſignes exuvias.* Et ſub finem ejuſdem libri. *ſi tecum nunc ſaltem reputaveris exuvias Deæ, quas in provinciâ ſumpſiſti, in eodem fano depoſitas perſeverare.*

exuviæ, templorum religiones [1] & regiones, hoſtiarum cruores [2] & colores. Quæ omnia pro cujuſque more loci ſolemnia & rata ſunt, ut plerumque ſomniis & vaticinationibus & oraculis comperimus ſæpenumero [3] indignata numina, ſi quid in ſacris ſocordiâ vel ſuperbiâ negligatur. cujus generis mihi exempla affatim ſuppetunt. ſed adeò celebrata & frequentata ſunt, ut nemo ea commemorare adortus ſit, quin multò plura omiſerit, quàm recenſuerit. Idcircó ſuperſedebo impræſentiarum in his rebus orationem occupare. quæ ſi non apud omnes certam fidem, at certè penes cunctos notitiam promiſcuam poſſident. Id potiùs præſtiterit Latinè ediſſertare: varias ſpecies Dæmonum

INTERPRETATIO.

reliquiæ Deorum, religiones & ſitus delubrorum, varietas ſanguinis & coloris in victimis. Quæ univerſa uſitatè & ritè facta ſunt, ſi fiant *juxta conſuetudinem ſingularum regionum, quemadmodum cognovimus potiſſimùm* ex *ſomniis & prædictionibus atque oraculis Deos frequenter iratos, ſi aliquid prætermittatur negligentiâ, vel contemptu in* eorum *ſacris. cujuſmodi exempla habeo ſat multa. verùm ita decantata ac pervulgata ſunt, ut nullus aggreſſus fuerit ea recenſere, qui non prætermiſerit longè plura, quàm commemoraverit. Eâ de causâ jam deſinam inſumere mea verba in has res. quibus ſi non prorſus univerſi credunt; nihilominus ſanè omnes paſſim eas cognoſcunt. Melius erit hoc diſputare Latinè;* ſcilicet *recenſeri à Philoſophis diverſa ge-*

NOTÆ.

1. *Et regiones.*] Malè hanc vocem Elmenhorſtius delendam cenſet, faventibus licèt Florent. & Leidenſibus membranis. Obſerva orationem binis ſemper membris procedentem: *Deorum effigies & exuviæ, templorum religiones & regiones, hoſtiarum cruores & colores.* Et certè meritò dixit Apul. *religiones & regiones.* ut enim variis ritibus & cerimoniis Dii colebantur, ita & variis in locis regionibuſque ſua templa habebant. Nam qui Paci, qui Pudicitiæ, qui bonis artibus præeſſent Dii, eos intra mœnia collocandos veteres putaverunt: qui verò Voluptatibus, rixis, incendiis, ut Venus, Mars, Vulcanus, eos excludere ex urbibus ſolebant. Veſtam autem, Jovem, & Minervam, qui Dii tutores ſunt urbium, in ipſarum, & arcium medio collocabant: Neptunum ad maris littus. Æſculapium Romani in inſulâ Tiberinâ repoſuerunt, quòd ægroti maximè aquâ indigeant. alibi tamen extra urbem templa habuit, quòd ibi aër ſit ſalubrior. Vitruvius, lib. 1. cap. 2. *Naturalis autem decor ſic erit, ſi primùm omnibus templis ſaluberrimæ regiones, aquarumque fontes in his locis idonei eligentur, in quibus fana conſtituantur, deinde, maximè Æſculapio, Saluti, & eorum Deorum, quorum plurimi medicinis ægri curari videntur. cùm enim ex peſtilenti in ſalubrem locum corpora ægra tranſlata fuerint, & è fontibus ſalubribus aquarum uſus ſubminiſtrabuntur, celeriùs convaleſcent. ita efficietur uti ex naturâ loci majores auctaſque cum dignitate Divinitas excipiat opiniones.*

2. *Et colores.*] Virgil.

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

vide alios ejuſdem verſus ſuprà relatos ad hæc verba: *qui nocturnis vel diurnis, &c.*

3. *Indignata numina, ſi quid ſacris &c. negligatur.*] Unde perſæpè aut oraculis, aut libris Sibyllinis, aut Augurum reſponſo imperata eorumdem ſacrorum iteratio. Sexcenta invenias exempla apud Livium.

à Philoſophis perhiberi, quo liquidiùs & pleniùs de præſagio Socratis, déque ejus amico Numine cognoſcatis. Nam quodam ſignificatu [1] & Animus humanus, etiam nunc in corpore ſitus, Δαίμων nuncupatur.

[2] *Dii-ne hunc ardorem mentibus addunt,*
Euryale? an ſua cuique Deus ſit dira Cupido?

Igitur & bona Cupido animi, bonus eſt Deus. [3] Unde nonnulli arbitrantur, [4] ut jam priùs dictum eſt, εὐδαίμονας dici beatos, quorum Dæmon bonus, id eſt, Animus virtute perfectus eſt. Eum noſtrâ linguâ, ut ego interpretor, haud ſciam an bono, certè quidem meo periculo, poteris Genium vocare: quòd is Deus, [5] qui eſt animus ſuus cuique, quamquam ſit immortalis, [6] tamen quodammodo cum homine gignitur: [7] ut eæ preces, quibus Genium & genua precamur, conjun-

INTERPRETATIO.

nera Dæmonum, ut clariùs & copioſiùs intelligatis quid fuerit *prænotio Socratis, & familiaris ejus Dæmon. Anima enim humana, etiamnum cùm poſita eſt in corpore, appellatur Dæmon quâdam ſignificatione.*

An Dii inſpirant animis hunc fervorem,
O Euryale? num verò ſua cuique violenta cupiditas evadit Deus?

Ergo & honeſta cupiditas mentis eſt bonus Deus. Quapropter quidam exiſtimant, ut jam antè dictum eſt, felices vocari Eudæmonas, quorum Dæmon eſt bonus, hoc eſt Mens ornata virtute. Hunc Dæmonem *poteris appellare noſtrâ linguâ Genium, neſcio an ſecurè, ſed ſaltem me ſponſore: quia ille Dæmon, qui eſt mens uniuſcujuſque, licèt ſit immortalis, nihilominùs quâdam ratione generatur cum homine:* ita *ut illæ ſupplicationes, quibus obſecramus Genium & genua, mihi videantur teſti-*

NOTÆ.

1. *Et animus humanus etiam nunc in corpore ſitus Δαίμων nuncupatur.*] Videndus Divus Auguſtinus, *De Civitate Dei*, lib. 7. cap. 13. Suidas, in *εὐδαιμονία.*

2. *Dii-ne hunc ardorem, &c.*] Ex libro Æneid. 9. deſumpti ſunt hi verſus. Loco horum MS. Thuan. habet tantùm:

Dii-ne hunc animum mortalibus addunt?

3. *Unde nonnulli arbitrantur εὐδαίμονας dici beatos, quorum Dæmon, &c.*] Potiùs fortè quia Genium, qui Dæmon eſt, vocaverunt nonnulli, *τὴν ἑκάστου τύχην, uniuſcujuſque fortunam.* Gloſſar. Henrici Stephani: *τύχη ἑκάστου ἀνθρώπου: Genius*: unde quod Latini *jurare per Genium Cæſaris*, id Græci *ὀμνύναι τὴν τοῦ Καίσαρος τύχην* dicunt. ut obſervat Lindenbrogius ad Cenſorini caput ſecundum.

4. *Ut jam priùs dictum.*] Sic MS. Thuan. & ſic emendatum in meo exemplari Elmenhorſtiano. ubi autem hoc priùs dixerit, non ſuccurrit mihi. certè non hoc opuſculo.

5. *Qui eſt animus ſui cuique.*] Vide apud Plutarch. lib. *περὶ τοῦ Σωκράτους δαιμονίου*, quæ Timarchus, ab antro Trophonii redux, narrat ſibi viſa auditaque, quæ quidem omnem Geniorum hiſtoriam non parum illuſtrant. Thuanus MS. habet *ſuus cuique*, non *ſui.* rectè.

6. *Tamen quodammodo cum homine gignitur.*] Cenſorinus, De Die Natali, cap. 3. *Genius eſt Deus, cujus in tutelâ, ut quiſque natus eſt, vivit. Hic ſive quòd unà genitur nobiſcum; ſive etiam quòd nos genitos ſuſcipit ac tuetur: certè à genendo Genius appellatur.*

7. *Ut hæ preces, quibus Genium & genua precamur, conjunctionem noſtram nexumque videantur mihi obteſtari &c.*] Sic reſtitui, Th. cod. auctoritatem ſecutus, habet enim; *ut hæ preces, quibus*

ctionem noſtram nexumque videantur mihi obteſtari; corpus atque animum duobus nominibus comprehendentes, quorum communio & copulatio ſumus. Eſt & ſecundo ſignificatu ſpecies Dæmonum, Animus humanus [1] emeritis ſtipendiis vitæ [2] corpore ſuo abjurans. hunc vetere Latinâ linguâ reperio [3] Lemurem dictitatum. Ex hiſce ergo Lemuribus, qui poſterorum ſuorum curam ſortitus, placato & quieto numine

INTERPRETATIO.

ficari connexionem atque unionem noſtram; cùm complectantur duobus vocabulis corpus & mentem, quorum unione & conjunctione nos conſtamus. Eſt etiam genus Dæmonum alterâ ſignificatione, Anima humana, quæ abdicat ſe ſuo corpore poſt tranſactam vitam. invenio eam appellatam eſſe priſco ſermone Latino Lemurem. Inter hos igitur Lemures, ille, qui ſuſceptâ tutelâ ſuorum poſterorum incolit ædes numine

NOTÆ.

Genium & Genia precantur conjunctionem noſtram, nec ſunt quæ videantur mihi obteſtari, &c. Hoc vult Apuleius per morem obteſtandi per Genium, & amplectendi genua eorum quos precamur, duas partes, ex quibus conſtat homo, deſignari, animum ſcilicet per Genium, & corpus per genua. vocem *nexumque* ex vocibus *nec ſunt quæ* expreſſi, ad ſonum attendens, qui utrinque penè idem. vocem *genua* agnoſcunt membranæ Florentinæ Elmenhorſtio laudatæ.

1. *Emeritis ſtipendiis vitæ.*] Metaphora à militibus ducta, qui poſt certum exactum numerum annorum, quos per ſtipendia numerabant, à militiâ miſſionem impetrabant, cui miſſioni haud abſimilis videtur ex hac vitâ diſceſſus; Militia enim eſt (ut ſcripturæ ſacræ verbis utar) vita hominis ſuper terram. *Emeritis* hîc paſſivè, ut apud Plaut. Moſtellariâ, Act. 1. Scen. 2.

Unum ubi emeritum eſt ſtipendium, igitur
Tum ſpecimen cernitur, &c.

De hac ſecundâ ſpecie Dæmonum videndus eſt Plato, in Cratylo. Apud Plutarchum, lib. περὶ τοῦ Σωκράτου δαιμονίου Theanor Crotoniata Pythagoricus Philoſophus dicit animos ortu liberatos & vacantes poſtmodum à corpore & tanquam liberos prorsùs emiſſos, Genios eſſe, curam hominum gerentes, &, ſicut athletæ, vacatione artis ob ſenium impetratâ, non omne tamen protinùs abjiciunt ſtudium & curam corporis: ſed delectantur, cùm alios exerceri vident, exhortantur, iiſque præſtò adſunt: ita, confectis vitæ ærumnis, animos, qui ob præſtantiam in Genios verſi ſunt, non planè deſpicere res humanas, hominumque rationes & ſtudia: ſed propitios iis, qui eumdem finem affectant, adjuvare eorum conatus; incitantes & provhentes, cùm eos vident propinquâ ſpe contendere ad finem, eumque jam attingere.

2. *Corpore ſuo abjurans.*] Id eſt, ita relinquens corpus, ut aliud poſtmodum non ſit ingreſſurus. quæ quidem omnimoda à corpore miſſio nonniſi bonis animis concedebatur, qui per innumeros ortus, gravibus ærumnis exactis, benè & alacriter circuitionem abſolverant, ut ait idem Theanor apud Plutarchum. MS. Thunanus non habet vocem *abjurans.*

3. *Lemurem dictitatum.*] Quod nomen genericum hîc facit Larium & Larvarum, Nonius Marcellus ſolis Larvis tribuit. Verba ejus in voce *Lemures.* Lemures, *Larvæ nocturnæ, & terrificationes imaginum, & beſtiarum. Varro de Vitâ Populi Romani libro primo: Quibus temporibus in ſacris fabam jactant noctu, ac dicunt ſe Lemures domo extra januam ejicere.*

4. *Qui poſterorum, &c. domum poſſidet, Lar dicitur familiaris.*] Gloſſæ veteres θέοι κατοικίδιοι : *Lares familiares.* ἥρωες κατοικίδιοι.

domum

domum poſſidet, Lar dicitur familiaris. [1] qui verò ob adverſa vitæ merita, [2] nullis bonis ſedibus, incertâ vagatione ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterùm noxium malis: [3] id genus plerique Larvas perhibent. Cùm verò incertum eſt quæ cuique eorum ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva; nomine Manem Deum nuncupant. ſcilicet & honoris gratiâ Dei vocabulum additum eſt. Quippè tantùm eos Deos appellant, qui ex eodem numero juſtè ac prudenter vitæ curriculo gubernato, pro numine poſteà ab hominibus proditi, fanis & cærimoniis vulgò advertuntur: [4] ut in Bœotiâ Amphiaraus, [5] in Africâ Mopſus,

INTERPRETATIO.

placido & tranquillo, vocatur Lar domeſticus. quantum autem ad eum, qui nullam habens bonam habitationem, propter mala merita ſuæ vitæ plectitur erratione incertâ, veluti quodam exilio, vanos metus incutiens probis hominibus, at nocens improbis: maxima pars appellant ejuſmodi Lemures *Larvas. At quando dubium eſt quæ ſors obtigerit cuilibet eorum, num ſcilicet ſit Lar, num Larva; nominant* ipſum *Manem Deum. nempè adjectum eſt quoque nomen Dei reverentiæ causâ. Illos enim ſolùm vocant Deos, qui,* cùm ſint *ex eodem numero* Lemurum, *poſtquàm direxerunt curſum* ſuæ *vitæ probè ac ſapienter, celebrati poſtmodùm ab hominibus tanquam Dii, paſſim coluntur templis & ritibus; quemadmodum Amphiaraus in Bœotiâ, Mopſus in Africâ,*

NOTÆ.

1. *Qui verò ob adverſa vitæ merita, &c.*] Vide Platonem in Phædone.

2. *Nullis bonis ſedibus.*] VVovverius *nullis propriis ſedibus.*

3. *Id genus plerique larvas perhibent. cùm verò incertum eſt, &c.*] Martian Capella. l. 2. *verùm illi Manes quoniam corporibus illo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam poſt vitam iiſdem corporibus delectantur, atque cum his manentes appellantur Lemures. Qui, ſi vitæ prioris adjuti fuerint honeſtate, in Lares domorum urbiumque vertuntur: ſin autem depravantur ex corpore, larvæ perhibentur, ac Maniæ. Manes igitur hic tam boni quàm truces ſunt conſtituti, quos ἀγαθὲς καὶ κακὲς δαίμονας memorat Graja diſcretio.* In his etiam locis ſunt Manes, eorumque præſtites Mana, atque Manuana: Dii etiam quos Aquilos dicunt, item Fura, Furinaque, & Mater Mania; & cætera, quæ Martianus pluribus eſt executus eodem loco.

4. *Ut in Bœotiâ Amphiaraus.*] Hic vates erat Argivus, ad bellum Thebanum uxoris dolo abductus, quem in eo bello, terrâ dehiſcente, unà cum curru & equis abſorptum, vivumque ad Plutonem delapſum canit Statius in fine lib. 7. & initio lib. 8. Thebaïdos. is poſteà ut Deus cultus eſt, atque in ejus templo pelli mactati arietis incubantes captabant ſomnia, ex quibus futura prænoſcerent. Cicero, lib. 1. de divinatione: *Amphiaraum autem ſic honoravit fama Græciæ, Deus ut haberetur, atque, ut ab ejus ſolo, in quo eſt humatus, oracula peterentur.*

5. *In Africâ Mopſus.*] In Ciciliâ quidem adoratum Mopſum reperio, ſed non in Africâ. Origenes, lib. 3. contra Celſum, ait Celſum dicere non ſecùs nos facere qui comprehenſum & mortuum colimus, ac Gethæ faciunt, qui Zalmoxin adorant & colunt; & Cilices, qui Mopſum; & Acarnanes, qui Amphilochum, & Amphiaraum Thebani, & Lebadii Trophonium. Is Mopſus Argivorum Rex fuit. Cicero eodem lib. 1. de Divinat. *Amphilochus & Mopſus Argivorum Reges fuerunt, ſed iidem Augures: iique urbes in orâ maritimâ Ciliciæ Græcas condiderunt.*

[1] in Ægypto Oſiris, alius alnbi gentium, [2] Æſculapius ubique. Verùm hæc omnis diſtributio eorum Dæmonum fuit, qui quondam in corpore humano fuere. Sunt autem non poſteriore numero, præſtantiori longè dignitate, ſuperius aliud auguſtiuſque genus Dæmonum, qui ſemper à corporis compedibus & nexibus liberi, certis poteſtatibus curant. [3] Quorum è numero Somnus atque Amor, diverſam inter ſe vim poſſident: Amor vigilandi, Somnus ſoporandi. Ex hac ergo ſublimiori Dæmonum copiâ Plato autumat [4] ſingulis hominibus in vitâ agendâ teſtes & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint, [5] arbitri omnium non modò actorum, verùm etiam cogitatorum. [6] At ubi vitâ editâ, remeandum eſt; eundem illum qui

INTERPRETATIO.

Oſiris in Ægypto, alius apud alias nationes, Æſculapius apud omnes. At hæc diviſio fuit illorum Dæmonum, qui olim verſati ſunt in corpore humano. Verùm eſt alia ſpecies Dæmonum ſublimior & venerabilior, numero non minore, multò excellentiore dignitate, qui Dæmones *perpetuò ſoluti à vinculis & conjunctione corporis, curam gerunt quarumdam virtutum. Inter quos Somnus & Amor, habent virtutes inter ſe contrarias: Amor,* nempè virtutem *expergefaciendi, Somnus* verò *ſopiendi. Ex hoc igitur præſtantiori numero Dæmonum Plato exiſtimat ſingulis hominibus attributos eſſe ſingulos, qui ſint arbitri & cuſtodes in vivendo, qui nulli viſibiles, perpetuò ſint præſentes, teſtes cunctorum non ſolùm factorum, ſed cogitationum quoque. Verùm, quando revertendum eſt, peractâ vitâ,* ad Deum ju-

NOTÆ.

1. *In Ægypto Oſiris.*] Vide quæ ſuprà obſervavimus ad hæc verba, *Ægyptiaca numina fermè plangoribus.* Et lib. 11. de Aſino. Item Plutarchum libello de Iſide & Oſiride.

2. *Æſculapius ubique.*] Præcipuè tamen Epidauri in Peloponneſo: unde & Romam tranſlata ejus effigies graſſante peſtilentiâ. quin & peculiari eum cultu Carthaginenſes proſequebantur, ut innuit noſter in Floridis.

3. *Quorum de numero Somnus atque Amor,*] De Amore quidem conceptis verbis Plato in Convivio. *ὗτοι δὴ οἱ δαίμονες πολλοὶ καὶ παντοδαποί εἰσιν· εἷς ἢ τύτων ἐςὶ καὶ ὁ Ἔρως. Enimverò hi Dæmones multi atque varii ſunt. Ex his unus eſt Amor.* Somnus Noctis filius eſt & Mortis frater, apud Heſiodum.

4. *Singulis hominibus in vitâ agendâ teſtes & cuſtodes ſingulos additos.*] Euclides Socraticus Philoſophus non unum, ſed duos unicuique attributos putavit *δαίμονας* ſeu Genios, bonum unum, alterum malum. Et poſt eum idem ſenſere alii multi. Servius ad hæc Virgilii, *Quiſque ſuos patimur Manes: cùm,* inquit, *naſcimur, duos Genios ſortimur: unus eſt qui hortatur ad bona, alter, qui depravat ad mala. nec incongruè dicuntur Genii, quia cùm unuſquiſque genitus fuerit, ei ſtatim obſervatores deputantur: quibus aſſiſtentibus poſt mortem, aut aſſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem, &c.* Plutarch. in vitâ Bruti, apparuiſſe ei malum ipſius Genium refert, dixiſſeque ſe eſſe ejus *κακὸν δαίμονα.*

5. *Arbitri omnium non modò actorum, verùm etiam cogitatorum.*] Videndus Plato in Epinom. loco jam citato.

6. *At ubi vitâ editâ remeandum eſt: eumdem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illicò, & trahere, &c.*] Plato in Phædone idem habet.

nobis prædirus fuit, raptare illicò & trahere veluti cuſtodiam ſuam ad judicium, atque illic in causâ dicendâ aſſiſtere: ſi qua commentiatur, redarguere: ſi qua vera dicat, aſſeverare: prorsùs illius teſtimonio ferri ſententiam. [1] Proinde vos omnes, qui hanc Platonis divinam ſententiam, me interprete, auſcultatis, ita animos veſtros ad quæcunque vel agenda, vel meditanda formate, [2] ut ſciatis nihil omninò præ iſtis cuſtodibus, nec intra animum, nec foris, eſſe ſecreti; quin omnia curiosè ille participet, omnia viſat, omnia intelligat, in ipſis penitiſſimis mentibus vice conſcientiæ diverſetur. Hic, quem dico, [3] prorsùs cuſtos, ſingularis præfectus, domeſticus ſpeculator, proprius curator, intimus cognitor, aſſiduus obſervator, individuus arbiter, inſeparabilis teſtis, malorum improbator, bonorum probator, ſi ritè advertatur, ſedulò cognoſcatur, religiosè colatur, ita ut à Socrate juſtitiâ & innocentiâ cultus eſt: in rebus incertis proſpector, dubiis præmonitor, periculoſis tutator, egenis opitulator. qui tibi queat tum in ſomniis, tum ſignis, tum etiam fortaſſe coràm, cùm uſus poſtulat, mala averruncare, bona proſperare, humilia ſublimare, nutantia fulcire, obſcura clarare, ſecunda regere, adverſa corrigere. Non igitur mirum, ſi Socrates, vir apprimè perfectus, [4] & Apollinis quoque te-

INTERPRETATIO.

dicem, *illum ipſum qui fuit præpoſitus nobis, ſtatim corripere* cum, cui præpoſitus fuerat *& pertrahere, quaſi ſuæ cuſtodiæ* traditum, *in judicium, ibique adſtare ipſi, dum* ſuam *cauſam orat; ſi comminiſcatur quidpiam, illud reprehendere: ſi dicat aliqua vera, affirmare* illa; & *decretum pronuntiari planè juxtà illius teſtimonium. Itaque vos omnes, qui auditis hanc divinam opinionem Platonis, me* ipſam vobis *exponente, ſic inſtituite veſtras mentes ad quævis ſive facienda, ſive cogitanda, ut noſcatis nihil eſſe arcanum, neque intra, neque extra mentem, coràm iis cuſtodibus, quin ille*, qui vobis præfectus eſt, *ſtudeat particeps fieri cunctorum, conſideret omnia, cognoſcat univerſa*, atque *inhabitet in ipſo infimo animorum* loco *inſtar conſcientiæ. Hic, de quo loquor, intimus cuſtos peculiaris præpoſitus, explorator familiaris, curator peculiaris, penitiſſima perſpiciens, perpetuus ſpeculator, teſtis inſeparabilis, individuus arbiter, damnator malorum, laudator bonorum, ſi legitimè colatur, diligenter cognoſcatur, piè honoretur, quemadmodum honoratus fuit à Socrate, æquitate & probitate:* ſit *proviſor in rebus ambiguis, præmonitor in incertis, defenſor in periculoſis, auxiliator in inopiâ. qui poſſit in ſomniis & indiciis, & forſitan etiam manifeſtè, quando eſt opus, avertere mala, augere bona, extollere depreſſa, ſuſtentare labantia, illuſtrare obſcura, gubernare proſpera, corrigere ſiniſtra. Minimè mirandum eſt ergo, ſi Socrates vir perfectiſſimus, & ſapientiſſimus etiam confeſſione Apollinis, cognovit &*

NOTÆ.

1. *Proinde vos omnes, qui, &c.*] Ex his verbis patet libellum hunc eſſe vel diſſertationem, vel diſſertationis partem ab Apuleio publicè habitæ, qualium fragmenta ſunt & ipſa Florida.

2. *Ut ſciatis nihil omninò.*] MS. Thuan. *nihil homini:*

3. *Prorsùs cuſtos.*] Similiter apud Quintil. *prorsùs tumultus.* Declamat. 251. *unde tantus, ac tam prorsùs domûs tuæ tumultus.*

4. *Et Apollinis quoque teſtimonio ſa-*

ſtimonio ſapiens, [1] hunc Deum ſuum cognovit & coluit, ac propterea ejus cuſtos, & propè, ut ita dicam, par contubernio, familiaris, cuncta quæ arcenda ſunt, arcuit; quæ cavenda ſunt, præcavit; & præmonenda præmonuit: ſicubi tamen [2] interfectis Sapientiæ officiis non conſilio, ſed præſagio indigebat; ut ubi dubitatione claudicaret, ibi divinatione conſiſteret. Multa ſunt enim, de quibus etiam ſapientes viri ad ariolos & oracula curſitent. An non apud Homerum, ut in quodam ingenti ſpeculo clariùs cernis hæc duo diſtributa, ſeorsùs Divinationis, ſeorsùs Sapientiæ officia. [3] Nam, cùm duo columina totius exercitûs diſſident, [4] Agamemnon regno pollens, & Achilles bello potens, deſideraturque vir facundiâ laudatus, & peritiâ memoratus, qui [5] Atridæ ſuperbiam ſedet, [6] Pelidæ ferociam compeſcat, atque eos auctoritate advertat, exemplis moneat, oratione permulceat:

INTERPRETATIO.

coluit hunc ſuum Dæmonem, atque adeò ille ejus cuſtos, ac pœnè, ut ita dicam, æqualis & contubernalis, ac domeſticus, repulit omnia quæ ſunt repellenda; proſpexit quæ ſunt proſpicienda; & prædixit quæ ſunt prædicenda: ſi quando tamen interclusis muniis Sapientiæ, non opus habebat conſilio, ſed Divinatione, ut nimirùm *tunc confirmaretur præſagio, cùm vacillaret incertitudine. Nam plurima ſunt, de quibus Sapientes quoque viri recurrunt ad* Di*vinos & ad oracula. Nonne vides apud Homerum, velut in quodam amplo ſpeculo, hæc duo munera præſagii & prudentiæ diviſa ſeorſim à ſe invicem. Etenim quando duo fulcimina totius exercitûs, Agamemnon* nempe *regiâ poteſtate præditus, & Achilles fortis in bello, diſſentiunt* inter ſe, *& opus eſt viro claro ob eloquentiam, & celebri ob ſcientiam, qui retundat faſtum filii Atrei, & reprimat iracundiam filii Pelei, & revocet eos ſuâ auctoritate, inſtruat exemplis, & verbis deliniat:*

NOTÆ.

piens.] Celebre eſt Pythiæ oraculum Chærephonti interroganti editum: Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. *Mortalium unus Socrates verè ſapit.* Quod refert in Socratis vitâ Laërtius. meminit & Plato in ejus Apologiâ.

1. *Hunc Deum ſuum cognovit, &c.*] Socrates apud Platonem in Theage: ἔστι γάρ τι θείᾳ μοίρᾳ παρεπόμενον ἐμοὶ ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον δαιμόνιον. ἔστι δὲ τοῦτο φωνή, ἣ ὅταν γένηται, ἀεί μοι σημαίνει ὃ ἂν μέλλω πράττειν, τούτου ἀποτροπήν. προτρέπει δὲ οὐδέποτε. &c. *Adeſt mihi divinâ quâdam ſorte Dæmonium quoddam à primâ pueritiâ me ſecutum: hoc autem vox eſt quædam, quæ, cùm fit, ſemper ejus rei, quam facturus ſum diſſuaſionem innuit, adhortatur verò nunquam.*

2. *Interfectis ſapientiæ officiis.* Rom. & Bremen. *interfectis.* alii, *internectis.* Fulvii liber, *interjectis.* VVovverius, *imperfectis.* Lege meo periculo, *interceptis*: quod etiam in interpretatione expreſſi. ait nimirùm in rebus quæ caſu reguntur, & in quibus nullus eſt prudentiæ locus relictus, Dæmonii ſui voce moneri ſolitum Socratem, quod conſonat iis quæ de eodem Genio habet Plutarchus.

3. *Nam cùm duo columina totius exercitus diſſident Agamemnon, &c.*] Iliad. A.

4. *Agamemnon regno pollens.*] Homero ἄναξ ἀνδρῶν. Huic enim in obſidione Trojanâ imperium exercitûs Græci omnes detulerant.

5. *Atridæ.*] Agamemnonis Atrei filii.

6. *Pelidæ.*] Achillis, cui mater Thetis, pater Peleus.

quis igitur tali in tempore ad dicendum exortus eſt? [1] Nempè Pylius orator, eloquio comis, experimentis cautus, ſenectâ venerabilis; cui omnes ſciebant corpus annis hebeſcere, animum prudentiâ vigere, verba dulcedine affluere. Itidem cùm [2] rebus creperis & afflictis ſpectatores deligendi ſunt, qui nocte intempeſtâ caſtra hoſtium penetrent; [3] nonne Ulyſſes cum Diomede deliguntur? veluti conſilium & auxilium, mens & manus, animus & gladius? [4] Enimverò cùm [5] Aulide deſidibus & obſeſſis, ac tædio abnuentibus, difficultas belli, & facultas itineris, tranquillitas maris, & clementia ventorum, [6] per fibrarum notas, [7] & alitum eſcas, & ſerpentium vias explorandæ: tacent nempè mutuò duo illa ſapientiæ Grajæ ſumma cacumina, [8] Ithacenſis

INTERPRETATIO.

quis igitur tunc temporis aggreſſus eſt verba facere? Scilicet Neſtor orator ſuavis facundiâ, prudens uſu rerum, reverendus ob ſenectutem, cui cuncti cognoſcebant corpus debilitatum eſſe ſenio, at mentem conſilio valere, & verba abundare ſuavitate. Similiter quando rebus dubiis & labaſcentibus eligendi ſunt exploratores, qui ingrediantur caſtra hoſtium multâ nocte; annon eliguntur Ulyſſes & Diomedes? tanquam conſilium & auxilium, animus, & brachium, mens & enſis? verùm quando, Græcis *ceſſantibus & retentis in Aulide, ac* jam *detrectantibus* bellum *præ tædio, obſervanda eſt difficultas belli, & facilitas itineris, & tranquillitas maris, & lenitas ventorum per indicia fibrarum, & pabula avium, atque iter anguium, ſilent nimirùm viciſſim illa duo ſuprema culmina prudentiæ Græ-*

NOTÆ.

1. *Nempè Pylius orator.*] Neſtor ex Pylo Meſſeniaci agri oppido, de quo videndus Homerus Iliad A.

2. *Rebus creperis.* Feſtus, *creperum, dubium.* Nonius: *crepera res propriè dicitur dubia. unde & crepuſculum dicitur lux dubia, & ſenes decrepiti dicti in dubio vitæ conſtituti, &c.*

3. *Nonne Ulyſſes cum Diomede deliguntur.*] Vide Homerum, Iliad. K. Vulgati habent *diriguntur* malè. Codex Thuanus *deliguntur*, quod amplector.

4. *Enimverò cum Aulide deſidibus & obſeſſis, ac tædio abnuentibus, &c.*] Hæc eſt lectio codicis Florent. Brem. Leidenſ. & Thuani, quam ut germanam amplecti non dubito.

5. *Aulide.*] Αὐλὶς Straboni regiuncula eſt petroſa, & pagus Tanagræorum in Bœotiâ è regione Chalcidis urbis Eubœæ inſulæ, cum portu quinquaginta navium capace. in hunc portum convenerunt Græcæ naves ad bellum Trojanum profecturæ, ibique magno cum Græcorum omnium tædio, iniquâ tempeſtate diu detentæ, donec ſanguine placâſſent ventos, & virgine cæsâ, Iphigeniâ nempè Agamemnonis filiâ.

6. *Per fibrarum notas.*] Præcipuè jecoris.

7. *Et alitum eſcas & ſerpentium vias.*] Alitum eſcas, non quas alites ederent, ſed quas ipſæ ſuis corporibus ſerpenti comedendas dederunt. ad octo illos paſſerculos reſpicit, quos unà cum matre Draco in platanum aſcendens devoravit in Aulide, ſpectantibus Græcis. Unde Calchas novem annis duraturum bellum Trojanum, decimo verò urbem expugnatum iri eſt vaticinatus. Vide Homer. Iliad. B. verſ. 300. & ſeqq. MS. Thuan. habet: *& alitum vias, & ſerpentum eſcas*, non malè. *alitum viæ* eſſent auſpicium, *ſerpentum eſcæ*. Paſſerculi cum matre.

8. *Ithacenſis & Pylius.*] Ulyſſes Rex Ithacæ inſulæ, & Neſtor, de quo jam ſuprà.

& Pylius. Calchas autem longè præſtabilis ariolari, ſimul alites & altaria [1] & arborem contemplatus eſt, ac tum ſuâ Divinatione & tempeſtates flexit, & claſſem deduxit, & decennium prædixit. Non ſecùs etiam in Trojano exercitu; cùm divinatione res indigent, tacet ille ſapiens ſenatus, nec audet aliquid pronuntiare [2] vel Hicetaon, vel Lampus, vel Clytius: ſed omnes ſilentio auſcultant [3] aut ingrata auguria Heleni, [4] aut incredita vaticinia Caſſandræ. Ad eumdem modum Socrates quoque, ſicubi locorum aliena ſapientiæ officiis conſultatio ingruerat; [5] ibi vi Dæmonis præſagâ regebatur. verùm ejus monitis ſedulò obediebat, eòque erat Deo ſuo longè acceptior. Quod autem [6] incepta Socratis quæpiam Dæmon ille fermè prohibitum ibat, nunquam adhortatum, quodammodo ratio prædicta eſt. Enimverò Socrates, utpote vir apprimè perfectus ex ſeſe, & ad omnia congruentia

INTERPRETATIO.

eſt, Ulyſſes & Neſtor. At verò Calchas multò peritior divinandi, ſtatim atque conſideravit aves, & aras, & arborem, illicò ſuâ ariolatione & placavit procellas, & eduxit naves in mare, *& vaticinatus eſt decem annos. Similiter in caſtris Trojanis, quando opus eſt ariolatione; prudens ille ſenatus ſilet, neque aut Hicetaon, aut Lampus, aut Clytius præſumunt quidpiam dicere: verùm cuncti tacentes audiunt vel auſpicia Heleni odioſa, vel prædictiones Caſſandræ nunquam creditas. Eâdem ratione Socrates etiam, ſi quando imminebat deliberatio remota à muniis prudentiæ, tunc dirigebatur virtute vaticinatrice* ſui *Genii. Sed parebat diligenter ejus admonitionibus, & idcircò erat multò gratior ſuo Dæmoni. Cur verò ille Deus ferè ſolebat vetare quædam cœpta Socratis*, at *nunquam* eum ad ulla *impellebat, ratio quadamtenùs allata eſt ſuprà. Nam Socrates, quippè* qui erat *vir ex ſe perfectiſſimus & ex-*

NOTÆ.

1. *Et arborum contemplatus eſt ictum, &c.*] Thuanæ membranæ: *& fœtum arborum contemplatus eſt, ac tum ſuâ Divinatione, &c.* optimè. *fœtus arborum*, hic erit nidus cum aviculis.

2. *Vel Hycetaon, vel Lampus, vel Clytius.*] Qui quidem Senatores erant Trojani ob ſenectutem jam à bello ceſſantes, concionatores optimi, hos cicadis comparat Homerus, quæ in ſilvâ arbori inſidentes vocem ſuam emittunt. Vide ipſum Iliad. Γ. verſ. 146. & ſeqq.

3. *Aut ingrata auguria Heleni.*] Helenus hic fuit Priami & Hecubæ filius, vaticinio pollens, cujus ingrata vocat auguria, quoniam nihil fauſti Trojanis prænuntiabant.

4. *Incredita vaticinia Caſſandræ.*] Virgil. lib. 2. Æneid.

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, Dei juſſu non unquam credita Teucris.

Hæc filia quoque fuit Priami & Hecubæ, quæ, cùm amanti Apollini ſui corporis uſuram eâ lege promiſiſſet, ſi ſe futurorum ſcientiâ vaticinioque donâſſet; quod petierat conſecuta, promiſſis ſtare noluit. quâ re indignatus Apollo, cùm ſemel conceſſa revocare non poſſet, quod unum potuit, fidem omnem ejus vaticiniis ademit.

5. *Ibi vi Dæmonis præſagâ regebatur.*] Hanc lectionem, quam germanam puto, exhibet MS. Fulvii liber. alii aliter, ſed minùs benè.

6. *Incepta Socratis quæpiam Dæmon ille fermè prohibitum ibat, nunquam adhortatum.*] Socrates apud Platonem in Theage, loco ſuprà citato. Idem habet & in Apologiâ ſuâ.

ſibi officia promptus, nullo adhortatore unquam indigebat: at verò prohibitore nonnunquam; ſi quibus fortè conatibus ejus periculum ſuberat, ut monitus præcaveret, omitteret cœpta impræſentiarum, quæ tutiùs vel poſteà capeſſeret, vel aliâ viâ adoriretur. In hujuſcemodi rebus, [1] vocem quampiam divinitus exortam dicebat ſe audire. ita enim eſt apud Platonem: [2] ne quiſquam arbitretur omina eum vulgò loquentium captitâſſe. Quippè etiam ſemotis arbitris, unà cum Phædro extrà pomœrium, ſub quodam arboris opacæ umbraculo, [3] ſignum illud adnuntium ſenſit, ne priùs tranſcenderet Iliſſi amnis modicum fluentum, quàm increpitu indignatum Amorem recinendo placâſſet: cùm prætereà ſi omina obſervitaret, aliquando eorum nonnulla etiam hortamenta haberet, ut videmus pleriſque uſuvenire, qui nimiâ ominum ſuperſtitione, [4] non ſuopte corde ſed alterius verbo reguntur; ac per angiporta reptantes, conſilia ex alienis vocibus colligunt, &c, ut ita

Interpretatio.

peditus ad cuncta munia ſibi convenientia, nunquam opus habebat ullo impulſore: ſed aliquando opus habebat *dehortatore; ſi fortè periculum latebat ſub aliquibus cœptis, ut admonitus* ſibi *proſpiceret, relinqueret incepta in præſens, quæ securiùs aut reſumeret poſtmodum, aut aggrederitur aliâ ratione. Aiebat ſe audire in talibus negotiis quandam vocem emiſſam cœlitùs. nam ſic refertur à Platone: ne quis exiſtimet eum ſolitum ſumere præſagia* à vocibus hominum *paſſim loquentium. Etenim* ſemel *quoque* cùm eſſet *ſimul cum Phedro trans pomœrium, ſub tegmine cujuſdam denſæ arboris, nec ulli teſtes adeſſent, accepit hoc monitum, ne ſuperaret exiguas aquas Iliſſi fluminis, antequàm decantatâ palinodiâ deliniiſſet Amorem iratum* ſuâ *vituperatione: cùm inſuper, ſi ſolitus eſſet captare omina, accepiſſet etiam ab eis aliquas exhortationes, quemadmodum cernimus ſæpè contingere quamplurimis* eorum. *qui ob nimiam religionem omnium* rerum, *non diriguntur ſuâ ipſorum mente, verùm voce alienâ; & errantes per vicos, ſumunt conſilia ex verbis aliorum, atque,*

Notæ.

1. *Vocem quampiam divinitùs exortam.*] Confer locum Platonis ex Theage ſuprà citatum.

2. *Ne quiſquam arbitretur omina eum vulgò loquentium captitâſſe.*] Neque etiam ſternutantium. Polymnius, referente Galaxidoro, apud Plutarch. lib. cit. de Dæmonio Socratis, ait ſe audiviſſe Terpſionem Megaricum dicentem Genium Socratis fuiſſe ſternutationem, cùm ipſius, tùm aliorum. Alio quidem ſternutante à dextrâ, ſolitum ſe fuiſſe ad agendum conferre: ſin à ſiniſtrâ fieret, ceſsâſſe. Ex ipſius autem ſternutationibus, eam quæ fieret acturo aliquid, confirmâſſe ejus propoſitum: quæ verò contigiſſet inter agendum, inhibuiſſe. Sed hoc pugnat cum Platonis locis ſuprà deſignatis.

3. *Signum illud adnuntium ſenſit ne priùs tranſcenderet Iliſſi amnis, &c.*] In Platonis Phædro Socrates id narrat Phædrum alloquens, & palinodiam canit, quam legere ibi poteris.

4. *Non ſuopte corde, ſed alterius verbo reguntur.*] Pacuvius apud Ciceronem, lib. 1. de Divinatione.

Nam iſtis, qui linguam avium intelligunt,
Pluſque ex alieno jecore ſapiunt quàm ex ſuo,
Magis audiendum, quàm auſcultandum cenſeo.

dixerim, non animo, ſed auribus cogitant. Verùm enimverò utut iſta ſunt, certè [1] qui hominum ariolorum vocem audiunt, ſæpenumerò auribus ſuis uſurpant vocem, de quâ nihil cunctentur: quam ſciunt ex ore humano profectam. Atenim Socrates [2] non *vocem* ſibi, ſed *vocem quampiam* dixit divinitùs oblatam: quo additamento profectò intelligas, non uſitatam vocem, nec humanam ſignificari. quæ ſi foret, fruſtrà *quæpiam*, quin potiùs aut *vox*, aut certè *cujuſpiam vox* diceretur; ut ait illa Terentiana meretrix:

[3] *Audire vocem viſa ſum modò militis.*

Qui verò vocem dicat ſe *quampiam* audiviſſe; aut neſcit unde ea exorta ſit, aut in ipsâ aliquid addubitat, aut eam quiddam inſolitum & arcanum demonſtrat habuiſſe, ita ut Socrates eam, [4] quam ſibi tempeſtivè ac divinitùs editam aiebat. Quod equidem arbitror [5] non modò auribus eum, verùm etiam oculis ſigna Dæmonis ſui uſurpâſſe. Nam frequentiùs non vocem, ſed ſignum divinum ſibi oblatum præ ſe

INTERPRETATIO.

ut ita dicam, non cogitant mente, ſed auribus. At quoquo modo ſe habeant, illi profectò, qui auſcultant verba divinorum, ſæpiſſimè excipiunt auribus ſuis vocem, de quâ minimè ambigunt; & *quam norunt prodiiſſe ex ore humano. Verùm Socrates non dixit* ſimpliciter vocem *ſe* audiviſſe, *ſed* quandam vocem ſibi *objectam à Deo. Quâ additione certè cognoſcendum eſt non deſignari vocem ſolitam, neque humanam.* quia *ſi eſſet talis, nequidquam diceretur* quædam, *ſed potiùs vel* vox ſolùm, *vel ſanè* vox cujuſdam; *quemadmodum dicit illa meretrix apud Terentium:*

Modò *mihi* viſa ſum audire vocem militis.

At ille qui ait ſe audiviſſe quandam vocem, vel ignorat ex quo loco illa profecta ſit, vel ambigit aliquo modo de eâ, vel oſtendit in ipsâ fuiſſe aliquid inuſitatum & ſecretum, quemadmodum Socrates in eâ, quam dicebat ſibi oblatam opportunè & Dei beneficio. Et certè exiſtimo eum non tantùm percepiſſe auribus indicia ſui Dei, ſed & oculis quoque. Sæpiùs enim oſtendebat non vocem, ſed indicium divinum ſibi fuiſſe

NOTÆ.

1. *Qui hominum ariolorum, &c.*] MS. Thuan. *quod ominum arioli vocem audiunt ſæpenumero auribus ſuis uſurpatam, de quâ nihil cunctentur, &c.*

2. *Non vocem ſibi, ſed vocem quampiam, &c.*] In Theage & Phædro, locis ſuprà citatis. Vide Proclum in excerptis de Animâ & Dæmone.

3. *Audire vocem, &c.*] Ex Eunucho Terentii eſt hic verſus.

4. *Quam ſibi ac divinitùs editam tempeſtivè aiebat.*] Tranſpone vocem *tempeſtivè*, & lege *quam ſibi tempeſtivè ac divinitùs editam aiebat*, ſenſus erit clarior.

5. *Non modò auribus eum, verùm etiam oculis ſigna Dæmonis ſui uſurpâſſe.*] Plutarch. libro περὶ τοῦ Σωκράτους Δαιμονίου. Socratem Genium ſuum neque oculis neque auribus uſurpâſſe ait, ſed valdè probabile eſſe ejus monita, neque viſum fuiſſe, neque ſonum, ſed vocem ſine ſono, quæ ipſum intellectum eo quòd ſignificabat, attingeret. Sicut in ſomniis quoque vox non eſt, ſed orationum quarumdam voces concipientes, putant ſe loquentes audire.

ferebat.

ferebat. Id ſignum poteſt & ipſius Dæmonis ſpecies fuiſſe, quam ſolus Socrates cerneret, ita ut Homericus Achilles Minervam. Credo pleroſque veſtrûm hoc quod modò dixi cunctantiùs credere, & impendio mirari formam Dæmonis Socrati viſitatam. Atenim [1] Pythagoricos mirari oppidò ſolitos, ſi quis ſe negaret unquam vidiſſe Dæmonem, ſatis, ut reor, idoneus auctor eſt Ariſtoteles. Quod ſi cuivis poteſt evenire facultas contemplandi divinam effigiem, cur non apprimè potuerit Socrati obtingere, quem cuivis ampliſſimo Numini Sapientiæ dignitas coæquârat? Nihil enim eſt Deo ſimilius & gratius, quàm vir animo perfectè bonus: qui tam hominibus cæteris antecellit, quàm ipſe à Diis immortalibus diſtat. Quin potiùs nos quoque Socratis exemplo & commemoratione erigimur? [2] ac nos ſecundo ſtudio Philoſophiæ paris, ſimilium Numinum caventes permittimus? de quo quidem neſcio quâ ratione dirapimur. [3] Et nihil æquè miror, quàm cùm omnes & cupiant optimè vivere, & ſciant non aliâ re quàm animo vivi, nec fieri poſſe [4] quin, ut optimè vivas, animus colendus ſit; tamen animum ſuum non colant. At, ſi quis velit acriter cernere; ocu-

INTERPRETATIO.

exhibitum. Illud indicium poteſt etiam fuiſſe ſimulachrum ipſius Dei, quod ſolus Socrates conſpiceret, ſicut Achilles Palladem apud Homerum. Exiſtimo maximam partem veſtrûm difficiliùs ſibi perſuadere quod mox dixi, ac ſummopere admirari ſimulacrum Dæmonis, quod Socrates ſolebat videre. Verùm Ariſtoteles eſt auctor ſat fide dignus, ut arbitror, Pythagoreos conſueviſſe impensè mirari, ſi aliquis diceret ſe nunquam conſpexiſſe Dæmonem. Quod ſi poteſt obtingere cuipiam copia intuendæ imaginis divinæ, quare non potuerit præcipuè accidere Socrati, quem Majeſtas ſuæ *Sapientiæ fecerat ſimilem cuilibet perfectiſſimo Deo? Nam nihil eſt ſimilius neque acceptius Deo, quàm homo mente omninò probus: qui æquè ſuperat reliquos homines, ac ipſe ſuperatur à Diis immortalibus. Quare nos non extollimur potiùs exemplo, & mentione Socratis? & nos tradimus felici ſtudio ſimilis Philoſophiæ, obſervantes ejuſmodi Deos? à quo quidem ſtudio non video quâ de causâ diſtrahamur. nec quidquam adeò demiror, quam* quod *cuncti, cùm optent beatiſſimè vivere, & noverint non alio pacto vivi quàm mente, neque fieri poſſe quin mens excolenda ſit, ut beatè vivas; nihilominùs non excolant mentem. Sed, ſi quis cupiat perſpicaciter videre; curæ*

NOTÆ.

1. *Pythagoricos mirari oppidò ſolitos, ſi quis ſe negaret, &c.*] Idem ſcribit Plutarch. in libello περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων.

2. *Ac nos ſecundo ſtudio Philoſophiæ paris, ſimilium Numinum caventes permittimus.*] Hanc germanam lectionem eſſe cenſet Schoppius, & *caventes ſimilium Numinum* dicit eos, qui, veriti conſcientiam Genii ſui, Philoſophiæ ſtudiis ſeſe dedunt, utpote quæ ſit virtutum indagatrix, expultrixque vitiorum.

3. *Et nihil æquè miror, &c.*] Hæc & ſequentia laudantur à Joan. Saliſberienſi, in Polycratico; unde emendata ſunt à Colvio quæ priùs corrupta erant in vulgatis editionibus.

4. *Quin, ut optimè vivas, animus colendus.*] Hæc lectio eſt Thuani codicis, optima. In vulgatis: *quin optimè vivas, niſi animus, &c.* malè.

li curandi ſunt, quibus cernitur: ſi velis perniciter currere; pedes curandi ſunt, quibus curritur: itidem ſi pugillari validè velis; [1] brachia vegetanda ſunt, quibus pugillatur. Similiter in omnibus cæteris membris, ſua cuique cura pro ſtudio eſt. Quod cùm omnes facilè perſpiciant; nequeo ſatis mecum reputare, & proinde ut res eſt admirari, cur non etiam animum ſuum ratione excolant. Quæ quidem ratio vivendi omnibus æquè neceſſaria eſt; non ratio pingendi, nec ratio pſallendi; quas quivis bonus vir ſine ullâ animi vituperatione, ſine turpitudine, ſine labe contempſerit. [2] Neſcio, ut Iſmenias, tibiis canere; [3] ſed non pudet me tibicinem non eſſe: neſcio [4] ut Apelles coloribus pingere, ut Lyſippus fingere; ſed non pudet me non eſſe ſignificem. & idem in cæteris artibus, ne omnes perſequar, licet tibi neſcire, [5] nec pudet. Enimverò dic ſodes, neſcio benè vivere, ut So-

INTERPRETATIO.

habenda eſt oculorum, quorum ope videtur: ſi cupias currere celeriter; cura habenda eſt pedum, quorum ope curritur: ſimiliter ſi cupias ſtrenuè luctari; corroborandi ſunt lacerti, quibus luctantur. Eâdem ratione in cunctis aliis membris, curatio ſua eſt unicuique vice ſtudii. Quod cùm univerſi facilè videant; non poſſum ſatis recogitare apud me, & mirari prout res meretur, quare non excolant etiam ſuam mentem rectâ ratione. Quæ quidem ars vivendi eſt cunctis æqualiter neceſſaria, non autem ars pingendi, neque ars cantandi, quas quilibet vir probus ſpreverit abſque vituperio mentis, abſque probro, abſque dedecore. Non valeo inflare tibias quemadmodum Iſmenias; at me minimè pudet quod non ſim tibicen: non poſſum pingere coloribus quemadmodum Apelles, neque ſculpere quemadmodum Lyſippus; at nequaquam me pudet quod non ſim ſtatuarius. ſimiliterque potes idem ignorare in reliquis artibus, ne attingam ſingulas, neque tamen te pudet ignorare. At dic, ſi audes, ignoro rectè vivere ſicut Socrates,

NOTÆ.

1. *Brachia vegetanda ſunt.*] Scilicet exercitatione. Sidon. Apollinaris, lib. 5. Epiſtolarum: *Quantum membra torpore ſtatarii laboris hebetata, curſu ſalubri vegetarentur.*

2. *Neſcio ut Iſmenias tibiis canere.*] Iſmenias ille Thebanus erat peritiſſimus tibicen. hujus extat dictum ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις. *mihi & Muſis* ſupple *cano.* quod dictum & Auguſtus ad aliud tranſtulit, Tiberim ad exercitum proficiſcentem alloquens, ut refert Sueton. in Tiberio: 2. *Vale, jucundiſſime Tiberi, & rem gere feliciter,* ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις στρατηγῶν.

3. *Sed non pudet me tibicinem non eſſe.*] Huc facit quod de hoc Iſmenia Plutarchus habet in Pericle: Ἀντισθένης ἀκούσας ὅτι σπουδαῖός ἐστιν αὐλητὴς Ἰσμηνίας, Ἀλλ' ἄνθρωπος (ἔφη) μοχθηρός. οὐ γὰρ ἂν οὕτω σπουδαῖος ἦν αὐλητής. *Cùm audiſſet Antiſthenes Iſmeniam optimum eſſe tibicinem, malus igitur vir eſt (inquit) nam non eſſet tam bonus tibicen.*

4. *Ut Apelles pingere, ut Lyſippus fingere.*] De his ad Florida. Huc ſpectant hi Horatii verſus de Alexando, in Arte Poëticâ.

Edicto vetuit ne quis ſe præter Apellem
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia, &c.

5. *Nec pudet.*] Sic MS. Thuan, vulgata *nec pudeat.*

crates, ut Plato, ut Pythagoras vixerunt; nec pudet me neſcire benè vivere. nunquam hoc dicere audebis. Sed cumprimis mirandum eſt, quòd ea, quæ minimè videri volunt neſcire, diſcere tamen negligunt, & ejuſdem artis diſciplinam ſimul & ignorantiam detrectant. Igitur [1] ſi quotidiana eorum æra diſpungas; invenies in rationibus multa prodigè profuſa, & in ſemet nihil: in ſui dico Dæmonis cultum; qui cultus nihil aliud quàm Philoſophiæ ſacramentum eſt. Planè quidem villas opiparè extruunt, & domos ditiſſimè exornant, & familias numeroſiſſimè comparant; ſed in iſtis omnibus, in tantâ affluentiâ rerum, nihil eſt præterquàm ipſe dominus pudendum. nec injuriâ. cumulata enim habent, quæ ſedulò percolunt; ipſi autem horridi, inculti, indoctique circumeunt. Igitur illas ædificiorum ſpecies, in quas patrimonia ſua profuderunt, amœniſſimas, & exſtructiſſimas, & ornatiſſimas deprehendas: villas æmulas urbium conditas, domos vice templorum exornatas, familias numeroſiſſimas & calamiſtratas, opiparam ſupellectilem, omnia affluentia, omnia opulenta, [2] omnia ornata, præter ipſum dominum, qui ſolus, [3] Tantali vice, in ſuis divitiis inops,

INTERPRETATIO.

ſicut Plato, ſicut Pythagoras vixerunt; nec me pudet quod ignorem rectè vivere. nunquam ſanè audebis hoc dicere. Sed præcipuè demirandum eſt, quòd illa quæ nequaquam volunt credi ignorare, nihilominus non curant diſcere, & à ſe removere volunt eruditionem ſimul & inſcitiam ejuſdem artis. Ergo ſi expendas quotidianas eorum rationes, reperies in actis plurima conſumpta profuſè, & nihil in ſeipſos, hoc eſt, in cultum ſui Genii; qui cultus nihil eſt aliud niſi Arcanum Philoſophiæ. Ædificant quidem villas prorsùs magnificè, & condecorant ſuas *ædes opulentiſſimè, atque emunt quamplurimos ſervos; verùm in his univerſis, & in tantâ abundantiâ opum nihil eſt turpe, niſi ipſe dominus. Et meritò, nam habent ea, quibus ipſi egregiè ſtudent, coaggerata; ipſi verò ambiunt* ea *hiſpidi, inornati, & ignari. Reperias ergo illas facies ædificiorum, in quas prodegerunt ſua bona, gratiſſimas, optimè ædificatas, & maximè condecoratas: exſtructas villas, quæ cum urbibus contendant, ædes ornatas veluti fana, quamplurimos ſervos, eoſque cincinnatos, lautam ſupellectilem, cuncta abundantia, cuncta locupletia, cuncta decorata, excepto ipſo domino, qui unus adinſtar Tantali in ſuis opibus pauper, indi-*

NOTÆ.

1. *Si quotidiana eorum æra diſpungas.*] Id eſt, rationes, quibus continentur æra quotidie tum data tum accepta. Papinianus, *De verborum ſignificatione: Diſpungere eſt conferre accepta & data.* Bienenſis codex, teſte Elmenhorſt. habet: *ſi quotidiana eorum acta diſpungas*, quod mihi valdè probatur. idem quippè habent membra æ Thuanæ jam à me laudatæ ſæpiùs. *Acta quotidiana* rationes ſunt Græcis 'Εφημερίδες.

2. *Omnia ornata præter ipſum dominum.*] Talis erat dives ille in quem ſpuit Diogenes cauſatus, præter ipſum, nihil ſe in ejus ædibus ſordidi loci reperire quò poſſet ſpuere: rem narrat Galenus, in Exhortatione ad artes.

3. *Tantali vice.*] Horatius, Satyrâ 1. lib. 1.

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina, &c.

Ad quem locum reſpexiſſe videtur no-

egens, pauper, non quidem fluentum illum fugitivum captat, [1] & fallacis undæ ſitit, ſed veræ Beatitudinis, [2] id eſt, ſecundæ vitæ & prudentiæ fortunatiſſimæ eſurit, & ſitit Quippè non intelligit, æquè divites ſpectari ſolere, ut equos mercamur. Neque enim in emendis equis phaleras conſideramus, & [3] baltei polimina inſpicimus, & ornatiſſimæ cervicis diuitias contemplamur; ſi ex argento & auro & gemmis [4] monilia variegata dependent; ſi plena artis ornamenta capiti & collo circumjacent; ſi fræna cælata, ſi ephippia fucata, ſi cingula aurata ſint: ſed iſtis omnibus exuviis amolitis, equum ipſum nudum, & ſolum corpus ejus & animum contemplamur. ut ſit ad ſpeciem honeſtus, ad curſum vegetus, & ad vecturam validus. jam primùm in corpore ſi ſit

[5] Argutum caput, & brevis alvus, obeſaque terga,
Luxurietque thoris animoſum pectus honeſtis,

Præterea, ſi duplex agitur per lumbos ſpina. Volo enim non modò

Interpretatio.

gus, egenus, non inhiat quidem huic fluvio fugaci, neque ſitit illam vanam aquam, verùm eſurit & ſitit veram felicitatem, hoc eſt, vitam & prudentiam beatiſſimam. Etenim non videt opulentos homines ſic ſolitos conſiderari, quemadmodum emimus equos. Nam, quando mercamur equos, non ſpectamus phaleras, neque polituras intuemur baltei, neque conſideramus opes colli exornatiſſimi, an monilia pretii diverſi ex auro & argento, ac gemmis ex ipſo *pendeant; an ornamenta ſummâ arte elaborata circumdent ejus caput ac cervices: an fræna ſint cælata, an ephippia ſint picta, an cingula ſint deaurata: verùm, remotis cunctis his ſpoliis, conſideramus ipſum equum nudum, & ſolum ejus corpus, &* vigorem *animi. ut* nempè *ſit decorus ſpecie, animoſus ad curſum, & robuſtus ad vehendum. Ac primùm an ſit in ejus corpore*

Caput exile, & parvus venter, ac clunes præpingues,
Et generoſum ejus pectus abundet pulpis decoris.

Inſuper, an ſpina duplex ducatur per lumbos. nam volo, ut non ſolùm cele-

Notæ.

ſter, cùm dicit, *non quidem fluentum illum fugitivum captat.* ubi etiam obiter obſerva *illum* neutro genere pro *illud*, niſi mendum ſubſit.

1. *Et fallacis undæ ſitit, &c.*] Sic lege, non *ſitim*, quod eſt in vulgatis. Hanc emendationem eidem ignotæ manui debeo, de quâ jam ſuprà. *Sitio* & *eſurio* cum genitivo, phraſis Græca eſt.

2. *Id eſt ſecundæ vitæ.*] An *alterius vitæ*? an potiùs *fauſtæ ac fortunatæ*? Porrò lectio hæc eſt Joan. Saliſb. Romana editio habet fortaſſè meliùs *ſinceræ vitæ*.

3. *Baltei polimina.*] Balteum in equo intelligo lorum pectorale, quod bullis auratis ſæpè ornant.

4. *Monilia variegata.*] Sic reſtituit Brantius, ac ſanè benè. Vulgati habent, *monilia variæ gazæ*, quod minùs arridet. cùm præſertim jam dixerit *ex argento, & auro, & gemmis*, adeò ut hoc *variæ gazæ* ſit tantùm inutilis priorum horum repetitio.

5. *Argutum caput, &c.*] Deſumpti ſunt hi verſus ex lib. 3. Georgic. Virgilii, ubi egregiam generoſi equi deſcriptionem vide.

perniciter, verùm etiam molliter pervehat. [1] Similiter igitur & in hominibus contemplandis noli illa aliena æſtimare, ſed ipſum hominem penitùs conſidera: [2] ipſum, ut meum Socratem, pauperem ſpecta. Aliena autem voco, quæ parentes pepererunt, & quæ Fortuna largita eſt. quorum nihil laudibus Socratis mei admiſceo: nullam generoſitatem, nullam proſapiam, nullos longos nataleis, nullas invidioſas divitias. Hæc enim cuncta, ut dico, aliena ſunt: [3] Sate Prothanio, gloria eſt, qui talis fuit, ut nepotem ejus non puderet. Igitur omnia ſimiliter aliena numeres licebit. Generoſus eſt? parentes laudas. Dives eſt? non credo Fortunæ. Nec magis iſta adnumero. Validus eſt? ægritudine fatigabitur. Pernix eſt? abibit in ſenectutem. Formoſus eſt? expecta pauliſper, & non erit. Atenim bonis artibus doctus & apprimè eſt eruditus, &, quantum licet homini, ſapiens, & boni conſultus? tandem aliquando ipſum virum laudas. Hoc enim nec à patre hæreditarium eſt, nec caſu pendulum, [4] nec à ſuffragio anniculum, nec

INTERPRETATIO.

riter vehat, ſed ut leniter quoque. Eâdem ergo ratione, dum conſideras homines, ne ſpecta illa aliena, verùm contemplare intimè ipſum hominem. intuere ipſum inopem, veluti meum Socratem. Illa *autem appello aliena, quæ genitores procreaverunt, & quæ Fortuna tribuit. quorum nihil inſero encomiis mei Socratis: nullam nobilitatem, nullam ſtirpem, nullas prolixas ſeries avorum, nullas opes obnoxias invidiæ. Nam ea omnia ſunt aliena, ut aio.* Cum dicis *fili Prothanii*, eſt ipſius *laus, qui hujuſmodi fuit, ut non eſſet dedecori* ſuo *nepoti. Poteris ergo itidem recenſere omnia aliena*: ſi dicas *eſt nobilis; prædicas* ejus *parentes*: ſi dicas *eſt locuples; non fido Fortunæ. Neque potiùs accenſeo hæc* bonis. *Si eſt robuſtus, frangetur morbo.* ſi *eſt celer* curſu; *deveniet ad ſenium.* ſi *eſt pulcher; mane tantiſper, & non erit ampliùs. Verùm* inquis, *inſtructus eſt, & optimè excultus bonis diſciplinis, & prudens eſt quantum homo poteſt* eſſe, *& gnarus boni. Jam demùm laudas virum ipſum. nam hoc neque relictum eſt ipſi à patre, neque dependet à Fortunâ, neque* collatum eſt *in annum ſuffragiis* populi, *neque*

NOTÆ.

1. *Similiter igitur & in hominibus contemplandis, &c.*] Macrob. Saturnal. lib. I. cap. II. *Quemadmodum ſtultus eſt qui empturus equum non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus ac frænos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ, modo veſtis, nobis circumdata eſt, æſtimandum putat.*

2. *Ipſum ut meum Socratem pauperem ſpecta.*] Socrates ipſe, in Apologiâ uâ apud Platonem, judicibus ſuis affirmat ſe nullam documentorum, monitorumque ſuorum mercedem exegiſſe aut petiiſſe, cujus rei maximum argumentum affert ſuam paupertatem.

3. *Sate Prothanio gloria eſt qui talis fuit, &c.*] Omiſſam arbitror vocem *ejus*, aut ſimilem poſt hæc verba *gloria eſt.* Supplevi illam. MS. Thuanus habet *Prothaonis*, ut etiam legiſſe ſe in quibuſdam veteribus codicibus Theodorus Cantarus ait in notis ad lib. I. Arnobii contra gentes, qui inde *Prothonio* ſe legere malle ait, neſcio quo fundamento nixus.

4. *Nec à ſuffragio anniculum.*] *Annuum*, quales erant Magiſtratus Romani omnes, exceptis Cenſoribus, qui erant quinquennales.

à corpore caducum, nec ab ætate mutabile. Hæc omnia meus Socrates habuit, & ideò cætera habere contempſit. Quin ergo & tu ad ſtudium Sapientiæ te ingeris, vel properas ſaltem, ut nihil alienum in laudibus tuis audias: ſed ut, qui te volet nobilitare, æquè laudet, [1] ut Accius Ulyſſem laudavit in Philoctеta ſuo, in ejus Tragœdiæ principio:

Inclute, [2] parvâ prodite patriâ
Nomine celebri, clareque potens
Pectore, [3] Achivis claſſibus auctor
[4] Gravis Dardaniis gentibus ultor,
Laërtiade.

Noviſſimè patrem memorat. Cæterùm omnes laudes ejus viri audiſtis. Nihil inde [5] nec Laërtes ſibi, nec Anticlea, nec Acriſius vindicat. Hæc enim tota, ut vides, laudis hujus propria Ulyſſi poſſeſſio eſt. Nec aliud

INTERPRETATIO.

fluxum eſt, ut pendeat à corpore, neque poteſt immutari ſenio. Meus Socrates poſſedit iſta omnia, proptereáque neglexit poſſidere alia. Quare igitur non te inducis ad ſtudium Sapientiæ? aut certè quamprimùm id das operam, ut nihil audias extraneum in tuis præconiis: verùm, ut quiſquis aggredietur te laudare, eodem modo te celebret, quo Accius celebravit Ulyſſem in ſuo Philoctete, initio Tragœdiæ illius

O illuſtris *vir*, oriunde ex anguſtâ patriâ,
Inclyto nomine, & valens inſigni
Animo. qui fuiſti ſuaſor belli navibus Grajis
Vindex exitiabilis populis Trojanis,
Fili Laërtæ.

Ultimo loco mentionem facit parentis. Porrò audiviſtis omnia præconia illius viri, nihil ex his ſumunt neque Laërtes, neque Anticlea, neque Acriſius. Nam tota poſſeſſio hujus encomii, ut cernis, peculiariter pertinet ad Ulyſſem.

NOTÆ.

1. *Ut Accius Ulyſſem laudavit in Philocteta ſuo.*] Extant & alia ejuſdem Lucii Accii fragmenta ſub hujus Comœdiæ nomine, inter quæ miror hos verſus ab Apuleio laudatos, non eſſe relatos.

2. *Parvâ prodite patriâ.*] Ithacâ parvâ inſula in mari Ionio.

3. *Achivis claſſibus auctor.*] Benè. Sic MS. Thuan. & editio Elmenhorſtii. Scriver. *ductor.* Non tantùm in Aulide obſeſſos adversâ tempeſtate, & ab incepto jam deſiſtere cogitantes præ tædio Græcos in ſuſcepto oppugnandæ Trojæ conſilio Ulyſſes confirmavit, verùm & poſt, nono obſidionis anno, Agamemnoni fugam turpem ſuadenti fortiter obſtitit.

4. *Gravis Dardaniis gentibus ultor.*] Vindex opprobrii, raptu Helenæ, toti Græco nomini illati.

5. *Nec Laërtes ſibi, nec Anticlea, nec Acriſius.*] Pater, Mater, & Avus. Ipſe Ulyſſes apud Ovid. lib. 13. Metamorph.

Nam mihi Laërtes pater eſt, Acriſius illi,
Jupiter huic.

Fuit & alter Acriſius Danaës pater Porrò tradunt Anticleam cùm duceretur ad Laërtæ nuptias, vel, ut alii volunt, cùm jam nupſiſſet, & ad Oraculum pergeret conſultura, à Siſypho latrone Æoli filio captam ſtupratamque fuiſſe. multique exiſtimant ex eo concubitu conceptum Ulyſſem. Certè exprobrat ipſi Ajax apud Ovid. lib. 13. quòd ſit

ſanguine cretus
Siſyphio.

te in eodem Ulyſſe Homerus docet, qui ſemper ei comitem voluit eſſe Prudentiam : quam poëtico ritu Minervam nuncupavit. Igitur,hac eâdem comite, omnia horrenda ſubiit, omnia adverſa ſuperavit. Quippè, eâ adjutrice, [1] Cyclopis ſpecus introivit ; ſed egreſſus eſt : [2] Solis boves vidit ; ſed abſtinuit : [3] ad Inferos demeavit ; [4] & aſcendit. eâdem Sapientiâ comite, [5] Scyllam prætervavigavit ; nec ereptus eſt : Charybdi conſeptus eſt ; nec retentus eſt : [6] Circes poculum bibit ; nec mutatus eſt : [7] ad Lotophagos acceſſit ; nec remanſit : [8] Sirenes audivit ; nec acceſſit.

Interpretatio.

Neque tibi oſtendit aliud in eodem Ulyſſe Homerus, qui addidit ſemper ei comitem Prudentiam, quam appellavit Palladem more poëtico. Ergo ſtipatus eâdem hac prudentiâ *expoſuit ſe omnibus horrendis* periculis, *vicit omnes adverſitates. Nam ingreſſus eſt ſpeluncam Cyclopis ; verùm exivit* ex eâ : *conſpexit boves Solis ; verùm ſibi temperavit* ab iis violandis *: deſcendit ad Tartara ; ſed remeavit. ſtipatus eâdem prudentiâ tranſivit Scyllam ; neque abſorptus eſt : circumventus eſt Charybdi ; neque detentus eſt* eâ *: hauſit pateram Circes ; neque transformatus eſt : venit ad Lotophagos ; neque immoratus eſt* apud eos *: audivit Sirenas ; neque eas adiit.*

Notæ.

1. *Cyclopis ſpecus introivit, ſed egreſſus eſt.*] Vide Odyſſ. lib. 9.

2. *Solis boves vidit, ſed abſtinuit.*] Odyſſ. lib. 12.

3. *Ad Inferos demeavit.*] Circes juſſu. Odyſſ. lib. 11.

4. *Et aſcendit.*] Odyſſ. 12.

5. *Scyllam, &c. Charybdi conſeptus eſt.*] Eodem libro 12. Odyſſ.

6. *Circes poculum bibit ; nec mutatus eſt.*] Pharmaco Moly à Mercurio accepto præmunitus. Odyſſ. 10.

7. *Ad Lotophagos acceſſit, &c. nec remanſit.*] Odyſſ. 9.

8. *Sirenes audivit, &c.*] Odyſſ. 12.

LUCII APULEII
MADAURENSIS PLATONICI
LIBER
DE
MUNDO.

1 CONSIDERANTI mihi, & diligentiùs intuenti, ſæpè aliàs, 2 ô Fauſtine, mihi 3 virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, di-

INTERPRETATIO.

CUM contemplarer, & inſpicerem ſtudioſiùs, ô Fauſtine, Philoſophia inveſtigatrix virtutis, & fugatrix vitiorum, mihi videbatur participare res

NOTÆ.

1. *Conſideranti mihi.*] Liber hic in MSS. codd. & apud D. Auguſt. *De Civitate Dei*, lib. 4. cap. 2. inſcribitur *De Mundo.* Rom. Aldus, & Baſileenſ. habent: *Apuleii Philoſophi Platonici Coſmographia, ſive de Mundo, ad Fauſtinum.* Interpretatio eſt libri Ariſtotelis περὶ Κόσμου, paulò tamen liberior. in hac enim non ſingula verba Ariſtotelis minutatim conſectatus eſt Apuleius, ſed periphtaſticè interdum ſententiam expreſſit: quædam adjecit ex Theophraſto: quædam etiam de ſuo. Bonaventura Vulcanius affirmat in hoc libello Apuleium ita propriè & eleganter omnes Græcanici ſermonis delicias ac Veneres expreſſiſſe, adeóque integrè optimi interpretis partes expleviſſe, ut hic liber ſtudioſis utriuſque Linguæ veluti Canon quidam atque exemplar ad imitandum proponi debeat. Porrò, etſi docti quidam viri librum περὶ Κόσμου Ariſtotelis eſſe negent, plerique tamen affirmant auctoritate ducti Philoponi, qui lib. 7. de Mundi æternitate contra Proclum, argument. 6. laudat eum ſub Ariſtotelis nomine, locumque ejus citat, qui etiamnum in libro περὶ Κόσμου conſimilis legitur.

2. *O Fauſtine.*] Huic & librum de Philoſophiâ Morali inſcribit. Ariſtoteles ſuum περὶ Κόσμου Alexandro magno mittit cum eâdem prorsùs præfatione de Laudibus Philoſophiæ, atque ejus præſertim, quæ in Naturæ cognitione verſatur. Porrò, loca Ariſtotelis ſimilia huc afferre ſuperſedebo, ne neceſſe habeam totum ejus librum exſcribere. Si quid autem occurrerit ab eo diverſum, illud annotabo obiter: item, quæ clariora apud Ariſtotelem videbuntur huicque elucidando apta.

3. *Virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum.*] Expreſſum ex Cicerone, l. 5. Tuſcul. quæſt. *O vita Philoſophia dux! &c.*

vinarum

vinarum particeps rerum Philoſophia videbatur: & nunc maximè, cùm naturæ interpretationem, & remotarum ab oculis rerum inveſtigationem ſibi vindicet. Nam cùm cæteri magnitudine rei territi, ejuſmodi laborem arduum & profundum exiſtimarent; ſola Philoſophia ſuum non deſpexit ingenium. nec indignam ſe exiſtimavit, cui divinarum & humanarum rerum diſceptatio deferatur. ſed conducere ac decere tam bonas artes, [1] & congruere iſtiuſmodi curam talibus ſtudiis, & moribus cum ingenuitate profeſſionis ſuæ credidit. Nam [2] cùm homines Mundum ejuſque penetralia corpore adire non poſſent, & è terreno domicilio illas regiones inſpicere; Philoſophiam ducem nacti, ejuſque inventis imbuti, animo peregrinari auſi ſunt per Cœli plagas, his itineribus, quæ exploratione acuminis ſui, pervia Sapientiæ, ſolis cogitationibus viderant: ut, cùm ipſius intervalli conditione à mundi viciniâ Natura nos ſecretos eſſe voluiſſet, immenſitati tamen ejus volucrique curriculo, cogitationum noſtrarum nos pernicitas intimaret; facilliméque [3] ea, de quibus origo ejus eſt, anima divinis oculis ſuis

INTERPRETATIO.

divinas, cum alio tempore ſæpè, tum præſertim nunc, ſiquidem ſibi aſſumit explicationem naturæ, & indagationem rerum diſſitarum à conſpectu noſtro. *Cùm enim reliqui terrefacti amplitudine rei, crederent talem laborem difficilem & abſtruſum; una Philoſophia non diffidit ſuo ingenio, & non putavit ſe eſſe indignam, cui diſquiſitio rerum divinarum & humanarum attribuatur. ſed exiſtimavit artes adeò bonas, eſſe utiles ac decoras, atque talem curam ejuſmodi ſtudiorum & morum, convenire cum honeſtate ſui inſtituti. Cùm enim homines nequirent corpore luſtrare mundum & receſſus ejus, neque intueri illa loca ex habitatione terreſtri; ſortiti ductricem Philoſophiam, & inſtructi ejus inventis, non dubitaverunt mente ambulare per Cœli tractus, viis illis quas inveſtigatione ſui ingenii perſpexerant ſolis cogitationibus, apertas eſſe Sapientiæ: ut, tametſi Natura voluerit nos à finibus mundi remotos eſſe, ipſa naturâ intercapedinis, nihilominùs celeritas noſtrarum cogitationum nos penitùs inferret in ejus immenſitatem, & velocem curſum; & mens facillimè vidit, & recognovit ſuis divinis oculis*

NOTÆ.

1. *Et congruere iſtiuſmodi curam talibus ſtudiis & moribus cum ingenuitate profeſſionis ſuæ credidit.*] Phraſis hæc non videtur omninò ſana. Senſum tamen elicui quam potui optimum. neque enim habeo unde emendem.

2. *Cùm homines mundum ejuſque penetralia corpore adire non poſſent.*] Ovid. lib 15. Metamorphoſ. de Pythagora loquens:

—— iſque, licèt Cœli regione remotus,
Mente Deos adiit: & quæ Natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

3. *Ea, de quibus origo ejus eſt, anima divinis oculis, &c.*] Cœleſtia corpora & Cœlum ipſum, unde traxiſſe originem animam non humanam modò, verùm & cæterorum animalium Plato vult, & Platonem ſecutus Virgilius Æneid. 6.

Principio cœlum, & terras campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus

aſpexit & agnovit, aliiſque etiam ejus ſcientiam tradidit. veluti [1] prophetæ quidam Deorum majeſtate completi effantur cæteris, quæ divino beneficio ſoli vident. Quare & eos qui nobis unius loci ingenia qualitateſque deſcribunt, aut mœnia urbis, aut alicujus amnis fluenta, aut amœnitates & magnitudines montium, atque alia multa deſcripta ab aliis plerique ſtudioſè legunt. [2] Nyſæ juga, [3] & penetralia Coryci, [4] & Olympi acra, & [5] Oſſæ ardua, & alia hujuſcemodi

INTERPRETATIO.

illa, ex quibus orta eſt, & dedit etiam aliis cognitionem ipſius Cœli. *quemadmodum quidam prophetæ repleti numine divino, eloquuntur aliis, quæ* ipſi *ſoli aſpiciunt munere Deorum. Quapropter multi attentè etiam evolvunt illos, qui nobis deſcribunt naturam & virtutes unius regionis, vel muros civitatis* alicujus, *vel curſum cujuſpiam fluvii, vel amœnitates, & altitudines montium, plurimaque alia* jam *deſcripta ab aliis, efferunt* laudibus *cacumina Nyſæ, & Coryci antra, & juga Olympi. & prærupta Oſſæ, atque alia hujuſmodi*

NOTÆ.

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo Seminibus, &c.

1. *Prophetæ quidam Deorum majeſtate completi.*] Minutius Felix in Octav. *pleni & mixti Deo vates.*

2. *Nyſæ juga.*] Nyſa hæc, ſeu Nyſſa, Indiæ urbs eſt Straboni lib. 15. & Plinio, lib. 6. cap. 21. à Baccho & ab ejus nutrice Nyſâ cognominata. quæ montem habet ſibi imminentem nomine Μηρόν, id eſt, *femur*. unde orta eſt fabula, quâ fertur Bacchus, matre Semele fulgure extinctâ, Jovis femori inſutus, quod in Μηρῷ illo monte fuerit educatus primis infantiæ temporibus. quin & à Nyſa Nyſæus Bacchus dictus eſt, & Dionyſius. Eſt & alia Nyſa oppidum Eubœæ Stephano, in cujus agro fabulantur, die eodem & vites florere, & uvas matureſcere. Item & vicus in Helicone Baccho ſacer, teſte eodem. Duas præterea Nyſſas urbes memorat Ptolemæus, unam in Lyciâ, alteram in Ioniâ.

3. *Et penetralia Coryci.*] Ariſtot hîc Κωρύκειον ἄντρον. Corycus Straboni l. 14. Promontorium eſt Ciliciæ, ſupra quod, ad viginti ſtadia, antrum eſt Corycium. circa illud optimus crocus naſcitur. at Corycium antrum, de quo nunc agitur, non illud eſt: verùm antrum Parnaſſi montis in Phocide, cujus etiam meminit Strabo lib. 9. Ἱεροπρεπὴς δ' ἐστὶ πᾶς ὁ Παρνασσὸς ἔχων ἄντρα τε καὶ ἄλλα χωρία τιμώμενά τε καὶ ἁγιστευόμενα· ὧν ἐστὶ γνωριμώτατόν τε καὶ κάλλιστον τὸ Κωρύκιον, νυμφῶν ἄντρον ὁμώνυμον τῷ Κιλικίῳ. *Parnaſſus totus ſacer eſt, habetque ſpecus, & alia loca, quæ religioſè honorantur atque coluntur, è quibus notiſſimum eſt ac pulcherrimum Corycium antrum Nympharum, ejuſdem nominis ac Cilicium.* Ab illo antro Muſas Ovidius appellat *Corycidas Nymphas*, lib. 1. Metamorphoſ. in fabulâ Deucalionis & Pyrrhæ. Corycus item mons eſt Pamphyliæ præcelſus ac portuoſus, ideóque piratarum inſidiis opportunus. ab hoc tractum adagium Κωρυκαῖος ἠκροάζετο *Corycæus auſcultavit.* de quo vide Eraſmum Chiliad. 1. Cent. 2.

4. *Et Olympi acra*] Olympus mons in Theſſaliâ altiſſimus, de quo jam aliàs. *acra Olympi* ſunt ejus juga, ἄκρον Græcis *ſummum, extremum.*

5. *Oſſæ ardua.*] Oſſa alius Theſſaliæ mons Olympo proximus & Peliæ, qui quidem montes Gigantum conatibus & cæde celeberrimi ſunt.

ſola duntaxat & ſingula extollunt. Quorum miſeret me, cùm tantopere nec magnis & oppidò paucis [1] inexplicabili admiratione capiuntur. Hoc illis evenire adeò non eſt mirabile; cùm nihil majus ſuſpexerint, neque ad aliquid intenderint, quod majore diligentiâ contemplandum eſſet. Cæterùm, ſi terrarum orbem, omnemque Mundum contemplari pariter aliquando potuiſſent, minùs exiguas ejus & ſingulas partes dignas laudibus crediddiſſent, quibus eſſet Univerſitas comprehenſa. Quare nos Ariſtotelem prudentiſſimum & doctiſſimum Philoſophorum, [2] & Theophraſtum auctorem ſecuti, quantum poſſumus cogitatione contingere, dicemus de omni hac cœleſti ratione, naturas & officia complexi, & cur & quemadmodum moveantur, explicabimus.

[3] MUNDUS omnis ſocietate Cœli & Terræ conſtat, & eorum naturis, quæ utriuſque ſunt. Vel ſic: Mundus eſt ornata ordinatio, Dei munere, Deorum rectâ cuſtodiâ, [4] cujus cardinem, (ſic enim dixerim Centrum,) robuſtum & immobilem, genitrix atque altrix animantium omnium habet tellus: ſupernis omnibus, ut videri poteſt, Aëris liquiditate, ad modum tegminis, ſeptis & opertis. [5] Ultrà, Deorum domus eſt, quod vocamus Cœlum: quod quidem divinis corporibus onuſtum videmus, ignibus pulcerrimis & perlucidis Solis & Lunæ, & reliquo-

INTERPRETATIO.

tantùm, ac ſingula quidem eorum. *Quorum miſereor, quòd corripiantur admiratione inenarrabili* rerum *non adeò magnarum, & admodum paucarum. Porrò non mirum eſt quòd hoc illis contingat, cùm nihil viderint majus, neque quidquam obſervaverint quod eſſet conſiderandum diligentius. At ſi potuiſſent unquam conſiderare orbem terrarum, ſimulque univerſum Mundum, putaviſſent parvas & ſingulas ejus partes minùs dignas laudibus, ſiquidem cognoviſſent eas univerſas. Quapropter nos ſequentes Ariſtotelem ſapientiſſimum & eruditiſſimum Philoſophorum, & Theophraſtum ducem, diſſeremus de his omnibus quæ ad Cœlos pertinent, quantùm poſſumus aſſequi animo, amplexi naturas & munera* eorum, *atque exponemus quare, & quomodo circumagantur.*

TOTUS mundus conflatus eſt ex connexione Cœli & Terræ, & naturâ illarum rerum, quæ pertinent ad utramque. Vel hoc modo: Mundus eſt ordo rerum *decoratus beneficio Dei, rectâ tutelâ Deorum, cujus Terra procreatrix & nutrix cunctorum animalium tenet cardinem firmum & immobilem, (nam ſic voco Centrum,) cunctis ſuperioribus* ejus partibus *cinctis, & tectis fluiditate Aëris, tanquam operculo, ut videre eſt. Ulteriùs, eſt domicilium Deorum, quod appellamus Cœlum, quod cernimus quidem oneratum corporibus divinis, facibus pulcherrimis & clariſſimis Solis & Lunæ, ac cæterorum*

NOTÆ.

1. *Inexplicabili admiratione capiuntur.*] Sic lib. 11. de Aſino: *inexplicabili voluptate divini ſimulachri perfruebar.*

2. *Et Theophraſtum.*] Ejuſdem Ariſt. diſcipulum

3. *Mundus omnis ſocietate cœli & terræ conſtat, &c.*] Hinc exordium habet caput 2. lib. περὶ Κόσμου.

4. *Cujus cardinem, ſic enim dixerim centrum.*] Impropriè tamen, neque enim centrum ſolum ſphæræ cardo eſſe poteſt, ſed totus axis.

5. *Ultrà.*] Hoc eſt, ſupra Aërem.

rum Siderum, cum quibus fertur per orbem, dierum noctiumque curriculis [1] agens ſtellarum choros [2] intermino lapſu finem nullâ ævi defectione facturâ. Sed cùm omne Cœlum ita revolvatur ut ſphæra, eam tamen [3] radicibus oportet teneri, quas divina machinatio verticibus affixit. ut in tornando artifex ſolet forcipe materiam comprehenſam reciproco volumine rotundare. eos Polos dicimus: à quibus velut à cardinibus [4] diſcretio quædam profecta, Axis eſt dictus, diviſor & diſterminator Mundi, Orbem terræ in medietate conſtituens. Verùm hi vertices, quos immobiles diximus, ita ſunt, [5] ut ſuprà caput alter appareat ex parte Boreæ, qui Septemtrionalis vocatur: alter autem [6] Antarcticus humo tegitur, humidus & auſtrinis vaporibus mollis. Sed Cœlum ipſum, [7] ſtellæque cœligenæ, omniſque ſiderea compago, [8] Æther vocatur: non, ut quidam putant, quòd ignitus ſit & incenſus; ſed quòd curſibus rapidis ſemper rotetur: Elementum verò non unum ex quatuor quæ nota ſunt cunctis, ſed longè aliud,

INTERPRETATIO.

Aſtrorum, cum quibus facibus *movetur in circulum gyrationibus diurnis & nocturnis, ducens cœtus ſtellarum curſu indeficiente, nullo defectu temporis* ipſum *finituro. At cùm totum cœlum convertatur quemadmodum globus, neceſſe tamen eſt ut retineatur radicibus, quas ars divina appegit cardinibus. quemadmodum faber ſolet alternâ verſatione rotundum efficere lignum arreptum forcipe inter verſandum. eos vocamus Polos: à quibus ſeparatio quædam prodiens tanquam à verticibus, axis vocatus eſt, diſcretor & ſeparator Mundi, collocans globum terræ in medio. At hi cardines, quos diximus eſſe immobiles, ſic ſunt* poſiti, *ut unus emineat ſupra caput noſtrum Septentriones verſus. qui dicitur Arcticus: alter verò Antarcticus operitur tellure,* eſtque *madidus, & mollis vaporibus Noti. At ipſum Cœlum, & ſidera cœleſtia, & tota compages aſtrorum appellatur Æther: non quia ſit inflammatus & accenſus, ut quidam exiſtimant, ſed quia aſſiduè vertitur velociſſimis motibus:* eſt *autem Elementum, non unum ex quatuor quæ ſunt cognita omnibus, ſed multùm diver-*

NOTÆ.

1. *Agens ſtellarum choros.*] Lib. de Deo Socratis: *alioſque itidem radiantes Deos, quibus Cœli chorum comptum & coronatum ſudâ tempeſtate viſimus.*

2. *Intermino lapſu.*] Ariſtot. ἀπαύστως.

3. *Radicibus.*] Polis, qui, cùm cætera moveantur, ſoli immoti manent: quemadmodum & arborum radices immotæ ſtant dum ramos ventus agitat.

4. *Diſcretio quædam.*] Linea diſcernens, & pervadens ſphæram.

5. *Ut ſupra caput alter appareat, &c.*] Nobis, quibus ſphæra obliqua eſt, & latitudo Septemtrionalis. Iis verò, quibus ſphæra recta, neuter polus attollitur: iis, quibus Auſtralis latitudo, attollitur Antarcticus, ut patet ex ipſis ſphæræ elementis.

6. *Antarcticus.*] Sic dictus, quòd ſit contra Borealem, cui Arctico nomen eſt, ab Urſæ ſidere, quod propè ipſum viſitur.

7. *Stellæque Cœligenæ.*] In Cœlo ortæ, & ex Cœli ſubſtantiâ conflatæ.

8. *Æther vocatur, non, ut quidam putant, quòd ignitus ſit & incenſus, ſed quòd curſibus rapidis ſemper rotetur.*] Hoc eſt, ut habet hîc Ariſtoteles, non ἀπὸ τοῦ αἴθειν, *à flagrando*, ſed ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, *quòd ſemper currat*, æther dictus eſt.

[1] numero quintum, ordine primum, genere divinum & inviol. bile. Jam Aſtrorum innumerabilis multitudo, partim labitur cum [2] orbis inerrantis regione, [3] quam cingulo ambit [4] Signifer, obliquâ complexione circumdatus, [5] & ſignis duodecim illuminatus: partim errantibus ſtellis, quæ neque priorum motus habent, nec ſanè inter ſe ſimiles & æquales; ſed affixæ diverſis globis, [6] inordinatum, ut ſic dixerim, ordinem ſervant: aliæque ultrà ſunt, [7] aliæ citrà. Stellæ, quæ propter naturam ejuſmodi nullis creduntur erroribus vagæ, & infinitos numero greges ducunt, & [8] ſimplex Ætheris dorſum almâ & ſacratâ amœnitate lucis coronant. [9] Septem verò Deorum nominibus illuſtres, totidem orbibus affixæ ſunt, & gradatim ſibimet ſuperlatæ, [10] ut ſuperior inferiore ſit major, ac viciſſim mutuis adhæſionibus nexæ, complexu illius Orbis, qui Inenarrabilis dicitur, continentur.

Interpretatio.

ſum, quintum numero, primum ordine, naturâ divinum, & incorruptibile. Infinitus autem numerus Stellarum partim convertitur cum tractu Cœli inerrabilis, quem inſtar baltei Zodiacus circumdat, circumpoſitus obliquo ambitu, & illuſtratus duodecim conſtellationibus: partim ſunt ſtellæ errantes, quæ neque habent curſus priorum, neque certè ſunt ſimiles & æquales inter ſe; ſed adhærentes circulis variis, obſervant ordinem inordinatum, ut ita dicam: & aliæ ulteriores ſunt, aliæ citeriores. Stellæ, quæ ex naturâ ſuâ *non exiſtimantur vagari ullis erroribus, trahunt* ſecum *innumeras turbas* aliarum ſtellarum, *& cingunt ſimplex tergum Cœli almâ & divinâ jucunditate luminis. At ſeptem inſignitæ vocabulis Deorum, adnexæ ſunt totidem circulis, & invicem ſuperimpoſitæ per gradus,* ita *ut ſuperius Cœlum ſit majus inferiore, & alligatæ invicem adhæſionibus reciprocis, comprehenduntur ambitu illius Cœli, quod appellatur Firmamentum.*

Notæ.

1. *Numero quintum.*] Hinc & *quinta eſſentia* dicitur.

2. *Orbis inerrantis.*] Cœli ἀπλανοῦς, Firmamenti nempè, cui affixa Sidera ἀπλανῆ dicta, quòd eundem ſemper inter ſe ſitum ſervent, & uno omnia tenore quotidie ab Oriente Occidentem versùs ferantur.

3. *Quam Circulorum ambit ſignifer.*] VVovver. legit *quam circulo ambit ſignifer.* Elmenhorſt. *quam cingulo ambit ſignifer.* huic inhæreo, & *cingulo ambire* intelligo circumdare inſtar cinguli, ſeu baltei.

4. *Signifer.*] ζωοφόρος καλούμενος κύκλος Ariſtoteli, vulgò Zodiacus dicitur.

5. *Signis duodecim.*] Hæc ſunt, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces.

6. *Inordinatum, ut ſic dixerim, ordinem ſervant.*] Ariſtot. ἄτακτον τάξιν.

7. *Aliæ citra ſtellæ.*] Sic interpungo: *aliæ citra. Stellæ*, ut vox *ſtellæ* pertineat ad ſequentes *quæ propter naturam, &c.*

8. *Simplex ætheris dorſum coronant.*] Hoc vult Apuleius, omnes Stellas fixas in eâdem eſſe ſuperficie totius Cœli. Sic enim Ariſtoteles, τὸ μὲν οὖν τῶν ἀπλανῶν πλῆθός ἐστιν ἀνεξεύρετον ἀνθρώποις, καίπερ ἐπὶ μιᾶς κινουμένων ἐπιφανείας τοῦ σύμπαντος οὐρανοῦ.

9. *Septem verò.*] Planetæ.

10 *Ut ſuperior inferiore ſit major.*] De orbibus intellige, non de ſtellis, ut patet ex Ariſtotele.

[1] Hîc Phænonis globus, quem appellamus Saturnum, poſt quem Phaëtontis ſecundus eſt, quem Jovem dicimus: & loco tertio Pyroeis, [2] quem multi Herculis, plures Martis ſtellam vocant. Hanc ſequitur [3] Stilbon, cui quidam Apollinis, cæteri Mercurii nomen dederunt. [4] Quintus Phoſphorus, Junonia, imò Veneris ſtella cenſetur. Deinde Solis eſt orbis: & ultima omnium Luna, altitudinis æthereæ principia diſterminans, [5] quæ divinas & immortales vivacitates ignium paſcens, [6] ordinatis ac ſemper æqualibus invectionibus ſolvitur atque reparatur. Poſt eam verò pars eſt, quæ ſancti Ætheris finibus coërcetur, [7] cujus menſu

INTERPRETATIO.

Ibi eſt ſphæra Phænonis, quem vocamus Saturnum, poſt quem ſecunda eſt Phaëtontis, quem appellamus Jovem; ac tertio loco eſt Pyrois, quem multi appellant ſtellam Herculis, plures verò *Martis. Poſt eam eſt Stilbon, cui nonnulli impoſuerunt vocabulum Apollinis, reliqui Mercurii. quinto loco numeratur Lucifer, ſtella Junonis, ſeu potiùs Veneris. Poſteà eſt globus Solis: & Luna poſtrema omnium, diſcernens initium altitudinis cœleſtis, quæ* Luna *alens divinos & ſempiternos ardores flammarum, diſſolvitur, & reſtituitur, importationibus* materiæ *ſtatis, & ſemper æqualibus. Poſt illam autem eſt pars quæ continetur terminis divini Cœli, cujus di-*

NOTÆ.

1. *Hîc Phænonis globus, quem appellamus Saturnum, poſt hunc Phaëton, &c.*] Achilles Statius ad Aratum περὶ τῶν ὀνομάτων, τῶν πλανήτων. eadem Planetarum habet nomina, quæ etiam videre eſt apud Firmicum, Aſtronomic. lib. 2.

2. *Quem multi Herculis.*] Ægyptii, ſi Achilli Statio credimus, loco ſuprà citato.

3. *Stilbon.*] Hujus etiam meminit Plato, in Epinomide.

4. *Quintus Phoſphorus.*] Ariſtoteli, Φωσφόρος: Platoni & Achilli, Statio, Ἑωσφόρος.

5. *Quæ divinas & immortales vivacitates ignium paſcens, &c. & reparatur.*] Hæc non habet Ariſtoteles. Videtur hîc noſter ex Lucretii mente loqui, qui l. 5. inter varias aſtrorum curſûs explicationes, hanc etiam affert

Sive ipſi (aſtrorum ignes) *ſerpere poſſunt*
Quò cujuſque cibus vocat, atque invitat euntes,
Flammea per cœlum paſcentes corpora paſſim, &c.

6. *Ordinatis, ac ſemper æqualibus invectionibus ſolvitur, atque reparatur.*] Duas hypotheſes ab hac omninò diverſas affert initio libri de Deo Socratis, quibus varias Lunæ phaſes explicat. locum vide. Eas quoque Lucretius ambas affert, quibus explicatis, & hanc tertiam proponit his verbis:

Denique, cur nequeat ſemper nova Luna creari,
Ordine formarum certo, certiſque figuris:
Inque dies privos adoleſcere quæque creata,
Atque alia illius reparari in parte locoque,
Difficile eſt ratione docere, & vincere verbis.

7. *Cujus menſu appenſuque diſtincta eſt naturæ mutabilis regio, & mortalis, ac jam pœnè terrena.*] Hoc eſt, *cujus ſpatio, quod ſuſpenſum eſt in medio Æthere, continetur pars illa Naturæ, quæ mutabilis eſt & mortalis, ac jam pœnè terrena.* nempè regio elementaris, quæ ſola ſecundùm Ariſtotelem corruptibilis eſt, & mutabilis. Mitto varias hujus loci lectiones. huic, ut meliori, inhæreo. & certè magis cum Ariſtotelico textu congruit.

appenſuque diſtincta eſt Naturæ mutabilis regio, & mortalis, ac jam pœnè terrena: cujus primæ ſunt partes tenuiores & vaporatæ. quippè cum finitimis Ætheris attingantur ardoribus, quantum maximis parva, & quantum rapidis poſſunt pigriora contingi. Sed ex eâ parte, quæ curriculis finitimi inuritur Solis, ejaculari atque emicare & ſcintillare flammæ quædam oſtenſæ oculis noſtris videntur, [1] quas Græci Cometas, & Docidas, & Bothynos appellant, quaſque labi & fluere frequenter videmus, lucere, faciliuſque reſtingui. Exin inferioris Aëris qualitas turbidior infunditur, [2] cui permixtus eſt glacialis rigor. ſed ſuperioris viciniâ claritatis & propinqui caloris afflatu niteſcit, ac ſinceriore interdum [3] luce veſtitur. Hujus ſæpè mutabilis convertitur ſpecies: cùm ſit naturâ variabilis, & in nubes cogitur, & reciprocis flabris apertiu, & imbribus vehementibus rumpitur, nivibus etiam & glacie inhorreſcit, & præcipiti grandine deſuper verberatur: turbine, flatibus, [4] typhoniſque conflictu fit procelloſa: ſed telis fulminum,

INTERPRETATIO.

menſione, & ſuſpenſione diſcreta eſt Naturæ pars mutabilis, & corruptibilis, & ferè jam terreſtris: cujus primæ partes ſunt tenuiores & æſtuantes. quia tanguntur à vicinis caloribus cœli, quantum exigua poſſunt tangi à maximis, & tardiora à velociſſimis. Verùm ab eâ parte, quæ flagrat curſibus propinqui Solis, quidam ignes apparentes noſtro conſpectui videntur erumpere, & exilire, ac fulgurare, quos Græci vocant Cometas, & Docidas, ac Bothynos, & quos ſæpè cernimus cadere & fluere, fulgere, & faciliùs extingui. Poſteà natura turbulentior Aëris inferioris extenditur, cui rigiditas glacialis admixta eſt. at ſplendeſcit ea regio *propinquitate fulgoris ſuperioris, & adſpiratione caloris vicini, & induitur aliquando puriore lumine. Variabilis ejus natura frequenter immutatur: ex ſe enim eſt mutabilis, & denſatur in nimbos, & pateſit alternis flatibus, & diſſringitur pluviis violentis, rigeſcit quoque nivibus, & glacie, & percutitur ſupernè grandine corruente: fit tempeſtuoſa vortice, ventis, & pugnâ turbinis: verùm inflammatur vi-*

NOTÆ.

1. *Quas Græci Cometas, & Docidas, & Bothynos appellant.*] Latinè dicere poſſis *ſtellas crinitas. trabeculas igneas.* & *foveas.* δοκίδες illæ dicuntur etiam & δοκοί Plin. lib. cap. 26. *Emicant & trabes ſimili modo, quas docos vocant, quales cùm Lacedæmonii claſſe victi imperium Græciæ amiſerunt.* De Bothynis ſeu foveis, & Cometis, & torribus, & Capris, & cæteris ejuſmodi, plura vide apud Ariſtotelem lib. 3. Meteorologicon capp. 4. 5. 6. & 7. & apud Plinium lib. 2, capp. 25. & 26. Achilles Statius δοκίδας vocari ait Cometas, qui lucem habent in longum protenſam ἐπιμήκες τὸ φῶς.

2. *Cui permixtus eſt glacialis rigor.*] in mediâ nempè ejuſdem Aëris regione, quam frigidam eſſe affirmat Ariſtoteles.

3. *Luce veſtitur.*] Colluſtratur, ornatur. Sic Virgil. lib. 6. Æneid.

Largior hic campos æther & lumine veſtit
Purpureo.

4. *Typhoniſque conflictu.*] Plin. lib. 2. cap. 48. *Majore verò illati* (venti) *pondere, incurſuque, ſi latè ſiccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ vocatur à Græcis Ecnephias. ſin verò depreſſo ſinu arctiùs rotati effregerint, ſine igne, hoc eſt ſine fulmine, verticem faciunt, qui Typhon vocatur, id eſt, vibratus Ecnephias. &c.*

& miſſilium cœleſtium jaculis igneſcit. [1] Aëri Terra conjungitur, eáque in ſe ſuſcipit maria. Hæc frequentatur animantibus, hæc ſilvarum viriditate veſtitur, hæc fontium perennitate recreatur, hæc fluminum frigidos lapſus, nunc erroribus terrenis vehit, modò profundo in mari confundit: eadem infinitis coloribus floret; altitudine montium, camporum æquore, nemorum opacitate variatur: ſinuoſis inflexa littoribus, diſtincta inſulis, villulis urbibuſque collucens, quas ſapiens genus homo communibus uſibus fabricatur. Nec ſum neſcius, pleroſque hujus operis auctores terrarum orbem ita diviſiſſe: partem ejus inſulas eſſe, partem verò continentem vocari: neſcii omnem hanc terrenam immenſitatem Atlantici maris ambitu coërceri, inſulamque hanc unam eſſe cum inſulis omnibus. Nam ſimiles huic alias & alias minores circumfundit Oceanus, quæ tamen meritò videntur ignotæ: cùm ne hanc quidem, cujus cultores ſumus, omnem peragrare poſſimus. Nam ſicut hæ inſulæ interfluuntur, quæ ſunt in noſtro mari: ita illæ in univerſo ſalo fretis latioribus ambiuntur. Elementorum inter ſe mutui nexus arctis affinitatibus implicantur, [2] & quinque conjuges copulæ his ordinatæ vicibus attinentur, ut adhæreant etiam gravioribus leviora. [3] Aquam in ſe habet tellus: & Aqua, ut alii putant,

INTERPRETATIO.

bratione fulminum, & jaculatione telorum cœleſtium. Tellus finitima eſt Aëri, atque ipſa recipit in ſe maria. Hæc habitatur ab animalibus, hæc amicitur virore nemorum, hæc reficitur jugi fluxu fontium, hæc modò defert gelida fluenta amnium flexibus terreſtribus, modò ea *commiſcet in alto mari: ipſa profert flores innumerorum colorum: variatur celſitudine montium, planitie camporum, denſitate ſilvarum: ſinuata ripis anfractuoſis, inſperſa inſulis, nitens villis & oppidis, quæ homines, prudens* animalium *genus, ædificant ad utilitatem publicam. Neque ignoro quamplurimos ſcriptores hujus argumenti ſic diſtribuiſſe globum: Telluris ut dicerent, partem ejus eſſe inſulas, partem autem appellari continentem: ignorantes univerſam hanc magnitudinem terræ contineri circuitu maris Atlantici, & eam eſſe unam inſulam ſimul cum univerſis inſulis. Oceanus enim ſpargit circa* ipſam *alias atque alias minores ſimiles ei, quæ nihilominùs videntur jure* eſſe *incognitæ: quandoquidem non poſſumus perluſtrare vel hanc totam, cujus ſumus incolæ. Quemadmodum enim hæ inſulæ, quæ ſunt in noſtro mari, interluuntur: ſic illæ,* quæ ſunt *in toto Oceano, circumdantur fretis majoribus. Reciprocæ connexiones elementorum inter ſe complectuntur ſtrictis cognationibus, & quinque vincula conjungentia copulantur* ſibi invicem, *diſpoſita hoc ordine, ut leviora adnectantur etiam gravioribus. Terra in ſe continet Aquam: & Aqua, quemadmodum exiſtimant alii,*

NOTÆ.

1. *Aëri Terra jungitur.*] Hîc incipit cap. 3. lib. περὶ κόσμου.

5. *Et quinque conjuges copulæ.*] *Conjuges* hîc *conjungentes* ſonat, eſtque nomen adjectivum, quod refertur ad *copulæ*, niſi malimus Elmenhorſtianam lectionem reſpuere, & legere, *quinquejuges* (hoc eſt *quintuplices*) *copulæ*, ut erat in vulgatis.

3. *Aquam in ſe habet tellus. &c.*] Hanc Elementorum connexionem aliter, & certè clariùs, explicat hîc Ariſt. πέντε δὴ στοιχεῖα ταῦτα ἐν πέντε χώραις σφαιρικῶς ἐγκείμενα, περιεχομένης ἀεὶ τῆς

vehit

vehit Terram: Aër ex Aquâ gignitur: [1] Ignis ex Aëriâ denſitate conflatur. Æther viciſſim, Igneſque illi [2] immortalis Dei vivacitate flammantur. Hujus divini Ignis origine incenſi, per totius Mundi convexa illuſtribus facibus igneſcunt. Superna quapropter Dii ſuperi ſedes habent, infima cæterorum animantium terrena poſſident genera, per quæ ſerpunt, & erumpunt, & ſcatent flumina, fontes, & maria, quæ meatus, & lacunas, & origines habent in gremio terrarum. Ipſarum verò inſularum, quæ ſunt [3] in noſtro mari dignæ memoratu, [4] Trinacria eſt, [5] Eubœa, [6] Cyprus, [7] atque Sardinia, Creta, [8] Peloponneſos, [9] Leſbos; minores autem [10] aliæ, ut nævuli quidam per

INTERPRETATIO.

fert Terram. Aër procreatur ex Aquâ: Ignis fit ex Aëre ſe ſpiſſiore. Æther vice versâ, & illi ignes accenduntur ardore Dei immortalis. Inflammati influxu illius Ignis divini, exardeſcunt in inſignes lampadas per ſupremum dorſum univerſi mundi. Quam ob cauſam Dii cœleſtes habent pro habitationibus ſuperiora loca, ſpecies terreſtres reliquorum animalium habent ima, per quæ fluvii, fontes, & maria errant, & prodeunt, & ſcaturiunt, quæ habent tranſitus & lamas, & ſcaturigines in ſinu Telluris. Ex ipſis autem inſulis, quæ ſunt in noſtro mari, digna memoriâ ſunt Sicilia, Eubœa, Cyprus, & Sardinia, Creta, Peloponneſus, Leſbus; aliæ verò minores diſſeminatæ ſunt per patentes plagas

NOTÆ.

ἐλάττονι τῷ μείζονι· λέγω δὲ, γῆς μὲν ἐν ὕδατι, ὕδατος ἐν ἀέρι, ἀέρος ἐν πυρὶ, πυρὸς δὲ ἐν αἰθέρι, τὸν κόσμον ὅλον συνεστήσατο *Quinque igitur hæc Elementa in regionibus totidem globosè incubantia, mundum ipſum ita totum coagmentârunt, ut minor regio ſemper à majori cohibeatur. Terra (verbi gratiâ) ut ab Aqua globo, Aqua ab Aëris, hic ab Ignis, Ætheris denique globo Ignis coërceatur.* Apuleius non connexionem continentis & contenti, ſed mutuam eorumdem Elementorum tranſmutationem explicat

1. *Ignis ex aëriâ denſitate.*] Sed priùs rarefactâ, & extenuatâ.

2. *Immortalis Dei vivacitate.*] Ardore & ſpiritu quem ipſis indidit ſupremus ille conditor orbis.

3. *In noſtro mari*] Mediterraneo. Solum enim illud alluit Græciam, ubi hæc ſcripſit Ariſtoteles.

4. *Trinacria eſt.*] Sicilia maxima totius Mediterranei maris inſula. ſic dictam putant ἀπὸ τριῶν ἄκρων, à tribus Promontoriis, Pachyno, ſcilicet, Lilybœo, & Peloro.

5. *Eubœa.*] Sita eſt in Ægæo mari contra Bœotiam, à quâ Euripo ſeparatur.

6. *Cyprus.*] In extremo ferè Mediterraneo mari contra Syriam.

7. *Atque Sardinia.*] Cui adde Corſicam, quæ Græcis Κύρνος. eam non omittit Ariſtoteles. Hæ duæ inſulæ poſitæ ſunt contra Ligures & Hetruriam.

8. *Peloponneſos.*] Hodie *Morea.* Hæc tamen inſula non eſt, ſed peninſula, Corinthiaco Iſthmo Græciæ continenti adhærens Ariſtoteles certè, in hac inſularum enumeratione, ejus non meminit.

9. *Leſbos.*] Sita eſt contra Troada hodie *Metelin* dicitur ab urbe primariâ Mytilene.

10. *Aliæ ut Nævuli quidam per apertas Ponti ſunt ſparſæ regiones.*] Sic παροιμιακῶς exprimit, quas Ariſtoteles hîc Σποράδας vocat, id eſt, *ſparſas.* Earum nomina, ſicut & Cycladum, vide apud Plinium, lib. 4. cap. 12.

apertas Ponti ſunt ſparſæ regiones: aliæ Cyclades dictæ, [1] quæ frequentioribus molibus alluuntur. Maria majora ſunt, [2] Oceanus & Atlanticum, quibus Orbis noſtri terminantur anfractus. Sed Occiduarum partium mare per anguſtias oris arctatum, in arctiſſimos ſinus funditur: & rursùs [3] à Columnis Herculis refuſum, in immenſam latitudinem panditur, ſæpiuſque coëuntibus terris, veluti quibuſdam fretorum cervicibus premitur, & idem rurſus, cedentibus terris, eſt immenſum. Primum igitur [4] Columnis navigantibus dextrum latus

Interpretatio.

maris, tanquam quædam maculæ: ſimul *& aliæ vocatæ Cyclades, quæ habent ſcopulos crebriores. Maria majora ſunt, Oceanus, &* mare *Atlanticum, quibus ambages noſtri Orbis finiuntur. At mare partium Occidentalium conſtrictum anguſtiis* ſui *oſtii, effunditur in ſinus anguſtiſſimos: & iterùm refuſus à Columnis Herculis, extenditur in ſpatium vaſtiſſimum, & ſæpè terris invicem accedentibus, coarctatur tanquam quibuſdam faucibus fretorum, idemque terris recedentibus, iterùm eſt vaſtiſſimum. Primùm ergo qui navigant à Columnis* Herculis, *habent à dex-*

Notæ.

1. *Quæ frequentioribus molibus alluuntur.*] Unde eas Cycladas dictas nonnulli putant, quòd propter frequentes, quibus ſcatent, ſcopulos, nautæ neceſſe habeant longo illas circuitu ambire, nec poſſint tranſire per medias. Sic autem intellige *frequentioribus molibus alluuntur*, non, quaſi velit eas frequentioribus aquarum molibus ſeu fluctibus allui, ſed quòd, habentes ipſæ frequentiores moles ſeu ſcopulos excurrentes, alluantur à mari.

2. *Oceanus & Atlanticum.*] Malè diſtinguit Atlanticum ab Oceano, quaſi diſtincta maria ſint, & illud non ſit hujus pars. Meliùs Ariſtoteles Πέλαγος δὲ τὸ μὲν ἔξω τῆς οἰκουμένης, Ἀτλαντικὸν καλεῖται, καὶ ὁ Ὠκεανὸς περιῤῥέων ἡμᾶς. *Pelagus autem quod eſt extra orbem à nobis habitatum, Atlanticum dicitur, & Oceanus, quo circumluimur.*

3. *A Columnis Herculis.*] De his Columnis variæ omninò ſunt opiniones, quas vide apud Strabonem ſub finem libri tertii. Certum eſt per illas intelligi fauces freti illius, quod mare Mediterraneum cum Oceano conjungit, ad quod Hercules Columnas ſuæ peregrinationis metas erexiſſe traditur. quonam hoc in loco, id verò maximè ambigitur & controvertitur. Has tamen Columnas ponunt vulgò Geographi in montibus ſeu promontoriis Calpe in Hiſpaniâ, & Abylâ in Africâ.

4. *Columnis navigantibus.*] Et Hiſpanicam oram legentibus. ſic enim ad dextrum latus habent non Syrtes modò omnemque Africæ oram, ſed & totum ipſum Mediterraneum mare. aliàs, ſi recto curſu à Columnis navigetur, à dextrâ quidem erunt Syrtes; at cætera, quæ pòſt memorat, erunt ad ſiniſtram. Non accuratè hîc expreſſit Ariſtotelis mentem. verba ejus ſunt: πρῶτον μὲν οὖν λέγεται ἐγκεκολπῶσθαι ἐν δεξιᾷ εἰσπλέοντι τὰς Ἡρακλείους στήλας διχῶς, εἰς τὰς καλουμένας Σύρτεις, ὧν τὴν μὲν μεγάλην, τὴν δὲ μικρὰν καλοῦσιν. ἐπὶ θάτερα δὲ οὐχ ὁμοίως ἀποκολπούμενος, τρία ποιεῖ πελάγη, τό τε Σαρδόνιον, καὶ τὸ Γαλατικὸν καλούμενον, καὶ Ἀδρίαν. *Ac primùm quidem inſinuari dicitur dextrorsùs ab Herculis Columnis intrò navigantibus, in utramque Syrtim, (alteram earum magnam, alteram parvam vocant.) at verò in alteram partem non jam itidem ſinuoſus, efficit tria maria. Sardonium, Gallicum, & Adriam.* Malè Colvius reponit, *Columnas navigantibus.* Verba Ariſtote-

duobus ſinibus maximis cingitur, quorum primus duas Syrtes habet; alter imparibus quidem ſinuatur figuris, ſed in maxima diviſus eſt maria: quorum unum Gallicum dicitur, alterum Africum, quod quidem Ariſtoteles [1] Sardinienſe maluit dicere: tertium, [2] Adriaticum pelagus. His jungitur [3] Siculum, & poſt [4] Creticum, [5] &, indiſcretis finibus, Pamphylium, Syrium, Ægyptium. [6] Sed antè Ægæa & Myrtoa ſunt maria. His ſanè vicinus eſt [7] Pontus, ſinus ampliſſimus maris noſtri: cujus extremus receſſus [8] in Mæotin ſeneſcit, & [9] ex Helleſponti faucibus concipitur, [10] veſtibulumque ejus Propontis vocatur. Ab ortu Solis Oceanus eſt, [11] Indicum & Perſicum mare conferens.

INTERPRETATIO.

trâ parte duas oras maximas, in quarum primâ ſunt duæ Syrtes: altera flectitur quidem figuris inæqualibus, verùm diſtribuitur in maxima maria: quorum unum vocatur Gallicum, alterum Africum, quod Ariſtoteles quidem maluit vocare Sardoum: tertium eſt mare Adriaticum. Siculum conterminum eſt his, ac deinde Creticum: &, limitibus non ſeparatis, Pamphylium, Syrium, Ægyptium. Verùm priùs ſunt maria Ægæa, & Myrtoa. Pontus quidem, vaſtiſſimus ſinus noſtri maris, eſt his propinquus: cujus ultimus angulus deficit in paludem Mæotidem, & naſcitur ex anguſtiis Helleſponti, atque ejus introïtus appellatur Propontis. A Solis ortu eſt Oceanus profundens mare Indicum & Perſicum.

NOTÆ.

lis, quibus nititur εἰσπλέοντι ταῖς Ἡρακλείοις στήλαις id non ſonant, ſed tantùm *Columnas ingredientibus*, ab Oceano nempè in mare Mediterraneum. quod coïncidit cum expreſſâ lectione.

1. *Sardinienſe.*] Σαρδώνιον, quod videtur apud Ariſtot. & ipſum Tyrrhenum ſeu Tuſcum mare complecti.

2. *Adriaticum Pelagus.*] *Golphe de Veniſe.* complectitur Illyricum, Dalmaticum, & Liburnicum. Nomen huic quondam fecit urbs Adria. dictum eſt etiam Italis Mare Superum, reſpectu ſcilicet Tyrrheni, quod Inferum vocabatur.

3. *Siculum.*] Quod à Siciliâ Cretam uſque extenditur.

4. *Creticum.*] A Cretâ ad Cyprum.

5. *Et indiſcretis finibus Pamphylium, Syrium, Ægyptium.*] Quæ quidem maria à regionibus, quas alluunt, nomina ſortita ſunt. multa alia omittit, putà Carium, Rhodium, Cyprium, Phœnicium, Judaïcum, Cyrenaïcum, &c. quæ fuſiùs vide apud Geographos.

6. *Sed antè, Ægæa & Myrtoa ſunt maria.*] Myrtoum mare à Myrto inſulâ dictum, pars eſt Ægæi, ſicut & Icarium, cui nomen fecit Icaria inſula, ſeu, ut fabulæ volunt, Icarus Dædali filius. & Carpathium ad Carpathum inſulam. Ægæum porrò mare ſitum eſt inter Græciam, Aſiam minorem, & Cretam inſulam.

7. *Pontus.*] Euxinus, quondam à feris accolarum moribus ἄξενος, ſeu ἄξεινος, hoc eſt, *inhoſpitalis* dictus.

8. *In Mæotin.*] Paludem, cui jungitur freto illo, quod Boſphorus Cimmerius appellatur. ibi *Taurica Cherroneſus.*

9. *Ex Helleſponti faucibus.*] Huic freto nomen fecit Helle Phryxi ſoror. Vide Ovid. lib. Faſtor. 3.

10. *Veſtibulumque ejus Propontis vocatur.*] Quòd ſit πρὸ τοῦ Πόντου. ante Pontum. Hodie dicitur *Mer de Marmara.*

11. *Indicum & Perſicum mare conferens.*] Interpretatus ſum *profundens*, juxta Ariſtotelis mentem, cujus textum non expreſſit fideliter hîc Apuleius. Ver-

hinc pateſcunt finitima Rubri maris: [1] quæ, per anguſtas longinquaſque fauces, in Hircanium & Caſpium flectuntur ſimul. ultrà quæ profundæ vaſtitatis eſſe maria creduntur. [2] Deinde paulatim Scythicum & Hiberum fretum, & rurſum mare per quod Gallicum ſinum atque Gaditanas Columnas circumvectus Oceanus, orbis noſtri metas includit. Sed in alterâ parte Orbis jacent inſularum aggeres maximarum: Britannicæ duæ [3] Albion & Iern iis, quas ſuprà diximus Majores. Verùm hæ in Celtarum finibus ſitæ ſunt. Haud minores verò ultra Indos, [4] Taprobana, [5] & Phebol. multæque aliæ nubis ad modum ſparſæ,

INTERPRETATIO.

illinc fines maris Rubri aperiuntur: qui ſimul derivantur per anguſtias longas & arctas in Hircanium, & Caſpium mare. *poſt quæ putantur eſſe maria profunda & immenſa. Poſteà Scythicum mare & Hiberum ſenſim* ſuccedunt, *& iterùm mare* illud, *per quod Oceanus circumfluens ſinum Gallicum & Columnas Herculis, claudit terminos noſtri orbis. At in alterâ parte orbis moles inſularum maximarum ſitæ ſunt:* nempè *duæ* inſulæ *Britannicæ Albion & Hibernia, majores illis quas antè memoravimus. Sed hæ jacent in viciniâ Gallorum. Trans Indos autem non minores ſunt inſulæ Taprobana, & Phebol. & multæ aliæ diſperſæ quaſi nubes.*

NOTÆ.

ba Ariſtotelis ſunt: πρός γε μὴν ταῖς ἀνατολαῖς τῦ ἡλίυ πάλιν εἰσρέων ὁ Ωκεανὸς, τ̃ Ἰνδικόν τε κ̀ Περσικὸν διανοίξας κόλπον, ἀναφαίνει συνεχῆ τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν διειληφώς. *Rursùs ab ortu Solis influens Oceanus, aperto ſinu Indico, & Perſico, videtur etiam mare Rubrum contiguum complecti.*

1. *Quæ per anguſtas longinquaſque fauces in Hyrcanium, & Caſpium feruntur ſimul.*] Et hoc malè reſpondet Ariſtotelico textui. videtur hîc Apuleius mare Caſpium à finibus maris Rubri derivare; quod abſurdiſſimum. Ariſtoteles verò tolerabiliùs ab Oceano Septentrionali; ſed & ipſe fallitur. cum nullo enim altero mari communicat mare Caſpium, niſi fortè ſubterraneis meatibus cum Ponto Euxino (quòd nonnullos exiſtimâſſe video, atque in his Ariſtotelem, teſte Poſtello, lib. 1. de Univerſitate.) At error ille de origine Caſpii maris, communis fuit Ariſtoteli, cum veteribus omnibus Geographis, quibus Septentrionales mundi plagæ minùs erant cognitæ. Strabo lib. 2. ait terram noſtram mari circundatam, in ſe ab Oceano multos admittere ſinus: maximos autem quatuor; de quibus is, qui ad Septentrionem ſpectat, Caſpium vocatur mare, ſive Hyrcanum. Perſicus autem ſinus & ſinus Arabicus à meridionali mari infunduntur. quartus magnitudine alios ſuperans, à Columnis Herculis oritur, eſtque mare Mediterraneum. Idem ſentit de Caſpio mari Plinius, lib. 6. cap. 13.

2. *Deinde paulatim Scythicum & Hiberum fretum, &c.*] Et hæc apud Ariſtotelem aliter leguntur: εἶτα κατ' ὀλίγον ὑπὲρ τοὺς Σκύθας κ̀ Κελτικὴν σφίγγει τὴν οἰκυμένην πρός τε τ̀ Γαλατικὸν κόλπον, κ̀ τὰς προειρημένας Ἡρακλείους στήλας; *tum autem ſupra Sythas Celtaſque ſenſim aſtringit orbem terrarum aduſque ſinum Gallicum, & ſupradictas Columnas Herculeas.*

3. *Albion & Jerna.*] Ariſt. Ἄλβιον κ̀ Ἰέρνη. Stephanus Ἀλβίων κ̀ Ἰέρνη. Ptolemæus Ἀλουίων κ̀ Ἰουερνία, quam quidem Plin. *Hiberniam* appellat. quæ hîc *Albion* Straboni ſimpliciter Βρεττανικὴ dicitur.

4. *Taprobana.*] Cluverio *Ceylan.* at meliùs aliis *Sumatra.* Taprobanem enim hîc Ariſtoteles ait eſſe πέραν Ἰνδῶν, & λοξὴν πρὸς τὴν οἰκυμένην, & Strabo lib.

hanc noſtram inſulam, (id eſt, hunc Terrarum orbem) quam maximam, diximus, ornamentis ſuis pingunt, & continuatione, ut quibuſdam ſertis coronant. Atenim hujus Terræ, quam nos colimus [1] latitudo quadraginta, prolixitas ſeptuaginta millia ſtadiorum tenet. Sed in diviſione terrarum Orbis, Aſiam & Europam, & cum his, ſicut plures, Africam accepimus. Europa abHerculis Columnis uſque Pontum [2] & Hyrcanium mare, ac flumen Tanaïm fines habet: Aſia ab iiſdem [3] anguſtiis Pontici maris uſque ad alias anguſtias, quæ inter Arabicum ſinum & interioris ambitum pelagi, jacet; [4] conſtringiturque Oceani cingulo &

Interpretatio.

decorant ſuis ornamentis noſtram hanc inſulam, quam diximus maximam eſſe (hoc eſt, hunc Orbem terrarum) & eam coronant ſuâ ſerie veluti quibuſdam ſertis. Cæterùm latitudo hujus Terræ, quam nos habitamus, continet quadraginta millia ſtadiorum, longitudo verò *ſeptuaginta. At in diſtributione Orbis terrarum admiſimus Aſiam & Europam, & cum his Africam, ut plerique* admittunt. *Europa habet terminos* extenſos *à Columnis Herculis, uſque ad mare Ponticum & Hyrcanium, & fluvium Tanaim: Aſia extenditur ab iiſdem faucibus Ponti Euxini, uſque ad alias fauces, quæ* ſunt *inter ſinum Arabicum, & flexum maris Mediterranei, & coercetur ambitu Oceani, & conne-*

Notæ.

2. eam oblongam eſſe. quod Sumatræ optimè convenit.

5. *Et Phebol.*] Malè Elmenhorſtius reponendum cenſet *Te'os.* Ariſtoteles hîc: καὶ ἡ Φεβὸλ καλουμένη κατὰ τὸν Ἀῤῥαβικὸν κειμένη κόλπον. Ex hoc Ariſtotelis loco Phebol videtur eſſe inſula *Zocotora*. quæ antè Arabici ſinûs fauces ſita eſt. Verùm hæc minor eſt, quàm ut poſſit cum Britannicis conferri. Libentiùs crediderim eſſe *Madagaſcar*: ſed non parùm affert ſcrupuli ejus ab Arabico ſinu diſtantia major, quàm ut poſſit dici ad eum ſita.

1. *Latitudo quadraginta, prolixitas ſeptuaginta millia ſtadiorum tenet.*] Eandem menſuram habet Ariſtoteles. Eratoſthenes eandem tribuit Terræ longitudinem, at in latitudine nonnihil diſcrepat. nam pro quadraginta millibus ſtadiorum, triginta & octo tantùm ponit, ut refert Strabo lib. 11. qui quidem Strabo lib. 2. eâdem ſervatâ longitudine, latitudini triginta tantùm ſtadia tribuit. At hæc omnia intellige de Orbe a nobis habitato. totus enim globus terraqueus, ſecundùm eundem Eratoſthenem, habet in circuitu ducenta & quinquaginta duo ſtadiorum millia.

2. *Et Hyrcanium mare, ac flumen Tanaim, &c.*] Si finitur Europa flumine Tanai, non poteſt certè ad Hyrcanium uſque mare pertingere, ut patet tabulas inſpicienti. At non benè vertit Ariſtotelis textum. is enim ſic habet: Εὐρώπη μὲν οὖν ἐστιν, ἧς ὅροι κύκλῳ, στῆλαί τε Ἡρακλέους καὶ μυχοὶ Πόντου, θάλαττά τε Ὑρκανία, καθ᾽ ἣν στενότατος ἰσθμὸς εἰς τὸν Πόντον διήκει· τινὲς δὲ ἀπὸ τοῦ ἰσθμοῦ Τάναιν ποταμὸν εἰρήκεισαν. *Europa his finibus circumſcribitur: Herculis Columnis, Ponti receſſibus, Hyrcanoque mari: à quo anguſtiſſimus Iſthmus ad Pontum pertinet. Nonnulli tamen ab illo Iſthmo Tanaim fluvium Europæ terminum eſſe dixerunt.*

3. *Anguſtiis Pontici maris.*] Supple *& Hyrcani* ex Ariſtotele.

4. *Conſtringiturque Oceani cingulo, &c.*] Si enim mare Caſpium, ut arbitrabantur veteres, Oceani Septentrionalis ſinus fuiſſet; tota Aſia peninſula fuiſſet ingens, hinc Iſthmo maris Rubri cum Africâ, inde anguſtiis Ponti, & Hyrcani maris cum Europâ conjuncta.

ſocietate noſtri maris. Sed alii alio modo,[1] ut quidam ab exordio Tanaïs uſque ad ora Nili, Aſiæ terminos metiuntur. Africam verò ab Iſthmo Rubri maris, vel ab ipſis fontibus Nili oriri putant, ejuſque in Gaditanis locis fines eſſe. Sed ipſam[2] Ægyptum plerique Aſiæ, plures Africæ adjungunt. ut inſularum ſitus. ſunt qui eas finitimis locis comprehendunt: & ſunt qui in aliâ diviſione eas habendas putant.[3] De Mari ſatis dictum.[4] Terreni verò caſus ita ſe habent.[5] Exhalationes duas Phyſici eſſe dicunt, tenues & frequentes, vixque viſibiles[6] ad ſuperiora minari, è gremio Telluris nebularum agmina halitu amnium fontiumque conſtare, matutinis temporibus craſſiora.[7] Harum altera arida eſt, atque fumo conſimilis, quæ terrenis eructationibus ſurgit:[8] altera humida,[9] egelida. hanc ex fluentis ſuperioris va-

Interpretatio.

xione noſtri maris. Verùm alii dimetiuntur fines Aſiæ aliter, veluti quidam ab initio Tanais uſque ad oſtia Nili. Exiſtimant autem Africam incipere ab Iſthmo Rubri maris, aut ab ipſis ſcaturiginibus Nili, atque ejus terminos eſſe in regione Gadium. At plurimi adſcribunt ipſam Ægyptum Aſiæ, multi tamen *Africæ. quemadmodum* & alii aliter conſtituunt *poſituras inſularum. aliqui* enim *eas complectuntur cum regionibus vicinis. alii autem cenſent illas eſſe collocandas in aliâ diſtributione. Jam ſatis dictum eſt de Mari. Quæ autem eveniunt in Terrâ, hujuſmodi ſunt. Phyſici aiunt eſſe duas Exhalationes, exiguas & crebras, & trahi ſursùm vix conſpicuas, catervas nubecularum,* quæ prodeunt *è ſinu Terræ, conflatas eſſe exhalatione fluviorum & ſcaturiginum,* atque eſſe *denſiores horis matutinis. Earum* Exhalationum *una ſicca eſt, & perſimilis fumo, quæ exoritur ex ructibus terræ: altera uda eſt & tepida. virtus caloris ſuperni at-*

Notæ.

1. *Ut quidam ab exordio Tanais uſque ad ora Nili Aſiæ terminos, &c.*] Plin. lib 3. in Procemio: *hinc* (ex Oceano Atlantico per Columnas Herculis) *intranti, dextra Africa eſt, læva Europa: inter has Aſia eſt. Termini, amnes Tanais & Nilus.*

2. *Ægyptum plerique Aſiæ.*] Vide Plin. lib. 5. cap. 9.

3. *De Mari ſatis dictum.*] Malè hoc. neque enim de Mari ſolùm, ſed & de Terrâ habitus eſt ſermo.

4. *Terreni verò caſus, &c.*] At quæ mox affert, non Terræ ſoli, ſed toti globo terraqueo meliùs attribuit Ariſtoteles, qui hîc initium facit cap. 4. libri *De Mundo.*

5. *Exhalationes duas Phyſici eſſe dicunt, &c. è gremio Telluris nebularum agmina halitu amnium, &c. harum altera, &c.*] Hæc videntur inter ſe haud ita benè congruere. nec mirum. neque enim Ariſtotelis textum fideliter expreſſit. ſic habet: δύο γὰρ δή τινες ἀπ' αὐτῆς ἀναθυμιάσεις ἀναφέρονται συνεχῶς εἰς τὸν ὑπὲρ ἡμᾶς ἀέρα, λεπτομερεῖς καὶ ἀόρατοι παντάπασιν, εἰ μὴ κατὰ τὰς ἑῴας ἐστίν. αἵ τε διὰ ποταμῶν τε καὶ ναμάτων ἀναφερόμεναι θεωροῦνται. *duas igitur exhalationes ab eo* (orbe) *ſurſùm ferri novimus in aëra nobis impendentem, tenues quidem illas omninò. nec nobis conſpicuas: niſi ſi quid eſt hujuſcemodi ad tractus Orientales, & prætereà quæ ex amnibus & locis irriguis ſublimia ferri videntur.*

6. *Ad ſuperiora minari.*] Ἄγεσθαι, *pelli.* Feſtus. *Agere modò ſignificat ante ſe pellere, id eſt, minare, &c.*. De hac voce jam ad libros de Aſino.

7. *Altera arida eſt.*] Hæc vulgò ſimpliciter *Exhalatio* dicitur.

8. *Altera humida.*] Hæc appellatur *vapor.*

9. *Egelida.*] Ἀτμώδης Ariſtoteli. verti *tepida.* Catullus:

poris natura ad ſe trahit. Et ex hac quidem Nebulæ, Rores, Pruinæ, Nubila, Imbres, Nix atque Grando generantur: de illâ ſuperiore, quam diximus ſiccam, Venti, atque Flamina, Fulmina, atque aliæ ignitorum telorum gignuntur plurimæ ſpecies. Nebula conſtat aut ex ortu nubeculæ, aut ex ejus reliquiis. eſt autem exhalatio vaporata & humore viduata, aëre craſſior, nube ſubtilior, cui Serenitas abolitionem infert. Nec aliud eſt Serenitas, quàm aër purgatus caligine, & perſpicuè ſincerus. Ros verò nocturnus humor eſt, [1] quem Serenitas tenuiter ſpargit Glaciem dicimus humorem, ſereno rigore concretum. Huic eſt Pruina conſimilis, ſi mollities Roris matutinis frigoribus incanuit. Ergo, ſi aër actus in nubem, [2] nubilum denſet, & ea craſſitudo aquarum fœtus gravidat; Imber exprimitur: cùm inter ſe urgentur nubium denſitates; totque diverſitatibus pluviæ cadunt, quot modis aër nubium coitionibus cogitur. raritas enim nubium ſtillicidia diſpergit: quæ, concretæ vehementiùs, affundunt agmina largiora, & eas aquas, quas Imbres vocamus. à quibus hoc differunt Nimbi, quòd Pluvia jugis eſt: Nimbus autem quantò repentinior eſt, tantò vehementior: & quantò improviſior ejus præcipitatio eſt, tantò breviore

INTERPRETATIO.

trahit eam ad ſe ex aquis. Atque ex eâ quidem Caligines, Rores, Pruinæ, Nubes, Pluviæ, Nix, & Grando creantur. Venti, & Flatus, Fulmina, & multa alia genera miſſilium inflammatorum generantur ex illâ priore exhalatione, *quam appellavimus aridam. Caligo conflata eſt vel ex principio parvæ nubis, vel ex reſiduo ipſius. eſt verò exhalatio excalefacta & deſtituta humiditate, denſior aëre, tenuior nube, quam Serenitas diſſipat. Serenitas porrò nihil aliud eſt quàm aër purgatus nebulâ, & clarus, atque purus. Ros autem eſt humiditas nocturna, quam Serenitas diffundit minutatim. vocamus Glaciem aquam rigentem frigore ſereno. Pruina eſt ei ſimilis, quando* nempè *Ros mollis albicavit gelu matutino. Si igitur aër impulſus in nubem, condenſet eam, atque illa denſitas graviores reddat aquas* in illâ *conceptas, Pluvia eliquatur: quando ſpiſſitudines nubium premuntur invicem; & Imbres ruunt totidem variis modis, quot aër comprimitur concurſibus nubium. nam raritas nubium diſpergit guttulas quæ* nubes, quando ſunt *validiùs condenſata, effundunt majorem copiam* aquæ *& illas aquas, quas appellamus Pluvias. à quibus Nimbi in eo diſcrepant, quòd Pluvia diu durat: at Nimbus quò magis eſt ſubitus, eò eſt violentior: & quò ejus caſus eſt magis repentinus, eo* etiam *breviore* ſpatio temporis, *ejus*

NOTÆ.

Jam ver egelidos refert tepores.

Egelidus eſt *non gelidus*. ſic *edurus*: *non durus*. Virgil, lib 2. Georgic.

Plantis edura Coryli naſcuntur.

1. *Quem ſerenitas tenuiter ſpargit.*] Hinc nunquam Ros eſt niſi ſereno aëre.

2. *Nubilum denſet, &c. fœtus gravidat.*] *Denſet* hìc in indicativo eſt, ſicut & *gravidat*, flectiturque à verbo *denſeo*, quo etiam uſus Lucret. lib. 1.

Quod ſi fortè aliquis cum corpora diſſiluere
Tum putat id fieri quia ſe, condenſeat aër.

Et infrà:

Nec tali ratione poteſt denſerier aër.

caſu reſtringitur. Nives autem colligi jactatione denſatum nubium conſtat. nam priuſquàm in aquam defluant, fractæ ac diſcillæ ſpumas agitationibus ſuis faciunt, & mox gelatus humor rigore frigoris inhorreſcit. Hæc, victis nubibus, crebrior ad terram venit. Eam tempeſtatem nos [1] Ninguorem vocamus. Grandinare verò tunc dicimus, cùm aqua nubem lapidoſo pondere, & feſtinante perrumpit: eâdemque vi & ad pernicitatem incitatur, &, cedente aëris mollitie, præcipitata, indignatione vehementi humum verberat. Hæc ſatis erunt de iis, quæ udis elementis aquoſi que contingunt. Verùm aliæ ſunt paſſiones, cùm impulſu frigidioris aëris Venti generantur. Nec enim aliud eſt, niſi multum & vehemens in unum coacti aëris flumen. Hunc Spiritum dicimus: licèt Spiritus ille etiam nominetur, qui animalia omnia [2] extrinſecùs vitalia tractûs ſui vitali & fœcundâ ope vegetat. Siccos & ſuperiores mundi flatus Ventos nominamus: Auras verò, humidos Spiritus. Sed Ventorum binæ ſunt ſpecies. Qui facti è Telluris halitu conſtant, [3] Terrigenæ nuncupantur: at illi, qui excutiuntur è ſinibus, [4] Encolpiæ Græcè ſunt nominati. Conſimiles his haberi oportet eos, qui de Fluminibus, Lacubus, & Stagnis, [5] vel ruptis nu-

INTERPRETATIO.

lapſus abſolvitur. Certum eſt autem Nives cogi agitatione Nubium ſpiſſarum. Illæ *enim antequam deſtillent in pluviam, confractæ ac diſruptæ ſpumas agunt ſuis jactationibus, & ſtatim humor congelatus rigeſcit a peritate frigoris. Hæc* Nix, *ruptis nubibus, majori copiâ deſcendit ad humum. Nos appellamus illam tempeſtatem Ninguorem. Tunc autem dicimus grandinare, quando aqua* congelata *perfringit nubem calculis ſuis gravibus & properantibus, & excitatur ad velocitatem eâdem vehementiâ, &, mollitiâ Aëris ſibi cedente, præcipitata, magno fremitu percutit Terram. Hæc ſufficient de iis quæ eveniunt in Elementis humidis & aquoſis. Aſt aliæ affectiones ſunt, quando Venti excitantur impulſione Aëris frigidioris. Nam* Ventus *nihil eſt aliud niſi magnum & violentum fluentum aëris ſimul collecti. Vocamus enim Spiritum, quamvis ille etiam vocetur Spiritus, qui vivificat vitali & fœcundo ſubſidio ſui meatûs cuncta animalia quæ interiùs vivunt. Aridiora & altiora Flamina mundi appellamus Ventos: madidos autem Flatus,* vocamus *Auras. Verùm Venti ſunt duplicis generis. Illi qui conflati ſunt exhalatione Terræ, appellantur Terreſtres: illi verò qui excitantur in finibus* maris, *vocati ſunt Græcè Encolpiæ. Illi exiſtimandi ſunt his ſimiles, qui conſueverunt fluere per patentem aërem ex Amnibus, Stagnis, &*

NOTÆ.

1. *Niguorem.*] Sic vertit νιφετὸν Ariſtotelis. *Ninguor* porrò & verbum *ninguo*, & adjectivum *ninguidus*, quo ſæpiùs utitur Auſonius, fluunt ab antiquo genitivo *ninguis*, quod olim uſurpatum fuiſſe pro *nivis* teſtatur Priſcianus, lib. 6.

2. *Extrinſecùs vitalia.*] Malim *intrinſecùs*, quod etiam video Elmenhorſtio placuiſſe.

3. *Terrigenæ.*] Ariſtoteli ἀπόγειοι. De Ventorum naturâ & ſitu, vide lib. 2. Meteorol. ejuſdem Ariſtotelis, cap. 4. 5. & 6.

4. *Encolpiæ.*] Ariſtot. οἱ δ' ἐκ κόλπων διεξάττοντες, ἐγκολπίαι.

5. *Vel ruptis nubibus, &c. rurſumque in craſſam nubium ſpeciem congloban-*

bibus

bibus per aperta Cœli manare adſolent, rurſumque in craſſam nubium ſpeciem conglobantur, [1] qui Ecnephiæ appellantur: vel cùm Imber effuſus conciet flabra, quæ Exhydriæ Atticorum linguâ vocitantur Nunc nomina exequemur, regioneſque Ventorum. Euros Oriens, Boreas Septemtrio, Occidens Zephyros, Auſtros medius dies mittit Hos quatuor Ventos alii plures interflant nam quamvis Eurus ſit Ventus Orientis, idem tamen [2] Apartias incipit nominari, cùm eum Oriens Æſtivus efflat. [3] Apeliotes autem vocatur, [4] cùm æquidianis exortibus procreatur. Eurus eſt, quando Hyemali ortu porris emittitur: Zephyrus verò, quem Romana lingua Favonium nominat; hic cum Æſtivis Occiduis partibus ſurgit, [5] Iapygis cieri nomine ſolet. [6] At ille qui propior eſt Æquinoctiali Plagæ, Notus & Aquilo. qui ſeptem ſtella-

INTERPRETATIO.

Paludibus, aut ex Nubibus diſciſſis, & iterùm coguntur in denſam formam Nubis, qui vocantur Ecnephiæ, aut quando pluvia denſiſſima excitat Ventos, qui appellantur linguâ Athenienſium Exhydriæ. Jam explicabimus vocabula, & loca Flaminum. Ab Ortu veniunt Euri: à Septemtrionibus, Boreæ: ab Occaſu, Zephyri: à Meridie, Auſtri. Inter illos quatuor Ventos multi alii ſpirant. Licèt enim Eurus ſit Ventus Orientis, ipſe nihilominùs incipit vocari Cæcias, quando ſpirat ab Ortu Æſtivo. dicitur verò Subſolanus, quando oritur ex Ortu Æquinoctiali: Eurus eſt quando laxatur ex portis Orientis Hyberni. At Zephyrus eſt, quem lingua Romana appellat Favonium; hic, cùm exoritur à regione Occaſûs Æſtivi, ſolet vocari nomine Iapygis. * * * * * * * * *

NOTÆ.

tur.] Hæc non accuratè ex Ariſtotele expreſſa, obſcuriora ſunt. Ariſtotelis verba: οἱ δὲ κατὰ ῥῆξιν νέφους γινόμενοι, καὶ ἀνάλυσιν τοῦ πάχους πρὸς ἑαυτοὺς ποιούμενοι, ἐκνεφίαι καλοῦνται. quæ ſic interpretor: *ii verò Venti, qui fiunt ruptâ nube, conflanturque ex reſolutione ejus denſitatis. Ecnephiæ dicuntur*, ubi nulla mentio iteratæ illius Ventorum conglobationis in craſſam nubium ſpeciem, de quâ hîc loquitur Apuleius. De Ecnephiâ, & Typhone vide cap 1. lib. 3. Meteorologic. Ariſtotelis. & Plin. lib. 2. cap. 48.

1. *Qui Ecnephiæ appellantur*] Hæc ex Ariſt. Vulcanius hîc repoſuit.

2. *Apartias.*] Repone *Cæcias.* Ariſtoteles: τῶν γε μὴν εὔρων, καικίας μὲν λέγεται, ὁ ἀπὸ τοῦ περὶ τὰς θερινὰς ἀνατολὰς τόπου πνέων ἄνεμος. *ex Euris, Cæcias dicitur Ventus ille qui flat ab ortu æſtivo.*

3. *Apeliotes.*] Græcis ἀπηλιώτης Latinis *Subſolanus.*

4. *Cum Meridianis ex montibus.*] Mendoſus locus. Ariſtoteles. ἀπηλιώτης δὲ ὁ ἀπὸ τοῦ περὶ τὰς ἰσημερινὰς (ἀνατολὰς τόπου) *Apeliotes ille eſt qui flat ab ortu Æquinoctiali.* Apuleius ipſe infrà. *Eurus igitur Æquinoctialis Orientis eſt Ventus, &c. Idem ἀπηλιώτης à Græcis, Subſolanus à noſtris ſolet dici.* Repone ergo cum Scaligero *cum æquidianis exortibus.*

5. *Iapygis cieri nomine ſolet.*] Dicitur etiam *Argeſtes*, ſeu *Corus.* & *Olympias*, teſte Ariſtotele.

6. *At ille qui propior eſt Æquinoctiali Plagæ, &c.*] Hic locus corruptiſſimus eſt ad hæc uſque verba *Auſtrorum in nominibus.* eâque de causâ prætermiſi cum in interpretatione. Verùm reſtituere abſque manuſcriptorum codicum ope nequeo. quod poſſum, en tibi Ariſtotelis textum affero, qui locum hunc optimè ſupplere poſſit. Ζέφυρος δὲ ὁ ἀπὸ τῆς ἰσημερινῆς· λὶψ δὲ ὁ ἀπὸ τῆς χειμερινῆς· καὶ τῶν βορέων ἰδίως, ὁ μὲν

rum regione generatur, & huic vicinus eſt Aparctias. Hic propior ad Diem medium Thraſcias & Argeſtes ſunt indidem flantes. Auſtrorum in nominibus illa eſt obſervanda diverſitas. namque cùm de abſcondito polo flatus adveniunt, Notus eſt: Euronotus, ille qui inter Notum atque Eurum medius effringit; [1] ex alio latere Libonotus ex


Interpretatio.

* * * * * *In vocabulis Auſtrorum, illa varietas eſt obſervata. quando enim flamina ſpirant à polo abdito, eſt Notus: ille qui erumpit medius inter Notum & Eurum, eſt Euronotus: ex alterâ parte*

Notæ.

ἑξῆς τῷ καικίᾳ, καλεῖται βορέας· ἀπαρκτίας δὲ, ὁ ἐφεξῆς ἀπὸ τοῦ πόλου κατὰ τὸ μεσημβρινὸν πνέων. θρασκίας δὲ, ὁ ἑξῆς πνέων τῷ ἀργέστῃ ὃν ἔνιοι καικίαν καλοῦσι. *Zephyrus verò, ſeu Favonius, is eſt qui ab Æquinoctiali Occaſu flat. Libs ſeu Africus, qui ab Hyberno. Ex Aquilonibus verò is, qui Cæcia ad latus eſt, peculiariter appellatur Aquilo. Aparctias verò ille eſt, qui poſt eum ab ipſo polo ſecundum Meridianum ſpirat. Thraſcias deinceps ab Argeſte (is Corus eſt) ſpirat, quem nonnulli Cæciam appellârunt.*

1. *Ex alio latere Libonotus ex duobus unum facit.*] Libonotus nempè, cùm medius ſit Notum inter & Libem ſeu Africum, videtur ex utriuſque commixtione ortus, utrumque participare, eâque de causâ dicitur *Libonotus*. Hunc etiam *Libophœnicem* Λιβοφοίνικα à nonnullis appellari tradit Ariſtoteles. Sed, ut quæ de Ventis hactenùs dicta ſunt, meliùs intelligas, en tibi ſitus eorum & nomina in Schemate diſpoſita.



duobus unum facit. Excurſores Venti habentur, qui directo ſpirant: Reflabri, reciproci: ut Cæcias putatur eſſe. [1] Equidem hyemales habentur, ut Noti: [2] Eteſiæ frequentiores ſunt æſtate anni, [3] Septemtriotriones ac Zephyri tempeſtate veris: [4] Ornithiæ Venti appellantur Aquilonum genus ex aëre proſati, minori niſu, nec jugi perſeverantiâ ſpiritus perferentes. Atenim procelloſus flatus [5] Catægis dicitur, quem præfractum poſſumus dicere. Ventus, qui de ſuperiore Cœli parte immiſſus, inferiora repentinis impulſibus quatit. [6] Turbo autem dicitur, qui repentinis flabris proſilit, atque univerſa perturbat. [7] Vertex ille eſt, vel, uti dicitur, [8] Dine, cùm torquetur humus arida, & ab imo erigitur ad ſummum. [9] Anaphyſemata Græci vocant eos ſpiritus,

INTERPRETATIO.

Libonotus efficit unum ex duobus ventis. *Illi venti dicuntur Excurſores, qui rectè flant*; illi verò *reflantes, qui alternant* flamina: *qualis exiſtimatur* eſſe *Cæcias, & nonnulli exiſtimantur hyberni, quemadmodum Noti: Eteſiæ crebriores ſunt per æſtivum tempus anni: Boreæ, & Favonii per vernum tempus: Ornithiæ Venti vocantur quidam Aquilones ex aëre geniti, deferentes ſuos flatus debiliori conatu & duratione non diutinâ. Verùm enimverò Ventus tempeſtuoſus vocatur Catægis, quem poſſumus vocare præruptum. is Ventus* eſt, *qui demiſſus ex ſummo aere concutit inferiora impetu ſubito. ille verò appellatur Turbo, qui erumpit flatibus ſubitis, & ſubvertit omnia. Ille Ventus eſt Vertex, aut, ſicut* aliter *nominatur, Dine, quando terra ſicca circumagitur, & extollitur ab infimo ad ſupremum. Græci appellant Anaphyſemata illos fla-*

NOTÆ.

1. *Equidem hyemales.*] Malim, *& quidam hyemales.*

2. *Eteſiæ frequentiores ſunt æſtate anni.*] Plinius, lib. 2. cap. 47. *Hujus* (Caniculæ) *exortum diebus octo fermè Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. poſt biduum autem exortûs, iidem Aquilones conſtantiùs perflant diebus quadraginta, quos Eteſias vocant. Molliri eis creditur Solis vapor geminatus ardore ſideris: nec ulli Ventorum magis ſtati ſunt.* Ariſtoteles Eteſias Ventos μίξιν ἔχειν τῶν τε ἀπὸ τῶν ἄρκτου φερομένων, καὶ ζεφύρων. *mixtos eſſe ex Aquilonibus & Zephyris.* ἐτησίαι Eteſiæ dicti ἀπὸ τοῦ ἔτους, ab anno, quaſi dicas *anniverſarii*, quod quotannis certo tempore ſpirent.

3. *Septemtriones.*] Hoc nomine non tantùm ἄρκτος ſidus ſignificatur, ſed & Venti ab eâ parte flantes, ut hîc & apud Ciceronem Epiſt. ad Atticum, lib. 9. *ex eâ die fuere Septentriones Venti.*

4. *Ornithiæ.*] *Aviarios* vertit Interpres Ariſtotelis. Plinius lib. 2. cap. 47. Ornithiam non genus Aquilonis dicit, ut noſter & Ariſt. ſed ipſum Favonium: *Quidam* (inquit) *Favonium ad VII. Kalendas Martii Chelidonian vocant, ab hirundinis viſo: nonnulli verò Ornithian, uno & ſeptuageſimo die poſt brumam, ab adventu avium, flantem per dies novem.*

5. *Catægis, &c. quem præfractum.*] Vel potiùs *præfringentem*, ac *pervellentem.* αἰγίζειν (unde derivatur Catægis) Græcis nonnunquam ſignificat διασπᾶν *divellere*, & *adfligere tempeſtate.*

6. *Turbo.*] θύελλα, Ariſtoteli.

7. *Vertex.*] λαίλαψ & στρόβιλος, Ariſtoteli.

8. *Dine.*] δίνη & δῖνος, Ariſtophani, *aëris turbo.* & δινέω *circumago, circumverto.*

9. *Anaphyſemata.*] *Efflatus* vertere poſſis, vel evaporationes, ab ἀναφυσάω *efflo.*

qui de profundo vel hiatibus terræ exploſi ad ſuperna aëris ſolent evadere. [1] Hi cum majore vi torti ſunt, fit procella terreſtris, & à Græcis Preſter nomen accepit. Sed cùm tormentum illud ire pergit, denſaſque & tumidas nubes præ ſe agit, coactaſque collidit, fit ſonitus, & intonat cœlum: non ſecùs ac ſi commotum Ventis mare cum ingenti fragore undas littoribus impingat.

[2] *At Favorinus non ignobilis Sapiens hæc de Ventis refert.*

Quatuor Mundi Plagas imparem numerum habere Ventorum; eò quòd Ortus & Occaſus mutentur ternâ vice cum Solis acceſſu, Meridies & Arctos iiſdem ſemper regionibus ſunt notatæ. Ortus quippe accepimus, Æquinoctialem, Solſtitialem, Brumalem: quibus Occaſus redduntur eâdem intervallorum ratione converſâ. [3] *Eurus igitur Æquinoctialis Orientis eſt Ventus, nec invenuſtè nominis ejus fictus eſt,* [4] ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων. *Idem* ἀπηλιώτης *à Græcis, Subſolanus à noſtris ſolet dici. Sed qui ab Æſtivâ & Solſtitiali Orientis metâ venit,* βορέας *Græcè, Latinè Aquilo nominatur. hunc* [5] αἰθρηγενέτην, *quòd ſit aliàs ſerenus, Homerus ait: Boream verò* [6] ἀπὸ τῆς βοῆς,

INTERPRETATIO.

tus, qui emiſſi ex fundo terræ aut ex ejus aperturis, ſoliti ſunt aſcendere ad ſuperiores partes aeris. Quando hi ſunt circumacti majori vehementiâ, fit tempeſtas terreſtris, & vocata eſt à Græcis Preſter. at quando illa procella perſequitur ſuum iter, & pellit ante ſe nubes opacas & turgidas, & conglobatas illidit inter ſe, fragor exoritur, & æther tonat: haud aliter quàm ſi pelagus concitatum flaminibus allidat fluctus ad ripas cum magno ſonitu.

NOTÆ.

1. *Hi cum majore vi torti ſunt, &c. & à Græcis Preſter, &c.*] Ariſtotel. ὅταν δὲ εἰλούμενον πολὺ φέρηται, πρηστὴρ χθόνιός ἐστιν. Inferius tamen ſenſu paulò alio Præſtera ſumit pro Turbine accenſo ipſe Ariſtoteles. & noſter infrà: *Preſteras verò nominamus (fulmina) cùm flammarum in illis minùs fuerit.*

2. *At Favorinus, &c.*] Hæc quæ ſequuntur uſque ad illa verba: *nunc de nubium præſtigiis referam:* habentur verbis ferè iiſdem apud Gellium Noctium Atticarum lib. 2. cap. 22. ubi de Iapyge Vento, Favoriniquе de Ventis ſermone: unde huc tranſlata videntur, & ab aliquo ſtudioſo olim ad marginem adnotata, deinde ab imperitis exſcriptoribus in contextum admiſſa, quaſi Apuleiana eſſent. Merum ergo eſt Gloſſema, quod ignorat prima editio & Ariſtoteles, ideò è contextu non omninò quidem rejeci, ſed Italicis characteribus edendum curavi, nullâ additâ interpretatione.

3. *Eurus igitur Æquinoctialis Orientis eſt ventus.*] Ex mente quidem Favorini: at Ariſtoteles Eurum vocat eum qui ab Oriente Hyberno ſpirat, ut jam vidimus.

4. *Quaſi* ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων.] *Ab Aurorâ fluens.*

5. αἰθρηγενέτην.] αἰθρηγενέτης & αἰθρηγενὴς *ſerenitatem inducens.* Boreæ eſt epithetum apud Homerum. αἰθρία & αἴθρη, *aer ſerenus.*

6. ἀπὸ τῆς βοῆς.] *A clamore.* Veteres verſus *De Ventis* apud Iſidorum, *De Naturâ Rerum*, cap. 37.

Hinc lævus Boreas glaciali Turbine mugit
Frigidus hic Aquilo noſtris vocitatur in oris.

quòd non ſine clamore ſolcat intonare. Tertium Ventum, qui ab Oriente hiberno venit, Græci εὐρόγοτον vocant. Item occidui ſunt tres, Caurus, qui Græcè ἀργέςης vocatur, is eſt adverſus Aquiloni: item Favonius, Græcè ζέφυρος, Euro contrarius. Tertius Africus λὶψ, Vulturno reflat. Meridies verò quoniam eâdem ſemper regione ſignatur, uno Auſtro, id eſt, νότῳ flatur: Septemtrio iterã uno, & is Septemtrionis habet cognomentum: qui tamen Græcâ Linguâ ἀπαρκτίας dictus eſt. Horum nomina plerique commutant de loco vel ſimilitudine aliquâ: ut Galli [1] *Circium appellant à turbine ejus, & vertice:* [2] *Apuli verò Iapygeum, ex Iapyge ſinu, id eſt, ex ipſo Gargano venientem. Hunc Caurum eſſe, manifeſtum eſt. nam & ex occiduo venit, & Virgilius ejus ſic meminit:*

[3] Illam inter cædes pallentem morte futurâ,
Fecerat ignipotens undis, & Iapyge ferri.

Eſt etiam Cæcias ventus, [4] *quem Ariſtoteles ad ſe trahere nubes ait.* [5] *& eſt adagium de eo tale: κακὰ*
ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἕλκων ὡς ὁ Καικίας νέφος.

Sunt Eteſiæ, [6] *& Prodromi ſpirantes ex omni parte, eo tempore æſtatis, quo Canis oritur. Cato autem in libris Originum, non Circium, ſed Cercium dicit. Is ventus Cercius cum loquare, bucculam implet: & armatum hominem & plauſtrum oneratum percellit.*

Nunc [7] de Nubium præſtigiis referam.

INTERPRETATIO.

Jam loquar de iis quæ apparent in Nubibus.

NOTÆ.

1. *Circium appellant à turbine ejus & vortice.*] Lucanus:

—— —— Solus ſua littora turbat
Circius, & tutâ prohibet ſtatione Monœci.

2. *Apuli verò Iapygeum ex Iapyge ſinu, id eſt ex ipſo Gargano, &c.*] Virgil. Æneid. lib. 6.

Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.

Ad quem locum Servius: *Iapygia pars eſt Apuliæ, in quâ mons Garganus, qui uſque ad mare Adriaticum extenditur.* Solinus in Polyhiſtore dictam ait Iapygiam, ab Iapyge Dædali filio.

3. *Illam inter cædes, &c.*] Hos verſus non habet Gellius, ſed hæc verba tantùm: *Itaque Virgilius Cleopatram è navali prœlio in Ægyptum fugientem vento Iapyge ferri ait.* Verſus hi ſunt ex lib. 8. Æneid. deſumpti.

4. *Quem Ariſtoteles ad ſe trahere nubes ait, &c.*] Lib. 3. Meteorolog. cap. 6.

5. *Et eſt de eo adagium tale κακὰ ἕλκων.*] Id eſt, *ſic mala ſibi ipſi attrahens, ut Cæcias nubem.* in eos celebratum proverbium, qui ſibi ipſis litium ac negotiorum materiam acceſſunt. Vide Eraſmum Chiliad. 1. Centur. 5. numero 62.

6. *Et prodromi.*] *Præcurſores*, quòd Caniculæ ortum præcedere aliquot diebus ſoleant.

7. *De nubium præſtigiis.*] Quidam *præſagiis*, malè. Noſter eodem ſenſu infrà hac voce utitur, quæ quidem rectè exprimit Ariſtotelis φασματα, ſic enim legendum, non φαντάσματα.

Quando perfracta nubecula patefecerit Cœlum, igneſcunt penetrabiles ſpiritus, emicatque lux clara; hoc dicitur Coruſcare: & ordine quidem priùs Tonare oportet, poſteà Coruſcare. Quippè ubi nubes adflictu ignem, ut ignifera ſaxa attrita inter ſe dant; obtutus velociùs illuſtriora contingit: auditus, dum ad aures venit, ſeriore ſenſu concipitur. ita & priùs Coruſcare Cœlum creditur, & mox Tonare. tùm quia ignes pernicitate ſui [1] claricantes, dicto citiùs [2] noſtræ viſioni occurrunt, ſonus verò, verberato aëre, id eſt, alterius indicio, ſentitur. Flamma verò illa, quam nubium adflictus excuſſit, ſi robuſtiore fuerit incendio, impetu devehitur in terras, & Fulminis habet nomen, atque formidinem infert. Preſteras verò nominamus, cùm flammarum in illis minùs fuerit. Sed ſi ignitum non fuerit Fulmen, [3] Typhon vocant. [4] Sceptos generale omnibus, quæ de nubibus cadunt, nomen eſt. Atque, ut breviter comprehendam cuncta generis eorum, quæ ejuſmodi præſtigias ſummis inferunt oculis, [5] alia ſunt, quæ ſpeciem tantùm ſpectaculi pariunt, alia quæ nihil ab eo quod oſtenderunt, mentiuntur. Fallunt imagine Irides & Arcus, [6] & talia: verè viden-

INTERPRETATIO.

Cùm nubes perrupta aperuerit Cœlum, ſpiritus tenues inflammantur, & lumen clarum refulget; hoc vocatur Coruſcare: ac juxtà ordinem quidem oportet ut primò Tonet, deinde Coruſcet. Nempè cùm nubes emittunt ignem ſuâ colliſione, quemadmodum ſilices igniferi invicem attriti, acies oculorum attingit celeriùs fulgidiora. quod verò *auditur, percipitur tardiore ſenſu, dum fertur ad aures: eo pacto & æther exiſtimatur primò Fulgurare, ac deinde Tonare. Atque etiam quoniam flammæ fulgurantes ſuâ velocitate, objiciuntur noſtro viſui celeriùs, quàm dici poſſit. at verò ſonitus percipitur ope percuſſi aeris, hoc eſt, ſignificatione alienâ. Ille autem ignis, quem colliſio nubium expreſſit, ſi fuerit validiùs accenſus, defertur violenter ad humum, & vocatur fulmen, & incutit metum. appellamus autem* eos ignes *Preſteras, quando ſunt minùs inflammati. Verùm, ſi fulmen non fuerit inflammatum, appellatur Typhon. Sceptos eſt vocabulum commune univerſis* illis, *quæ delabuntur ex nubibus. Et, ut paucis complectar omnia hujuſmodi, quæ præſtingunt extremam aciem oculorum, quædam ſunt quæ efficiunt ſolùm imaginem eorum quæ cernuntur; aliæ, quæ nihil fallunt in eâ re, quam monſtraverunt. Irides, atque Arcus, & ſimilia decipiunt ſpecie: Cometæ, Coruſcationes,*

NOTÆ.

1. *Claricantes.*] Quidam *clariſcantes*, alii *coruſcantes*.

2. *Noſtræ viſioni occurrunt.*] Quidam *convibrant*, hoc eſt *collucent*.

3. *Typhon vocant.*] Scribe *typhona*.

4. *Sceptos.*] Σκηπτός. etenim Græcis σκήπτειν eſt *magno impetu irruere*. Omiſit noſter hæc Ariſtotelis: τῶν δὲ κεραυνῶν, οἱ μὲν αἰθαλώδεις, ψολόεντες λέγονται· οἱ δὲ ταχέως διάττοντες, ἀργῆτες. ἑλικίαι δὲ γραμμοειδῶς φερόμενοι. *Fulmen fuliginoſum Pſoloïs dicitur. ſi citiùs emicuerit, vocatur Arges: Helicias verò, ſi lineari ſpecie ſit conformatum.*

5. *Aliæ ſunt, quæ ſpeciem tantùm ſpectaculi pariunt.*] Et hæc propriè *Præſtigiarum* nomen merentur.

6. *Et talia.*] Quæ reflectione tantùm, & refractione radiorum ſolarium, lunariumve in aëre gignuntur, Parelii Haloneſque.

-tur Cometæ, Fulgores, & ſimilia pleraque. Irin vulgò Arcum eſſe aiunt, [1] quando imago Solis vel Lunæ humidam & cavam nubem denſamque ad inſtar ſpeculi colorat, & medietatem orbis ejus ſecat. Rhabdos autem generis ejuſdem, ad virgæ rigorem per longum colorata nubecula dicitur. [2] Halyſis eſt catena quædam luminis clarioris, per Solis ambitum in ſe revertens. Inter hanc & Irida, illud intereſt: quòd Iris multicolor eſt, & ſemicirculo figurata [3] procul à Sole atque Lunâ: [4] Catena clarior eſt, aſtrumque ambit orbe incolumi, coronâ non diſcolori. [5] Selas autem Græci vocant, incenſi aëris lucem. Horum pleraque jaculari credas, [6] alia labi, ſtare alia. Jaculatio igitur tunc fieri putatur, [7] cum meatu aëris, atque impulſu generatus ignis celeritatem ſui curſumque rapidæ feſtinationis oſtendit. Stativa lux eſt, quam Sterigmon illi vocant, ſine curſu jugi, ſed prolixa lux, ſtellæque fluor, & ignitus liquor; qui, cùm latiùs quatitur, Cometes vocatur. Sed plerumque luces iſtæ repentino ortu viſæ ſtatim occidunt: &

INTERPRETATIO.

& quamplurima ejuſmodi reipsâ cernuntur. Dicunt fieri Iridem (quæ vulgò vocatur *Arcus) cùm ſimulachrum Solis aut Lunæ pingit nubem humentem, & canam, opacamque quaſi ſpeculum, & dividit ejus rotunditatem per medium. Parva autem nubes ejuſdem ſpeciei colorata in longum inſtar virgæ rigidæ, appellatur Rhabdos. Halo eſt quoddam vinculum lucis ſplendidioris in ſeipſum rediens per circuitum Solis. Hoc eſt diſcrimen inter hanc* Halonem, *& Irin, quòd Iris habet varios colores, & formata eſt in ſemirotundum longè à Sole & Lunâ: Halo eſt lucidior, & circumdat ſidus integro orbe, & cingulo unius ejuſdemque coloris. Græci verò appellant Selas fulgorem aëris inflammati. Arbitrareris maximam partem eorum phænomenæn mitti: alia cadere: alia ſtare. Emiſſio ergo tunc creditur fieri, quando flamma, excitata tranſitu & impulſu aëris, demonſtrat ſuam velocitatem & accelerationem rapidam* ſui *curſûs. Eſt fulgor permanens, quem illi nominant Sterigmon, abſque motu continuo, ſed eſt longum lumen, & fluxus ſtellæ, & ignis liquidus, qui dicitur Cometa, quando extenditur latiùs. Verùm iſti fulgores ſæpiùs ſubitò exorti, repentè evaneſcunt: at etiam* quandoque

NOTÆ.

1. *Quando imago Solis & Lunæ.*] Vide Carteſium in Meteorol. qui totam Iridis naturam mirè explicuit, & demonſtravit.

2. *Halyſis eſt catena quædam, &c.*] Mendosè legiſſe videtur Apuleius apud Ariſtotelem hoc loco ἅλυσις, quod *catenam* ſignificat, pro ἅλως, quod *aream*. quo nomine Meteorum hoc cenſetur, non autem nomine *catenæ*. Repoſui in interpretatione *halo*. Græcum enim nomen hoc ſenſu civitate donatum eſt à Latinis Philoſophis.

3. *Procul à Sole.*] Ex adverſo nempè, & Centrum, ſive mavis Polum, habens punctum Soli è diametro oppoſitum, à quo ut plurimùm diſtat 41, aut 42 Gradibus, ut obſervat Carteſius.

4. *Catena.*] Et hîc ab Apuleio lectum ἅλυσις pro ἅλως.

5. *Selas.*] Σέλας, τὸ *fulgor.*

6. *Alia labi.*] Hæc non habet Ariſtoteles, ſed tantùm τῶν ἢ σελάων, τὰ μὲν ἀκοντίζεται: τὰ δὲ στηρίζεται. *fulgorum alii jaculi inſtar vibrantur, alii fixi manent.*

7. *Cum meatu cineris.*] Lege ex Ariſtotelico textu, *cum meatu aëris.*

item ut ſe oſtenderint, aliquantiſper manent. Sunt & alia ejuſmodi imaginum genera, quas Græci Faces, [1] & Docidas, & Pithos, & Bothynos, ad eorum ſimilitudinem, unde dicta ſunt, nominant. & quædam veſpertina ſunt notiora. raro autem de Septemtrione vel Meridie videas. nihil horum quippe loci vel temporis in naſcendo idem potuit obtingere. De Aëre tantùm habuimus quod diceremus. Sed non Aquarum modò Tellus in ſe fontes habet, verùm ſpiritu & igni fœcunda eſt. Nam quibuſdam ſubter occulti ſunt ſpiritus, & flantes incendia indidem ſuſpirant: ut [2] Liparis, ut Ætna, [3] ut Veſuvius etiam noſter ſolet. Illi etiam ignes, qui Terræ ſecretariis continentur, prætereuntes aquas vaporant, & produnt longinquitatem flammæ, cùm tepidiores aquas reddunt; viciniam, cùm ferventiores. Oppoſito incendio aquæ utuntur: [4] ut Phlegethontis amnis, quem Poëtæ ſciunt in fabulis Inferorum. Atenim illos quis non admirandos ſpiritus arbitretur, cùm ex his animadvertat accidere, ut eorum religione [5] lymphantes, alii ſine cibo potúque ſint, pars verò præſagiis effantes futura? quod in

Interpretatio.

aliquandiu remanent quemadmodum apparuerunt. Sunt & alia genera talium ſimulachrorum, quæ Græci appellant Lampadas, & Docidas, & Pithos, & Bothynos, ad ſimilitudinem illarum rerum, ex quibus nominata ſunt. & quædam ſunt magis cognita, quæ oriuntur ab Occidente. raro autem cernas à Septemtrionibus, aut à Meridie exorta. *nam nullum ex iis potuit ſortiri eumdem locum aut tempus in ortu* ſuo. *Hoc ſolùm habuimus dicere de Aëre. At Terra non tantùm habet in ſe ſcaturigines aquarum, ſed eſt etiam ferax ventorum & ignium. Sunt enim quidam flatus abſconditi ſub Tellure, & ſpirantes efflant inde ignes; quemadmodum Lipara, quemadmodum Ætna, & noſter quoque Veſuvius conſuevit. Illi* quoque *ignes, qui coërcentur penetralibus Terræ calefaciunt aquas tranſeuntes, & manifeſtant diſtantiam* ſui *ardoris, quando efficiunt aquas* tantùm *tepidas; propinquitatem* verò, *quando* reddunt eas *calidiores. Aquæ conſumuntur, quando ignis eſt oppoſitus* earum curſui: *quales* ſunt aquæ *fluvii Phlegethontis, cujus poëtæ meminerunt in fabulis Inferorum. Verùm quis non exiſtimet illos flatus* eſſe *admirabiles, cùm videat illorum ope contingere; ut correpti eorum numine, alii maneant abſque cibo & potu, aliqui autem aperiant futura prædictionibus? quod fit in*

Notæ.

1. *Et Docidas & Pythos & Bothynos.*] Hoc eſt, *trabes, dolia, & ſcrobes.*

2. *Liparis.*] Ariſtot. Λιπάρα Plinio, Geographiſque cæteris *Lipara* à Liparo Rege, Æoli ſucceſſore. Priùs dicta eſt, teſte eodem Plinio, *Melogonis*, vel *Meligunis*. Inſula eſt maris Mediterranei haud procul à Siciliâ.

3. *Ut Veſuvius etiam noſter.*] Non ut Afer, ſed ut Romanus civis loquitur, eſt enim Veſuvius ſeu Veſuvus Campaniæ mons, incendiis ſuis, & Plinii Hiſtoriæ naturalis ſcriptoris morte celebris. Vide Plinium Juniorem, Epiſtolâ ad Tacitum, quæ vulgò præfixa eſt libris Hiſtoriæ Naturalis Plin. Majoris.

4. *Ut Phlegetontis amnis.*] Hinc nomen duxit. φλέγος enim Græcis *ardor* eſt, & φλεγέθειν *comburere.*

5. *Lymphantes.*] Id eſt, *lymphati* νυμφόληπτοι.

oraculis

oraculis Delphicis cæteriſque eſt. [1] Vidi & ipſe [2] apud Hierapolim Phrygiæ, non adeò ardui montis vicinum latus nativi oris hiatu reſeratum, & tenuis neque editæ marginis ambitu circumdatum; ſive illa, ut poëtæ volunt, [3] Ditis ſpiracula dicenda ſunt, ſeu mortiferos anhelitus eos credi prior ratio eſt. Proxima quæque animalia, & in alvum prona atque projecta, venenati ſpiritûs contagione corripiunt, &, [4] vertice circumacta, interimunt. Antiſtites denique ipſos ſemiviros eſſe aiunt, qui audeant propiùs accedere, ad ſuperna ſemper ſua ora tollentes, [5] adeò illis cognita eſt vis mali ad inferiora aëris noxii craſſitate denſa, inferiores quoque faciliùs adire atque percellere. Atqui ſæpè accidit, ut nativi ſpiritus per terræ concavas partes errantes concutiant ſolida terrarum; ſæpiùs, ut ſpiritus, creſcente violentiâ, & inſinuantes ſe telluris anguſtiis, nec invenientes exitum, terram moveant. Horum motuum tàm varia ſunt nomina, quàm diverſi eſſe videntur. Namque obliquis lateribus proxima quæque jactantes,

INTERPRETATIO.

oraculis Delphicis & aliis. Ego quoque vidi Hierapoli in Phrygiâ propinquum clivum montis haud ita excelſi, patens apertione hiatûs naturalis, & cinctum complexu marginis tenuis, & non altæ; ſive illa vocanda ſint ſpiracula Plutonis, ut poetæ volunt, ſive meliori ratione credendum ſit eſſe exhalationes lethiferas. Illæ *corripiunt contagio halitûs venenoſi cuncta animalia accedentia & inclinata ac dejecta in ventrem, & interficiunt* ea *circumtorquendo vertigine. Denique ferunt Sacerdotes ipſos ſpadones eſſe* ſolos, *qui audeant accedere propiùs, extollentes ſemper ſuos vultus ſurſum, adeò compertum habent, virtutem veneni* illius *depreſſam ad inferiores partes denſitate aëris peſtiferi, faciliùs etiam aſſequi, & labefacere res humiliores. Verùm frequenter evenit ut flatus naturales meantes per cavitates Telluris, ſuccutiant partes ſolidas terrarum; ita ut frequentiùs venti, creſcente vehementiâ inferentes ſe rimis terræ, neque reperientes egreſſum ſuccutiant tellurem. Nomina illorum motuum tam diverſa ſunt, quàm* ipſi ſucceſſus *videntur eſſe varii. Illi enim qui agitant vicina omnia lateribus obliquis, & moventur ad angulos acutos,*

NOTÆ.

1. *Vidi & ipſe.*] Hæc uſque ad illa verba *atqui ſæpè accidit ut, &c.* ſunt ipſius Apuleii, non Ariſtotelis.

2. *Apud Hierapolim Phrygiæ.*] Stephanus de Urbibus: Ἱεράπολις μεταξὺ Φρυγίας ϗ Λυδίας πόλις. *Hierapolis urbs Phrygiam inter & Lydiam.* Strabo eam ex adverſo Laodiceæ ponit lib. 13.

3. *Ditis ſpiracula.*] Et Straboni quidem hiatus ille dicitur πλουτώνιον. Hujus meminit Plin. lib. 2. cap. 93. *Amſancti ad Mephitis ædem, locum, quem qui intravêre, moriuntur. item in Hirpinis, inquit, Amſancti, &c. Simili modo Hierapoli in Aſiâ, matris tantùm magna Sacerdoti innoxium.* Idem etiam refert Ammianus Marcellinus, lib. 23.

4. *Vertice circumacta.*] *Vertex* ſæpè pro *capite.* at hìc pro *vortice*, ſeu *vertigine* ſumitur.

5. *Adeò illis cognita eſt vis mali, &c.*] Hæc uſque ad illa verba: *atqui ſæpè accidit*, parum ſana ſunt. Sic verti in interpretatione quaſi ſcriptum ſit: *adeò illis cognitum eſt vim mali ad inferiora aëris noxii craſſitate delapſam, inferiores quoque faciliùs adire atque percellere.* ex quâ lectione commodus ſenſus elicitur.

&c acutis angulis mobiles, [1] Epiclintæ Græcè appellantur; & qui ſubſiliunt, excutientes onera, & reciprocantes directis angulis mobiles, [2] Braſtæ vocitantur: illi autem [3] qui abſtrudere videntur Chaſmatiæ dicti; quorum impulſu diſſilit tellus, [4] Rhectæ ſunt nominati. His paſſionibus contingit, ut quædam terræ expirent halitus, aliæ vomant ſaxa, nonnullæ cœnum. ſunt quæ fontes pariunt inſolentibus locis, peregrinorum fluminum ſulcantes vias. [5] Oſtæ ſunt motus, quibus ſolum quatitur: [6] Palmatiæ verò appellantur, quorum pavitatione illa quæ trepidant, ſine inclinationis periculo nutant, cùm directi tamen rigoris ſtatum retineant. [7] Mycetias vocatur tetri rudoris inquietudo terrena. Audiuntur mugitus, interioribus gemitibus expreſſis, cùm ſpiritus invalidus ad terram movendam per aperta Telluris inventis itineribus progreditur. His talibus marina ſunt paria, cùm fluctuum concurrentium mole nunc progreſſibus littora, nunc recurſibus ſinus

INTERPRETATIO.

vocantur Græcè Epiclintæ; & illi qui ſubſultant ſuccutientes pondera, & alternantes, ac moventur ad angulos rectos, appellantur Braſtæ: illi verò qui videntur deprimere terram, vocati ſunt *Chaſmatiæ: illi quorum impulſione terra diffringitur, ſunt appellati Rhectæ. His affectionibus fit ut nonnullæ terræ exhalent flatus, aliæ eructent lapides, quædam lutum. Sunt* etiam terræ *quæ in locis inſuetis evomunt fontes, qui cavant alveos fluviorum inſolitorum. Oſtæ ſunt motus quibus humus concutitur. Illi autem nominantur Palmatiæ, quorum trepidatione illa quæ tremunt, vacillant abſque periculo casûs, cùm nihilominùs ſervent rigidam rectitudinem ſui ſitûs. Mycetias appellatur, cùm terra ſollicitatur fremitu horrendo. Mugitus audiuntur excitatis intus gemitibus, quando ventus non ſatis vehemens ad commovendam tellurem, repertis viis, meat per patentes* timas *terræ. Ejuſmodi* paſſionibus *ſimilia ſunt quæ geruntur in mari, quando ingentibus undis* inter ſe *concurrentibus, modò ripæ concutiuntur procurſibus* fluctuum, *modò ſinus percuſſi regreſſibus*

NOTÆ.

1. *Epiclintæ.*] ὠϑὸ τῷ ἐπικλίνεϑς, *ab incumbendo* Ammian. loco citato, *Climatias* appellat.

2. *Braſtæ.*] βεράσαι. ἀπὸ τȣ̃ βεράσειν, *ab ebulliendo.* Ammiano dicuntur *Braſmatiæ. Fiunt autem* (inquit) *terrarum motus quatuor. aut enim Braſmatiæ ſunt, qui humum intùs ſuſcitantes, ſurſum propellunt immaniſſimas moles, ut in Aſiâ Delos emerſit, &c.*

3. *Qui abſtrudere videntur Chaſmatiæ dicti.*] Quid per *abſtrudere* hîc intelligendum ſit, diſce ex Ammiano: *aut Chaſmatiæ, qui grandiori motu patefactis ſubitò voratrinis, terrarum partes abſorbent: ut in Atlantico mari, Europæo orbe potior inſula* (Atlantis, de quâ jam ſuprà) *& in Criſæo Helice & Bura, &c.* χάσμα Græcis *hiatus* eſt.

4. *Rhectæ.*] A verbo ῥήγνυμι, *perrumpo, diffringo.* Horum non meminit Ammianus, ſed quarto loco ponit *Mycematiam, qui ſonitu auditur minatorio.* hunc noſter infrà *Mycetiam* appellat.

5. *Oſtæ ſunt motus quibus ſolum quatitur.*] Immò *truditur* ὦςαι enim *truſores* ſunt, & ὠςίζειν *trudere.* ii ſcilicet terræ motus ſunt, ſecundùm Ariſtotelem, qui uno obnixu ſubvertunt quod impulerunt.

6. *Palmatiæ.*] Quaſi dicas *vibratores,* ἀπὸ τȣ̃ πάλλειν.

7. *Mycetias.*] A verbo μύκω *mugio, reboo.*

cæſi quatiuntur. Sentitur etiam cœli mariſque cognatio, [1] cum menſtruis curſibus Lunæ, decrementa & acceſſus fretorum atque æſtuum deprehenduntur. Verùm enimverò, ut quatenus poſſum de univerſitate quod ſentio breviter abſolvam: Elementorum inter ſe tanta concordia eſt, id eſt, Aëris, Maris, atque Terræ; ut admirari minùs deceat, ſi illis eadem incommoda ſoleant, atque ſecunda contingere, particulatim quidem rebus ortus atque obitus afferentes, univerſitatem verò à fine atque initio vindicantes. [2] Et quibuſdam mirum videri ſolet, quod, cùm ex diverſis atque inter ſe pugnantibus Elementis Mundi Natura conflata ſit, aridis atque fluxis, glacialibus & ignitis; tanto rerum divortio nondum ſit ejus immortalitas diſſoluta. Quibus illud ſimile ſatisfaciet, cùm in urbe ex diverſis & contrariis [3] corporata rerum inæqualium multitudo concordat. Sunt enim pariter dites & egentes, adoleſcens ætas permixta ſenioribus, ignavi cum fortibus, peſſimi cum optimis congregati. Aut profectò quod res eſt fateantur, hanc eſſe civilis rationis admirandam temperantiam, cùm quidem de plurimis una ſit facta, & ſimilis ſui tota, cùm diſſimilia membra ſint, cùm receptrix ſit naturarum ad diverſa tendentium, & Fortunarum per varios fines exituſque pergentium; &, ut res eſt,

INTERPRETATIO.

eorumdem. *Affinitas quoque Ætheris, & maris percipitur, quando decrementa & incrementa fretorum ac æſtuum agnoſcuntur curſibus menſtruis Lunæ. Etenim, ut paucis, quantum poſſum, exponam meam ſententiam de Mundo: tantus eſt conſenſus Elementorum inter ſe, hoc eſt Aëris, Maris, & Terræ: ut minùs mirandum ſit, ſi eadem incommoda & commoda conſueverint evenire eis, & ſingillatim quidem rebus afferant generationem & corruptionem, deffendant verò univerſum* mundum *ab ortu & interitu. Ac nonnulli ſolent mirari, quòd cùm Natura Mundi ſit compoſita ex Elementis diſcrepantibus, & ſibi invicem contrariis, ſiccis* nempè *& humidis, frigidis & calidis, ſubſtantia ejus*, quæ *corruptibilis* eſt, *non ſit corrupta hactenus. Quibus hæc ſimilitudo ſatisfaciet, quod* ſcilicet *multitudo rerum inæqualium conflata ex variis & contrariis* rebus *in civitate conſentit* inter ſe. *Nam ſimul ſunt locupletes & inopes, ætas juvenilis mixta cum ſenili, puſillanimi collecti cum ſtrenuis, deterrimi cum optimis. Vel certè confiteantur rem ut ſe habet, eam mixturam rei politicæ eſſe admirabilem, quandoquidem una conflata eſt ex permultis, & tota ſibi ipſi ſimilis, cùm ejus partes ſint diſſimiles, cùm contineat* in ſe *Naturas pergentes ad varios* fines, *& fortunas tendentes in diverſos exitus & terminos: & revera Naturæ*

NOTÆ.

1. *Cum menſtruis curſibus Lunæ, decrementa & acceſſus fretorum atque æſtuum deprehenduntur.*] Cauſam æſtuum maris ad Lunam, ejuſque revolutiones retulerunt permulti. Ariſt. libro hoc περὶ κόσμου. Philoſtrat. in Vitæ Apollon. Thyanei, lib. 5. cap. 1. Strabo lib. 3. Solin. Polyhiſtor. cap. 28. Gell. lib. 14. cap. 1. &c. Vide Plin. lib. 2. cap. 97.

5. *Et quibuſdam mirum.*] Hîc incipit cap. 5. lib. Ariſt. περὶ κόσμου.

3. *Corporata.*] In unum corpus compacta.

contrariorum per ſe Natura flectitur, & ex diſſonis fit unus idemque concentus.[1] Sic mare & femineum ſecus junguntur, ac diverſus utriuſque ſexus ex diſſimilibus ſimile animal facit: artes denique ipſæ naturam imitantes, ex imparibus paria faciunt. Pictura namque ex diſcordibus pigmentorum coloribus, atris, albis, luteis, & puniceis, confuſione modicâ temperatis, imagines iis quos imitatur ſimiles facit. Ipſa etiam Muſica, quæ de longis & brevibus, acutis & gravioribus ſonis conſtat, tamque diverſis & diſſonis vocibus harmoniam conſonam reddit. Grammaticorum artes vide, quæſo, quàm ex diverſis collectæ ſint literis; ex quibus aliæ ſunt inſonæ, ſemiſonantes aliæ, pars ſonantes; & tamen mutuis ſe auxiliis adjuvantes ſyllabas pariunt, & de ſyllabis voces. Hoc Heraclitus[2] ſententiarum ſuarum nebulis ad hunc modum eſt proſecutus: Συνάψειας ὅλα καὶ οὐχὶ ὅλα, συμφερόμενον καὶ διαφερόμενον, συνᾶδον καὶ διᾶδον. καὶ ἐκ πάντων ἓν, καὶ ἐξ ἑνὸς πάντα. Sic totius Mundi ſuorum inſtantia initiorum inter ſe impares conventus, pari nec diſcordante concentu Natura, veluti Muſicam, temperavit. Namque humidis arida, glacialibus flammida, velocibus pigra, directis obliqua confudit, unumque ex omnibus, & ex uno omnia juxta

INTERPRETATIO.

contrariorum per ſe inflectitur, & unus atque idem concentus oritur ex diſcordantibus ſonis. *ita mas & fœmina copulantur inter ſe, & ſexus amborum diverſus efficit animal ſimile ex diſſimilibus: atque ipſa demùm artes, æmulantes naturam, ex diſſimilibus faciunt ſimilia. Etenim pictura format effigies ſimiles illis quos* conatur *referre, ex diverſis coloribus pigmentorum, nigris, candidis, croceis, & rubris, mixtis parvâ confuſione. Ipſa quoque Muſica, quæ conflata eſt ex ſonis longis & brevibus, acutis & gravibus, atque ex vocibus tam variis ac diſcordantibus, efficit concentum concordem. Conſidera*, te *rogo, artes Grammaticorum, quàm conflata ſint ex characteribus diſcrepantibus; ex quibus quidam ſono carent, alii ſunt ſemivocales, alii vocales; & nihilominùs* illi, *ſe adjuvantes ope reciprocâ, efficiunt ſyllabas, & dictiones ex ſyllabis. Heraclitus obſcuritate ſententiarum ſuarum ſic deſcripſit hoc*: unà conjunxeris ſana & minimè ſana, conſentiens, & diſſentiens, conſonans, & diſſonans, & unum ex omnibus, & omnia ex uno. *Ita natura univerſi orbis temperavit momenta & inæquales inter ſe concurſus ſuorum primordiorum harmoniâ æquali & non diſſonante, non ſecùs ac Muſicam. Permiſcuit enim ſicca udis, ardentia gelidis, tarda celeribus, obliqua rectis, & fecit unum ex univerſis, & univerſa ex uno, ſe-*

NOTÆ.

1. *Sic mare & fœmineum ſecus*] *Secus* pro *ſexu* jam dixit lib. 1. de Philoſophiâ Morali: *Et optimis diſciplinis communi præceptorum magiſterio docebuntur non virile ſecus modò, verùm etiam fœminarum.* At *mare* adjectivum neutrius generis, pro *maſculo* (ſi modò lectio hæc ſincera ſit) Apuleianam licentiam ſapit, neque enim alibi temerè reperias.

2. *Sententiarum ſuarum modulis.*] Scriveriana editio habet: *ſententiarum ſuarum nubilus.* Scribe *nubilis.* nubila ſententiarum ſunt earum obſcuritates. Conſentanea lectio eſt Ariſtoteli, qui Heraclitum appellat σκοτεινὸν *obſcurum.*

Heraclitum, conſtituit: 1 Terramque humore, Cœlum Solis orbe, & Lunæ globo, cæteriſque orientium 2 & conditorum ſiderum facibus ornavit, 3 unâ illâ parte mixtâ, quam quidem cunctis conſtat implicatam, 4 dum confuſa, dum libera elementorum ſubſtantia, Ignis, Aquæ, Aëris, Terræ, ex quibus hujus ſpheræ convexa, & diſparibus qualitatibus naturæ 5 conflata, 6 adacta eſt fateri concordiam, 7 & ex eâ ſalutem operi machinatam. Principiorum igitur conſenſus ſibi concordiam pepetit: perſeverantiam verò amicitiæ inter ſe elementis dedit ſpecierum ipſarum æqua partitio, & dum in nullo alia ab aliâ vincitur, modo vel poteſtate. Æqualis quippe omnium diverſitas, graviſſimorum, leviſſimorum, ferventium, frigidorum, docente ratione Natu-

Interpretatio.

eundum Heraclitum: & decoravit Tellurem aquâ, æthera globo Solis, & orbe Lunæ, & reliquis lampadibus aſtrorum orientium & occidentium, permixtâ illâ unâ parte, quam certum eſt quidem immixtam eſſe univerſis cùm natura elementorum Ignis, Aquæ, Aëris & Terræ, ex quibus diſſimilibus qualitatibus naturæ ambitus hujus orbis conſtitutus eſt, impermixta ac ſoluta, coacta eſt ſibiipſi *conſentire, &* illam partem permixtam cunctis *architectatam fuiſſe conſervationem* ſui *operis ex illo* conſenſu. *Conſenſio ergo Elementorum conciliavit ſibi concordiam. at æqualis diſtributio ipſarum ſpecierum peperit elementis durationem concordiæ inter ſe, dum aliud non vincitur ab alio in re ullâ, ſive quantitate, ſive virtute. Etenim æqualis* eſt *varietas cunctarum rerum, graviſſimarum, leviſſimarum, calidarum, frigidarum, ratione naturali*

Notæ.

1. *Terramque humore, &c.*] Hæc uſque ad illa verba *Principiorum igitur conſenſus*, aliter paulò, & certè clariùs expreſſa apud Ariſtotelem. Ejus verba ſunt: Γῆν τε πᾶσαν καὶ θάλασσαν, αἰθέρα τε καὶ ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν διεκόσμησε μία διὰ πάντων διήκουσα δύναμις, ἐκ τῶν ἀμίκτων καὶ ἑτερείων, ἀέρος τε καὶ γῆς, καὶ πυρὸς καὶ ὕδατος, τὸν σύμπαντα κόσμον δημιουργήσασα, καὶ μιᾷ διαλαβοῦσα σφαίρας ἐπιφανείᾳ, τάς τε ἐναντιωτάτας ἐν αὐτῷ φύσεις ἀλλήλαις ἀναγκάσασα ὁμολογῆσαι, καὶ ἐκ τούτων μηχανησαμένη τῷ παντὶ σωτηρίαν. *terram etiam omnem, omne mare, Ætherem, Solem, Lunam, & poſtremò totum Cœlum, vis una per omnia pertinens, certo ordine deſcripſit, concinnéque digeſſit è diverſis ipſa naturis, atque impermixtis, Aëre, Terrâ, Igne & Aquâ, mundum architectata: quumque eum etiam globoſâ ſuperficie comprehendiſſet, naturas quàm maximè contrarias, quæ ſunt in eo, coegit inter ſe conſentire, atque ex his machinata eſt ſalutem univerſo orbi.*

2. *Et conditorum.*] *Occidentium*, præteritum pro præſenti.

3. *Unâ illâ parte mixtâ, quam quidem, &c.*] Innuit Mundi animam, de quâ jam alibi diximus.

4. *Dum confuſa, dum libera.*] Mendoſus videtur locus. Meliùs quadrabit cum Ariſtotele, ſi legas *dum inconfuſa ac libera, &c.* hanc lectionem in interpretatione ſecutus ſum.

5. *Conflata.*] Supple *ſunt*, & refer ad *connexa*, atque interpunge.

6. *Adacta eſt fateri concordiam.*] Hæc referenda ſunt ad elementorum ſubſtantiam. *fateri concordiam* dixit, quod Ariſtot. ὁμολογῆσαι.

7. *Et ex eâ ſalutem operi machinatam.*] Hæc referenda ſunt ad partem illam, *quam quidem cunctis conſtat implicatam*, & illud *machinatam* regi verbo *conſtat*, intelligendum eſt. Sic loco huic intricatiſſimo & obſcuriſſimo facilitas aliqua & lux afferetur.

ræ, diverſis licèt rebus, æqualitatem deferre concordiam, omnipatentis Mundi amœnitatem æternitatemque reperiſſe. Quid enim Mundo præſtantius? Lauda quam potes ſpeciem; portio à te laudabitur Mundi. admirare quam voles temperantiam, ordinationem, figuram; hic & per hunc illud quodcumque eſt, invenietur eſſe laudandum. Nam, quid, oro te, ornatum atque ordinatum videri poteſt, quod non ab ipſius exemplo imitatura ſit ratio? unde κόσμος Græcè nomen accepit. Euntibus Sole atque Lunâ, [1] cæteràque luce ſidereâ per eaſdem vias, cuſtoditis temporum vicibus, nec ullius erroris interjectione confuſis, digeruntur tempora, & rursùs incipiunt. At quàm pulchræ & fœcundæ Horæ procreantur, [2] nunc æſtivos vapores revolventes, nunc pruinas hyemis circumferentes! dierum etiam noctiumque curriculis [3] ordiuntur menſes, menſes texunt annos, anni ſeriem conficiunt ſeculorum. Et hic quidem Mundus [4] magnitudine immenſus, curſibus rapidus, ſplendore perlucidus, valenti habitudine, [5] pubertate juvenali.

INTERPRETATIO.

monſtrante æqualitatem tribuere concordiam rebus, tametſi diverſis, & eam *effeciſſe pulchritudinem & æternitatem Mundi productoris rerum omnium. Nam quid* eſt *excellentius Mundo? Lauda rem quam volueris, laudabis particulam Mundi. mirare mixturam, ordinem & formam cujus libuerit* rei, *ea, quæcumque ſit, reperietur in illo, & laudanda per illum. Nam, quid, quæſo, poteſt videri decoratum & ordinatum, quod mens non æmulatura ſit ab exemplari ejus? propterea dictus eſt Græcè Κόσμος. Tempora diſponuntur, & revolvuntur Sole & Lunâ, ac reliquis aſtrorum facibus incedentibus per eadem itinera, alternationibus tempeſtatum ſervatis, neque perturbatis interpoſitione ullius evagationis. Verùm quàm amœnæ & fœcundæ Tempeſtates gignuntur, modò reducentes calores æſtatis, modò advehentes gelicidia hyemis! inchoantur quoque menſes ſpatiis dierum, & noctium, menſes conficiunt annos, anni efficiunt continuationem ſæculorum. Atque hic Mundus eſt quidem immenſus amplitudine, celerrimus* in ſuis *curſibus, nitore pellucens temperamento robuſto, & flore juvenili.*

NOTÆ.

1. *Cæteràque luce ſidereâ.*] *Lux* hîc collectivè ſumitur pro corporibus lucidis, ſeu (ut loquitur ſcriptura ſacra) *luminaribus* minoribus, quibus cœlum diſtinctum eſt.

2. *Nunc æſtivos vapores revolventes.*] Elmenhorſt. magis probat lectionem Rom. cod. *reſolventes.* Ego ejus ſententiæ non accedo. Placet *revolventes,* & interpretor *revolutionibus ſuis annuis reducentes.* firmat meam opinionem quod ſequitur, *nunc pruinas hyemis circumferentes.* Sed comprobat omninò textus Ariſtotelicus. τίς δ' ἂν γένοιτ' ἂν ἀσφάλεια τοιάδε, ἥντινα φυλάττουσιν αἱ καλαὶ καὶ γόνιμοι τῶν ὅλων ὧραι, θέρη τε καὶ χειμῶνας ἐπάγουσαι τεταγμένως, &c.

3. *Ordiuntur menſes, texunt annos, anni, &c.*] Omninò legendum, *ordiuntur menſes, menſes texunt annos, anni &c.* ratio facilè patebit attendenti.

4. *Magnitudine immenſus.*] Ariſtoteles hîc non immenſum quidem mundum, ſed μεγέθει πανυπέρτατον *magnitudine cuncta longè exuperantem* dixit. Carteſius noſtro ævo *infinitum* affirmare non auſus, *indefinitum* dixit, quod idem fermè eſt ac *immenſum.*

5. *Pubertate juvenali.*] *Juvenalis* & *juvenilis* idem ſonant. Plin. lib. 33. cap. 2. *juvenalem famam aucupari* dixit.

[1] Hic animalium nantium atque terreſtrium, pennigerorumque cunctorum diſtinxit genera, ſpecies ſeparavit, fixitque leges vivendi atque moriendi. Ex hoc animantia vitales ſpiritus ducunt. Illinc ſtatis curſibus temporum eventus, qui admirationi eſſe ſolent, cùm vel inter ſe ventorum prælia cientur, vel diſſectis nubibus fulminat cœlum, & tempeſtates inter ſe ſerenæ hibernæque confligunt, micant ignes, [2] imbres rumpuntur: & rursùs, placatis omnibus, amœna lætitia mundi reſeratur. Videas & viridantibus comis cæſariatam eſſe terram, & ſcatebris fontium manantem, & aquarum agminibus concipientem, parientem, atque educantem, nec occaſibus fatigari, [3] nec ſeculis anilitari, excuſſam erumpentibus ſemper tam pigris quàm moventibus flatibus, aquarum ſæpè alluvionibus merſam, flammarum per partes voracitate conſumptam. quæ tamen illi cùm regionaliter videantur eſſe peſtifera, ad omne ſalutaria ſunt, & ad redintegrationem ejus valent. & cùm movetur, profectò ſpirat illos ſpiritus: quibus clauſis, & effugia quærentibus, movebatur. Imbribus etiam madefacta, non ſolùm ad educandos fœtus ſuos opimatur, verùm etiam peſtiferâ con-

INTERPRETATIO.

Hic Mundus *diſtinxit genera animalium aquatilium, & terrenorum, atque volantium omnium, diviſit ea in ſpecies, ac ſtatuit leges ortûs & interitûs. Animalia trahunt ſpiritus vitales ex eo. Ex ipſo* proveniunt *certis curſibus temporum eventus, quos ſolemus admirari, quando* nempè *excitantur certamina ventorum inter ſe, aut æther fulgurat, nubibus ruptis, ac tempeſtates amœnæ, & hyemales certant inter ſe, ignes coruſcant, pluviæ effunduntur: atque, cunctis ſedatis, jucunda hilaritas mundi iterùm aperitur. Cernas etiam tellurem eſſe capillatam cæſarie viridi, & fluere ſcaturiginibus fontium, & largis aquis illam concipere, & edere* in lucem, *ac nutrire* fœtus ſuos, *neque laſſari occaſibus, neque ſeneſcere ſæculis,* licèt *concutiatur prodeuntibus ſemper ex eâ ſpiritibus tam tardis quàm agitantibus,* licèt *crebrò operta fuerit diluviis aquarum, abſumpta in* quibuſdam ſuis *partibus edacitate ignium. qui tamen* caſus *licèt videantur eſſe ipſi exitiales in regionibus* quibus accidunt, *ſalubres ſunt* illi *in univerſum & proſunt ad ejus reſtaurationem. Et quando* ipſa *concutitur, certè exhalat illos flatus, à quibus concutiebatur dum incluſi eſſent, & inveſtigarent exitus. Irrigata quoque pluviis non tantùm pingueſcit ad alendos ſuos fructus, ſed etiam purgatur à contagio morboſo.*

NOTÆ.

1. *Hic cauſa animalium, &c.*] Tolle illud *cauſa*, quod ſenſum impeditum reddit. Non habet illud Ariſtoteles.

2. *Imbres rumpuntur.*] Mavult VVowerius *erumpunt.* cui accedit Elmenhorſtius. Ego nihil muto. Expreſſit hæc Ariſtot. ῥηγνυμένων ἢ χειμώνων ἐξαισίων.

3. *Nec ſæculis anilitari excuſſam, &c.*] Interpungo poſt *anilitari*, & lego *excuſſam erumpentibus ſemper tam pigris quàm moventibus flatibus*, non autem *fœtibus. Flatus pigri* ſunt illi ſpiritus, quorum non ſatis magna vis eſt ut terram ſuccutiant: *moventes* contrà. παραφραστικῶς ſic exponit hæc Ariſtot. χάσμασι καὶ σεισμοῖς πιεζομένην. de fœtibus autem terræ nulla hoc loco apud eumdem Ariſtot. mentio. *anilitari* porrò ab *anu*, dicitur, ut *ſeneſcere* à *ſene.* Catullus dixit *cana ſenilitas.*

tagione proluitur. Flabris autem ſpirantium aurarum graviores, & minùs puri aëris ſpiritus differuntur atque purgantur. Tepores frigus glaciale mitificant, & brumalis auſteritas terreſtrium viſcerum venas remittit:[1] & pars gignentium, alia adoleſcentium, cætera occidentium vices ſuſtinent: ſorſque naſcentium, obitorum loco pullulat, & occidentium numerus, naſcentibus locum pandit.[2] Reſtat, quod caput eſt ſermonis hujus, ut ſuper Mundi Rectore verba faciamus. indigens quippè videbitur oratio, de Mundo diſputantibus, ni, etſi minùs curiosè, at, quoquo modo poſſumus, dicamus. De Rectore quippè omnium,[3] non, ut ait ille, ſilere meliùs eſt, ſed vel parum dicere.[4] Vetus opinio eſt, atque cogitationes omnium hominum penitùs inſedit, Deum eſſe originis, & haberi auctorem, Deumque ipſum ſalutem eſſe & perſeverantiam earum, quas effecerit, rerum. Neque ulla res eſt tam præſtantibus viribus, quæ viduata Dei auxilio, ſui naturà con-

Interpretatio.

denſiores autem & impuriores exhalationes aëris expelluntur & converruntur flatibus lenium ventorum. Modici calores leniunt frigus hyemale, & aſperitas hyemis laxat meatus interiorum partium terræ: & aliquæ res funguntur officio naſcentium, aliæ creſcentium, reliquæ intereuntium: & turba naſcentium prodit in locum intereuntium, & multitudo morientium dat locum naſcentibus. Supereſt quod eſt præcipuum hujus orationis, ut dicamus de Gubernatore Mundi. nam, cùm diſſeramus de Mundo, hic ſermo videbitur jejunus, niſi loquamur de eo *quamvis minùs exquiſitè, ſaltem qualitercumque poſſumus. Nam præſtat non quidem, ut ille dicit, tacere de Gubernatore cunctarum rerum, ſed ſaltem paululùm loqui. Eſt antiqua opinio, & quæ altiùs infixa eſt mentibus cunctorum hominum, Deum exiſtere, & credi auctorem productionis* rerum, *Deumque ipſum eſſe conſervationem & durationem illarum rerum, quas produxerit. Et nihil eſt tam inſigni vigore, quod deſtitutum præſidio Dei ſubſiſtere poſſit*

Notæ.

1. *Et pars gignentium.*] *Naſcentium, orientium.* Eodem ſenſu uſurpavit libro de Philoſophiâ Naturali. *omniumque gignentium eſſe ſeniorem.*

2. *Reſtat quod caput eſt ſermonis hujus.*] Hîc incipit Ariſtotelis περὶ Κόσμου caput ſextum.

3. *Non, ut ait ille, ſilere, &c.*] Platonem intelligit, qui, ut jam habetur initio libri de Philoſophiâ Naturali, Deum dixit ἄῤῥητον ἀκατωνόμαστον, *cujus naturam invenire difficile eſt: ſi inventa ſit, in multos eam enuntiari non poſſe.* Cicero lib. 1. de Naturâ Deorum: *jam de Platonis inconſtantiâ longum eſt dicere: qui in Timæo patrem hujus mundi nominari negat poſſe: in legum autem libris, quid ſit omninò Deus, inquiri oportere non cenſet.*

4. *Vetus opinio eſt, &c.*] L. Balbus Stoïcus apud Ciceronem, lib. 2. de Naturâ Deorum. *Quid enim poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, cùm Cœlum ſuſpeximus, cœleſtiáque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? &c. quod niſi cognitum comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec unà cum ſæculis ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas, diuturnitate extabuiſſe, &c.*

contenta ſit. [1] Hanc opinionem vates ſecuti, profiteri auſi ſunt, omnia Jove plena eſſe; [2] cujus præſentiam non jam cogitatio ſola, ſed oculi & aures & ſenſibilis ſubſtantia comprehendit. [3] At hæc compoſita eſt poteſtati Dei, non autem eſſentiæ, conveniens oratio. Soſpitator quidem ille & genitor eſt omnium, quæ ad complendum Mundum nata factaque ſunt: non tamen ut corporei laboris officio orbem iſtum manibus ſuis inſtruxerit; ſed qui quâdam infatigabili providentiâ, & procul poſita cuncta contingat, & maximis intervallis disjuncta complectatur. nec ambigitur eum præſtantem atque ſublimem ſedem tenere, & poëtarum laudibus [4] nomen ejus conſulum ac Regum nuncupationibus prædicari, & in arduis arcibus habere ſolium conſecratum. Denique propiores quoſque de poteſtate ejus amplius trahere. corpora illa cœleſtia, & quantò finitima ſunt ei, tantò

INTERPRETATIO.

propriâ naturâ. Poëtæ amplexi hanc ſententiam, non dubitaverunt prædicare univerſa repleta eſſe Jove; cujus præſentiam non ſola modò mens percipit, verùm etiam & oculi, & aures, & res ſenſibus præditæ. Verùm ille ſermo (poëtarum) factus eſt congruens potentiæ Dei, non verò ejus naturæ. Ille quidem eſt conſervator, & creator cunctarum rerum, quæ ortæ, & productæ ſunt ad perficiendum orbem; non ita *tamen ut concinnaverit ſuis manibus hunc mundum operâ laboris corporei; verùm ita ut & tangat omnia* licèt *remota, & comprehendat ſeparata longiſſimis ſpatiis, providentiâ quâdam indefeſsâ. nec dubitatur illum habitare in excellenti, & alto domicilio: & nomen ejus celebrari encomiis poëtarum ſub nominibus Conſulum, & Regum. & habere thronum dedicatum in arcibus excelſis. Poſtremò omnes ipſi viciniores plus capere de ejus virtute. illa corpora æetherea, & quò propiora ſunt*

NOTÆ.

1. *Hanc opinionem vates ſecuti, &c.*] Quos inter Virgilius, Eclogâ 3.

Ab Jove principium Muſæ, Jovis omnia plena, &c.

ad quem locum vide quæ obſervârunt veteres critici.

2 *Cujus præſentiam non cogitatio ſola, ſed oculi & aures, &c.*] Hinc Paulus Epiſtolâ ad Rom. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. *invisibilia enim ipſius à fabricatione mundi. per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.*

3. *At hæc compoſita eſt poteſtati* Dei, *non autem eſſentiæ conveniens oratio.*] Sic expreſſit hæc Ariſtot. τῇ μὲν θείᾳ δυνάμει πρέποντα καταβαλλόμενοι λόγον, οὐ μὴν τῇ γε οὐσίᾳ. Ideò autem convenire putârunt hanc orationem potentiæ Dei, quòd nullus eſſet in toto orbe angulus, in quo ipſa non eluceret: at verò ejus naturæ non eſſe conſentaneam, quia Deo indignum exiſtimabant rebus ſe corporeis per ſe ipſum immiſcere, ut infrà declarabitur.

4. *Nomen ejus Conſulum ac Regum nuncupationibus prædicari, &c.*] Ariſtot. hîc ὕπατός τε διὰ τοῦτο ὠνόμασται, hoc vocabulum ὕπατος, quod & hoc Ariſtotelis loco & paſſim alibi *ſupremum* ſignificat, conſulis quoque nomen fuit. Hac geminâ ſignificatione deceptus, aut ludens Apuleius dixit: *nomen ejus conſulum ac Regum nuncupationibus prædicari.* De quo tamen Ariſtot. nihil habet. Sæpè quidem à poëtis Jupiter dicitur *Divûm pater, atque hominum Rex.* Sed *Conſulem* eum appellatum nuſquam legi.

ampliùs de Deo carpere: multóque minùs quæ ab illis ſunt ſecunda, & ad hæc uſque terrena, pro intervallorum modo indulgentiarum Dei ad nos uſque beneficia pervenire. Sed cùm credamus Deum per omnia permeare, & ad nos, & ultra poteſtatem ſui nominis tendere; quantum abeſt vel imminet, tantum exiſtimandum eſt eum amplius minúſve rebus utilitatis dare. Quare rectius eſt atque honeſtius ſic arbitrari, ſummam illam poteſtatem, [1] ſacratam cœli penetralibus, & illis qui longiſſimè ſeparantur, & proximis unâ eâdemque ratione, & per ſe & per alios opem ſalutis afferre, [2] neque penetrantem atque adeuntem ſpecialiter ſingula, nec indecorè attrectantem cominùs cuncta. Talis quippe humilitas dejecti eſt, & minùs ſublimis officii, ne homini quidem convenit ei qui ſit paululùm conſcientiæ celſioris. Militiæ principes, & curiæ proceres, & urbium ac domorum rectores, dico nunquam commiſſuros eſſe, ut id ſuis manibus factum velint, quod ſit curæ levioris fuſciorisque, quæ nihilo ſequius poſſint facere, dominorum imperio, miniſteria ſervulorum. Exemplo quale ſit iſtud intellige. Cambyſes, & Xerxes, &

INTERPRETATIO.

ei, eò plus haurire de Deo, & quæ ſunt poſt illa uſque ad hæc terreſtria, longè minùs de ipſo haurire, *munera beneficentiæ Dei deferri uſque ad nos ſecundùm rationem intercapedinis. Verùm cùm exiſtimemus Deum pervadere cuncta, & extendere potentiam ſuæ divinitatis* uſque *ad nos, atque* etiam *ulteriùs; credendum eſt illum impertiri rebus tantò plus vel minus utilitatis, quantò propior eſt aut remotior. Quapropter melius eſt & honeſtius ſic ſentire, potentiam illam ſupremam repoſitam* eſſe *in adytis cœli*, ceu in templo quodam, *atque uno & eodem modo tum per ſe, tum aliorùm operâ ferre auxilium ſalutare, & iis qui valdè diſſiti ſunt, & iis qui ſunt proximi, neque penetrando & accedendo ſingillatim ad unaquæque, nec tangendo ea omnia ex propinquo indecenter. Humilitas enim ejuſmodi eſt officii vilis, & minùs* quàm par eſſet *elati, nec decet quidem hominem qui ſciat ſe eſſe paulò ſublimiorem. Aio* verò *Imperatores exercituum, & optimates Senatûs, & moderatores civitatum, ac domorum nunquam admiſſuros eſſe, ut cupiant facere propriis manibus id, quod exigit curam minorem & viliorem, quodque nihilominus famuli ſuâ operâ poſſint efficere juſſu herorum* ſuorum. *Cognoſce hoc exemplo quid velim* dicere. *Cambyſes, & Xerxes, & Darius,*

NOTÆ.

1. *Sacratam cœli penetralibus.*] Verti *repoſitam, &c. ceu in templo quodam,* ut vim exprimerem vocis *ſacratam.*

2. *Neque penetrantem, neque adeuntem ſpecialiter ſingula, &c.*] Contrà, Seneca, de Conſol. ad Helviam, cap. 8. *Deus potens, divinus ſpiritus per omnia, maxima, minima, æquali intentione diffuſus.* Et Poëta:

—— *Deum namque ire per omnes*
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum.

Et certè parùm ſublimiter de Deo ſentit, imò de eo tanquam de homine infirmo, ac intelligentiæ providentiæque & potentiæ valdè finitæ judicat, qui eum tantopere ſtudet à rerum vel minimarum penetratione ac curâ tanquam ipſo indignâ removere. Nec proficiunt quidquam Regum & Imperatorum, quæ afferuntur hìc exempla, quæ ipſorum totiuſque adeò humani generis infirmitatem arguunt potiùs, quàm Deo dignam ſublimitatem.

Darius potentiſſimi Reges fuerunt. horum præpotentiam, quam ex opibus collegerant, lenocinium vitæ effecerat celſiorem: cùm [1] eorum alter [2] apud Suſam & Ecbatanas, ut in fano quodam ſacratus, nulli temerè notitiam oris ſui panderet; ſed circumſeptus admirabili regiâ, cujus tecta fulgerent eboris nive, argenti luce, flammeâ auri vel electri claritate: limina verò alia præ aliis erant. interiores fores exteriores januæ muniebant, portæque ferratæ, & muri adamantinâ firmitate. ante fores, viri fortes, ſtipatoreſque regalium laterum, tutelâ pervigili, cuſtodiam per vices ſortium ſuſtinebant. Erant inter eos & diverſa officia. in comitatu regio armigeri quidam, at extrinſecùs ſinguli cuſtodes locorum erant, & janitores, & atrienſes. Sed inter eos [3] Aures Regiæ, & Imperatoris Oculi quidam homines vocabantur. Per quæ officiorum genera rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur: cùm omnia quæcumque ibi gererentur, ille Otacuſtarum relatione diſcebat. Diſpenſatores pecuniæ, quæſtores vectigalium, tribunos ærarios habebat. Alios & alios præfecerat cæteris urbibus. Alii venatibus agendis provinciam nacti; pars donis & muneribus præfecti putabantur, &

INTERPRETATIO.

fuerunt reges potentiſſimi. mollitia vitæ reddiderat ſummam eorum potentiam, quam comparaverant ſuis opibus, ad huc *ſublimiorem; cùm unus* ex *illis* degens *Suſis & Ecbatanis, veluti conſecratus in quodam templo, nemini, niſi gravi de causâ faceret copiam noſcendi ſui vultûs; ſed circummœnitus palatio admirando, cujus tecta micabant candore eboris, ſplendore argenti, fulgore igneo auri aut electri: erant autem limina alia ante alia. oſtia interiora muniebantur foribus exterioribus, &* erant *valvæ ferratæ, & parietes ſoliditatis adamantinæ. pro foribus ſtrenui viri cuſtodeſque laterum regiorum, ſortiti vices, agebant excubias perpetuâ cuſtodiâ.*

Erant quoque variæ munia inter illos quidam armati comitabantur regem, extra palatium *autem erant cuſtodes in ſingulis locis, & oſtiarii, & atrienſes, At quidam viri ex illis appellabantur Aures Regis, & Oculi Imperatoris. quibus generibus muniorum ille rex putabatur ab hominibus eſſe Deus: ſiquidem cognoſcebat narratione Otacuſtarum univerſa, quæ ibi fiebant. Habebat diſtributores pecuniæ, exactores tributorum, & præfectos ærarii. Præpoſuerat reliquis civitatibus alios atque alios. Aliorum munus erat venari; quidam exiſtimabantur præpoſiti largitionibus, & donariis, ac reliquis commiſſa erant*

NOTÆ.

1. *Eorum alter.*] Darius, ut ex Ariſtotelis textûs ſequelâ patet, & is quidem Darius junior, ut conjicere eſt ex loco Plutarchi infrà relato

2. *Apud Suſam, & Ecbatanas.* Suſianæ regionis *Suſa* Metropolis fuit, Ptolemæo, Herodoto, & Æmiliano *Μεμνόνεια* cognominata *Ecbatana* verò, vel, ut plures legunt, *Ecbatana* neutro genere, Metropolis fuit Mediæ Eſt & alia urbs Ἐκβάτανα in Syriâ Steph. & Herod.

3. *Aures regiæ, & Imperatoris oculi, &c.*] Quos infra Otacuſtas Græco vocabulo nominat. Plutarchus Otacuſtarum inventionem Dario Juniori tribuit libro περὶ πολυπραγ. Ὠτακουστὰς μὲν οὖν πρῶτος ἔσχεν ὁ νέος Δαρεῖος, ἀπιστῶν ἑαυτῷ, καὶ πάντας ὑφορώμενος. *Otacuſtas primus habuit Junior Darius ſibi ipſi diffidens, & omnes ſuſpectos habens.* Xenophon tamen Otacuſtas Cyro aſſignat lib. 8. Pædiæ Cyri.

cæteri perpetuis magniſque curis, & obſervationi ſingularum rerum appoſiti erant. Sed omne Aſiaticum regnum ab Occidente Helleſpontus terminabat, ab Ortu gens inchoabat Indorum. Duces ac Satrapæ ubique diſpoſiti, & permixta locis omnibus mancipia regalia. Ex eo numero erant excurſores, diurni atque nocturni exploratores, [1] & nuntii ſpecularum incenſores aſſidui. [2] Tum horum per vices incenſæ faces, ex omnibus regni ſublimibus locis, in uno die Imperatori ſignificabant quod erat ſcitu opus. Igitur regnum illud ita componi oportet cum Mundi aulâ, ut inter ſe comparantur ſummus atque exuperantiſſimus Divûm, & homo ignavus & peſſimus. Quod ſi cui viro, vel cuilibet Regi indecorum eſt per ſemetipſum procurare omnia & perficere; multò magis Deo inconveniens erit. Quare ſic putandum eſt, eum maximè majeſtatem retinere, [3] ſi ipſe in alto reſidens, eas poteſtates per omnes partes Mundi orbiſque diſpenſet, quæ ſint

INTERPRETATIO.

negotia aſſidua & ingentia, & exploratio cunctarum rerum. Verùm Helleſpontus ab Occaſu finiebat totum Imperium Aſiaticum, natio autem Indorum illud *inchoabat ab Oriente. Duces & Satrapæ erant poſiti in omnibus locis, & ſervi regii erant ubique diſperſi. Ex numero eorum erant curſores, obſervatores diurni & nocturni, & nuncii, qui perpetuò accendebant ſpeculas. Atque eorum faces accenſæ alternatim ex univerſis locis editis regni, ſpatio unius diei oſtendebant regi id quod oportebat eum ſcire. Regnum illud ergo ſic comparandum eſt cum Regiâ Orbis, quomodo ſupremus & præſtantiſſimus Deorum, & homo puſillanimus & nequiſſimus conferuntur inter ſe. Quòd ſi turpe eſt alicui homini, aut cuivis Regi, adminiſtrare & peragere cuncta per ſemetipſum: longè indecentius erit Deo. Quapropter ita eſt exiſtimandum, illum præclariſſimè conſervare ſuam dignitatem, ſi ipſe habitans in ſublimi loco diſtribuat per omnia membra mundi atque orbis illas virtutes quæ reſident*

NOTÆ.

1. *Et nuncii ſpecularum incenſores aſſidui.*] Ariſtoteli φρυκτωριῶν ἐποπτῆρες. unde *inſpectores* potiùs legendum crediderim quàm *incenſores*.

2. *Tum horum per vices incenſæ faces, &c*] Πυρσείαν & Φρυκτωρίαν Græci vocant rationem ſignificandi per faces è ſpeculâ ſublatas. eâ uſi ſunt veteres plurimùm, in bellis præſertim. Speculas igitur in altis quibuſque montibus eo fine ædificârunt. quarum nonnullas adhuc videri in montibus Helveticis ait Iſaacus Caſaubonus, in Epiſtolâ ad Joannem VVitten Conſiliarium Principis Mecklenburgenſis, ex quâ hæc deſumpſimus. Πυρσείας antiquiſſima & ſimpliciſſima ratio fuit, ut ſublatis facibus daretur ejus rei ſignum, de quâ convenerat. Non enim aliud poterant initio ſignificare, quàm id de quo conveniſſet inter dantem ſignum, & obſervantem. Poſteà excogitatæ ſunt aliæ rationes ſolertiores, atque adeò mirabiles. Nam, qui litteras calamo ſcriberent, quidvis per faces ſignificabant. Authores hujus inventi commemorat Polybius, lib. 10. ubi etiam rationes eorum explicantur, quas non probans omni ex parte Polybius, aliam à ſe excogitatam ſubjungit. Sed hanc & illas apud eum fuſiùs vide.

3. *Si ipſe in alto reſidens, &c.*] Vide Timæum Platonis, & confer Maximum Tyrium, Diſſert. 1.

penes Solem ac Lunam cunctumque Cœlum. Horum enim curâ ſalutem terrenorum omnium gubernari. Nec multis ei opus eſt, nec partitis hominum conſervitiis: quibus, propter ignaviam, appoſitum eſt pluribus indigere. An non ejuſmodi compendio machinatores fabricarum, aſtutiâ unius converſionis, multa & varia pariter adminiſtrant? etiam illi, qui [1] in ligneolis hominum figuris geſtus movent, quando filum membri, quod agitari ſolet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput; oculi vibrabunt, manus ad omne miniſterium præſtò erunt; nec invenuſtè totus videbitur vivere. Haud ſecùs etiam cœleſtis poteſtas, [2] cùm initium ſcienti & ſalutiferâ operâ moverit; ab imo ad ſecundum, [3] & deinceps ad proximum, & uſque ad ſupremum, attactu continuo vim ſuæ majeſtatis inſinuat: & aliud alio commovetur, motuſque unius alteri movendi ſe originem tradit. Mutuò equidem conſentiunt, non unâ, ſed diversâ viâ, [4] & plerumque contrariâ. Sed primâ emiſſione ad motum datâ, ſimplicique inchoato principio, impulſibus mutuis, ut ſuprà dictum eſt, moventur quidem omnia; ſed ita, ut ſi quis ſphæram [5] & quadratum & cylindrum [6] & alias figuras

INTERPRETATIO.

in Sole & Lunâ, ac toto Æthere. Conſervationem enim omnium rerum *terreſtrium* exiſtimandum eſt *regi curâ illorum. Neque indiget pluribus* rebus. *neque diſtributis miniſteriis ſervorum* quibus utuntur homines, *queis inſitum eſt ob ſuam infirmitatem, ut opus habeant multis* rebus. *Nonne artifices machinarum tali compendio exequuntur ſimul plurima & diverſa artificio unius converſionis?* vel *ii quoque qui excitant geſticulationes in parvis ſimulacbris ligneis hominum, cùm traxerint filum illius membri, quod ſolet moveri, collum invertetur, caput nutabit, oculi intendent* ſuam aciem, *manus paratæ erunt ad quodvis officium; & totus* homuncio *non illepidè videbitur vivere. Similiter etiam poteſtas cœleſtis quando agitavit principium operatione prudenti & ſalutari, inſerit perpetuo tactu virtutem ſuæ divinitatis à primo ad ſecundum, & poſteà ad proximum, atque uſque ad ſummum: aliudque movetur ab alio, & motus unius dat alteri principium ſe movendi.* Illa *quidem concordant invicem non eodem itinere, ſed diverſo, & ſæpiſſimè contrario. Verùm impreſsâ ſemel primâ impulſione ad motum, & facto tantummodò initio, cuncta quidem moventur reciprocis impulſionibus, quemadmodum jam dictum eſt; at perinde ac ſi quiſpiam unà mittat globum & cubum, &*

NOTÆ.

1. *In ligneolis hominum figuris.*] Horatio: *Nervis alienis mobile lignum.* Νευρόσπαστα Græcis, nobis *Marionettes.*

2. *Cùm initium ſcientiæ & ſalutiferæ opera moverit.*] Corruptus mihi videtur hic locus. quid enim ſit illud *initium ſcientiæ*? Et certè Ariſtot. nihil habet huic affine. Lege igitur cum Schoppio *cùm initium ſcienti & ſalutifera opera moverit.* plano ſenſu, quem in interpretatione expreſſi.

3. *Et deinceps ad proprium.*] Patet vel leviter attendenti legendum eſſe *ad proximum.* id eſt, ad illud quod poſt ſecundum ſequitur.

4. *Et plerumque contraria.*] Ex textu Ariſtotelis meliùs vertas *nonnunquam contraria*, quàm *plerumque.*

5. *Et quadratum.*] Ariſtot. habet κύβον.

6. *Et alias figuras.*] Ariſtot. addit ſolummodò *Conum.*

per proclive ſimul jaciat, deferentur quidem omnia, ſed non eodem genere movebuntur. Nec illud diſſimile exemplum videri oportet, ſi quis pariter patefacto gremio, animalium multitudinem ſimul abire patiatur, volucrum, nantium, atque terreſtrium greges. enimverò ad ſuum locum quæque, duce Natura, properabunt: pars aquam repetens; [1] illa inter cicures, atque agreſtes, legibus & inſtitutis ſuis naturali lege aggregabuntur; & ibunt per aëris vias præpetes, quibus hoc Natura largita eſt, [2] atque ut ab uno ſinu abeundi facultas conceſſa omnibus fuerit. Sic natura Mundi eſt conſtituta. Nam cùm Cœlum omne ſimplici circumactu volvatur, nocte dieque diſtinctum diverſis menſurarum æqualitatibus ſeparatum, quamvis una ſphæra omnia concluſerit: incrementis tamen globi ſui, deciſioneque luminis menſtrua tempora Luna ſignificat, & Cœli ſpatium Sol annuâ reverſione colluſtrat, ejuſque comites amœnus Lucifer, & [3] comis Cyllenius ſtella. Etenim Pyroïs Mavortium ſidus circuli ſui biennio conficit ſpatia: Jovis clarum fulgenſque, ſexies eodem multiplicat curſibus ſuis tempora, quæ Saturnus ſublimior triginta ſpatiis annorum

INTERPRETATIO.

cylindrum, & alias figuras per declive, cuncta quidem devehentur, verùm non movebuntur eodem modo. Et hoc exemplum debet etiam videri ſimile, ſi quiſpiam, aperto repentè ſinu, demittat ſimul magnum numerum animalium, turmas avium, aquatilium & terrenorum animantium. etenim ſingulæ feſtinabunt ad ſuas ſedes Naturæ ductu: aliæ pergent ad aquam; aliæ congregabuntur cum animalibus domeſticis, & feris. ſecundùm ſuas leges. & mores, ex conſtitutione naturæ; & volucres, quibus Natura hoc tribuit, volabunt per tractus aëris. ſimul ac data fuerit cunctis copia exeundi ex eodem ſinu.

Sic natura Orbis compoſita eſt. Cùm enim totum Cœlum convertatur unâ eâdemque gyratione, diſtinctum per diem & noctem, diviſum in varia ſpatia æqualia, quanquam unus globus incluſerit hæc omnia: nihilominus Luna notat ſpatia menſium incrementis & decrementis lucis ſui diſci, & Sol illuminat circuitum Cœli revolutione annali, & comites ejus, pulchra nempè ſtella Veneris & ſuave aſtrum Mercurii. Enimverò Pyroïs ſtella Martis percurrit ſuum circulum duobus annis: lucidum ac ſplendens ſidus *ovis inſumit ſuis curſibus ſexies tantùm temporis, quem curſum Saturnus altior abſolvit ſpatio*

NOTÆ.

1. *Illa inter Cicures, atque agreſtes, legibus & inſtitutis ſuis naturali lege aggregabuntur.*] Sic παραφραστικῶς expoſuit hæc Ariſtot. τὸ δὲ χερσαῖον, εἰς τὰ σφέτερα ἤθη καὶ νομοὺς διεξέρπυσε. ubi videtur deceptus duplici ſignificatione vocis ἤθη, quæ *mores* quidem, & *inſtituta* ſignificat, ſed præterea (& primariò quidem) *locum naturalem, domicilium, ac ſedes conſuetas*; item ſimilitudine vocum νόμοι & νομοὶ, quarum illa *leges*, hæc *paſcua* ſignificat. rectè igitur vertas locum Ariſtotelis, *terreſtre verò ad ſedes conſuetas & paſcua ſua erepſerit.*

2. *Atque, ut ab eo ſinu abeundi facultas conceſſa omnibus fuerit.*] Ariſtoteles: μιᾶς τῆς πρώτης αἰτίας πᾶσιν ἀποδούσης τὴν οἰκείαν ἁμάρειαν. *unâ eâdemque primâ causâ propriam eorum unicuique aptitudinem reddente.*

3. *Comis Cyllenius ſtella.*] Ex doctrinâ Genethliacorum. Lactantius ad lib. I. Thebaïdos Statii: *Benefica ſtella Mercurii maleficarum temperat flammas.*

circumerrat. Verùm inter hæc una Mundi converſio, unuſque reverſionis eſt orbis, & unus concentus, atque unus ſtellarum chorus ex diverſis occaſibus ortibuſque. [1] Hoc ornamentum, & monile rectiſſimè κόσμος Græcâ Linguâ ſignificat. Atenim ut in choris, cùm dux carminis hymno præcinit, concinentium vulgus virorum & fœminarum mixtis gravibus & acutis clamoribus unam harmoniam reſonant: ſic divina mens mundanas varietates, adinſtar unius concentionis, relevat. Nam cùm [2] Cœlum, confixum vaporatis & radiantibus ſtellis, inerranti curſu feratur, & reciprocis itineribus aſtra conſurgant: [3] Sol quidem Omnituens ortu ſuo diem pandit, occaſu noctem reducit, [4] conditusque vel relatus per plagas Mundi, quatuor temporum vices mutat. [5] hinc tempeſtivi imbres, & ſpiritus haud infœcundi. [6] hinc alimenta nobis ſuppetunt earum rerum, quas accedere Deus his Mundi partibus voluit. His appoſiti ſunt torrentium curſus, & tumores undarum, [7] emicationeſque ſilvarum, frugalis maturitas, fœtus anima-

INTERPRETATIO.

triginta annorum. At intereà una tantùm *eſt gyratio Mundi, & unus circulus revolutionis, & una harmonia, ac unus chorus aſtrorum* conflatus *ex variis occaſibus, & ortibus.* Κόσμος *Greco ſermone optimè ſignificat illud ornamentum, ac monile. Sedenim quemadmodum in choris quando præcentor præinit hymno, turba virorum & mulierum ſimul cantantium efficiunt unum concentum, miſcentes voces graves & acutas: ita divinus animus patefacit diverſitates Mundi ad exemplum unius concentûs. Cùm enim Cœlum, diſtinctum ſideribus igneis & micantibus, circumagatur motu nullatenùs errante, & ſidera quidem oriantur viis alternantibus; Sol quidem cuncta cernens aperit diem ortu ſuo, refert noctem ſuo occaſu, & diſcedens vel accedens per regiones Mundi efficit alternas mutationes quatuor tempeſtatum. inde oriuntur pluviæ oportunæ & venti non ſteriles. inde nobis ſufficiuntur alimonia ex illis rebus, quas Deus voluit reperiri in his mediis regionibus orbis. Adjecta ſunt illis rebus fluenta torrentium, & inflationes aquarum, & pullulationes nemorum, maturitas frugum, partus animantium,*

NOTÆ.

1. *Hoc ornamentum & monile, &c.*] Ariſtot. κόσμον δ' ἐτυμῶς τὸ σύμπαν, ἀλλ' ὐκ ἀκοσμίαν ὀνομάσαις ἄν.

2. *Cœlum confixum vaporatis & radiantibus ſtellis.*] Confixum ſtellis, quaſi clavis igneis & micantibus. Vocem *vaporatis* verti *igneis. Vapor* ſæpè *calorem* ſignificat, & *ardorem.* Exempla ſuppeditantur non pauca in Lexicis.

3. *Sol quidem omnituens.*] Ovid. Metamorphoſ. lib. 2.

Sol oculis juvenem, quibus aſpicit omnia, vidit.

Ariſtot. ὁ παμφαὴς ἥλιος. *Sol cuncta colluſtrans.*

4. *Conditusque vel relatus per Mundi plagas.*] Borealem & Auſtralem.

5. *Hinc tempeſtivi imbres, & ſpiritus haud infœcundi.*] Quidam *Hinc tempeſtivi imbres, & ſpiritus aut infœcundi.* malè. Ariſtoteles. γίνον⁊ ὑετοὶ κατὰ καιρὸν, ϗ ἄνεμοι ϗ δρόσοι, &c.

6. *Hinc alimenta nobis ſuppetunt earum rerum, &c.*] Hæc ignorat textus Ariſtot. quorum loco ſic habet: τά τε πάθη τὰ ἐν τῷ περιέχοντι συμβαίνοντα διὰ τὴν πρώτην ϗ ἀρχαιογόνον αἰτίαν. *Et affectiones quæ in aëre eveniunt à principe & primordiali rerum cauſâ.*

7. *Emicationeſque ſilvarum.*] δένδρων ἐκφύσεις, Ariſtoteli.

lium, educationes atque obitus ſingulorum. Cùm igitur Rex omnium & pater, quem tantummodò animæ oculis noſtræ cogitationes videns, machinam omnem jugiter per circuitum ſuis legibus terminatam, claram & relucentem ſideribus, ſpecieſque innumeras, modò propalàm, ſæpè contectas, ab uno, ut ſuprà dixi, principio agitari jubet; ſimile iſtud eſſe bellicis rebus hinc liceat arbitrari. Nam, cùm tuba bellicum cecinit; milites clangore incenſi, alius accingitur gladio; alius clypeum capit; ille loricâ ſe induit; hic galeâ caput, vel crura ocreis involvit: ille equum temperat frænis, & loris jugales ad concordiam copulat. & protinùs unuſquiſque competens capeſſit officium. 1 Velites excurſionem adornant, 2 ordines Principes curant, 3 Equites cornibus præſunt, cæteri negotia, quæ nacti ſunt, agitant: cùm intereà unius ducis imperio tantus exercitus paret ei, 4 quem præfecerit Rex, penes quem eſt ſumma rerum. Non aliter divinarum & humanarum rerum ſtatus regitur, quando uno moderamine contenta omnia, penſum ſui operis agnoſcunt; curaque omnibus occulta, vis nullis oculis obvia, niſi quibus mens ſuæ lucis aciem intendit. Nec tamen hoc vel illi ad moliendum, vel nobis ad intelligendum obeſt. De inferiore

INTERPRETATIO.

productiones & interitus cunctarum rerum. Cùm ergo Rex & pater omnium, quem noſtræ cogitationes cernunt ſolummodò oculis mentis, præcipit totam machinam ab uno exordio (quemadmodum jam dixi) moveri perpetuò in orbem, circumſcriptam ſuis legibus, ſplendidam ac micantem ſtellis, & ſimul *infinitas ſpecies* rerum, *aliquando manifeſtas, ſæpiùs occultas; poſſumus inde exiſtimare illud eſſe ſimile rebus militaribus. Quando enim tuba dedit ſignum prœlii, milites excitati ſonitu, alius* lateri *accommodat enſem; alius apprehendit ſcutum; ille veſtit ſe loricâ; hic operit caput caſſide, aut tibias ocreis; ille regit equum frænis, & jungit bigas loris, ut concordent* inter ſe, *& ſtatim ſinguli ſuſcipiunt munia quæ ſibi obtigerunt. Milites levis armaturæ accingunt ſe ad excurſum, Principes curam gerunt ordinum, Equites occupant alas, reliqui agunt ea quæ ſibi ſunt demandata: cùm interim totus exercitus obedit juſſui unius Imperatoris, quem Rex, qui eſt rerum* omnium ſupremus *moderator, præpoſuerit* exercitui. *Eodem modo res divinæ, & humanæ, gubernantur, cùm univerſa contenta uno* tantum *regimine, noverunt quid ſibi impoſitum ſit operis; & cunctis* inſita eſt *ſollicitudo ſecreta, & virtus nullis oculis patens, niſi* illis *quibus animus dirigit aciem ſui luminis. Neque tamen hoc obſtat aut ipſi ad machinandum, aut nobis ad concipiendum. Poſſumus ſumere exempla*

NOTÆ.

1. *Velites excurſionem adornant, &c.*] Ex Militari diſciplinâ Romanorum. Vide Lipſium, *De Militiâ Rom.* lib. 4. Dialogiſmo 1. ubi de diſpoſitione aciei.

2. *Ordines Principes curant*] Eorum enim erat defatigatos ac fractos haſtatos intra ſuos ordines recipere, quos etiam eâ de causâ laxabant cùm erat opus.

3. *Equites cornibus præſunt.*] Legebat Lipſius *ordinibus præſunt*, & reſtitutum ibat *præeunt*. Scriptam lectionem magis probo. Equites in cornibus locatos olim, atque etiam nunc locari quis neſcit?

4. *Quem præfecerit Rex.*] Vocem *Rex* ignorant probati codices, & certè videtur expungenda ut inutilis.

licet imagine capiamus exempla. [1] Anima in homine non videtur: & tamen fateantur omnes neceſſe eſt, hujus operâ omnia, quæ per hominem præclara fiunt, provenire; neque animæ ipſius qualitatem ac figuram oculis occurrere, ſed momentis ab eâ geſtarum rerum intelligi qualis & quanta ſit. Omne quippe humanæ vitæ præſidium ingenio ejus eſt paratum: cultus agrorum, uſus frugum, artificum ſolertia, proventus artium, commoditateſque vitæ humanæ. Quid de legibus dicam, quæ ad manſuefaciendos homines ſunt inventæ? quid de civilibus inſtitutis ac moribus, qui nunc populorum otioſis conventibus frequentantur; aſperitates bellorum pacatâ mitigantur quiete? Niſi fortè tam injuſtus rerum æſtimator poteſt eſſe, qui hæc eadem de Deo neget, quem videat eſſe viribus exuperantiſſimum, auguſtiſſimâ ſpecie, immortalis ævi, genitorem virtutum, ipſamque virtutem. Unde [2] nihil mirum eſt, ſi mortales oculi ejus non capiunt aſpectum, quando divinorum operum veſtigiis ſit perſpicuus atque manifeſtus. Cæterùm ea, quæ vel cœlo accidere oculis advertimus, [3] & in aëre fieri & in aquâ; etiam illa fieri â Deo credenda ſunt,

INTERPRETATIO.

à re inferioris generis. Anima non cernitur in homine, & nihilominùs oportet ut cuncti confiteantur egregia omnia, quæ geruntur ab homine, fieri ejus miniſterio; neque naturam aut formam ipſius animæ obverſari oculis, verùm cognoſci argumentis rerum factarum ab ipſâ, cujuſmodi ſit, & quàm excellens. Cuncta enim ſubſidia vitæ humanæ comparata ſunt ejus ſolertiâ: cultura agrorum, uſus frugum, induſtria fabrorum, utilitates artium, & commoda vitæ humanæ. Quid memorem leges, quæ repertæ ſunt ad mitigandos homines? quid conſtitutiones civiles, & conſuetudines, quæ nunc celebrantur in cœtibus quietis populorum; & quibus *truculentiæ bellorum, leniuntur otio tranquillo? Niſi* quis *fortè poſſit eſſe tam iniquus arbiter rerum, qui inficietur eadem illa de Deo, quem tamen cernat eſſe viribus præſtantiſſimis, ſummâ majeſtate, vitâ immortali, patrem virtutum, atque* adeò *virtutem ipſam. Quare nullatenùs mirandum, ſi oculi mortales nequeunt intueri eum, ſiquidem conſpicuus eſt & manifeſtus ſignis operum* ſuorum *divinorum. Porrò credendum eſt illa quoque, quæ conſpicimus contingere etiam in æthere, & generari in aëre, & in aquâ, illa,* inquam, *eſſe* opera *Dei, ad quem*

NOTÆ.

1. *Anima in homine non videtur.*] Vide Platonem, lib. 10. *De Legibus.*

2. *Nihil mirum eſt ſi mortales oculi, &c.*] Senſus hujus loci eſt, non mirum eſſe, quòd Deus ſeipſum oculis hominum videndum non præbeat, neque eum propterea incuſandum quaſi minùs æquum humano generi, ſi quidem per ſua opera ſatis innoteſcit, nec ſe ignorari patitur.

3. *Et a*rem fieri ex aquâ.*] Reſtitue meo periculo, *& in aëre fieri, & in aquâ.* Ariſtoteles hîc, τὰ γὰρ πάθη, καὶ τὰ δι' ἀέρος ἅπαντα, καὶ τὰ ἐπὶ γῆς, καὶ τὰ ἐν ὕδατι, θεοῦ λέγοιτ' ἂν ὄντως ἔργα εἶναι, &c. *atque ea quidem quæ in aëre fiunt, quæ in terrâ, quæ in aquâ, ea certè Dei opera eſſe meritò dixerimus, &c.* ubi de generatione aëris ex aquâ ne verbum quidem.

cujus tutela Mundi hujus & cura eſt. de quo Empedocles prudenter his verbis ſenſit :

> 1 Πάνθ' ὅσα τ' ἦν, ὅσα τ' ἐστὶν, ἰδ' ὅσσα τέ ἔσται ὀπίσσω,
> Δένδρεά τ' ἐβλάστησε καὶ ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες,
> Θῆρές τ', οἰωνοί τε, καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς.

2 Phidiam illum, quem probum fictorem fuiſſe tradit memoria, vidi ipſe in clypeo Minervæ, 3 quæ arcibus Athenienſibus præſidet, oris ſui ſimilitudinem colligâſſe; ita, ut ſi quis olim artificis voluiſſet exinde imaginem ſeparare, ſolutâ compage, ſimulachri totius incolumitas interiret. Ad hoc inſtar Mundi ſalutem tuetur Deus, aptam & revinctam ſui numinis poteſtate. Hujus locum quærimus; qui neque finitimus eſt terræ contagionibus, neque tamen medius in aëre turbido, verùm in mundano faſtigio, quem Græci 4 οὐρανὸν rectè vocant; ut qui ſit altitudinis finis. & iidem eâ ratione eum 5 ὄλυμπον nominant,

INTERPRETATIO.

pertinet conſervatio & curatio hujus orbis. de quo Empedocles ſapienter locutus eſt his verbis :

> Omnia quotquot erant, quotquot ſunt, & quotquot erunt in poſterum,
> Orta ſunt *ex eo*, arbores, viri mulieres,
> Feræ, volucres, & piſces aquæ alumni.

Ego ipſe vidi illum Phidiam, quem hiſtoriæ ferunt fuiſſe egregium ſtatuarium, coaptaviſſe imaginem ſui vultûs in ſcuto Palladis, quæ præeſt arci Athenarum; tali ratione, ut ſi quis voluiſſet aliquando avellere inde effigiem fabri, ſublatâ connexione partium, *tota ſtatua diſſolveretur* in fruſta. *Hoc modo Deus conſervat incolumitatem Mundi coagmentatam, & colligatam virtute ſuæ divinitatis. Inveſtigamus ejus ſedem, quæ nec vicina eſt contactibus terræ, neque etiam media in aëre turbulento, ſed in culmine Mundi, quod Græci benè appellant οὐρανὸν; quia eſt terminus altitudinis, iidemque ob eam cauſam vocant ipſum ὄλυμπον, quod cernunt*

NOTÆ.

1. Πάνθ' ὅσα τ' ἦν &c.] Hos verſus paulùm immutatos citat Ariſtoteles :

> Ἐξ οὗ πάνθ' ὅσα τ' ἦν, ὅσα τ' ἔσθ' ὅσα τ' ἔσται ὀπίσσω,
> Δένδρεά τ' ἐβλάστησε, καὶ ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες,
> Θῆρές τ' οἰωνοί τε καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς,
> Κ' ἄντε θεοὶ δολιχαίωνες.

2. *Phidiam illum, &c.*] Hanc etiam ſimilitudinem habet Ariſt., ſed aliam huic præmittit ab Apuleio omiſſam, Lapidis nempè illius, qui in fornicatis operibus Umbilicus dicitur, nobis *la clef de la voute*, cujus ope firmitas totius operis conſervatur. Porrò hoc Phidiæ ſolers inventum memorant etiam Tzetz. Chiliad. 8. hiſtoriâ 192. Pauſanias, lib. 7. Arnobius, contra Gentes, lib. 6. ſed & Cicero Tuſcul. Quæſt. lib. 1. *Phidias ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clypeo Minervæ, cùm inſcribere non liceret.*

3. *Quæ arcibus Athenienſibus præſidet*] Hujus templum etiamnum viſitur in Acropoli Athenis, integrum pœnè ab injuriâ temporum ſervatum

4. *οὐρανὸν rectè vocant, ut qui ſit altitudinis finis.*] Ariſtoteles hîc οὐρανὸν dictum affirmat, quòd ſit terminus eorum quæ ſunt supernè ἀπὸ τοῦ ὅρον εἶναι τῶν ἄνω.

5. *Ὄλυμπον nominant, quem ab omni fuſcitate, &c.*] Ariſtot. Ὄλυμπον δὲ (καλοῦμεν) οἷον ὁλολαμπῆ, καὶ παντὸς ζόφου καὶ ἀτάκτου κινήματος κεχωρισμένον. *Olympum verò (dicimus) tanquam uſquequaque lucidum, ab omni caligine, motuque incondito ſecretum.*

quem ab omni fuſcitate ac perturbatione vident liberum. Neque enim caliginem nubium recipit, vel pruinas, vel nives ſuſtinet: nec pulſatur ventis, nec imbribus cæditur. Hæc enim nec Olympo, qui eſt celſitudinis ſummæ, contingere, [1] poëta his verbis cecinit:

Οὔλυμπον δ' ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἔμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἀναδέδρομεν αἴγλη.

Hanc opinionem communis mos, & hominum obſervationes ſecutæ, affirmant, ſuperiora eſſe Deo tradita. Namque habitus orantium ſic eſt, ut manibus extenſis in cœlum precemur. [2] Romanus etiam poëta ſic ſenſit:

Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Iovem.

Unde illa quæ videntur, ſuntque omnibus præſtantiora, eaſdem ſublimitates regionum tenent, Aſtra cœleſtia, & Mundi lumina. ac meritò illis licet ordine perpetuo frui, nec diverſis ſpatiis temporum obſervantiſſimam legem ſuorum aliquando itinerum mentiuntur. Terrena omnia mutationes & converſiones, poſtremò interitus habent. [3] Namque immodicis tremoribus terrarum diſſiluiſſe humum, & inter-

INTERPRETATIO.

eſſe vacuum ab omni caligine & turbulentiâ. Nam non recipit in ſe obſcuritatem nubium, neque patitur gelicidia, vel nives, neque afflatur ventis, nec feritur pluviis. Nam poëta ſcripſit his verbis, ea non evenire etiam monti *Olympo, qui eſt maximæ altitudinis.*

Ad Olympum, ubi inquiunt Deorum
ſedem firmam ſemper
Eſſe, quæ neque ventis concutitur,
neque unquam imbre
Rigatur, neque nix admovetur, ſed
potiùs ſerenitas
Volat abſque nube, lucidus verò circumfulget ſplendor.

Conſuetudo vulgata, & obſervationes omnium, quæ illam *ſecutæ ſunt, confirmant hanc opinionem, altiora* loca *attributa eſſe Deo. Hic eſt enim noſter habitus quando precamur* Deum, *ut oremus manibus porrectis cœlum versùs. Poëta quoque Romanus ſic cecinit:*

Intuere hoc altum ſplendens, & Jovem, quem univerſi implorant.

Quare ea quæ cernuntur, & ſunt excellentiora omnibus, habent eaſdem altitudines locorum, putà *ſidera cœleſtia, ac faces mundi. & jure quidem illis datum eſt, ut ſervent ordinem æternum, neque adulterant unquam accuratiſſimam legem ſuarum viarum variis intervallis temporum. Univerſa terreſtria patiuntur mutationes, & converſiones, ac denique obitus. Sæpè enim accepimus humum disjectam eſſe vehementioribus terræ motibus, ac civitates unà cum*

NOTÆ.

1. *Poëta his verbis cecinit:* οὔλυμπον δ' ὅθι, &c.] Homerus, Οδυσ. ζ.

2. *Romanus etiam Poëta ſic ſenſit.*] Ennius, cujus verſum hunc & à Cicerone laudatum, lib. 2. *De Naturâ Deorum*, Apuleius hîc Latinè ſcribens appoſitè ſatis inſeruit loco hujus Homerici, quem habet Ariſtoteles ex Iliad. K. deſumptum.

Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

Jupiter ſortitus eſt cœlum latum in æthere & nubibus.

3. *Namque immodicis tremoribus, &c.*] Vide Plin. lib. 2. cap. 80. & ſeqq.

ceptas urbes cum populis, ſæpè cognovimus. Audivimus etiam abruptis imbribus prolutas eſſe totas regiones. [1] Illas etiam, quæ priùs fuerint continentes, hoſpitibus atque advenis fluctibus inſulatas; [2] alias, deſidiâ maris, pedeſtri acceſſu pervias factas. Quid? qui ventis & procellis civitates everſas eſſe meminerunt? quid? cùm incendia de nubibus emicârunt, cùm Orientis regiones [3] Phaëtontis ruinâ, ut quidam putant, conflagratæ perierunt? In Occidentis plagis [4] ſcaturigines quædam ac proluviones eaſdem ſtrages dederunt. Sic ex Ætnæ verticibus quondam effuſis crateribus, per declivia, [5] incendio divino, torrentis vice, flammarum flumina cucurrerunt. [6] In quo periculi vertice egre-

Interpretatio.

incolis fuiſſe *abſorptas. Accepimus quoque totas provincias ſubverſas eſſe pluviis effuſiſſimis. Illas etiam quæ antè fuerant continentes, factas eſſe inſulas novis atque extraneis undis; alias pigritiâ maris patefactas itineri pedeſtri. Quid? quot* ſcriptores *memorant urbes fuiſſe deſtructas flatibus & turbinibus? quid? quando ignes exilierunt ex nubibus, quando Orientales plagæ interierunt incenſæ caſu Phaëtontis, quemadmodum nonnulli exiſtimant? Quædam eruptiones ac diluvia excitaverunt eaſdem clades in regionibus Occidentalibus. Ita divinâ conflagratione, fluvii flammarum inſtar torrentis olim delapſi ſunt per loca declivia ex cacuminibus Ætnæ, exundantibus ejus crateribus. In quo extremo diſcrimine didici-*

Notæ.

1. *Illas etiam quæ priùs fuerint continentes, hoſpitibus atque advenis fluctibus inſulatas.*] Sic, teſte Plinio, lib. 2. cap. 88. mare avellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam Bœotiæ, Eubœæ Atalantem & Macrin, Beſbycum Bithyniæ, Leucoſiam Sirenum promontorio. Pythag. apud Ovid. lib. 15. Metamorphoſ.

> *Leucada continuam veteres habuere coloni,*
> *Nunc freta circumeunt. Zancle quoque juncta fuiſſe*
> *Dicitur, Italiæ donec confinia pontus*
> *Abſtulit, & mediâ tellurem propulit undâ.*

2. *Alias deſidiâ maris pedeſtri acceſſu pervias factas*] Sic Hybanda inſula quondam Ioniæ, nunc ducentis ſtadiis abeſt à mari, & Epidaurus & Oricum inſulæ eſſe deſierunt, teſte eodem Plinio, cap. ſequenti. Ovid. prædicto loco:

> *Fluctibus ambitæ fuerant Antiſſa Pharoſque,*
> *Et Phœniſſa Tyros, quarum nunc inſula nulla eſt.*

Vide totum illum Ovidii locum.

3. *Phaëtontis ruinâ.*] Vide Ovid. l. 2. Metamorphoſ.

4. *Scaturigines quædam ac proluviones, &c.*] Vulcanius addebat, *ignis è terrâ*, & legebat, *ſcaturigines quædam ac proluviones ignis è terrâ eaſdem ſtrages dederunt*, non malè Apuleius enim hîc non de aquarum diluviis intelligendus eſt, (de iis enim ſuperiùs egit,) ſed de ignitæ materiæ torrentibus: ut patet ex iis quæ ſequuntur.

5. *Incendio divino.*] Elmenhorſt. mavult *diurno*, aut *diuturno*. D. Auguſt. lib. 4. *De Civitate Dei* habet *divino.* nihil itaque muto. *Divinum incendium Ætnæ* rectè dixit. Ut enim Poëtarum figmenta prætercam, de Vulcani & Cyclopum in illo monte fornacibus, aliquid ſemper divini hiſce Naturæ prodigiis ineſſe credidit antiquitas, & horrendas ejuſmodi clades plerumque eſſe θεοπέμπτους.

6. *In quo periculi vertice.*] *Vertex* hîc vel *ſummum* & *extremum* ſonat, ſi-

gium pietatis meritum fuiſſe cognovimus. Namque eos qui principio fragoris territi, ſenſum tamen clementiæ miſericordiæque retinebant, & grandævos parentes ereptos volucri clade ſuis cervicibus ſuſtinebant; illa flammarum fluenta divino ſeparata diſcidio, quaſi duo flumina ex uno fonte manantia, locum illum ambire maluerunt obſidione innocenti. Inerant boni bajuli, religioſis ſarcinis occupati. Poſtremò, quod eſt in triremi gubernator, in curru rector, præcentor in choris, lex in urbe, dux in exercitu, hoc eſt in Mundo Deus: niſi quod cæteris ærumnoſum, & multiplex, & curarum innumerabilium videtur eſſe hoc ipſum, alicujus officii principem fieri; Deo verò nec triſtis, nec oneroſa eſt Imperii ſui cura. Namque nobis circumfert & regit cunctas formas Natura, [1] quas diverſis regionibus commovens: ut eſt lex civitatis ſemel promulgata, perpetuis obſervationum rationibus fixa, ipſa quidem immutabilis, at ejus arbitrio parentium mentes agitantur, nutuque ejus & dominatione flectuntur: [2] & ut ex ſcitis ejus magiſtratus tribunalia, [3] principia milites frequentabunt,

INTERPRETATIO.

mus fuiſſe præclaram mercedem pietatis. Illa enim flumina flammarum diviſa divinâ ſeparatione, tanquam duo amnes fluentes ex eâdem ſcaturigine maluerunt circumdare innoxiâ obſidione eum locum, ubi erant *illi, qui terrefacti initio fragoris, ſervabant nihilominus ſenſum manſuetudinis & commiſerationis, & portabant ſuis humeris parentes* ſuos *grandes natu quos ſubtraxerant celeri illi ſtragi.* Quippe *erant* in eo loco *pii geſtatores onuſti ſacris ponderibus. Denique Deus idem eſt in orbe, quod gubernator eſt in navi, auriga in curru, præcentor in choris, lex in civitate, imperator in exercitu: excepto quòd, hoc ipſum, præponi alicui muneri, videtur reliquis eſſe moleſtum, & variarum, ac innumerarum ſollicitudinum: at curatio imperii Dei neque ſollicita eſt, neque gravis ipſi. Natura enim producit circa nos, & gubernat omnes ſpecies quas adducit ex diverſis locis ipſa remanens immobilis, quemadmodum eſt lex civitatis ſemel publicata, confirmata obſervatione continuâ, quæ eſt ipſa quidem invariabilis, verùm animi obedientium illi moventur pro ejus libitu, ac inflectuntur ejus arbitrio, & imperio: atque ex ejus placitis Magiſtratus adibunt tribunalia, milites prinncipia: recuperatores*

NOTÆ.

cut in interpretatione expreſſi, vel etiam *verticem* ſeu *turbinem* periculi, hoc eſt, periculum quod imminebat à verticoſis illis ignitæ materiæ torrentibus. minùs tamen arridet poſterior explicatio.

1. *Quas diverſis regionibus commovens: ut eſt lex, &c.*] Non benè cohæret hic locus, Reponit Vulcanius, *quas diverſis regionibus commovet ipſa manens immota: ut eſt lex, &c.* quod meliùs quadrat. Secutus ſum Vulcanii emendationem in interpretatione.

2. *Et ut in ſcitis ejus, &c.*] Emendo, *& ut ex ſcitis ejus*, hoc eſt, ex ejus juſſu & placitis.

3. *Principia milites frequentabunt.*] Principia locus erat in caſtris, ubi Imperatoris tabernaculum erat, quò conveniebant milites Imperatoris juſſa excepturi, & cauſam (ſi uſus veniſſet) dicturi. Quintilianus initio declamationis pro milite, *ſed neque hoc Mars parens, nec ſigna mili aria aquilæque victrices, nec tua, ſumme Imperator, divina virtus ſinat, ut tua quoque ſententia quiſquam vir & Romanus & miles nimium pudicus ſit, apud quem ante principia agendum eſt.*

[1] recuperatores judiciis præſidebunt: [2] decuriones etiam, quibus eſt jus dicendæ ſententiæ, ad conſeſſum publicum commeabunt: [3] & alius ad Minutiam frumentatum venit: & aliis in judiciis dies dicitur: reus ita purgandi ſe neceſſitate, ut inſectandi ſtudio accuſator venit; ille moriturus ad ſupplicii locum ducitur: [4] hic ad convivii repotia veſpertinus comeſſator adventat. Sunt & publicarum epularum apparatus; [5] & lectiſternia Deorum, & dies feſti, [6] ludi ſcenici,

Interpretatio.

præerunt judiciis. Senatores etiam qui habent jus ſententiæ ferendæ, convenient ad conſeſſum publicum: atque etiam *alius it ad* portam *Minutiam conquiſitum frumenta: & adſignatur aliis dies ad judicia: accuſatus venit neceſſitate ſe defendendi, ſicut accuſator cupiditate ipſum perſequendi; hic trahitur ad locum pœnarum moriturus: ille* qui *comeſſatus fuerat pridie veſperi, advenit ad repetitionem epularum. Sunt etiam ornatus conviviorum publicorum; ſternuntur pulvinaria Deorum, &* aguntur *dies feſti, & ludi*

Notæ.

1. *Recuperatores.*] Hi judices erant, qui de rebus privatis recipiendis reddendiſque cognoſcebant, à Prætore dati.

2. *Decuriones etiam, quibus eſt jus dicendæ ſententiæ.*] Decuriones hîc intellige, non militares illos denis equitibus præfectos, ſed municipiorum Senatores, qui Decurionum nomine appellabantur, ut jam alibi obſervavimus.

3. *Et alius ad Minutiam frumentatum venit.*] Minutia porta fuit Romæ, aut regio. Duplicem memorant Victor, & Sextus Rufus, *Veterem* nempè, & *Frumentariam*, de quâ hîc. Utraque fuit regione nonâ urbis ad Circum Flaminium. Ad Minutiam Frumentariam teſſeras frumentarias poupulo ab annonæ procuratoribus gratis diſtribui ſolitas exiſtimat Lipſius, unde Frumentaria dicta. quin & Minutiæ nomen idem exiſtimat ei impoſitum à Minutio primo rei frumentariæ præfecto. Vide ipſum Electorum lib. 1. cap. 8. Inſcriptionem antiquam refert Elmenhorſt.

PROCURATOR MINUTIÆ,
PROC. ALIMENTORUM,
PER TRASPADUM, HISTRIAM,

&c. Porrò, quod hîc Apuleius ex Romanorum moribus dixit de frumentatione ad Minutiam, id Ariſtoteles, ex moribus Athenienſium loquens, de Prytaneo dicit, ubi, benè de Republicâ meriti, publicitùs alebantur. Ariſtot. verba καὶ ὁ μὲν τις, εἰς τὸ πρυτανεῖον βαδίζει σιτησόμενος.

4. *Hic ad convivii repotia, & veſpertinus, &c.* Joſeph. Scaliger ad l. V. Manilii ſic laudabat hunc locum. *hic ad convivium & repotia veſpertinus comes ſatur adventat.* Ego nihil mutaverim. Expunxerim tantùm è textu particulam *&*, legerimque, *hic ad convivii repotia veſpertinus comeſſator adventat*; ut ſit ſenſus, hunc, qui pridie veſperi lautè epulatus fuerit & comeſſatus, mane redire ad repetitionem convivii, dictam *repotia* à *repotando.*

5. *Et lectiſternia Deorum.*] Mos erat Romanis, ut nonnunquam placandæ Deorum iræ causâ convivia in templis appararentur, lectique ſternerentur Diis tanquam epulaturis, quod lectiſternium dictum. Deabus verò ſella tantùm. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. *Fœminæ cum viris cubantibus ſedentes cœnitabant: quæ conſuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. nam Jovis epulo, ipſe in lectulum, Juno & Minerva in ſellas ad cœnam invitantur.* Has epulas & hæc lectiſternia indicebant ſeptemviri epulones.

6. *Ludi ſcenici.*] Hi in theatro peragebantur ab hiſtrionibus. inſtituti primùm Romæ anno ab Urbe conditâ 389, C. Sulpitio Potito, C. Licino Stolone Coſs. ut refert. T. Livius. Ludorum ſcenicorum ſpecies, Tragœdia, Comœdia, Satyra & Mimus.

[1] ludique Circenſes. Diis ſacrificatur, Geniis miniſtratur: [2] obiis libatio profunditur, aliuſque alio fungitur munere: parentque omnes juſſis legum & communis imperii. Videaſque illam civitatem pariter ſpirantem Panchæis odoribus,& graveolentibus cœnis: reſonantem hymnis, & carminibus, & canticis: eandem etiam lamentis & ploratibus ejulantem. Ad hunc modum res agi in Mundo æſtimemus. Lex illa vergens ad æquitatis tenorem ſit Deus, nullâ indigens correctione mutabili. Quippè ſicut Mundi univerſitas regitur; dum ſpeculatur ad omnia rector ejus, atque immutabiliter incumbit, ſpargiturque vis illa ſeminibus incluſa per naturas omnium ſpecieſque & genera digeſta: ſic faciles vitium lapſus, & palmarum ardua, perſicorum rubor, lenitas mali gignitur, & dulcitas fici, & quæ infelicia propter infœcunditatem vocamus, tamen utilia ſunt alio pacto: [3] Platani, ut ait Poëta, umbras potantibus miniſtrantes, acuta pinus, & raſiles buxi, & odora laurus, cupreſſorum odoratius lignum. Tandem omnium ani-

INTERPRETATIO.

theatrales, ac ludi Circenſes. Sacrum fit Diis, apponuntur dapes *Geniis, mortuis fit libatio, atque alius aliud officium exequitur: & univerſi obediunt præceptis legum ac imperii publici. Cerneresque urbem illam ſimul exhalantem odores Panchaos, & teterrimum odorem lutorum: reſonantem hymnis & verſibus, ac cantilenis: atque eandem ululantem lamentationibus & ejulatibus. Exiſtimemus res geri in orbe hoc pacto. Illa lex, quæ tendit ad conſervationem juſtitiæ, ſit ipſe Deus, qui nullâ eget correctione variabili. Etenim quemadmodum totus Mundus gubernatur, dum ejus gubernator obſervat, & intentus eſt invariabiliter ad univerſa, atque illa virtus contenta ſeminibus, diffinditur diſtributa per naturas ſpecieſque ac genera ſingulorum: ita facilè ſerpunt vites, & aſſurgunt palmæ, & rubeſcunt perſica* mala, *& miteſcunt mala, & fici dulceſcunt, atque* illa ligna, *quæ appellamus infauſta ob ſuam ſterilitatem, ſunt nihilominùs utilia aliâ ratione: Platani, ut dicit Poeta, præbent umbras bibentibus, pinus* eſt *acuminata, & buxi* ſunt *tonſiles, & laurus odorata, ac lignum cupreſſorum magis olens. Denique natura anima-*

NOTÆ.

1. *Ludique Circenſes.*] Horum nomine intelliguntur tum qui in Circo, tum qui in Amphitheatro exhibebantur ludi, qualia erant varia certamina ferarum, Gladiatorum, pugnis, cæſtibus, &c. Lucta, Saltatatio, Jaculatio diſcorum, ſagittarum, &c Decurrio equeſtris, Aurigatio, Naumachia, &c. Plura vide apud antiquitatum Rom. ſcriptores.

2. *Obiis libatio profunditur.*] Sic Elmenhorſtius legit, interpretaturque *obiis, mortuis.* Alii eodem ſenſu legunt *obitis.* Quidquid ſit, vocabulum hoc Apuleio peculiare eſt, nec apud alium quem quam auctorem memini me legiſſe. Colvius habet, *aliis libatione profunditur,* quod etiam immutandum cenſet, legendumque *perfunditur,* loco *profunditur.* At certè non eſt hæc Apuleii mens. De mortuis omninò intelligendus eſt locus hic. Exprimit enim hæc Ariſtotelis verba. καὶ χοαὶ κεκμηκότων, & ſic optimè conſentit cum veteri more libandi mortuis.

3. *Platani, ut ait Poëta, &c.*] Virgil. lib. 4. Georgic.

Jamque miniſtrantem platanum potantibus umbras.

malium agreſtium, & cicurum, [1] pennatorum, & pedeſtrium, & aquatilium natura gignitur, nutritur, abſumitur, parens cœleſtibus inſtitutis. πᾶν γὰρ ἑρπετὸν τὴν γῆν νέμεται, ut Heraclitus ait. Et cùm ſit unus, pluribus nominibus cietur, propter ſpecierum multitudinem, quarum diverſitate fit multiformis, & à juvando Jupiter dicitur, [2] quem ζῆνα Græci, quòd vitæ noſtræ auctor ſit, rectiſſimè appellant. [3] Saturnum etiam illi Κρόνον quaſi χρόνον, id eſt, quemdam inceptum ab origine, interminum ad finem: Tempus appellant. [4] Dicitur & Fulgurator, & Tonitrualis, & Fulminator, [5] etiam Imbricitor, & item Serenator. & plures eum Frugiferum vocant, multi urbis Cuſtodem, [6] alii Hoſpitalem, Amicalemque, & omnium officiorum nominibus

INTERPRETATIO.

lium omnium ſylveſtrium, ac domeſticorum, alatorum, & pedibus gradiendientium, atque natatilium, producitur, alitur, conſumitur, obediens legibus divinis. omne enim reptile terram incolit, *quemadmodum inquit Heraclitus. Cùm autem ſit unicus* Deus, *appellatur permultis nominibus, ob multitudinem formarum, quarum varietate fit multiformis, & vocatur Jupiter à juvando, quem Græci optimè vocant* ζῆνα, *quòd ſit principium noſtræ vitæ. illi quoque vocant Saturnum* κρόνον *quaſi* χρόνον, *hoc eſt, quemdam carentem ſui ortu, & nullo fine terminandum*: uno verbo, *Tempus. Appellatur & Fulgurator, & Tonitrualis, & Fulminator, Pluvialis item, & Serenator. & multi eum nominant Frugiferum, plurimi Tutorem urbis, alii Hoſpitalem, & Amicalem, ac* denique *vocant eum vocabulis cunctorum officiorum,*

NOTÆ.

1. *Pennatarum.*] Repone vel hîc *pennatorum*, vel ſuprà *animantium* loco *animalium.* aliàs ſolœciſſaret Apuleius.

2. *Quem ζῆνα Græci, quòd vitæ noſtræ auctor ſit, &c.*] ζῆν ſeu ζᾷν Græcis *vivere* eſt. Unde Jovis nomen ζεὺς & ζὴν. Ariſtoteles hîc Δία καὶ ζῆνα dictum ait quaſi δι᾽ ὃν ζῶμεν, *per quem vivimus.* Verùm frivola videtur alluſio hæc vocum Δία & δι᾽ ὃν.

3. *Saturnum etiam illi Κρόνον quaſi χρόνον, id eſt, quendam inceptum ab origine, interminum ad finem, Tempus, appellant.*] Non omni ex parte ſanus videtur hic locus. Emendare dum vult VVovverus ab Ariſtotelis mente recedit. Ariſtoteles aliter & ſenſu clariore habet Κρόνου δὲ, καὶ χρόνου λέγεται, διήκων ἐξ αἰῶνος ἀτέρμονος εἰς ἕτερον αἰῶνα. *Saturni verò, ſeu Temporis* (filius) *dicitur* (Jupiter) *nimirùm ab ævo interminato, ad alterum ævum pertinens.* Ex quo loco hoc ſaltem infero, vocem *inceptum*, quæ eſt apud Apuleium, ſic intelligendam eſſe, ut particula *in* negativa ſit, ſignificetque *non cœptum.* Hoc obſervato, præfixiſque voci *Tempus* duobus punctis, ſenſum elicui in interpretatione, qualem potui, & prout locus ipſe Apuleii tulit.

4. *Dicitur & fulgurator, &c.*] Hæc Jovis cognomina, & alia permulta fuſiùs explicata vide apud Lil. Gyraldum, Hiſtoriæ Deorum Syntagmate 2.

5. *Etiam Imbricitor.*] Ariſtoteli ὑέτιος, Heſychio etiam ὕης, aliis permultis ὄμβριος, Tibullo, *Pluvius.*

Arida nec Pluvio ſupplicat herba Jovi.

Jupiter Pluvius ſimulachrum & aram habuit in monte Hymetto, ubi Athenienſes pluviam, cùm opus eſſet, ab Jove comprecaturi ſacrificabant. cujuſmodi ſacra Tertullianus, in Apologetico, *Aquilicia* vocat, ab eliciendâ aquâ. *Aquilicia* (inquit) *Jovi immolatis.*

6. *Alii hoſpitalem.*] Omiſit hîc illa nomina, quæ extant apud Ariſtotelem. γενέθλιος, *natalitius*: ἑρκεῖος, *penetralis*: ὁμόγνιος, *gentilitius*: & πάτριος, *patrius.*

appellant,

appellant. Eſt & Militaris, & Triumphator, [1] & Propagator, [2] & Tropæophorus; [3] & multò plura ejuſmodi apud Aruſpices & Romanos veteres invenies. Orphæus verò hanc effari poteſtatem volens, his de eo verbis canit:

4 Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος [5] ἀρχικέραυνος.
Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.
Ζεὺς πνοιὴ πάντων. Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή.
Ζεὺς πόντου ῥίζα. Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη.
Ζεὺς βασιλεύς. [6] Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος.
Πάντας γὰρ κρύψας αὖτις φάος ἐς πολυγηθὲς
Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων.
7 *Primus cunctorum eſt, & Jupiter ultimus idem.*

INTERPRETATIO.

Eſt quoque Bellicus, & Triumphator, & Protenſor finium, *& trophæorum auctor; & reperies longè plura* nomina *talia in libris Aruſpicum, & Priſcorum Romanorum. Orpheus autem volens exprimere hanc potentiam ejus, de ipſo loquitur his verbis:*

Jupiter eſt primus & poſtremus, fulminis potens.

Jupiter caput eſt, medium, Jovis ſunt omnia munus.

Jupiter eſt fundamentum terræ, & cœli ſtellati.

Jupiter eſt mas, & item fœmina immortalis.

Jupiter eſt anima omnium, Jupiter eſt impetus ignis indefeſſi.

Jupiter eſt radix maris. Jupiter eſt Sol & Luna.

Jupiter Rex, Princeps omnium, & auctor eorum originis.

Cùm enim omnes occultos tenuiſſet, extulit eos poſtmodùm ex ſacro pectore in lucem jucundam, ſummâ curâ eos contrectans.

NOTÆ.

1. *Et Propagator.*] Finium Imperii, ſcilicet. Nullum habet Græcum vocabulum Ariſtoteles hîc, quod huic Latino reſpondeat.

2. *Et Tropæophorus.*] Non tamen τροπαιοφόρος, ſed τροπαιοῦχος dicitur Ariſtoteli hîc, Dionyſio Halicarnaſſ. Plutarcho, & Phornuto, in *De Naturâ Deorum.*

3. *Et multò plura.*] Addit hæc Ariſt. καθάρσιος, *Expiator:* παλαμναῖος *Sanguinarius*, ſive *ultor:* ἱκέσιος, *Supplicum Præſes*, μειλίχιος *Placabilis*, ſeu *jucundus:* σωτὴρ, *Servator:* ἐλευθέριος, *Aſſertor in libertatem:* οὐράνιος καὶ χθόνιος, *Cœleſtis*, *& Terrenus.*

4. Ζεὺς πρῶτος, *&c.*] Hos Orphæi verſus refert etiam Euſebius, lib. 3. *De Præparatione Evangelicâ*, ſed paulùm immutatos.

5. A χικέραυνος.] Euſebius habet, ἀργικέραυνος, hoc eſt, *coruſcans fulmine.* Dictus etiam eſt ἐγχεικέραυνος, quòd fulmine pro haſtâ uteretur. & τερψικέραυνος, quòd fulmine gaudeat, τερπικέραυνος, quòd fulmina vertat.

6. Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος.] Sic legendum, non ἀρχικέραυνος: fruſtrà enim repeteretur quod jam ſuprà dictum. Euſeb. legit, Ζεὺς ἀρχὴ πάντων ἠδὲ τελευτή. *Jupiter principium & finis omnium.*

7. *Primus cunctorum eſt, &c.*] Hi Latini verſus aliter in Colvianâ editone referuntur. Sic nempè:

Jupiter omnipotens eſt primus & ul-

Jupiter & caput & medium eſt. Sunt ex Jove cuncta.
Jupiter eſt terræ baſis, & ſtellantis Olympi.
Jupiter & mas eſt; eſtque idem Nympha perennis.
Spiritus eſt cunctis, validuſque eſt Jupiter ignis.
Jupiter eſt pelagi radix; eſt Lunaque Solque.
Cunctorum Rex eſt, Princepsque, & originis auctor.
Namque ſinu occultans, dulces in luminis auras
Cuncta tulit, ſacro verſans ſub pectore curas.

1 Fatum autem Græci 2 εἱμαρμένην, à tractu quodam cauſarum invicem ſe continentium, volunt dici decretum. idem 3 πεπρωμένην dicunt, quòd omnia in hoc ſtatu rerum definita ſint, nec ſit in hoc Mundo aliquid interminatum. idem Fatum 4 μοῖραν vocant, quòd ex partibus conſtet. 5 hinc Νέμεσιν, quòd unicuique attributio ſua ſit adſcripta. 6 Adraſtea eademque ineffugibilis neceſſitas ultionis.

INTERPRETATIO.

Fatum verò, quod Græci volunt vocari εἱμαρμένην, à quâdam ſerie cauſarum ſe mutuò continentium, iidem vocant πεπρωμένην, hoc eſt, *ſtatutum, eo quòd in hac rerum conſtitutione cuncta ſint ſtatuta, neque quidquam ſit in hoc mundo indeterminatum. iidem Fatum appellant μοῖραν eò quòd conſtatum ſit ex partibus. deinde etiam Νέμεσιν, quia ſingulis aſſignata eſt ſua ſors.* item *Adraſtea atque eadem neceſſitas inevitabilis vindicta.*

NOTÆ.

timus idem.
Jupiter eſt caput, & medium; Jovis omnia munus.
Jupiter eſt fundamen humi, ac ſtellantis Olympi.
Jupiter & mas eſt, & neſcia fœmina mortis.
Spiritus eſt cunctis, validi vis Jupiter ignis.
Et pelagi radix. Sol Luna eſt Jupiter ipſe
Omnipotens Rex eſt, rei omnis Jupiter ortus.
Nam ſimul occuluit, rurſum extulit omnia leto
Corde ſuo è ſacro, Conſultor lumine, rebus

quomodo etiam à Lil Greg. Gyraldo laudantur Hiſtoriæ Deorum Syntag 2. Sed neutri Apuleiani ſunt, verùm alterius alicujus interpretis.

1. *Fatum autem Græci εἱμαρμένην, &c.*] Non ſatis accuratè expreſſit ſenſum Ariſtotelis. Fato enim (quod aliud quid eſſe à Deo innuere videtur) ea tribuit, quæ Ariſtoteles Deo ipſi, a quo etiam Fatum diverſum non facit.

2. *εἱμαρμένην à tractu quodam, &c.*] Similiter Ariſtot. εἱμαρμένην ἐστὶ διὰ τὸ εἴρειν τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως *à nexu & progreſſu rerum inoffenſo.* malè. Neque enim εἱμαρμένη derivatur ab εἴρω, ſed à μείρομαι, *divido, ſortior*; unde & μοῖρα, *ſors*, cujus infrà meminit. Vide Cic. lib. 1. *De Divinatione.*

3. *Πεπρωμένην dicunt, quòd omnia, &c.*] Ariſt. Πεπρωμένην ἐστὶ, διὰ τὸ πεπερατῶσθαι πάντα, καὶ μηδὲν ἐν τοῖς οὖσιν ἄπειρον εἶναι. *quòd omnia terminata ſint, ac nihil in rerum naturâ ſit infinitum.*

4. *Μοῖραν vocant, quòd ex partibus conſtet.*] Malè vertit hæc Ariſtot. καὶ μοῖραν μὲν ἀπὸ τοῦ μεμερίσθαι, hoc eſt, *à partitione rerum.*

5. *Hinc* Νέμεσιν, &c.] Ariſt. Νέμεσιν ἐστὶ ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως. *à diſtributione, quam facit omnibus.*

6. *Adraſtea, &c.*] Ariſtot. Ἀδράστειαν ἐστὶ ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν. Quaſi cauſam quandam naturâ comparatam, quam fallere nemo queat,

[1] Sed tria Fata ſunt; numerus cum ratione temporis faciens, ſi poteſtatem earum ad ejuſdem ſimilitudinem temporis referas. [2] Nam quod in fuſo perfectum eſt, præteriti temporis habet ſpeciem: & quod torquetur in digitis, momenti præſentis indicat ſpatia: & quod nondum ex colo tractum eſt ſubactumque curâ digitorum, id futuri & conſequentis ſeculi poſteriora videtur oſtendere. Hæc illis conditio ex nominum eorumdem proprietate contingit. [3] ut ſit Atropos præteriti temporis Fatum, quod ne Deus quidem faciet infectum. Futuri temporis [4] Lacheſis à fine cognominata, quod etiam illis, quæ futura ſunt, finem ſuum Deus dederit. [5] Clotho præſentis temporis habet

Interpretatio.

At ſunt tres Parcæ; qui *numerus convenit cum naturâ temporis, ſi diſtribuas earum potentiam ad inſtar ejuſdem temporis. Quod enim obſervatum eſt in fuſo,* illud *refert tempus tranſactum:* illud *verò quod verſatur in digitis, exhibet ſpatium inſtantis præſentis: atque* illud *quod nondum avulſum eſt ex colo neque intortum operâ digitorum, videtur indicare ulteriora* ſpatia *ævi venturi & ſequentis. Illa conditio eis evenit ex proprietate nominum ipſorum, ita ut Atropos ſit Parca temporis anteacti, quod ne Deus quidem efficere poterit ut non ſit actum. Lacheſis* eſt Parca *futuri temporis,* ſic *dicta à fine, quoniam Deus aſſignavit etiam ſuum finem illis quæ ſunt futura. Clotho curat præſens tempus, ut*

Notæ.

aut vitare. Vide Proclum in Platonis Theologiam, lib 4. cap. 6.

1. *Sed tria Fata ſunt.*] Tres Parcæ Ovidio, triplices Deæ, tripliceſque ſorores Noctis & Erebi filias facit Heſiodus in θεογονίᾳ. Neceſſitatis, Plato, lib. 10. de Repub Nomina earum infrà recenſentur, quanquam alia nomina à Varrone referuntur apud Gell. lib. 3 nempè *Parca, Nona & Decima. Parca* (inquit) *immmutatâ litterâ unâ à partu nominata: item Nona, & Decima, à partûs tempeſtivi tempore.* Alii Parcarum hæc nomina eſſe voluerunt, *Veſtam Minervam,* & *Martiam* ſeu *Martem.* Plura de Parcis vide apud Lil. Gyrald. Syntag. 6

2. *Nam quod in fuſo &c.*] Idem habet Plato loco citato. Parcas hoc ordine atque habitu repræſentat Catullus in Pelei & Tethidis Epithalamio.

His corpus tremulum complectens undique veſtis
Candida, purpureâ talos incinxerat orâ,
Et roſeo mineæ reſidebant vertice vittæ,
Æternumque manus carpebant ritè laborem.
Læva colum molli lanâ retinebat amictam;
Dextera tum leviter deducens fila, ſupinis
Formabat digitis, tum pronâ in pollice torquens,
Libratum tereti verſabat turbine fuſum, &c.

3. *Ut ſit Atropos præteriti temporis Fatum, quod ne Deus quidem, &c.*] Ἄτροπος (inquit Ariſtot.) ἐπεὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἄτρεπτά ἐστι. *quoniam omnia præterita retrorsùs agi nequeunt.*

4. *Lacheſis.*] A λαγχάνειν, *ſortiri, & per ſortem evenire.* Lacheſis Ariſtot. quoniam εἰς ταῦτα ἡ κατὰ φύσιν μένει λῆξις. *omnia ſua ſecundùm naturam ſors manet.*

5. *Clotho præſentis temporis, &c.*] *Clotho* ἀπὸ τοῦ κλώθειν *à nendo.* quoniam κλώθει ἑκάστῳ τὰ οἰκεῖα. *unicuique net quod ſuum eſt.*

curam, ut ipſis actionibus ſuadeat, ne cura ſolers omnibus rebus deſit. *Deum* verò *ire per omnes terraſque tractuſque maris* non fruſtrà arbitrabitur, [1] qui audiet Platonis hæc verba : * * *

Deſideratur Græcus Platonis locus.

Deus namque, [2] ſicut vetus, inquit, continet ratio, principia & fines, & media rerum omnium penetrat, atque illuſtrat, & curru volucri ſuperfertur. Eundem Deum ultrix Neceſſitas ſemper & ubique comitatur, eorum, qui à ſacrâ lege diſceſſerint, vindex futura. quam faciet ille mirificam, qui ſtatim à tenero, & ipſis incunabulis, intellexit, extimuit, eique ſe totum dedit, atque permiſit.

INTERPRETATIO.

impellat ipſis actionibus, ad hoc ut cura ſolers non deficiat omnibus rebus. Ille autem non credet incaſſùm Deum pervadere omnes terras, & regiones maris, qui auſcultabit hæc verba Platonis. * * * * *Etenim Deus, inquit* Plato, *(quemadmodum & recta ratio docet) pervadit & illuminat initia, & extrema, ac media cunctarum rerum, ac ſupergreditur illa veloci curſu. Neceſſitas vindex ſemper ſequitur eundem Deum & omnibus in locis, ultionem ſumptura de iis qui receſſerint à divinâ lege, quam ille ſibi levem efficiet, qui cognovit, & reveritus eſt* Deum, *ac tradidit, commiſitque ſe totum illi, ſtatim à puero, atque ab ipſis cunis.*

NOTÆ.

1. *Qui audiet Platonis hæc verba.*] Si quem locum Platonis innuere ſpeciatim voluerit Apuleius, is certè deſideratur. At Ariſtoteles nullum ſpeciatim laudat, ſed tantùm habet, ταῦτα δὲ πάντα ἐστὶν, οὐκ ἄλλο τι, πλὴν ὁ θεὸς, καθάπερ καὶ ὁ γενναῖος Πλάτων φησί: *Proinde hæc omnia non aliud quidquam quàm Deum eſſe, planum eſt, ut eximius Plato cenſuit.*

2. *Sicut vetus, inquit, continet ratio, &c.*] τὸ *inquit*, quo locus hic Platoni videtur tribui : non extat apud Ariſtotelem.

3. *Eundem Deum ultrix Neceſſitas.* Ariſtot. non habet Ἀνάγκη, *Neceſſitas :* ſed Δίκη, *Juſtitia.*

L. APULEII MADAURENSIS PLATONICI

*FLORIDA

I.

UT fermè [1] religioſis viantium moris eſt, cùm aliquis lucus, aut aliquis locus ſanctus in viâ oblatus eſt, votum poſtulare, donum apponere, [2] pauliſper aſſidere: ita mihi ingreſſo [3] ſanctiſſimam iſtam civitatem, quanquam oppidò feſtinè, præfanda venia, & habenda oratio, & inhibenda properatio eſt. Neque enim juſtiùs religioſam

Interpretatio.

QUEMADMODUM ſolent vulgò religioſi viatores, quando aliquod nemus, vel aliquis locus ſacer occurrit in itinere, nuncupare votum, appendere munus, aſſidere tantiſper: ſic cùm ego intraverim in hanc ſacram urbem, quamvis admodùm properanter, oportet ut veniam rogem, & verba faciam, & reprimam meam feſtinationem. Nam non potiori jure ex-

Notæ.

* *Florida.*] Facilè ex horum Floridorum lectione patet, ea eſſe mera fragmenta ſeu excerpta Orationum, & Diſſertationum ab Apuleio coram populo Carthaginienſi, ac Proconſulibus habitarum. (Excerptorem earum eruiſſe ſe ex veteri codice empto Venetiis autumat Gaſpar Barthius Adverſar. lib. 16. cap 8. eumque eſſe Fulgentium Placiaden.) Malè ergo imperiti Librarii in quatuor ea libros diſtribuerunt. At, quoniam varia ex iis loca in doctorum ſcriptis juxta illam diviſionem citata reperiuntur, majoris commoditatis gratiâ, ea loca notavimus, à quibus libri illi incipiunt in vulgatis editionibus, ad quas annotatiunculas recurrere poterunt, qui locum, ex hoc vel illo Floridorum libro alicubi laudatum, voluerint inveſtigare. Ea autem veriſimile eſt Florida eſſe nominata, ob elegantiam cùm rerum, quas continent, licèt interruptarum, tùm ſermonis.

1. *Religioſis viantium.*] Helleniſmus eſt.

2. *Pauliſper aſſidere.*] Hic ritus fuit adorationis, ut capite operto ſederent, contra Chriſtianorum morem, qui ſtantes orant, aut flexis genibus, & aperto capite. Propert.

Ante pedeſque tuos, illa ipſa adoperta ſedebit.

Idem mos erat ſupplicum, & qui ad aras confugiebant, ſui tuendi causâ.

3. *Sanctiſſimam iſtam civitatem.*] Ob templorum religionumque multitudinem. Carthaginem intellige, in quâ orationem habebat, cujus pervenit ad nos hoc qualecumque Fragmentum.

moram viatori objecerit, [1] aut ara floribus redimita, [2] aut ſpelunca frondibus inumbrata, aut [3] quercus cornibus onerata, aut [4] fagus pellibus coronata; vel enim [5] colliculus ſepimine conſecratus, vel [6] truncus dolamine effigiatus, [7] vel ceſpes libamine humigatus, vel [8] lapis unguine delibutus. Parva hæc quippe, & quanquam paucis percunctantibus adorata, tamen ignorantibus tranſcurſa.

Interpretatio.

hibuerit piam retardationem vianti, vel altare cinctum floribus, vel ſpecus opaca foliis, vel quercus onuſta cornibus, vel fagus circumdata exuviis ferarum, *aut etiam collis ſacratus conſepto, aut caudex configuratus dolatione, aut gleba madida libamento, aut lapis unctus unguento. Nam iſta exigua ſunt, & quamvis colantur à paucis, qui ea veſtigant, nihilominùs prætermittuntur ab inadvertentibus.*

Notæ.

1. *Aut ara floribus redimita.*] Aræ Diis ſacrabantur, non in delubris modò, verùm in agris quoque, juxtà vias, quin & in vicis pro foribus domorum erant aræ. Terent. Andriâ, Act. 4. Scen. 4.

Dav. *Accipe à me hunc* (puerum) *ocyùs,*
Atque ante noſtram januam appone. Mysis *Obſecro,*
Humi-ne? Dav. *ex arâ hinc ſume verbenas tibi,*
Atque eas ſubſterne.

2. *Aut ſpelunca frondibus inumbrata.*] Seneca, Epiſt. 41. *Et ſi quis ſpecus, ſaxis penitùs exeſis, montem ſuſpenderit, non manufactus, ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excavatus, animum tuum quâdam religionis ſpecie percutiet.*

3. *Quercus cornibus onerata.*] Cervorum, aut aliarum id genus ferarum. Solebant enim ejuſmodi cornua ex arboribus ſuſpendi, Dianæque venatrici imprimis conſecrari. Ovid.

Telique habet inſtar, in illâ
Quæ fuerant pinu votivi cornua cervi.

4. *Fagus pellibus coronata.*] Vetus Epigramma Græcum Zonæ poëtæ:

Τοῦτό σοι, ὑλειῶτα, κατ' ἀγριάδος πλατάνοιο
Δέρμα, λυκοῤῥαίστης ἐκρέμασεν Τελέσων.

Hanc tibi, ô Sylvane, ex agreſti platano
Pellem, luporum occiſor ſuſpendit Teleſon.

Talibus exuviis & cornibus ornatæ arbores, ſacræ cenſebantur, ideòque à religioſis viatoribus colendæ.

5. *Colliculus ſepimine conſecratus.*] Locus fulmine tactus, quem religionis causâ circumſepiebant Sacerdotes, ne à profanis tangeretur, aut calcaretur. qui locus *bidental* dictus eſt, à *bidentibus*, hoc eſt, ovibus, quæ fulminis expiandi causâ in eo immolabantur, ut jam obſervavi, ad lib. *De Deo Socratis.*

6. *Truncus dolamine effigiatus.*] Intelligit ſtipitem finalem, quem veteres ſtudiosè dolatum ſolebant exornare floribus, & colere. Prudentius.

Deaſciato ſupplicare ſtipiti.

7. *Ceſpes libamine humigatus:*] Arâ ceſpititiâ, in quâ ſuperſint aliqua vini aliuſve liquoris effuſi veſtigia. *Humigatus*, vox Apuleiana.

8. *Vel lapis unguine delibutus.*] Terminus agri lapideus. Siculus Flaccus, *De conditionibus agrorum*, Colvio laudatus: *Cùm terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant, proximè ea loca, quibus, foſſis factis, defixuri eos erant, & unguento, velaminibuſque, & coronis eos coronabant.* D. Auguſt. *De Civitate Dei*, lib. 16. cap. 38. *nec more Idololatriæ, lapidem perfudit oleo Jacob, velut faciens illum Deum, neque enim adoravit eundem lapidem, vel ei ſacrificavit.* Noſter, in Apologiâ: *Negant vidiſſe, qui fuere, unum ſaltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.*

II.

AT non itidem [2] major meus Socrates. qui, cùm decorum adoleſcentem, & diutulè tacentem conſpicatus foret: Ut te videam, inquit, aliquid eloquere. Scilicet Socrates tacentem hominem non videbat. etenim arbitrabatur homines non oculorum, ſed mentis acie & animi obtutu conſiderandos. Nec iſtâ re [3] cum Plautino milite congruebat, qui ita ait:

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.

Imò enimverò hunc verſum ille ad examinandos homines converterat:

Pluris eſt auritus teſtis unus, quàm oculati decem.

Cæterùm, ſi magis pollerent oculorum, quàm animi judicia; profectò de ſapientiâ foret aquilæ concedendum. Homines verò neque longulè diſſita, neque proximè aſſita poſſumus cernere: verùm omnes quodammodo cæcutimus. ac ſi ad oculos & obtutum iſtum terrenum redigas, & hebetem; profectò veriſſimè [4] poëta egregius dixit, [5] velut nebulam nobis ob oculos offuſam: nec cernere nos niſi intra lapidis

INTERPRETATIO.

SEd non ſic meus major Socrates, qui, cùm vidiſſet formoſum juvenem, & ſilentem diutiùs: dic aliquid, (ait ipſi*) ut te conſpiciam. Nempè Socrates non conſpiciebat hominem ſilentem. nam exiſtimabat homines non eſſe ſpectandos oculorum acie, ſed intuitu ingenii atque animæ. Neque conſentiebat in hac re cum milite Plautino, qui ſic inquit:*

Pluris *faciendus* eſt unus teſtis oculatus, quàm decem auriti.

Contrà verò inverterat hunc verſum ad expendendos homines:

Pluris *faciendus* eſt unus teſtis auritus, quàm decem oculati.

Porrò, ſi æſtimationes oculorum plus valerent, quàm mentis; certè palma ſapientiæ deferenda eſſet aquilæ. Nos *autem homines nec poſſumus videre longiùs remota, neque poſita in proximo: ſed cuncti quadamtenùs cæci ſumus. & ſi reducamur ad hunc viſum terreſtrem, & retuſum; certè præclarus vates veriſſimè dixit,* quandam *quaſi caliginem objectam nobis eſſe ante oculos: neque nos poſſe videre extra miſſum lapidis*

NOTÆ.

1. *At non itidem, &c.*] Alterum fragmentum ſive ejuſdem, ſive alterius orationis.

2. *Major meus Socrates.*] Auctor nempè ſectæ Platonicæ, quam Apuleius profitebatur.

3. *Cum Plautino milite.*] Stratophane, in Truculento, Act. 2 Scen. 6.

4. *Poëta egregius.*] Homerus, quem in Apologiâ vocat *poëtam primarium.*

5. *Velut nebulam n. o. o. off. nec cernere. &c.*] Innuere videtur hos Homeri verſus. Ιλιαδ. γ.

Εὖτ' ὄρεος κορυφῇσι νότος κατέχευεν ὀμίχλην
Ποιμέσιν οὔτι φίλην, κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω,
Τόσσον τίς τ' ἐπιλεύσσει, ὅσον τ' ἐπὶ λᾶαν ἵησιν.

Veluti montis cacuminibus Notus offudit nebulam,
Paſtoribus nequaquàm gratam, furi autem nocte aptiorem,
Tantumque aliquis proſpicit, quantum lapidem jacit.

jactum valere. Aquila enimverò, cùm ſe nubium tenùs altiſſimè ſublimavit, evecta alis, [1] totum illud ſpatium quà pluitur & ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini nec fulguri locus eſt, [2] in ipſo, ut ita dixerim, ſolo ætheris [3] & faſtigio hyemis; cùm igitur eò ſeſe aquila extulit, [4] nutu clementi lævorſùm vel dextrorſùm totâ mole corporis labitur, velificatas alas quò libuit advertens, [5] modico caudæ gubernaculo, inde cuncta deſpiciens, ibidem pinnarum eminùs indefeſſo remigio ac pauliſper contabundo volatu pœnè eodem loco pendula circumtuetur; & quærit quorsùs potiſſimùm in prædam ſupernè ſeſe ruat, fulminis vice: de cœlo improviſa, ſimul campis pecua, ſimul montibus feras, ſimul homines urbibus, uno obtutu ſub eodem impetu cernens; unde roſtro transfodiat, unde unguibus inuncet, vel [6] agnum incurioſum, vel leporem meticuloſum, vel quodcumque eſui animantum, vel laniatui ſors obtulit.

INTERPRETATIO.

Atenim aquila quando ſe extulit altiſſimè uſque ad nubes, pinnis ſupergreſſa univerſum illud intervallum, per quod pluit & ningit, præter quam altitudinem neque fulmen, neque fulgur locum habent, in ipſo, ut ſic loquar, ſtrato cœli, & cacumine tempeſtatum; quando ergo aquila illuc ſe evexit, leni inflexione capitis, deſcendit toto pondere corporis ſui, vel ad ſiniſtram partem, *vel ad dextram, dirigens pinnas ſuas expanſas, quò ſibi viſum fuerit, caudâ* veluti *parvo gubernaculo* utens, *illinc deorſum intuens omnia, ibidem ex alto indefatigato motu alarum, & volatu aliquantùm retardato ſuſpenſa ferè in eodem loco, circumſpicit, & inveſtigat quam in partem præſertim eminùs irruat in prædam inſtar fulminis:* ipſa *non viſa, videns ex æthere uno intuitu, & ſub eodem volatu, pecudes & pecora in agris, & belluas in montibus, & homines in urbibus;* quærit *quo ex loco confodiat roſtro, & arripiat unguibus, aut agnum non macrum, aut leporem pavidum, aut quodcumque ex animalibus fortuna exhibuerit edendum, aut diſcerpendum.*

NOTÆ.

1. *Totum illud ſpatium, &c.*] Infimam & mediam aëris regionem, ſuprà quas neque nubibus, neque tempeſtatibus locus eſt.

2. *In ipſo, ut ita dicam, ſolo ætheris.*] Summum enim aëris, eſt imum, & quaſi ſolum cœli ſeu ætheris.

3. *Et faſtigio hyemis.*] Id eſt, culmine illius loci, ubi tempeſtates & pluviæ excitantur. Hyemem pro tempeſtate dixit, ut Virgil. Æneid. 5.

Olli cæruleus ſuprà caput aſtitit imber
Noctem, hyememque ferens, &c.

4. *Nutu clementi lævorſum, vel dextrorſum totâ mole, &c.*] Sic omninò legendum ex Florentino codice, & Stevvechii emendatione; non, ut in vulgatis, *nutu elementi*, & *tantâ mole.* Dixit hîc *nutu clementi*, ſicut lib. II. Metamorphoſ. dixit *inclementi me curſu: Nec tamen gaudio ſubitario commotus inclementi me curſu proripui.*

5. *Modico caudæ gubernaculo.*] Aves enim inter volandum curſum ſuum caudâ dirigunt, ut naves gubernaculo.

6. *Agnum incurioſum.*] Pinguem, non macilentum curis, qualis erat ille Plautinus, Aulul. Act. 3. Scen. 6.

MEGAD. *Etiam agnum miſi.* EU. *quo quidem agno, ſat ſcio,*
Magis curioſam nuſquam eſſe ullam belluam.
MEGAD. *Volo ego ex te ſcire qui ſit agnus curio.*
EU. *qui oſſa, atque pellis totus eſt, ita curâ macet.*

Hyagnis

III.

[1] HYAGNIS fuit, ut fando accepimus, [2] Marſyæ tibicinis pater & magiſter, rudibus adhuc Muſicæ ſæculis, ſolus ante alios catus canere: nondum quidem [3] tam flexanimo ſono, nec tam pluriformi modo, [4] nec tam multiforatili tibiâ. quippe adhuc ars iſta repertu novo commodùm oriebatur. Nec quidquam omnium eſt quod poſſit in primordio ſui perfici: ſed in omnibus fermè [5] ante eſt ſpei rudimentum, quàm rei experimentum. Prorſùs igitur ante Hyagnim nihil aliud plerique callebant, quàm Virgilianus upilio ſeu bubſequa,

[6] Stridenti miſerum ſtipulâ diſperdere carmen.

Quòd ſi quis videbatur paulò largiùs in arte promoviſſe; ei quoque tamen mos fuit unâ tibiâ, velut unâ tubâ, perſonare. Primus Hyagnis in canendo [7] manus diſcapedinavit: primus duas tibias uno ſpi-

INTERPRETATIO.

HYAGNIS fuit, quemadmodum nobis proditum eſt, genitor & præceptor Marſyæ tibicinis, inculto adhuc Muſicæ ævo, unus præ cæteris peritus canendi: cantu ſanè nondum tam ſuavi, neque modulationibus tam multiplici, neque fiſtulâ tam multifori. nam hæc ars recenti inventione tunc primùm naſcebatur. Neque ulla res eſt quæ abſolvi queat in ſuo initio: verùm in univerſis ferè rebus *initium ſpei prius eſt, quàm probamentum rei. Ante Hyagnim ergo maxima pars nihil aliud omninò ſciebant, quàm quod paſtor aut bubulcus apud Virgilium,* nempè

Lacerare miſeram cantilenam culmo ſtridenti.

Si quis autem videbatur aliquantò plus profeciſſe in illâ arte; ſolebat nihilominus ille canere unicâ fiſtulâ, tanquam unâ tubâ. Hyagnis primus disjunxit manus inter canendum: primus ipſe

NOTÆ.

1. *Hyagnis, &c.*] Sic in Epigrammate Græco. Aliàs *Hiagnis.* non Hyagnin primum tibiâ ceciniſſe, ſed Sceriten Numidam, Athenæus tradit.

2. *Marſyæ.*] Nota Satyri illius temeritas, notum ſupplicium. Vide infrà omnem ejus hiſtoriam, quam tamen aliter longè referunt Plutarchus περὶ μουσικῆς, Suidas, in ὄλυμπος, Plato, lib. 3. *De Legibus.* & Hygin. Faſt. 65.

3. *Flexanimo ſono.*] Vulgò *infixa anima ſono.* nullo ſenſu. Scriveriana editio, *indefeſſæ animæ ſono.* Scaliger & Lipſius reſtituerunt *flexanimo ſono. Flexanimus ſonus* eſt qui animos flectere valet ad hos vel illos affectus, prout cantori, vel tibicini viſum fuerit.

4. *Nec tam multiforatili tibiâ.*] *Tot foramentis excavatâ.* lib. 10. Metamorphoſ. *jam tibiæ multiforatiles cantus Lydios dulciter conſonant.* Horatius in Arte poëticâ, de rudibus illis Muſicæ ſæculis loquens:

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula, ſed tenuis, ſimplexque foramine pauco, &c.

5. *Ante eſt ſpei rudimentum, quàm rei experimentum.*] Sic infrà ſub finem Florid. *accipite rudimentum, pòſt, experimentum.*

6. *Stridenti miſerum.*] Virgil. Eclogâ 3.

7. *Manus diſcapedinavit.*] An in plura ejuſdem tibiæ foramina ambarum manuum digitos diſtribuit? an verò manus duabus tibiis applicuit ſimul, dextræ nempè & ſiniſtræ, quas, ut mox ait, uno ſpiritu animaret? hoc veriſimilius, quod ſi ita fiebat, non latè pa-

ritu animavit: primus [1] læuis & dextris foraminibus, acuto tinnitu, [2] gravi bombo concentum muſicum miſcuit. Eo genitus Marſyas, cum in artificio patriſſaret tibicinii, [3] Phryx cæterà & barbarus, vultu ferino trux, hiſpidus, [4] illutibarbus, ſpinis & pilis obſitus, fertur (proh nefas!) [5] cum Apolline certaviſſe: [6] Therſites cum decoro, agreſtis cum erudito, bellua cum Deo. Muſæ cum Minervâ diſſimulamenti gratiâ Judices adſtitere, ad deridendam ſcilicet monſtri illius barbariem, nec minùs ad ſtoliditatem puniendam. Sed Marſyas, quod ſtultitiæ maximum ſpecimen eſt, non intelligens ſe deridiculo haberi,

INTERPRETATIO.

inflavit uno flatu duas fiſtulas: primus temperavit concentum muſicum arguto tinnitu, & gravi tono, ope foraminum ſiniſtrorum & dextrorum. Marſyas ejus filius, cùm imitaretur patrem in arte tibicinis, alioqui Phryx & barbarus, truculentus, belluinâ facie, hirſutus, barbâ ſordidâ, coopertus ſpinis ac villis, dicitur, proh ſcelus! contendiſſe cum Apolline: Therſites nempè *cum formoſo, ruſticus cum docto, beſtia cum Deo. Muſæ unà cum Pallade ſimulationis causâ adfuerunt arbitræ, nimirùm ad deludendam ruſticitatem iſtius belluæ, ſimulque ad plectendam* ejus *ſtultitiam. At Marſyas non advertens ſe haberi ludibrio, quòd maximum argumentum eſt ſtoliditatis, antequàm*

NOTÆ.

tere oportuit ſyſtema cantilenarum, quas ejuſmodi tibiis modularentur, nec diapente, aut diateſſaron cum ditono, (quod intervallum noſtri Muſici ſextam vocant) excedere.

1. *Lævis & dextris foraminibus, acuto tinnitu, &c.*] Hinc intelligi poſſunt quæ de tibiis dextris & ſiniſtris in capite Terentianarum Comœdiarum legitur: *tibiis imparibus, dextris, & ſiniſtris, &c.*

2. *Gravi bombo.*] Illum bombum non non fuiſſe ὁμότονον, (veluti eſt bombus illorum utrium quos inflare ſolent noſtri aſcaulæ opiliones, aut qui in lyris cæcorum auditur,) ſed per plures tonos variatum, patet ex eo quòd foramina non lævæ tantùm tibiæ attribuit, ſed etiam & dextræ, quæ bombum illum edebat.

3. *Phryx cætera & Barbarus.*] Homo rudis, ineptus, & imperitus apud veteres Myſus aut Phryx ſæpè vocabatur. Cicero, De Oratore: *quomodo igitur modò audiretur Myſus aut Phryx Athenis, cùm etiam Demoſthenes agitetur putidus?*

4. *Illutibarbus.*] Vocabulum Apuleianâ licentiâ compoſitum, ſignificatque eum, qui illutam, hoc eſt, illautam & ſordidam, barbam habet. *illutibile* apud Plautum invenitur in Menæchmis, pro eo quod ablui non poteſt.

Nam ex iſtoc loco ſpurcatur naſum
odore illutibili.

Non minùs placeret quod habet Aldina editio *multibarbus*, hoc eſt, denſam barbam habens, δασυπώγων.

5. *Cum Apolline certaviſſe.*] Vide Hyginum Fab. 165. Ovid 6. Metamorphoſ. & 2. Faſtorum.

6. *Therſites cum decoro.*] Therſiten graphicè depingit Homerus Ιλιαδ. β.

Φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα· τὼ δέ οἱ ὤμω
Κυρτὼ ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε. αὐτὰρ ὕπερθε
Φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη

Strabo erat, claudus autem altero pede, & ipſius humeri
Curvi, in pectus contracti. & deſuper
Acuto erat capite: rara autem ſuperflorebat lanugo.

Hinc turpiſſimus quiſque *Therſites* appellatur.

priuſquam tibias occiperet inflare, priùs de ſe & Apolline quædam deliramenta barbarè effutivit: laudans ſeſe, quòd erat & [1] comâ relicinus, & barbâ ſquallidus, & pectore hirſutus, & arte tibicen, & fortunâ egenus. contra Apollinem, ridiculum dictu, adverſis virtutibus culpabat: quòd Apollo eſſet & [2] comâ intonſus, & genis gratus, & corpore glabellus, & arte multiſcius, & fortunâ opulentus. Jam primùm, inquit, [3] crines ejus præmulſis antiis, & promulſis caproneis anteventuli & propenduli: corpus totum gratiſſimum, membra nitida, [4] lingua fatidica; ſeu tute oratione, ſeu verſibus malis, utrobique facundiâ æquipari. Quid? quòd & veſtis textu tenuis, tactu mollis, purpurâ radians? Quid? quòd & lyra ejus auro fulgurat, ebore candicat, gemmis [5] variegat? Quid? quòd & doctiſſimè & gratiſſimè cantillat? Hæc omnia, inquit, blandimenta nequaquàm virtuti decora, ſed luxuriæ accommodata, [6] circa corporis ſui qualitatem

Interpretatio.

aggrederetur animare tibias, ruſticè deblateravit quaſdam ineptias de ſe & de Apolline: jactans ſeipſum, quòd haberet crines retrorsùm criſpos, & ſordidam barbam, & villoſum pectus, & quòd eſſet arte tibicen, & inops eſſet bonorum. contrà verò, quod abſurdum eſt memoratu, vituperabat Apollinem ob dotes his vitiis *contrarias: quòd* nempè *Apollo eſſet & intonſus capillis, & decorus malis, & depilis corpore, & multas artes calleret, & opibus abundaret. Jam primùm, ait, capilli ejus à fronte dependent protractis anterioribus crinibus, & pendentibus iis qui ſunt ad tempora: totum corpus eſt decoriſſimum, artus ſunt nitentes, lingua ejus eſt vaticinatrix æquali utrimque eloquentiâ, ſive tu cupias* ut tibi reſpondeat proſâ *oratione, ſive carminibus. Quid? quod & veſtimentum* ejus *eſt ſubtilis textûs, molle contrectatu, & refulgens oſtro? Quid? quod ejus etiam cithara coruſcat auro, & albicat ebore & diſtincta eſt lapidibus pretioſis? Quid? quod cantitat etiam peritiſſimè, & ſuaviſſimè? Hæ omnes illecebræ, inquit, minimè convenientes ſunt virtuti, ſed congruentes mollitiei, jactitare præ ſe exi-*

Notæ.

1. *Comâ relicinus.*] Hæc vox Apuleiana eſt, videturque ſignificare retractis crinibus criſpum. Quidam neſcio quomodo detorquent à *recello.* Malim ego ab antiquo *lacio* formare verbum *relicio*, quòd ſonet *retraho*, quemadmodum *allicio* ſignificat *attraho.*

2. *Comâ intonſus.*] Horatius lib. 1. Ode 21.

Intonſum pueri dicite Cynthium.

3. *Crines ejus præmulſis antiis, & promulſis caproneis anteventuli, & propenduli.*] In quo differant *antiæ* & *caproneæ*, non ſatis liquet. *Antiæ*, inquit Feſtus, *capilli muliebres demiſſi in frontem.* Gloſſæ veteres Κόμαι τῶν κροτάφων; *Antiæ.* Nonius: *Caproneæ, comæ quæ ante frontem ſunt, quaſi à capite pronæ.* Sed tam poſſunt pronæ eſſe à capite in collum & in tempora, quàm in frontem. Ex hoc Apuleii loco mihi videntur fuiſſe antiæ crines, qui ex ſyncipite in frontem penderent, caproneæ verò, qui ex temporibus in malas & aures hoc enim indicant hæc vocabula *anteventuli*, & *propenduli.*

4. *Lingua fatidica.*] utpote quæ oracula pronuntiaret.

5. *Variegat.*] Paſſivo ſignificatu. hoc eſt, diſtinguitur & variatur.

6. *Circa corporis ſui qualitatem.*] Flor. codex habet: *cætera corporis ſui.*

præ ſe maximam ſpeciem oſtentare. Riſere Muſæ, cùm audirent hoc genus crimina, ſapienti exoptanda, Apollini objectata: & tibicinem illum certamine ſuperatum, velut urſum bipedem, corio exſecto, nudis & laceris viſceribus reliquerunt. Ita Marſyas in pœnam cecinit, & cecidit. Enimverò Apollinem tam humilis victoriæ puditum eſt.

Interpretatio.

mium ornatum circa ſuum corpus. Muſæ riſerunt, quando audiverunt ejuſmodi flagitia cupienda ſapienti, exprobrari Apollini: & reliquerunt illum tibicinem victum contentione, pelle diſciſſâ, carnibus retectis & diſcerptis, tanquam urſum bipedem. Sic Marſyas cecinit tibiâ *in ſupplicium, & incidit* in illud. *Verùm puduit Apollinem victoriæ tam vilis.*

Notæ.

Lipſii liber *intra corporis ſui.* Fulv. cod. *contra corporis ſui.* mihi videtur commodiùs reponi poſſe *citra corporis ſui qualitatem*, hoc eſt, præterquàm quod forma ipſa corporis oſtendit. nihil tamen in textu mutare volui, quem etiam ad verbum expreſſi in interpretatione. Brantius legit: *contra corporis ſui ſqualitatem*, hoc eſt, *ſquallorem*, vocemque *ſqualitatem* reperiri ait apud Lucilium.

IV.

TIBICEN quidam fuit [1] Antigenidas, omnis voculæ melleus modulator, & idem [2] omnis Modi peritus modificator; ſeu tu velles [3] Æolium ſimplex, [4] ſeu Aſium varium, ſeu [5] Lydium querulum,

Interpretatio.

FUIT quidam tibicen nomine *Antigenidas, ſuavis inflexor cujuſvis toni, idemque doctus modulator cujuſvis Modi; ſive tu poſtulares* Modum *Æolium ſimplicem, ſive Aſium varium, ſive Lydium qui eſt aptus lamentis,*

Notæ.

1. *Antigenidas.*] Vixit Athenis, Alcibiadis ætate, cui etiam à Pericle accerſitum eum Magiſtrum tibicinii narrat Gellius lib. 15. cap. 17. in quo refert quâ de cauſâ nobiles pueri Athenienſium tibiis canere deſierint.

2. *Omnis Modi.*] Sic legendum. Quid ſint Modi in Muſicâ, notum.

3. *Æolium ſimplex.*] Supple *genus*, non autem *modum*: neque enim genere convenirent τὸ *modum*, & *ſimplex*. Æolius autem Modus eſt, quem noſtri Muſici vocant Modum *A mi, la, re.*

4. *Seu Aſium varium.*] Glareanus, Decachord. lib. 2. capp. 10 & 11. reponit *Iaſtium*, & cum Luciano interpretatur *Ionicum.* Lucianus in Harmonide has Modis ſingulis proprietates aſſignat. καὶ τῆς ἁρμονίας ἑκάστης διαφυλάττειν τὸ ἴδιον, τῆς φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς λυδίου, τὸ βακχικὸν, τῆς δωρίου, τὸ σεμνὸν, τῆς Ἰωνικῆς, τὸ γλαφυρόν. Eſt autem Ionicus Modus, qui noſtris Modus *C, ſol, ut, fa.*

5. *Lydium querulum.*] Lydius Modus noſtris Modus *F, ut, fa.*

ſeu [1] Phrygium religioſum, ſeu [2] Dorium bellicoſum. Is igitur cùm eſſet in tibicinio apprimè nobilis; [3] nihil æquè ſe laborare & animo angi & mente dicebat, quàm quòd [4] monumentarii ceraulæ, tibicines dicerentur. Sed ferret æquo animo hanc nominum communionem, [5] ſi mimos ſpectaviſſet. Animadverteret illic pœnè ſimili purpurâ alios præſidere, alios vapulare. Itidem [6] ſi munera noſtra ſpectaret. nam illic quoque videret hominem præſidere, hominem depugnare: [7] togam quoque parari & voto & funeri: item [8] pallio cadavera operiri, & Philoſophos amiciri.

INTERPRETATIO.

ſive Phrygium qui adhibetur ſacris, ſive Dorium militarem. Ille ergo cùm eſſet in primis celebris in arte tibicinis: aiebat ſe nullâ re tantopere dolere animo, & cruciari mente, quàm quod cornicines buſtuarii appellarentur tibicines. Verùm patienter toleraret hanc communicationem vocabulorum, ſi vidiſſet mimos. Obſervaret in iis alios imperare, alios verberari, veſtitos *ferè ſimili oſtro. Similiter, ſi aſpiceret noſtros ludos. in iis enim cerneret etiam hominem præeſſe, hominem decertare: comparari etiam togam & ad votum* nuncupandum, *& ad exequias* faciendas: *inſuper cadavera contegi pallio, & Philoſophos* eo *operiri.*

NOTÆ.

1. *Phrygium religioſum.*] Eſt Modus E. *mi, la.*

2. *Dorium bellicoſum.*] Eſt Modus D, *la, re, ſol.* Eſt & ſextus ab Apuleio prætermiſſus Modus Mixolydius, qui Modus eſt *G, re, ſol, ut.* & hi ſex apud veteres Muſicos authentæ dicuntur; quorum ſcilicet diapente eſt ad grave, diateſſeron verò ad acutum; habentque alios ſex plagios, Hypo-Æolium, Hypo-Ionium, Hypo-Lydium, Hypo Phrygium, Hypo-Dorium, & Hypo-Mixolydium, quorum diapente eſt ad acutum, diateſſaron ad grave. ſed de his vide Glareanum & alios, qui de re Muſicâ ex profeſſo ſcripſerunt. Nobis hæc in præſens ſatis ſint.

3. *Nihil æquè ſe laborare dicebat, &c.*] Dio Chryſoſtomus hoc non Antigenidæ, ſed Iſmeno attribuit Orat. 49.

4. *Monumentarii ceraulæ.*] Κεραύλας & κεραταύλας ad verbum expono *cornicines.* ceraulæ illi monumentarii ſunt, quos Dio Chryſoſtomus loco ſuprà laudato τυμβαύλας vocat, Latini appellant *ſiticines*, eo quod canant apud *ſitos*, hoc eſt, *mortuos.* A. Gell. lib. 20. cap. 2 *Nos*, inquit, *in Capitonis Atei conjectaneis invenimus, ſiticines appellatos, qui apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt, vitâ functos & ſepultos: eoſque habuiſſe proprium genus tubæ, à cæterorum differens.*

5. *Si mimos ſpectaviſſet.*] Mimus non ſolùm hiſtrionem ſignificat, qui dicta aliorum facta ve imitatur, geſticulationibus ea exprimens; ſed etiam poëmata dramatica laſciviora, ſeu Comœdias obſcœniores: quod genus Latini *Planipedias* vocant Ovid. 2. Triſt Eleg. 1.

Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos.

6. *Si munera noſtra.*] Gladiatoria, in quibus Laniſta præſidebat, Gladiatores depugnabant.

7. *Togam quoque parari & voto & funeri.*] Hæc jam non referuntur ad munera ſeu ludos, de quibus ſuprà, ſed ad communem ſui temporis vivendi morem, quo mortui in togâ efferebantur. Huc facit Juvenalis Satyra 3.

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in quâ
Nemo togam ſumit niſi mortuus.

Livius lib. 34. *Purpurâ viri utemur: prætextati in Magiſtratibus, in ſacerdotiis. nec id ut vivi ſolùm habeamus inſigne, ſed etiam, ut cum eo cremenur mortui. Voto* verò paratur toga, cùm virilis ſumitur.

8. *Pallio cadavera operiri.*] Ex more Græcorum.

V.

BONO enim ſtudio in theatrum conveniſtis, ut qui ſciatis, non locum auctoritatem derogare orationi: ſed cumprimis hoc ſpectandum eſſe, quid in theatro deprehendas. Nam ſi mimus eſt, riſeris: ſi funerepus, [1] timueris: ſi comœdia eſt, faveris: ſi Philoſophus, didiceris.

Interpretatio.

NAM confluxiſtis in theatrum bono animo, quippe qui noviſtis locum non detrahere pondus ſermoni, ſed hoc præſertim conſiderandum eſſe, quid videas in theatro. Si enim eſt mimus, ridebis: ſi eſt funambulus, metues ipſi: ſi eſt Comœdia, plaudes: ſi eſt Philoſophus, inſtruêris.

Notæ.

1. *Timueris.*] Ejus vitæ, ne ſcilicet ex fune labens caput comminuat ſibi, aut crus perfringat, aut brachium.

2. *Faveris.*] Favorem plauſu teſtabantur in Comœdiæ fine. Hinc celebre eſt Comœdiarum *Plaudite*

VI.

[1] INDI, gens populoſa cultoribus, [2] & finibus maxima, procul à nobis ad Orientem ſiti, [3] propè Oceani reflexus, & Solis exortus, primis ſideribus, ultimis terris, ſuper [4] Ægyptios eruditos, & [5] Ju-

Interpretatio.

INDI, *natio abundans incolis, & vaſtiſſima limitibus, poſiti ad Orientem longè à nobis, propè recurſus Oceani, & ortum Solis, ſub primis aſtris, & in fine terrarum, trans Ægyptios doctos,*

Notæ.

1. *Indi gens populoſa, &c.*] Indiæ deſcriptionem vide apud Strabonem, lib. 15.

2. *Et finibus maxima.*] Atque eo major credita tunc temporis, quòd ejus fines non ſatis cognoſcerent, nec de amplâ Chinæ regione, quæ ultra Indiam eſt, quidquam haberent perſpectum, ſed Indiam ad extremos uſque Orientis fines proferrent.

3. *Propè Oceani reflexus.*] Loquiturne ex illorum ſententiâ, qui terram non rotundam, ſed planam, & Orientis atque Occidentis terminis finitam exiſtimabant, ita ut neceſſe eſſet, cùm Oceanus ad illos terminos perveniſſet, ut ejus undæ in ſeipſas redirent ac reflecterentur, cùm non haberent quò tenderent ulteriùs? an verò per Oceani reflexus intelligit illum ancona, ſeu angulum, quem Indicus Oceanus cum Serico ſeu Orientali efficit?

4. *Ægyptios eruditos.*] Quorum eruditionem vel hoc probaverit, quòd, eruditionis & ſapientiæ comparandæ causâ, antiquorum Philoſophorum præſtantiſſimi eos adiverint.

5. *Judæos ſuperſtitioſos.*] Superſtitionem enim Pagani illi vocitârunt cultum, quem Judæi vero Deo exhibebant, & Cærimonias ac ritus quos ex Moſis lege ſervabant.

dæos ſuperſtitioſos, & [1] Nabathæos mercatores, & [2] fluxos veſtium Arſacidas, [3] & frugum pauperes Ityræos, [4] & odorum divites Arabas. Eorum igitur Indorum non æquè miror eboris ſtrues, & piperis meſſes, & cinnami merces, [5] & ferri temperacula, & argenti metalla, & [6] auri fluenta: nec, quod Ganges apud eos omnium amnium maximus,

Eois regnator aquis in flumina centum
Diſcurrit, centum valles illi, oraque centum,
Oceanique fretis centeno jungitur amni:

nec, quòd iiſdem Indis ibidem ſitis ad naſcentem diem, [7] tamen in

Interpretatio.

& Judæos religioſos, & Nabathæos mercatores, & Parthos ampla veſtimenta ferentes, & Ityræos carentes frugibus, & Arabas abundantes aromatis. Non ergo tam admiror cumulos eboris, & meſſes piperis, & merces cinnami, & mixturas ferri, & fodinas argenti, & fluvios auri illorum Indorum; neque quod apud eos Ganges unus maximus omnium fluviorum. Rex fluviorum Orientalium diffluit in centum fluvios, & habet centum alveos, & centum oſtia, & influit in Oceanum per centum flumina: *nec quod iidem Indi licèt poſiti ſint in eo loco ad ortum diei, nihilomi-*

Notæ.

1. *Nabathæos Mercatores.*] In hanc ſententiam Strabo lib. 16. ait Nabathæos rei parandæ atque conſervandæ intentos eſſe; eumque, qui opes ſuas imminuerit, publicè multari; qui auxerit, honore affici. Eorum commercium aromatum præcipuè eſt, quæ ad ipſos à Menæis & Gerræis viciniſque aliis convehi auctor eſt idem Strabo. Sunt autem Nabathæi Arabes Petram urbem incolentes, quæ & Nabathæa dicta eſt. adjuvat eorum commercium, quod teſte Plinio, *huc convenit utrumque bivium, eorum, qui Syriæ Palmyram petiere, & eorum qui ab Gazâ venerunt.*

2. *Fluxos veſtium Arſacidas.*] Arſacidæ Parthi ſunt, ſic vocati ad Arſace eorum Rege, è Scythiâ, ut plerique autumant, oriundo. Perſæ dicti ante Darium victum ac deletum ab Alexandro. quod etiam nomen poſtmodum reſumpſerunt, atque etiamnum ſervant, ſicut & veterem prolixarum veſtium morem.

3. *Et frugum pauperes Ityræos.*] Quippè qui montanam Cœleſyriæ regionem habitant, neque agros colunt, ut teſtatur Strabo, lib. 16.

4. *Et odorum divites Arabas.*] Illos præſertim, qui Arabiam εὐδαίμονα incolunt, quæ propterea etiam dicta eſt ἀρωματοφόρος, & λιβανοφόρος à thure & aromatis, quorum ferax eſt.

5. *Et ferri temperacula.*] Nobis Gallis *trempes*, quibus nempè temperaculis ferrum induratur, & fit chalybs.

6. *Auri fluenta.*] Arenas aureas, quas volvere Ganges dicitur.

7. *Tamen in corpore color noctis eſt.*] Id eſt, color niger. in Petron. Fragmento à Terentio Mauro relato:

Memphitides puellæ
Sacris Deûm paratæ,
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci, &c.

Strabo lib. 15. pag. 475. de Indis loquens, τῶν δ' ἀνθρώπων οἱ μὲν μεσημβρινοὶ τοῖς Αἰθίοψιν εἰσὶν ὅμοιοι κατὰ τὴν χροιάν. κατὰ δὲ τὴν ὄψιν καὶ τὴν τρίχωσιν, τοῖς ἄλλοις. οὐδὲ γὰρ οὐλοτριχοῦσι διὰ τὴν ὑγρότητα τοῦ ἀέρος. οἱ δὲ βόρειοι τοῖς Αἰγυπτίοις. *Ex hominibus, Meridionales colore Æthiopibus, aſpectu* (per aſpectum lineamenta oris & oculos intellige) *& capillo, aliis perſimiles ſunt. nam propter aëris humiditatem non criſpantur.* (hæc in Siamenſibus ab extremo orbe ad LUDOVICUM MAGNUM miſſis Oratoribus obſervavimus) *Septemtrionales Ægyptiis ſunt ſimiles,*

corpore color noctis eſt: nec, quòd apud illos [1] immenſi dracones cum immanibus elephantis pari periculo in mutuam perniciem concertant. quippè [2] lubrico volumine indepti revinciunt, [3] ut illis expedire greſſum nequeuntibus, vel omninò abrumpere tenaciſſimorum ſerpentium ſquameas pedicas, neceſſe ſit ultionem à ruinâ molis ſuæ petere, ac retentores ſuos toto corpore oblidere. Sunt apud illos & varia colentium genera. Lubentiùs ego de miraculis hominum, quàm Naturæ diſſeruerim. [4] Eſt apud illos genus, qui nihil ampliùs quàm bubulcitare novere: ideóque cognomen illis Bubulcis inditum. Sunt & mutandis mercibus callidi, & obeundis prœliis ſtrenui, vel ſagittis eminùs, vel enſibus cominùs. Eſt prætereà genus apud illos præſtabile, [5] Gymnoſophiſtæ vocantur. Hos ego maximè admiror: quòd homi-

INTERPRETATIO.

nus habeant colorem noctis in corpore: neque quòd in eorum regione ingentes dracones pugnant æquali diſcrimine cum immenſis elephantis in exitium mutuum. eos enim complectentes colligant ſpiris viſcoſis, adeo *ut, cùm non poſſint extricare crura, aut ullatenùs diſcindere laqueos ſquamoſos draconum pertinaciſſimorum, cogantur vindictam quærere lapſu ſui* vaſti *corporis, & obtere re impeditores ſuos totâ ſuâ mole. Sunt quoque apud illos diverſæ ſpecies incolarum. Ego libentiùs loquar de admirandis hominum quàm* de *Naturâ. Eſt genus quoddam* hominum *inter illos, qui nihil aliud ſciunt quàm boves paſcere: & proptereà impoſitum eſt illis cognomen bubſequarum. Sunt etiam* alii *periti commercii faciendi, &* alii *fortes in ſubeundis certaminibus, ſive miſſilibus è longinquo, ſive gladiis è proximo. Eſt inſuper excellens genus hominum apud eos; appellantur Gymnoſophiſtæ. Ego hos præcipuè miror: quia ſunt viri gnari,*

NOTÆ.

1. *Immenſi dracones cum immanibus elephantis.*] Plinius, lib. 8. cap. 11. *Elephantes fert Africa, &c. ſed maximos India, bellanteſque cum iis perpetuâ diſcordiâ dracones, tantæ magnitudinis, ut & ipſos circumflexu facili ambiant, nexuque nodi præſtringant. Commoritur ea dimicatio: victuſque corruens, complexum elidit pondere.*

2. *Lubrico volumine indepti.*] Colvius ſuſpicatur *implexi.* nihil muto. *indipiſci*, eſt *aſſequi*, atque etiam *occupare.*

3. *Et illis, &c.*] Malo *ut*, id eſt, *adeo ut.*

4. *Eſt apud illos genus, &c.*] Indos in ſeptem hominum genera dividit poſt Megaſthenem Strabo, lib. 15. Geogr. quorum primum eſt, quod hîc Apuleius ultimum recenſet, τῶν Φιλοσόφων, *Philoſophorum*: quos numero pauciſſimos eſſe ait. ſecundum τῶν γεωργῶν *Agricolarum*. tertium τῶν ποιμένων καὶ θηρατῶν *paſtorum & venatorum.* quartum τῶν ἐργαζομένων τὰς τέχνας καὶ τῶν καπηλικῶν, καὶ οἷς ἀπὸ τοῦ σώματος ἡ ἐργασία, *Artificum, Inſtitorum, & corpore victum quærentium.* quintum πολεμιστῶν, *bellatorum.* ſextum ἐφόρων, *inſpectorum*: quorum partes ſunt, ut quæ aguntur inſpiciant, & Regi omnia clàm enuntient. ſeptimum τῶν συμβούλων καὶ συνέδρων τοῦ βασιλέως, *Conſiliariorum & Aſſeſſorum Regis.*

5. *Gymnoſophiſtæ vocantur.*] Indorum Philoſophos dividit idem Strabo poſt Megaſthenem in Brachmanas & Germanas. Sed de his plura vide apud eum lib. 15. ſuprà laudato. Gymnoſophiſtas à Magis fluxiſſe affirmat Clearchus Solenſis, in libro de Diſciplinâ, ut refert Diogenes Laërtius, in Procemio. Gymnoſophiſtæ dicti ſunt, quòd nudi in ſolitudinibus Indiæ philoſopharentur.

nes ſunt

nes ſunt periti, non propagandæ vitis, nec [1] inoculandæ arboris, nec proſcindendi ſoli. non illi nôrunt arvum colere, vel [2] aurum colare, vel equum domare, vel taurum ſubigere, vel ovem vel capram tondere vel paſcere. Quid igitur eſt? Unum pro his omnibus nôrunt. Sapientiam percolunt, tam magiſtri ſenes, quàm diſcipuli minores. Nec quidquam apud illos æquè laudo, quàm quòd torporem animi & otium oderunt. Igitur ubi, mensâ poſitâ priuſquam edulia apponantur, omnes adoleſcentes ex diverſis locis & officiis ad dapem conveniunt, magiſtri perrogant, quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerit. Hic alius ſe commemorat inter duos arbitrum delectum, ſanatâ ſimultate, reconciliatâ gratiâ, purgatâ ſuſpicione, amicos ex infenſis reddidiſſe: inde alius, ſeſe parentibus quidpiam imperantibus obediſſe: & alius, aliquid meditatione ſuâ reperiſſe, vel alterius demonſtratione didiciſſe. Denique, cæteri commemorant. Qui nihil habet adferre cur prandeat, impranſus ad opus foras extruditur.

INTERPRETATIO.

non ſubmittendæ vitis, neque inſerendæ arboris, neque arandæ terræ. non illi ſciunt arare agrum, aut purgare aurum, aut ſubigere equum, aut domare taurum, aut tondere uel paſcere ovem, aut capram. Quid ſciunt *ergo? Unum ſciunt loco horum omnium. Dant operam ſapientiæ, tam veteres doctores, quàm juniores diſcipuli. Et nihil tam commendo apud eos, quàm quod averſantur deſidiam mentis & otium. Quando ergo, ſtratâ* jam *mensâ univerſi juvenes confluunt ad cibum ex variis locis & muniis, antequam dapes admoveantur, Doctores quærunt, quodnam facinus laudabile* unuſquiſque *patraverit ab initio diei ad illam uſque horam. Hinc unus refert ſe adſcitum judicem inter duos, effeciſſe eos amicos ex inimicis, placato odio, reſtitutâ amicitiâ,* & *dilutâ ſuſpicione: illinc alius* refert *ſe morem geſſiſſe parentibus* ſuis *jubentibus aliquid: atque alius ſe inveniſſe quidpiam ſuâ cogitatione, aut illud comparaviſſe altero docente. Poſtremò reliqui referunt* quid boni fecerint. Ille *qui nihil habet quod* ſecum *afferat ad prandendum, impranſus expellitur foras ad opus* faciendum.

NOTÆ.

1. *Inoculandæ arboris.*] *Inoculare*, Columellæ *Emplaſtrari* ἐνοφθαλμίζειν Theophraſto, & *emplaſtratio* ipſa ἐνοφθαλμισμός.

2. *Aurum colare.*] Purgare aurum: nempè, vel quod è fodinis extrahitur, vel quod inter Gangetis arenas volvitur, vel quod micatim à magnis illis & vulpium ſimilibus formicis eruitur, quas memorat Heródotus; ſi tamen fides habenda eſt tam portentoſis formicis.

VII.

ALEXANDRO illi, longè omnium excellentiſſimo Regi, cui ex rebus actis & auctis cognomentum Magno inditum eſt, placuit ne iſte unus eam gloriam adeptus ſine laude unquam nominaretur. Nam ſolus à condito ævo, quantum hominum memoria extat, inexuperabili Imperio Orbis auctus, Fortunâ ſuâ major fuit: ſucceſſuſque ejus ampliſſimos & provocavit ut ſtrenuus, & æquiparavit ut meritus, & ſuperavit ut melior. ſoluſque ſine æmulo clarus; adeò ut nemo ejus audeat vel ſperare virtutem, vel optare Fortunam. Ejus igitur Alexandri multa ſublimia facinora; & præclara edita fatigaberis admirando, vel belli auſa, vel domi proviſa. quæ omnia aggreſſus eſt [1] meus Clemens, eruditiſſimus & ſuaviſſimus poëtarum, pulcherrimo carmine illuſtrare. Sed cumprimis Alexandri illud præclarum: quòd imaginem ſuam, quò certior poſteris proderetur, noluit à multis artificibus vulgò contaminari, ſed edixit univerſo orbi ſuo, ne quis effigiem regis temerè aſſimilaret ære, colore, cælamine: [2] quin ſolus eam Polycletus ære duceret, ſolus Apelles coloribus delinearet, ſolus Pyrgoteles cælamine excuderet. Præter hos tres, multò nobi-

INTERPRETATIO.

ILLI *Alexandro, Regi multò præſtantiſſimo omnium, cui cognomen Magni impoſitum eſt propter res ab ipſo* benè *geſtas & amplificatas, viſum eſt ut ne ipſe, qui ſolus acquiſiverat illam laudem, appellaretur unquam abſque encomio.* Ipſe *enim unus ab initio temporum, quantum homines meminiſſe poſſunt, potitus invincibili dominatione mundi, fuit excellentior ſuâ* ipſius *Fortunâ, arceſſivitque maximos ejus eventus ut* vir *fortis, & æquavit ut dignus, & prætergreſſus eſt ut* ipsâ *ſuperior. eſtque* ipſe *unus celebris abſque invido: ita ut nullus audeat aut ſperare ejus fortitudinem, aut cupere* ejus *ſortem. Laſſaberis ergo mirando plurima excelſa facinora, & inclyta geſta illius Alexandri, ſive* ea *quæ aggreſſus eſt militiæ, ſive* ea, *quæ prudenter conſtituit domi. Quæ univerſa Clemens* amicus *meus doctiſſimus & jucundiſſimus poëtarum adortus eſt celebrare egregio poëmate. At hoc* factum *Alexandri eſt maximè inſigne, quòd noluerit inquinari ſuam effigiem paſſim à plurimis opificibus, ut verior relinqueretur poſteritati, verùm vetuit per totum ſuum Imperium, ne quis temerè effingeret imaginem Regis* ſive *ære,* ſive *picturâ,* ſive *cælaturâ: ſed ſolus Polycletus eam funderet ex ære, ſolus Apelles* eam *depingeret coloribus, & ſolus Pyrgoteles exprimeret cælaturâ.* Profeſſus, *ſi quiſpiam alicubi depre-*

NOTÆ.

1. *Meus Clemens.*] Ignoratur ille Clemens: neque carminis illius de Alexando Magno, neque Poëtæ ulla niſi hîc mentio eſt.

2. *Quin ſolus eam Polycletus ære duceret.*] Memoriâ lapſus eſt hîc Apuleius, & Polycletum pro Lyſippo dixit. Sic enim Plin lib. 7. cap. 37. *Alexander Imperator edixit, ne quis ipſum alius quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles ſculperet, quàm Lyſippus ex ære duceret.* Horatius, Epiſtolarum, lib. 2. Epiſt. 1.

Edicto vetuit, ne quis ſe, præter Apellem,
Pingeret: aut alius Lyſippo duceret æra,
Fortis Alexandri vultum ſimulantia.

liſſimos in ſuis artificiis, ſi quis uſpiam reperiretur alius ſanctiſſimæ imagini Regis manus admolitus; haud ſecùs in eum, quam in ſacrilegum, vindicaturus. Eo igitur omnium metu factum, ſolus Alexander ut [1] ubique imaginum [2] ſummus eſſet: utque omnibus ſtatuis, & tabulis, & toreumatis idem vigor acerrimi bellatoris, idem ingenium maximi herois, eadem forma viridis juventæ, eadem [3] gratia relicinæ frontis cerneretur. [4] Quod utinam pari exemplo Philoſophiæ edictum valeret; ne qui imaginem ejus temerè aſſimilaret; uti pauci boni artifices, iidem probè eruditi, omnifariàm Sapientiæ ſtudium contemplarent: neu rudes, ſordidi, imperiti, [5] pallio tenùs Philoſophos imitarentur: & diſciplinam regalem tam ad benè dicendum quàm ad benè vivendum repertam, malè dicendo & ſimiliter vivendo contaminarent. Quod utrumque ſcilicet perfacile eſt.

INTERPRETATIO.

henderetur admoviſſe manus ſacroſanctæ effigiei Regis, præter illos tres longè præſtantiſſimos in ſuis opificiis, ſe animadverſurum in eum non aliter, quàm in ſacrilegum. Hoc ergo timore incuſſo *omnibus, effectum eſt, ut ſolus Alexander præſtantiſſimus eſſet in omnibus* ſuis *ſimulacris: atque eadem virtus fortiſſimi Ducis, eadem indoles ſummi herois eadem pulchritudo virentis juventutis, eadem venuſtas frontis capillis retrò rejectis aperta aſpiceretur in omnibus ejus ſignis, tabellis, & cælaminibus. Atque utinam decretum Philoſophiæ ſimili exemplo vigeret, ne ullus temerè formaret ejus effigiem; ut pauci egregii opifices, & optimè edocti, conſiderarent omnibus modis ſtudium Philoſophiæ: neve tyrones, ſqualidi, ignari, referrent pallio Philoſophos: & corrumperent regiam ſcientiam inventam & ad rectè loquendum, & ad rectè vivendum, pravè loquendo, & pariter vivendo. Quæ ambo nimirùm ſunt facillima.*

NOTÆ.

1. *Ubique imaginum.*] *In omnibus imaginibus*, quâ formâ dicitur *ubique gentium*, pro *apud omnes gentes*.

2. *Summus eſſet.*] Fulvius habet *unus eſſet*, aperto & optimo ſenſu. Florent. codex, *ſimus eſſet*, corruptè, fortaſſe reponendum, *ſimilis eſſet*.

3. *Gratia relicinæ frontis.*] Superiùs tamen quaſi vitium comæ poſuit, quod eſſet relicina, *laudans ſeſe, quòd erat & comâ relicinus, & barbâ ſquallidus, &c.* de Marſya Satyro loquens, quem locum vide. At relicinæ frontis poteſt fuiſſe aliqua venuſtas, quæ non fuerit relicinæ comæ. Non video quid per *relicinam frontem* intelligat, niſi amplam & apertam, qualis videtur, cùm capilli retrorsùm retrahuntur: ſive, ut ipſe loquitur, ſunt relicini. Et reverà talis cernitur in Alexandri Magni numiſmatis,

4. *Quod utinam pari exemplo P. ed. val. ne qui imaginem ejus, &c.*] Muſonius, referente Herodoto Attico apud Gell. lib. 9. cap. 2. *ſed hoc potiùs dolori mihi & ægritudini eſt, quòd iſtiuſmodi animalia ſpurca, atque probra nomen uſurpant ſanctiſſimum, & Philoſophi appellantur. &c.* Vide reliquum illud caput. Obſerva hîc in textu: *ne qui imaginem ejus, &c.* pro *ne quis imaginem, &c.*

5. *Pallio tenùs Philoſophos imitarentur.*] Quemadmodum ille apud Gellium, lib. 9. cap. 2. ſuprà laudato, cui Herodes Atticus miranti, quòd ſe Philoſophum primo ſtatim aſpectu non agnoſceret, *Video, inquit, barbam & pallium. Philoſophum non video.* Pallium Philoſophorum fuiſſe amictum, notius, quàm ut probandum ſit.

Quæ enim facilior res eſt, quàm linguæ rabies, & vilitas morum: altera ex aliorum contemptu, altera ex ſui? Nam viliter ſemetipſum colere, ſui contemptus eſt: barbarè alios inſectari, audientium contumelia eſt. An non ſummam contumeliam vobis imponit, qui vos arbitratur maledictis optimi cujuſque gaudere, qui vos exiſtimat mala & vitioſa verba non intelligere: aut, ſi intelligatis, boni conſulere? [1] Quis ex rupiconibus, bajulis, [2] tabernariis tam infans eſt, ut, ſi pallium accipere velit, [3] diſertiùs non maledicat?

INTERPRETATIO.

Nam, quid eſt facilius quàm furor linguæ, & turpitudo vitæ: quorum *alterum oritur ex ſpretu aliorum, alterum ex* ſpretu *ſui* ipſius? *Nam excolere ſe ipſum abjectè, eſt aſpernatio ſui ipſius: perſequi alios* dictis *ferociter, eſt dedecus auditorum. Nonne ille vobis infert maximum dedecus, qui credit vos delectari obtrectationibus omnium probiſſimorum: qui putat vos non capere verba maligna & prava, vel, ſi ea capiatis, non graviter ferre? Quis ex ruſticis, bajulis,* & *inſtitoribus eſt adeò infans, ut, ſi voluerit capere pallium, non obtrectet eloquentiùs?*

NOTÆ.

1. *Quis ex rupiconibus.*] *Rupicones* hîc Apuleius vocat, quos Feſtus, *rupices*, in verbo *Petrones. Petrones*, inquit, *ruſtici ferè dicuntur, propter vetuſtatem, & quòd deterrima quæque ac prærupta . . . . , Jam agri petræ vocantur, ut rupices iidem . . . .* facile eſt ſupplere, *à rupibus.* Sed & apud Tertullianum pluribus in locis hoc vocabulum legere eſt, in De Pallio: *Ille apud rupicem & ſilvicolam & monſtrorum eruditorem ſcrupeâ ſcholâ eruditus.* in Apologet. cap. 21. *rupices & adhuc feri homines.*

2. *Tabernariis.*] Hinc *tabernariæ blanditiæ*, Id eſt, abſurdæ, triviales, ſordidæ. In Apologiâ, *cur autem tam abſurdis, tamque tabernariis blanditiis ſubagitarem, &c.*

3. *Diſertiùs maledicat.*] Sive legas *diſertiùs* (quod magis mihi probatur) ſive *diſertis*, certè ſupplendum eſt τὸ *non*, quod incuriâ Librariorum excidit, legendumque *ut, ſi pallium accipere velit, diſertiùs non maledicat?* Nempè, quàm illi palliati nebulones, qui ſe Philoſophos immeritò jactitant, *nec quidquam poſſunt niſi meliores carpere.*

VIII.

[1] HIC enim plus tibi debet, quàm dignitati. quanquam nec hæc illi ſit cum aliis promiſcua. Nam ex innumeris hominibus pauci ſunt Senatores, [2] ex Senatoribus pauci nobiles genere, & ex his Conſularibus pauci boni, & adhuc ex bonis pauci eruditi. Sed, ut loquar de ſolo honore: [3] non licet inſignia ejus veſtitu, vel calceatu temerè uſurpare.

INTERPRETATIO.

NAM hic plura tibi debet quàm ſuæ dignitati. quamvis ea non ſit ipſi communis cum aliis. Ex infinitis enim hominibus, pauci ſunt *Senatores, inter Senatores pauci ſunt clari ſtirpe* ſuâ, *atque inter illos* viros *Conſulares pauci* ſunt *probi, atque etiam inter probos pauci docti* ſunt *Verùm, ut dicam de ſolâ* ejus *dignitate: non eſt fas temerè ſumere ipſius notas* ſive *in veſtimentis, ſive in calceamentis.*

NOTÆ.

1. *Hic enim plus tibi debet quàm dignitati.*] Quem alloquatur, & de quo loquatur intelligere per fragmenti hujus brevitatem non licet. Hoc unum ſatis patet ex ſequentibus, eum, de quo loquitur, Senatorem eſſe Patricii generis, Conſularem virum, probum & eruditum. Clarior tamen videbitur ſenſus, ſi loco *hic enim plus tibi debet*, legatur *hic enim plus ſibi debet*, hoc eſt, ſuis ipſius virtutibus.

2. *Ex Senatoribus pauci nobiles genere.*] Permulti enim è plebeiis familiis erant aſſumpti.

3. *Non licet inſignia ejus veſtitu, vel calceatu temerè uſurpare.*] Nempè latum clavum, & lunulatos calceos, hæc enim inſignia erant Senatorum.

IX.

SI quis fortè in hoc pulcherrimo cœtu, ex illis inviſoribus meis, malignus ſedet; quoniam in magnâ civitate hoc quoque genus invenitur, qui meliores obtrectare malint, quàm imitari: & [1] quorum ſimilitudinem deſperent, eorum affectent ſimultatem: ſcilicet ut qui ſuo nomine obſcuri ſunt, meo innoteſcant: ſi qui igitur [2] ex illis

INTERPRETATIO.

SI *fortè aliquis malignus, ex illis meis invidis, ſedet in hac præclariſſimâ coronâ; quia in amplâ urbe reperitur etiam hæc ſpecies* hominum, *qui malint malè loqui de præſtantioribus* ſe, *quàm eos æmulari*: & qui *ſtudeant odiſſe illos, quibus non ſperent ſe evaſuros pares: nempè ut ipſi qui non ſunt cogniti ſuo nomine, noſcantur meo: ſi ergo quiſpiam ex iis libitinariis per-*

NOTÆ.

1. *Quorum ſimilitudinem deſperent, eorum affectent ſimultatem.*] Paronomaſia.

2. *Ex illis libitinis.*] Fulvii liber, teſte VVovveto habet *lividis*, hoc eſt, *invidis*, optimè. Quòd ſi tamen eâdem moti religione, quâ Vovverus, nihil mutare velimus, *libitinas* per me-

libitinis ſplendidiſſimo huic auditorio velut quædam macula ſeſe immiſcuit; velim pauliſper ſuos oculos per hunc incredibilem conſeſſum circumferat; contemplatuſque frequentiam tantam, quanta ante me in auditorio Philoſophi nunquam viſitata eſt, reputet cum animo ſuo, quantum periculum conſervandæ exiſtimationis hic adeat, qui contemni non conſuevit; cùm ſit arduum & oppidò difficile, vel modicæ paucorum expectationi ſatisfacere: præſertim mihi, cui & antè parta exiſtimatio, & veſtra de me benigna præſumptio, nihil quicquam ſinit negligenter ac [1] de ſummo pectore hiſcere. Quis enim veſtrûm unum mihi ſolœciſmum ignoverit? quis mihi vel unam ſyllabam barbarè pronuntiatam donaverit? quis incondita & vitioſa verba temerè, quaſi delirantibus, oborientia permiſerit blatterare? Quæ tamen aliis facilè, & ſanè meritiſſimò, ignoſcitis. Meum verò unumquodque dictum acriter examinatis, ſedulò penſiculatis, ad limam & lineam certam redigitis, [2] cum torno & cothurno iterùm comparatis. Tantum habet vilitas excuſationis, quantùm dignitas difficultatis. Agnoſco igitur difficultatem meam, nec deprecor quin ſic exiſtimetis. [3] Nec tamen

INTERPRETATIO.

miſcuit ſe huic illuſtriſſimo cœtui quaſi quædam macula; cupiam ut circunducat tantiſper oculos per hanc ſtupendam turbam auditorum, *& conſideratâ tantâ multitudine, quanta nunquam conſpecta eſt in auditorio Philoſophi ante me, recogitet apud ſe, quantum diſcrimen tuendæ famæ hic ſubeat.* etiam *qui non ſolitus eſt ſperni; cùm ſit arduum & ſummopere difficile, explere vel mediocrem expectationem paucorum: præcipuè mihi, cui & fama jam acquiſita, & bona opinio, quam de me præconcepiſtis, nihil prorſùs permittit effutire per incuriam, atque ex ſupremâ parte pectoris. Nam quis ex vobis mihi condonaverit* vel *unum ſolœciſmum? quis remiſerit ſaltem unam ſyllabam prolatam ruſticè? quis ſiverit pronuntiare voces incultas ac corruptas, quæ temerè* in buccam *veniunt, veluti delirantibus? Quæ nihilominùs libenter condonatis aliis, & jure quidem. At verò perpenditis ſeverè, diligenter penſitatis, & reducitis ad certam limam & regulam ſingula mea verba, atque denuò confertis* ea *cum torno & cothurno. Humilitas tam eſt excuſabilis, quàm ſublimitas eſt ardua. Perſpicio ergo difficultatem mei incepti, neque vos oro ut ſecùs reputetis. Nihilominùs exi-*

NOTÆ.

tonymiam & metaphoram dictos intelligere debemus obtrectatores illos & invidos, qui ad libitinariorum, libitinæ miniſtrorum, exemplum alienam mortem expetunt, quaſi quæſtum facturi ex eâ.

1. *De ſummo pectore.*] hoc eſt, leviter, & abſque profundâ meditatione. Opponitur τῷ *imo pectore.*

2. *Cum torno & cothurno iterùm comparatis.*] Id eſt, vultis ut politum ſit, quaſi torno elaboratum eſſet, & prætereà, ut ſit grave, ſententioſum, ac dignum cothurno, hoc eſt, tragœdiâ.

3. *Nec tamen vos parva quadam & pr, ſim. f. a. habeat.*] Cùm nempè videbitis philoſophaſtrum quempiam, mihi pallio tenùs ſimilem, veſtrum hunc ſuggeſtum conſcendere, & multa, ac me plura, voce etiam contentiore, ac ſummâ cum impudentiâ deblaterare.

vos parva quædam & prava ſimilitudo falſos animi habeat. quoniam quædam, ut ſæpè dixi, [1] palliata mendicabula obambulant. [2] Præco cum Proconſule, & ipſe tribunal aſcendit, [3] & ipſe togatus illic videtur; & quidem perdiu ſtat, aut ambulat, aut plerumque contentiſſimè clamitat: enimverò ipſe Proconſul moderatâ voce, rarenter, & ſedens loquitur, [4] & plerumque de tabellâ legit. Quippe præconis vox garrula, miniſterium eſt; Proconſulis autem tabella, ſententia eſt. quæ ſemel lecta, neque augeri litterâ unâ, neque autem minui poteſt: ſed utcumque recitata eſt, ita provinciæ inſtrumento refertur. Patior & ipſe in meis ſtudiis aliquam, pro meo captu, ſimilitudinem. Nam quodcumque ad vos protuli, exceptum illicò & lectum eſt: nec revocare illud, nec autem mutare, nec emendare mihi inde quidquam licet. Quò major religio dicendi habenda eſt: & quidem non in uno genere ſtudiorum. Plura enim mea extant in Camœnis, quàm Hippiæ in opificiis opera. Quid iſtud ſit, animo attendatis. diligentiùs, & accuratiùs diſputabo.

INTERPRETATIO.

gua quædam & prava ſimilitudo non debet vos decipere. quia, ut frequenter monui, quidam mendici incedunt cum palliis. Ipſe Præco conſcendit tribunal unà cum Proconſule, & ipſe conſpicitur quoque ibi in togâ; & certè diù ſtat vel incedit, vel ſæpiſſimè clamat maximo niſu: at ipſe Proconſul loquitur voce temperatâ, raro, & ex ſellâ, & ſæpiùs pronuntiat ex tabellâ. Etenim vox garrula Præconis eſt officium *ejus miniſterii. Tabula verò Proconſulis eſt decretum. quod*, cùm *ſemel pronuntiatum* eſt, *neque poteſt produci vel unâ litterâ, neque verò contrahi: ſed quomodocumque eſt pronuntiatum, ſic inſeritur tabulario Provinciæ. Ego quoque pro meo modulo experior aliquid ſimile in meis exercitationibus. Quidquid enim pronuntiavi coràm vobis, ſtatim excipitur, & recitatur: nec* jam *poſſum illud retractare, neque verò immutare, neque etiam corrigere quidpiam ex eo. Quo fit ut ſcrupuloſior debeam eſſe in dicendo: atque* id *quidem non in unâ* tantùm *ſpecie ſtudiorum. Nam plura exiſtunt mea opera in Muſis, quàm Hippiæ in artificiis. Advertite ſtudioſiùs animum. & ego edifferam diligentiùs quid hoc ſit.*

NOTÆ.

1. *Palliata mendicabula.*] Barbâ tenùs, & pallio Philoſophi.

2. *Præco cum Proconſule & ipſe tribunal aſcendit.*] Ut reos & accuſatores ac teſtes citet, quod ejus munus erat.

3. *Et ipſe togatus illic videtur.*] Nec mirum. Præcones enim a Conſulibus legebantur ex civibus Romanis, quibus omnibus jus erat togæ.

4. *Et plerumque de tabellâ legit.*] Innuit morem antiquum, quo Judices de tabellâ ſententiam pronuntiabant in noxios. Pontianus Diaconus, in Vitâ Cypriani: *His dictis decretum ex tabellâ recitavit, Thaſſium Cyprianum gladio animadverti placet. Sanctus Cyprianus hæc audiens dixit: Gratias ago Deo, &c.* Tertull. in Apologetico: *Quid de tabellâ recitatis illum Chriſtianum? Cur non & homicidam.*

Secundus liber Floridorum hîc incipit in pleriſque vulgatis Editionibus, malè.

Is Hippias è numero Sophiſtarum eſt, artium multitudine prior omnibus, eloquentiâ nulli ſecundus. [1] ætas illi cum Socrate: [2] patria Elis: genus ignoratur. gloria verò magna, fortunâ modica: ſed ingenium nobile, memoria excellens, ſtudia varia, æmuli multi. [3] Venit Hippias iſte quondam certamine Olympio [4] Piſam, non minùs cultu viſendus, quàm elaboratu mirandus. Omnia ſecum, quæ habebat, nihil eorum emerat, ſed ſuis ſibi manibus confecerat, & indumenta, quibus indutus, & calceamenta, quibus erat inductus, [5] & geſtamina, quibus erat conſpicuus. Habebat indutui ad corpus tunicam interulam tenuiſſimo textu, [6] triplici licio, [7] purpurâ duplici.

INTERPRETATIO.

Hippias ille eſt unus ex Sophiſtis, ſuperior omnibus numero artium, quas callebat, *nemini cedens facundiâ. æqualis fuit Socratis: oriundus ex Elide; neſcitur ejus proſapia. Fama* ejus fuit *ingens, opes exiguæ: at ingenium præclarum, & memoria præſtans: ſtuduit diverſis rebus,* & habuit *plurimos invidentes. Hic Hippias venit olim Piſam ad ludos Olympicos, non minùs conſpiciendus* ſuo *ornatu, quàm admirandus, quòd* illum ornatum *ipſe fabricâſſet. Nihil comparaverat ex iis omnibus, quæ habebat ſecum, ſed ea fabricaverat ſuis propriis manibus, tum veſtes, quibus veſtitus erat, tum calcees, quibus erat calceatus, tum* etiam *geſtamenta, quibus inſignis erat. Habebat ad veſtiendum corpus interiorem tunicam textu ſubtiliſſimo, filo triplici, oſtro duplici.*

NOTÆ.

1. *Ætas illi cum Socrate.*] Floruit enim circà Olympiadem 84, & Socrates natus anno 4. Olympiadis 77. obiit anno 1. Olympiadis 95

2. *Patria Elis.*] Sic benè reſtituit Elmenhorſtius ex MS. Florent. in quo erat corruptè *Patrielis.* Eleum fuiſſe Hippiam patet ex loco Ciceronis mox citando.

3. *Venit Hippias iſte, &c.*] Idem refert Cicero, lib. 3. de Oratore: *Ex quibus Eleus Hippias, cùm Olympiam veniſſet, maximâ illâ quinquennali celebritate ludorum; gloriatus eſt, cunctâ pœnè audiente Græciâ, nihil eſſe in ullâ arte rerum omnium, quod ipſe neſciret. Nec ſolùm has artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Muſicam, Litterarum cognitionem, & Poëtarum, atque illas quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de Republicâ dicerentur: ſed annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet, ſe ſuâ manu confeciſſe.* Idem refert Plato in Hippia. & D. Hieronymus, in Epitaphio Nepotiani.

4. *Piſam.*] Quæ urbs eſt Elidis ad Alphæum amnem. quam juxtà celebratos fuiſſe ludos Olympicos jam obſervavimus ad 1. lib. Metamorphoſ.

5. *Et geſtamina.*] Geſtamen eſt quidquid geritur, puta ſcipio, annulus, arma, &c. Virgil. lib. 3. Æneid.

Ære cavo clypeum, magni geſtamen Abantis
Poſtibus adverſis figo.

Hîc intelligit annulum, ampullam oleariam, & ſtrigilem, de quibus infrà.

6. *Triplici licio.*] Plin. lib. 8. cap. 4: *pluribus verò liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria inſtituit.*

7. *Purpurâ duplici.*] Hoc eſt, bis

ipſe

ipſe eam ſibi ſolus domi texuerat. Habebat cinctui balteum, [1] quod genus pictura Babylonica, miris coloribus variegatum. Nec in hac eum operâ quiſquam adjuverat. Habebat amictui pallium candidum, quod ſupernè circumjecerat. id quoque pallium comperitur ipſius laborem fuiſſe. Etiam pedum tegumenta crepidas ſibimet compegerat, & annulum in lævâ aureum faberrimo ſignaculo, quem oſtentabat. ipſe ejus annuli & orbiculum circulaverat, [2] & palam clauſerat, & gemmam inſculpſerat. Nondum ejus omnia commemoravi. Etenim non pigebit me commemorare, quod illum non puditum eſt oſtentare. qui magno in cœtu prædicavit, fabricatum ſibimet [3] ampullam quoque oleariam, quam geſtabat, lenticulari formâ, tereti ambitu, preſſulâ rotunditate: juxtaque honeſtam [4] ſtrigileculam, [5] rectâ faſtigia-

INTERPRETATIO.

ipſe unus eam ſibi contexuerat domi. Habebat cingulum, quo ſe cingeret, quâdam ſpecie picturæ Babylonicæ, diſtinctum admirabilibus coloribus. Neque ullus locârat ipſi operam in hoc opere faciundo. *Habebat, ad ſe operiendum, pallium album, quod ſibi ſuperinjecerat. notum eſt etiam illud pallium fuiſſe ejus opus. Confecerat quoque ſibi ipſi crepidas ad calceandos pedes, &* fabricârat *annulum aureum*, quem geſtabat *in ſiniſtrâ* manu, *ſigillo ſolertiſſimè fabricato, quem* annulum *ſæpiùs oſtenderat. ipſe & rotundaverat circulum illius annuli, & concluſerat palam, & cælaverat lapidem. Nondum recenſui omnia ejus. Enimverò non gravabor recenſere quod ipſe non erubuit jactare; qui in amplâ coronâ dixit ſe fabricâſſe lecythum olearium figurâ lentis, circuitu rotundo, planiore gibboſitate, quem ſecum ferebat: & unà* cum eo, *ſtrigileculam mundam rectâ depreſſione clau-*

NOTÆ.

infectam purpurâ, quò durabilior eſſet color ejus.

1 *Quod genus pictura Babylonica.*] Plin. lib. 8 cap. 48. ſuprà citato. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maximè celebravit, & nomen impoſuit.* Martialis:

Babylonica picta ſuperbè
Texta; Semiramiâ quæ variantur acu.

2. *Et palàm clauſerat.*] Ita legendum prorsùs, non *paleam*, ut in quibuſdam editionibus. *Pala* pars illa eſt annuli, in quâ gemma includi ſolet. πύελος & πύελις, Græcis, Cic. lib. 3 Offic *ibi cùm palam ejus annuli ad palmam converteret, à nullo videbatur.*

3. *Ampullam quoque oleariam*] Græcis λήκυθος eſt *ampulla olearia*, quâ oleum in balnea ferebant, quo ſe ungerent.

4. *Strigileculam.*] Diminutivum *ſtrigilis*, quæ Græcis στλεγγίς. Erat autem inſtrumentum, quo ſudorem in balneis deſtringebant: unde & nomen ſumpſit. *Strigilis* enim à *ſtringendo* Figuram tum lecythi, tum ſtrigilis vide apud Mercurialem *De Re Gymnaſticâ*. Ferrea fuit ut plurimum ſtrigilis. Unde Plautus, in Stycho rubiginoſam dicit, quod ferri vitium eſt.

Rubiginoſam ſtrigilem, ampullam rubidam,
Paraſitum inanem; quo recondas reliquias.

5. *Rectâ faſtigiatione clauſulæ.*] Clauſulam hîc intelligere videtur manubrium ſtrigilis duplex, cui manus inſerebatur, ne elabi poſſet inter deſtringendum. cujus quidem manubrii laminæ duæ aliquando non parallelæ inter ſe, ſed ab alterâ parte propinquiores erant, quam *faſtigiationem* dicit. *faſtigiatum* enim eſt faſtigii inſtar in-

tione clauſulæ: [1] flexâ tubulatione ligulæ; ut & ipſa in manu capulo moraretur, & ſudor ex eâ rivulo laberetur. Quis autem non laudabit hominem tam numeroſâ arte multiſcium? totjugi ſcientiâ magnificum? tot utenſilium peritiâ [2] Dædalum? Quin & ipſum Hippiam laudo. ſed ingenii ejus fœcunditatem malo doctrinâ, quàm ſupellectilis multiformi inſtrumento æmulari. fateorque me [3] ſellularias quidem artes minùs callere: veſtem de textrinâ emere; [4] baxeas iſtas de ſutrinâ præſtinare: enimverò annulum nec geſtare, gemmam & aurum juxta plumbum & lapillos nulli æſtimare: ſtrigilem & ampullam, cæteraque balnei utenſilia nundinis mercari. Prorsùs enim non eo inficias, [5] nec radio, nec ſubulâ, nec limâ, nec torno, nec id genus ferramentis uti noſſe: ſed pro his præoptare me fateor; uno chartario calamo me reficere poëmata omne genus, [6] apta virgæ, [7] lyræ, [8] ſocco, [9] cothurno:

INTERPRETATIO.

ſulæ, incurvato canaliculo ligulæ; ut & ipſa in manu retineretur manubrio, & ſudor rivuli inſtar flueret ex eâ. Quis verò non prædicabit virum peritum tot artium? clarum tot ſcientiis? ſolertem fabricatione tot utenſilium? Certè ego quoque laudo Hippiam. Verùm malo ubertatem ejus ingenii imitari ſcientiâ, quàm variis inſtrumentis ſupellectilis. Et confiteor quidem me neſcire artes ſordidas: atque comparare veſtimentum ex textoris officinâ: emere hæc calceamenta ex officinâ ſutoris: at ne ferre quidem annulum: nihili facere lapides pretioſos, & aurum, non ſecùs ac plumbum, & calculos: emere in nundinis ſtrigilem, & lecythum, atque reliqua inſtrumenta balnei. Planè enim non nego me neque ſcire uti radio, neque ſubulâ, neque limâ, neque torno, neque ejuſmodi inſtrumentis ferreis: verùm horum loco fateor me malle ſcribere unâ pennâ omnimoda carmina: idonea ramo, cytharæ, comœdiæ, & tragœdiæ:

NOTÆ.

clinatum, ut videre eſt apud Vitruvium pluribus in locis: aliquando parallelæ, ut in ſtrigilibus à Mercuriali exhibitis.

1. *Flexâ tubulatione ligulæ.*] Ligulam vocat partem ſtrigilis, quæ ſudorem deſtringebat, quæ, ut ex ipsâ ſtrigilis figurâ conſpicere eſt, incurvata erat, & præterea introrsùs cava tubi in morem.

2. *Dædalum.*] *Dædalus* Δαιδάλεος artificioſum ſonat, ingenioſum, atque etiam varietate ſpectabilem. Unde Lucretio, *Dædala tellus*, lib. 1.

Tibi ſuaves Dædala tellus
Submittit flores.

Hinc appellatus *Dædalus* Icari pater, Labyrinthi artifex.

3. *Sellularias quidem artes.*] Sellulariæ artes ſunt ſordidæ, quarum nempè artifices ſedentes opus faciunt, veluti ſutores, ſartores, &c.

4. *Baxeas iſtas.*] Lib. 2. Metamorphoſ. *& cum dicto juvenem quempiam linteis amiculis intectum pedeſque palmeis baxeis indutum, &c. producit in medium,* ad quem locum vide quæ diximus, pag. 63.

5. *Nec radio, nec ſubulâ, nec limâ, nec torno.*] Radius inſtrumentum eſt textoris: ſubula ſutoris: lima fabri ferrarii, tornus fabri lignarii.

6. *Apta virgæ.*] Digna, quæ in theatro aut conviviis recitentur à pueris lauri ramum ſeu myrthi virgam manu geſtantibus, qui ideò ῥαβδῳδοὶ, & στιχῳδοὶ Græcis dicti ſunt. Vide Lipſ. Elector. lib. 1. cap. 28. Intelligi etiam poſſent Bucolica, quæ paſtores canerent greges virgâ compellentes.

7. *Lyræ.*] Lyrica carmina.

8. *Socco.*] Comœdias.

9. *Cothurno.*] Tragœdias.

item ſatyras, ac[1] griphos: item hiſtorias varias rerum: nec non orationes laudatas diſertis, nec non[2] dialogos laudatos philoſophis, atque hæc & alia ejuſdem modi tam Græcè, quàm Latinè, gemino voto, pari ſtudio, ſimili ſtilo. Quæ utinam poſſem equidem non ſigillatim ac diſcretim, ſed cunctim, & coacervatim tibi, Proconſul, vir optime, offerre; ac prædicabili teſtimonio tuo ad omnem noſtram Camœnam frui! non herculè penuriâ laudis, quæ mihi dudum integra & florens per omnes anteceſſores tuos ad te[3] reſervata eſt; ſed quoniam nulli me probatiorem volo, quàm quem ipſe ante omnes meritò probo. Enim ſic naturâ comparatum eſt, ut eum, quem laudes, etiam ames: [4] porrò quem ames etiam laudari te ab illo velis. Atque ego me dilectorem tuum profiteor: nullâ tibi privatim, ſed omni publicitùs gratiâ obſtrictus. Nihil quippe à te impetravi, quia nec poſtulavi. Sed Philoſophia me docuit non tantùm beneficium amare, ſed etiam maleficium: magiſque judicio impertire, quàm commodo inſervire: & quod in commune expediat malle, quàm quod mihi.

INTERPRETATIO.

præterea ſatyras, & ænigmata: inſuper diverſas rerum hiſtorias, atque etiam declamationes probatas eloquentibus viris, & colloquia probata Philoſophis, eaque & alia ſimilia me componere *& Græcè & Latinè duplici ſtudio, æquali diligentiâ, ſimili ſcribendi genere. Quæ utinam poſſem tibi exhibere, ô Proconſul, optime vir, non ſcorſim quidem ac ſeparatim, verùm generatim & congeſtim; & accipere tuum honorabile teſtimonium de totâ meâ doctrinâ! Neque* hoc *certè* cupio *ex inopiâ famæ, ea enim mihi jam diu conſervata eſt inviolata & clara apud omnes tuos prædeceſſores uſque ad te: verùm, quia à nemine cupio magis laudari, quàm* ab eo, *quem ego jure laudo præ cunctis. Enimverò ſic conſtitutum eſt à naturâ, ut diligas quoque eum, quem magni facis, cæterùm cupias probari ab eo, quem diligas. Ego verò profiteor me amantem tui, devinctus tibi nullo* quidem *peculiari beneficio, ſed omnibus quæ in Rempublicam contuliſti. Nihil enim obtinui à te, quoniam ne petii quidem. At didici, Philoſophiâ magiſtrâ, non ſolùm diligere beneficium, ſed injuriam quoque: & plus tribuere rationi, quàm ſtudere meæ utilitati: & præoptare id, quod utile eſt Reipublicæ, quàm quod mihi.*

NOTÆ.

1. *Griphos.*] Sic ſcribe per i, non per y. *Griphi* ſunt ænigmata perplexa & flexuoſa, dicta à ſimilitudine naſſæ piſcatoriæ viminibus textæ, quâ piſces ita capiuntur & clauduntur, ut ſe ſe poſtmodùm extricare non poſſint, quæ naſſa Græcis γρῖφος dicitur. Gell. Noct. Attic. lib. 1. cap. 2. *alioſque id genus griphos neminem poſſe dicens, niſi ſe diſſolvere.* Hi griphi ſæpiùs etiam verſibus ſcripti erant, ut indicat lib. 10. Athenæus. Hinc & Auſonius nomen indidit *Gripho, numeri ternarii*, poëmatio intricato de variis ternarii numeri proprietatibus.

2. *Dialogos laudatos Philoſophis.*] In quibus nempè Dialogis res philoſophicas tractaret, more Platonis ſui Magiſtri.

3. *Reſervata eſt.*] Hoc compoſitum nihil aliud ſonat hîc, quàm ſimplex *ſervata eſt*, quemadmodum ſuprâ *reficere poemata*, pro *facere*.

4 *Porrò quem ames.*] Ex editione Scriverianâ inſerta ſunt hæc verba huic loco,

Igitur bonitatis tuæ diligunt plerique fructum, ego ſtudium. Id quod facere adorſus ſum dummodò rationem tuam in provincialium negotiis contemplor, quâ efflictim amare te debeant: experti, propter beneficium: expertes, propter exemplum Nam & beneficio multis commodâſti, & exemplo omnibus profuiſti Quis enim à te non amet diſcere, quânam moderatione obtineri queat [1] tua iſta gravitas jocunda, mitis auſteritas, placida conſtantia, blanduſque vigor animi? Neminem Proconſulum, quod ſciam, provincia Africa magis reverita eſt, minus verita. nullo, [2] niſi tuo anno, ad coërcenda peccata plus pudor quàm timor valuit. Nemo te alius pari poteſtate ſæpiùs profuit, rariùs terruit. nemo ſimiliorem virtute filium adduxit. [3] Igitur nemo Carthagini Proconſulum diutiùs fuit. Nam etiam eo tempore, quo provinciam circumibas, manente nobis Honorino, minùs ſenſimus abſentiam tuam, quàm ut te magis deſideraremus. Paterna in filio æquitas, ſenilis in juvene prudentia, Conſularis in legato auctoritas. Prorsùs omneis virtutes tuas ita effingit ac repræſentat; ut medius fidius, [4] admirabilior eſſet in juvene, quam in te parta laus:

INTERPRETATIO.

Plerique ergo amant commodum, quod perceperunt *ex tuâ benignitate, ego verò* amo ejus *affectum. Quod ego aggreſſus ſum facere, dum conſidero tuam moderationem in rebus incolarum hujus provinciæ, quâ* factum eſt ut *te ardentiſſimè diligere debeant*: & ii, *qui experti ſunt* eam, *ob benefacta*, quæ à te acceperunt; *& ii qui non ſunt experti* eam, *ob exemplum*, quod eis dediſti. *Multis enim profuiſti benefactis tuis, & juviſti cunctos* tuo *exemplo. Nam quis non gaudeat doceri à te quo temperamento poſſit acquiri tua iſta gravitas ſuavis, clemens ſeveritas, lenis firmitas, & mite robur animi? Nullum ex* ſuis *Proconſulibus provincia Africa plus honoravit, & minus formidavit. Nullo anno, niſi tuo, pudor habuit majorem vim ad cohibenda delicta, quàm metus. Nullus alius, præter te, eâdem potentiâ frequentiùs juvit, rariùs pavefecit. Nullus* ſecum *adduxit gnatum ſibi ſimiliorem virtute. Ideoque nullus ex Proconſulibus diutiùs manſit Carthagini. Illo enim quoque tempore quo peragrabas provinciam, relicto Honorino apud nos, non ſatis ſenſimus tuam abſentiam, ut te plus* ipſo *optaremus. Eſt in filio juſtitia parentis, in adoleſcente conſilium ſenis, in legato auctoritas Conſulis. Sic planè exprimit atque exhibet cunctas tuas dotes, ut profectò gloria* ab eo *acquiſita mirabilior foret in* illo *juvene, quàm in te:*

NOTÆ.

1. *Tua iſta gravitas jucunda.*] Sic optimè Lipſius ex his vocibus *gratia vita jucunda* reſtituit *gravitas jucunda.* Ratio patet conferenti quæ ſequuntur *mitis auſteritas*, &c.

2. *Niſi tuo anno.*] Proconſules enim, ſicut & plerique alii Romanorum Magiſtratus, annui tantùm erant.

3. *Igitur nemo Carthagini Proconſulum diutiùs fuit.*] Quippè cùm etiam abſens, quo tempore provinciam circumibas, Carthagini præſens fueris per filium Honorinum, quem ibi reliqueras tui ſimillimum.

4. *Admirabilior eſſe' in juvene, quàm in te parta laus.*] Emendat Brantius *quàm in te patre.* Quo quid melius? juvenem opponit patri. huic accedo lubens.

niſi eam tu talem dediſſes. quâ utinam perpetuò liceret frui! Quid nobis cum iſtis Proconſulum vicibus? quid cum annis brevibus, & feſtinantibus menſibus? O celeres bonorum hominum dies! O præſidium optimorum citata curricula! Jam te, Severiane, tota provincia deſideramus. Enimverò Honorinum & honos ſuus ad præturam vocat, 1 & favor Cæſarum ad conſulatum format, & amor noſter impræſentiarum tenet, & ſpes Carthaginis in futurum ſpondet: uno ſolatio freta exempli tui, quod qui legatus mittitur, Proconſul ad nos citò reverſus eſt.

INTERPRETATIO.

ni tu eam talem tribuiſſes ipſi. *quâ utinam poſſemus ſemper potiri! Quorsùm nobis hæ mutationes Proconſulum? quare anni ſunt adeò breves, & menſes adeò celeres? O properantia tempora proborum virorum! O veloces Magiſtratus optimorum præfectorum! Jam tota noſtra provincia te ſibi ereptum dolet, ô Severiane. Atenim virtus Honorini invitat eum ad præturam, & gratia Imperatorum præparat eum ad Conſulatum, & noſter amor nunc retinet, & ſpes Carthaginis promittit* eum nobis *in poſterum: nixa unico ſolamine tui exempli, quoniam qui mittitur legatus, brevi redit ad nos Proconſul.*

NOTÆ.

1. *Et favor Cæſarum.*] Marci & Lucii Veri.

2. *Uno ſolatio freta exempli tui, quod qui legatus mittitur, &c.*] Scilicet venerat primò Carthaginem Severianus Legatus Proconſulis, ac poſteà ipſe Proconſul fuerat factus. unde Carthagini ait ſpem eſſe, Honorinum, qui tunc temporis Severiani patris eſſet legatus, brevi Proconſulem reverſurum.

X.

1 *SOL, qui micantem candido curru atque equis*
Flammam citatis fervido ardori explicas:

INTERPRETATIO.

SOL, qui expandis ferventi æſtu ignem coruſcantem Curru candenti, & equis velocibus.

NOTÆ.

1. *Sol, qui mic. &c.*] Ex l. Accii Phœniſſis ſunt hi verſus, atque inter ejus fragmenta etiamnum leguntur, hoc modo:

Sol, qui micantem candido curru atque equis
Flammam citatis fervido ardore explicas;
Quam natum adverſo augurio & inimico omine
Thebis radiatum lumen oſtendis tuum.

Colvius eos ex Priſciani libello de Metris MS paulò aliter refert, eidem tamen Accio tribuens.

Sol, qui cadentem fervido curſu atque equis
Flammam citatis fervido ardore explicas.

itemque [1] luminis ejus Luna diſcipula, nec non quinque cæteræ [2] vagantium poteſtates: [3] Jovis benefica, Veneris voluptifica, pernix Mercurii, perniciosa Saturni, Martis ignita. [4] Sunt & aliæ mediæ Deûm poteſtates, quas licet ſentire, non datur cernere: ut Amoris, cæterorumque id genus, quorum fo[r]ma inviſitata, vis cognita. Quæ item in terris, utcumque Providentiæ ratio poſcebat, alibi montium vertices arduos extulit; alibi camporum ſupinam planiciem coæquavit: item quæ ubique diſtinxit amnium fluores, pratorum virores, item dedit volatus avibus, volutus ſerpentibus, curſus feris, greſſus hominibus.

Interpretatio.

inſuper. Luna imitatrix ejus lucis, & quinque aliæ virtutes planetarum: nempè virtus *Jovis*, quæ *benigna* eſt; *Veneris*, quæ *voluptatem parit*, *Mercurii*, quæ eſt *velox*, *Saturni*, quæ eſt *exitialis*: *Martis*, quæ eſt *ardens. Sunt prætereà aliæ mediæ virtutes Deorum; quas poſſumus experiri, nequimus* verò *aſpicere: veluti Amoris, aliorumque ejuſmodi, quorum forma eſt incognita, poteſtas* verò *manifeſta. Item* illa virtus, *quæ in tellure alio in loco erexit excelſa cacumina montium; alio in loco complanavit porrectum æquor camporum, prout ratio providentiæ poſtulabat: quæ inſuper ubique diſcrevit fluenta amnium, & prata virentia. item tribuit volatus alitibus, volumina anguibus, curſus belluis, & inceſſus hominibus.*

Notæ.

1. *Luminis ejus Luna diſcipula.*] Verti *imitatrix*. At libens Fulvii lectionem amplecterer, qui pro *diſcipula* habet *decipula*. quaſi tu dicas, quæ intercipit lumen Solis, & illud ad nos quaſi ſuum remittit. In hac voce Apuleianum quid adverto, quod magis placet.

2. *Vagantium.*] Supple *ſtellarum*; hoc eſt, *Planetarum.*

3. *Jovis benefica, &c.*] Juxtà ſententiam & principia Genethliacorum & Aſtrologorum loquitur, qui diſtinctas ejuſmodi poteſtates Planetis attribuunt, atque ex vario eorum poſitu futura ſe ſe prædicere poſſe jactant.

4. *Sunt & aliæ mediæ Deûm poteſtates.*] In De Deo Socratis: *Cæterùm ſunt quædam divinæ mediæ poteſtates inter ſummum æthera, & infimas terras, in iſto interſitæ aëris ſpatio, &c. Hos Græco nomine* Δαίμονας *nuncupant.* Vide totum locum.

XI.

PARITER enim, ut qui [1] hærediolum ſterile, & agrum ſcrupoſum, meras rupinas & ſenticeta miſeri colunt: quoniam nullus

Interpretatio.

NAM perinde ac infelices, qui colunt prædiolum infœcundum, & arvum lapidoſum, ſcopulos meros ac vepreta: quia nullus fructus eſt in eo,

Notæ.

1. *Hærediolum ſterile.*] Sic legendum eſt, non *ſterilem.* Gellius *hærediolum tenue* dixit, lib. 19. cap. 7.

[1] in teſquis ſuis fructus eſt, nec ullam illic aliam frugem, ſed,

[2] *Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ:*

ſuis frugibus indigent, aliena furatum eunt, & vicinorum flores decerpunt; ſcilicet, ut eos flores carduis ſuis miſceant: ad eumdem modum [4] qui ſuæ virtutis ſterilis eſt.

Interpretatio.

rum deſertis, neque aſpiciunt in eis ullam aliam frugem, ſed,

Lolium infauſtum, & avenæ ſteriles ibi regnant:

deſtituuntur propriis frugibus, eunt ſubreptum alienas, & carpunt flores vicinorum; nempè ut admiſceant illos flores ſuis carduis: ſimiliter, qui inops propriæ virtutis.

Notæ.

1. *Meras rupinas.*] *Rupinæ* ſunt loca rupibus aſpera. Stevvechius legit *meras ſpinas.*

2. *In teſquis ſuis.*] *Teſqua* (inquit Feſtus, ſeu potiùs Paulus) *loca augurio deſignata. Cic. aſpera eſſe ait, & difficilia.* Hæc Paulus. Varro, lib. 6. de Linguâ Latinâ ſcribit *teſca* per c litteram, & dicta vult quaſi *tueſca*, à tuendis ſacris, & ait ea eſſe quædam loca agreſtia Deo cuipiam conſecrata. Ego interpretatus ſum *deſerta*, ad hos Horatii verſus reſpiciens lib. 1. Epiſtolar. Epiſt. 14.

Nam, quæ deſerta & inhoſpita teſqua
Credis, amœna vocat, mecum qui ſentit: & odit,
Quæ tu pulchra vocas.

infra lib. 4. Florid. *& merulæ in remotis teſquis fringultiunt.*

3. *Infelix lolium.*] Ex Virgil. Eclogâ quintâ, cui nomen eſt *Daphnis.*

4. *Qui ſuæ virtutis ſterilis eſt,*] Supple, finiendi ſenſûs causâ, *alienam laudem intercipere nititur*, aut quid ſimile.

XII.

[1] PSITTACUS Indiæ avis eſt. [2] inſtar illi minimo minus quàm columbarum; ſed nec color ei ut columbarum. non enim lacteus ille, vel lividus, vel utrimque ſubluteus, aut ſparſus eſt: ſed co-

Interpretatio.

PSITTACUS eſt ales Indiæ, forma ejus eſt paulò minor quàm columbarum; at color ejus non eſt qualis columbarum. neque enim ille eſt candidus, aut ſubniger, aut ſubflavus ab utrâque parte, vel variegatus: at pſit-

Notæ.

1. *Pſittacus Indiæ avis eſt.*] Solinus, in Polyhiſtore cap. 55. *Sola India mittit Pſittacum avem, colore viridi, torque puniceo.* Plin. lib. 10. cap. 42. *Super omnia humanas voces reddunt Pſittaci quidem etiam ſermocinantes. India hanc avem mittit, Sittacen vocat, viridem toto corpore, torque tantùm miniato in cervice diſtinctam.*

2. *Inſtar illi.*] Proba lectio. *Inſtar* eſt ὄψις *ſpecies.* Sic apud Virgilium,

quantum inſtar in ipſo.

Valer. Maxim. *habere inſtar arcis*, hoc eſt, *ſimilitudinem.* Gloſſæ veteres *Inſtar: ſimilitudo*, ὁμοίωμα, ἀπεικόνισμα.

lor pſittaco viridis, & intimis plumulis, [1] & extimis palmulis; niſi quòd ſolâ cervice diſtinguitur. Enimverò [2] cervicula ejus circulo mineo, velut aureâ torqui, pari fulgoris circumactu cingitur & coronatur: [3] Roſtri prima duritia. cùm in petram quampiam concitus altiſſimo volatu præcipitat, roſtro ſe, velut anchorâ, excipit. [4] Sed & capitis eadem duritia, quæ roſtri. Cùm ſermonem noſtrum cogitur æmulari, ferreâ claviculâ caput tunditur, imperium magiſtri ut perſentiſcat. hæc ferula diſcenti eſt. [5] Diſcit autem ſtatim pullus uſque ad duos ætatis ſuæ annos; dum facile os uti conformetur, dum tenera lingua uti convibretur. Senex autem captus, & indocilis eſt, & obliviosus. [6] Verùm ad diſciplinam humani ſermonis facilior eſt pſittacus,

INTERPRETATIO.

tacus habet colorem viridem, tam in plumis interioribus, quàm in pennis exterioribus: excepto quòd diſcriminatur tantùm in collo. Nam ejus collum circumdatur, & cingitur annulo rubro quaſi torque aureo, ſimili circumemiſſione ſplendoris. Summa eſt durities ejus *roſtri. quando volatu maximè ſublimi celeriter irruit in aliquod ſaxum, excipit ſe roſtro, quaſi anchorâ. Verùm durities capitis* ejus *eadem eſt ac roſtri. Quando cogitur imitari noſtram locutionem, percutitur* ipſi *caput ferreo malleolo, ut ſentiat juſſa docentis. hoc ipſi eſt pro ferulâ dum diſcit. Eruditur verò illicò dum eſt pullus uſque ad ſecundum annum ſuæ ætatis; quandiu os ejus facile eſt formatu, & lingua tenera vibratu. Qui autem apprehenſus eſt vetus, neque diſcere poteſt, neque recordari. At ille Pſittacus aptior eſt ad diſcendam loquelam humanam,*

NOTÆ.

1. *Et extimis palmulis.*] Lipſio magis placet *parmulis*, quaſi pennis exterioribus pſittaci forma ſit parmarum. At nihil mutare velim. palmulas extimas intelligo pennas duriores alarum & caudæ, quæ, quàm benè remorum palmulas imitentur, nemo non videt. Confer quod dixit noſter Florido 2. ubi de Aquilâ. *Ibidem pinnarum eminùs indefeſſa remigio.*

2. *Cervicula ejus circulo mineo, &c.*] Vide quæ paulò ſuprà retulimus ex Solino & Plinio.

3. *Roſtri prima duritia.*] Solinus, cap. 55. ſuprà laudato: *roſtri tanta duritia eſt, ut cùm è ſublimi præcipitatur in ſaxum, niſu ſe oris excipiat, & quodam quaſi præſidio utatur extraordinariæ firmitatis.*

4. *Sed & capitis eadem duritia, quæ roſtri. cùm ſermonem noſtrum, &c.*] Plin. lib. 10. cap. 42. ſuprà laudato: *capiti ejus duritia eadem quæ roſtro. hoc, cùm loqui diſcit, ferreo verberatur radio; non ſentit aliter ictus.* Solinus: *Caput verò tam valens, ut ſi quando ad diſcendum plagis ſit admonendus (nam ſtudet ut, quod homines, loquatur) ferreâ claviculâ ſit verberandus.*

5. *Diſcit autem ſtatim pullus, &c.*] Solinus: *Dum pullus eſt, atque adeò intra alterum ætatis ſuæ annum quæ monſtrata ſunt, & citiùs diſcit, & tenaciùs retinet. major paulò ſegnior eſt, & obliviosus, & indocilis.*

6. *Verùm ad diſciplinam humani ſermonis facilior eſt pſittacus, glande qui veſcitur.*] Id non de Pſittaco, ſed de picâ refert Plin. loco ſuprà laudato. *Verùm addiſcere alias negant poſſe, quàm quæ ex genere earum ſunt, quæ glande veſcantur: & inter eas faciliùs, quibus quini ſunt digiti in pedibus: ac ne eas quidem ipſas, niſi primis duobus vitæ annis.* Picæ illæ glandariæ nobis dicuntur *Geays*, vulgò Gracculi, ſed malè, ſi Menagio credimus Gracculum Cornicem eſſe affirmanti, in libro quem *De Amœnitatibus Juris* inſcripſit.

glande

glande qui veſcitur;[1] & cujus in pedibus, ut hominis, quini digituli numerantur. Non enim omnibus pſittacis id inſigne. ſed illud omnibus proprium,[2] quo eis lingua latior quàm cæteris avibus, eò faciliùs verba hominum articulantur,[3] patentiore plectro & palato. Id verò quod didicit, ita ſimiliter nobis canit, vel potiùs eloquitur; ut vocem ſi audias, hominem putes: nam quidem ſi videas; idem conari, non eloqui. Verùm enimverò [4] & corvus & pſittacus nihil aliud quàm quod didicerunt pronuntiant. Si convicia docueris: conviciabitur, diebus ac noctibus perſtrepens maledictis. hoc illi carmen eſt, hanc putat cantionem. Ubi omnia quæ didicit maledicta percenſuit, denuò repetit eandem cantilenam. Si carere convicio velis; lingua excidenda eſt, aut quamprimùm in ſylvas ſuas remittendus.

INTERPRETATIO.

qui alitur glande: & in cujus ſingulis pedibus numerari poſſunt quinque digituli, ſicut in pedibus *hominis. Nam non omnes pſittaci habent hanc notam. at hoc eſt proprium omnibus ipſis, quò habent linguam latiorem quàm reliquæ volucres, eò faciliùs formant voces humanas, latiore* nimirùm *plectro, & palato. Tam ſimiliter autem nobis cantat, aut potiùs pronuntiat id quod edoctus eſt; ut ſi audias* tantùm ejus *vocem, credas* eſſe *hominem: ſi autem* eum *intuearis, dicas eum id conari, non* autem *pronuntiare. Cæterùm corvus & pſittacus nihil aliud loquuntur quàm quod edocti ſunt. Si docueris* pſittacum *maledicta: maledicet, obſtrepens conviciis per dies & noctes. hoc eſt ei pro carmine, hanc retur eſſe* ſuam *cantilenam. Quando protulit univerſa convicia quæ didicit, iterùm reſumit eandem cantionem. Si velis liberari* ejus *maledictis; reſecanda eſt* ei *lingua, vel ipſe amandandus eſt quàm citiſſimè in ſua nemora.*

NOTÆ.

1. *Et cujus in pedibus, ut hominis, quini digituli, &c.*] Id etiam Solinus de pſittacis ait: *inter nobiles & plebeios diſcretionem, digitorum facit numerus. qui præſtant, quinos in pede habent digitos, cæteri ternos.* imò quaternos habent ii omnes, qui ad nos afferuntur.

2. *Quo eis lingua latior quàm cæteris avibus, eò faciliùs &c.*] Idem dicit Solinus de pſittacis. Plin. de picis: *latior iis eſt lingua, omnibuſque in ſuo cuique genere, quæ ſermonem imitantur humanum.*

3. *Patentiore plectro.*] Linguam plectrum vocat: quòd, veluti plectro pulſatis fidibus, ita linguâ percuſſo palato ſonus editur.

4. *Et corvus.*] Diſcit enim & ipſe voces imitari humanas Teſtis corvus ille, cui interempto Populus Romanus ſplendidas fecit exequias, & interfectorem morte ultus eſt. Hiſtoriam vide apud Plin. lib. 10. cap. 43.

XIII.

NON enim mihi Philoſophia id genus orationis largita eſt, ut natura quibuſdam avibus brevem & temporarium cantum commodavit; [1] hirundinibus matutinum, [2] cicadis meridianum, [3] noctuis ſerum, ululis veſpertinum, bubonibus nocturnum, gallis antelucanum. Quippe hæc animalia inter ſe, vario tempore & vario modo, occinunt & occipiunt carmine: ſcilicet galli expergifico, bubones gemulo, ululæ querulo, noctuæ intorto, cicadæ obſtrepero, hirundines perarguto. Sedenim Philoſophi ratio & oratio tempore jugis eſt, & auditu venerabilis, & intellectu utilis, & modo omnicana.

INTERPRETATIO.

NAM Philoſophia non mihi tribuit ejuſmodi ſermonem, ſicut natura largita eſt quibuſdam volucribus cantum brevem, & obnoxium vicibus temporum; matutinum hirundinibus, meridianum cicadis, ſerum noctuis, veſpertinum ululis, nocturnum bubonibus, antelucanum gallis gallinaceis. *Etenim hæc animalia diverſo inter ſe tempore & diverſâ ratione canunt, & inchoant cantionem: nempè galli excitatoriam, bubones mœſtam, ululæ lamentabilem, noctuæ infl.xam, cicadæ ſtridentem, hirundines acutiſſimam. Verùm ratio inatio & loquela Philoſophi exhibetur quovis tempore, eſtque veneranda auſcultatu, & conducibilis intellectu, & reſonat omnimodâ ratione.*

NOTÆ.

1. *Hirundinibus matutinum.*] Artemidorus pag. 153. de hirundine. ὐδέποτε ἑσπέρας ᾄδει, ἀλλ᾽ ἕωθεν ἡλίȣ ἀνίσχοντος, ȣ῎ς ἂν ζῶντας καταλαμβάνοι ὑπομιμνήσκȣσα τῶν ἔργων. *nunquam veſpere canit, ſed mane oriente ſole, quos invenerit viventes* (homines) *operis admonens.*

2. *Cicadis meridianum.*] D. Ambroſius Hexaëmeri lib. 5. cap. 22. *quàm dulcis etiam in exiguo cicadis gutture cantilena, quarum cantibus medio æſtu arbuſta rumpuntur, eo quòd magis canora meridianis caloribus, quæ puriorem aërem id temporis attrahunt ſpiritu.* Virgil. Eclog 2.

Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

3. *Noctuis ſerum, ululis veſpertinum, bubonibus nocturnum.*] Idem Ambroſius Hexaëmeri lib. 5. cap. 26. *habet etiam nox carmina ſua, quibus vigilias hominum mulcere conſuevit. habet & noctua ſuos cantus.*

XIV.

[1] CRATES ille, Diogenis ſectator, qui ut Lar familiaris apud homines ætatis ſuæ Athenis cultus eſt, [2] nulla domus ei unquam

INTERPRETATIO.

ILLE Crates, diſcipulus Diogenis, qui adoratus eſt Athenis ab hominibus ſui ævi tanquam Lar domeſticus, nulla domus ipſi clauſa erat unquam:

NOTÆ.

1. *Crates ille.*] De hoc jam aliquid diximus ad Apologiam, ubi de carmine ludicro in Manticæ laudem ab eo conſcripto.

2. *Nulla domus ei unquam clauſa erat.*] Idem refert in ejus vitâ Laërt.

clauſa erat: nec erat patris-familias tam abſconditum ſecretum, quin eo tempeſtivè Crates interveniret, litium omnium & jurgiorum inter propinquos diſceptator atque arbiter. Quod Herculem olim poëtæ memorant monſtra illa immania hominum ac ferarum virtute ſubegiſſe, orbemque terræ purgâſſe: ſimiliter adverſum Iracundiam & Invidiam, Avaritiam, atque Libidinem, cæteraque animi humani monſtra & flagitia, Philoſophus iſte Hercules fuit. Eas omnes peſtes mentibus exegit, familias purgavit, malitiam perdomuit: [1] ſeminudus & ipſe, [2] & clavâ inſignis: etiam Thebis oriundus, [3] unde Herculem fuiſſe memoria extat. Igitur priuſquàm [4] planè Crates factus, inter proceres Thebanos numeratus eſt: lectum genus, frequens famulitium, domus amplo ornata veſtibulo: ipſe benè veſtitus, [5] benè prædiatus. Pòſt ubi intellexit nullum ſibi in re familiari præſidium legatum, quo fretus ætatem agat: omnia fluxa infirmaque eſſe: quidquid ſub cœlo divitiarum eſt, eas omnes ad benè vivendum non quidquam eſſe. [6] Hæc atque hoc genus alia partim cùm audiret à Diogene Crates,

INTERPRETATIO.

neque ullus pater familias habebat arcanum tam abſtruſum, quin Crates opportunè interveniret ad illud, examinator & judex omnium litium & altercationum inter affines. Quod poëtæ narrant Herculem fortitudine ſuâ quondam domuiſſe illa enormia monſtra hominum & belluarum, & liberâſſe ipſis *orbem terrarum: pariter ille Philoſophus extitit* alter *Hercules adverſus Iram, & Livorem, Cupiditatem opum, & Luxuriam, atque alia monſtra & ſcelera mentis humanæ. Expulit ex animis omnes illas peſtes, mundavit familias ſubegit improbitatem: ipſe quoque ſeminudus & ſpectandus clavâ: & natus quoque Thebis, unde proditum eſt Herculem fuiſſe.* Is *ergo antequàm factus eſſet prorsùs Crates, recenſitus eſt inter optimates Thebanos: ſtirps ejus ex primariis, familia numeroſa erat, ædes decoratæ magno veſtibulo: ipſe* erat *egregiè indutus, optimis fundis inſtructus. Poſtquàm* verò *cognovit nullum ſibi relictum eſſe ſubſidium in ſuis opibus, quo nixus vitam degeret: cuncta eſſe caduca & debilia: quantumcumque opum eſt ſub cœlo, eas univerſas nihil conferre ad beatam vitam. Cùm Crates partim audiret hæc & alia ſimilia à Diogene,*

NOTÆ.

lib 6. ἐκαλεῖτο δὲ, inquit, καὶ θυρεπανοίκτης, διὰ τὸ εἰς πᾶσαν οἰκίαν εἰσιέναι, καὶ νουθετεῖν. *vocabatur autem* (Crates nempè) θυρεπανοίκτης (*portarum apertor*) *quod in omnem ingrederetur domum, & corriperet.*

1. *Seminudus & ipſe, &c.*] Quemadmodum fuit Hercules.

2. *Et clavâ inſignis*] Baculo nimirùm, qui unà cum manticâ ſupellex erat Cynicorum.

3. *Unde Herculem fuiſſe memoria extat.*] Filius quippè fuit Hercules Jovis & Alcmenæ uxoris Amphitruonis, regis Thebanorum Vide Plaut. in Amphitruone.

4. *Planè Crates.*] Hoc eſt, Cynicus, ſectator Diogenis, & ſpretor opum.

5. *Benè prædiatus.*] Salmaſ. ad Vopiſcum legit hîc *benè prædditus.* ſed nihil mutandum *benè prædiatus* eſt multis & bonis prædiis ſive urbanis ſive ruſticis locupletatus.

6. *Hæc atque hoc genus alia.*] Ante hæc verba puto referendum & interſerendum XXII. Fragmentum Floridorum, quod incipit *Sicuti navem bonam.* eſt enim eiuſdem argumenti.

alia ſibimet ipſe ſuggereret; [1] denique in forum exilit, rem familiarem abjicit, [2] velut onus ſtercoris, magis labori quàm uſui. Dein cœtu facto maximo, exclamat: [3] Crates, inquit, Cratem manumittit. Exinde non modò ſolus, verùm nudus & liber omnium, quoad vixit, beatè vixit Adeóque is cupiebatur; ut [4] virgo nobilis, ſpretis junioribus procis, ultró eum ſibi optaverit. Cumque [5] interſcapilium Crates retexiſſet, [6] quod erat aucto gibbere, peramque cum baculo & pallium humi poſuiſſet, [7] eamque ſupellectilem ſibi eſſe puellæ pro-

Interpretatio.

partim ipſe ſibi ſuggereret alia, proſilit tandem in forum, amandat à ſe ſuas divitias, tanquam ſarcinam fimi, laborioſiorem quàm utiliorem. Poſteà congregatâ maximâ concione, exclamat: Crates (ait) aſſerit in libertatem Cratem. Poſteà quandiu vixit, feliciter vixit, non tantùm ſervis deſtitutus, ſed etiam nudus, & ſolutus ab omnibus. Atque hic tantopere expetebatur; ut puella nobilis ultro petierit eum maritum ſibi, contemptis maritis junioribus & locupletioribus. Cumque Crates diſcoperuiſſet dorſum ſuum, quod tumebat gibbo, depoſuiſſetque in terrâ ſaccum cum ſcipione, & pallium, diceretque virgini illam eſſe ſuam ſupellectilem, & illam

Notæ.

1. *Denique in forum exilit.*] Diogenes Laërtius in ejus Vitâ, refert ex Antiſthene in ſucceſſionibus, eum, cùm in Tragœdiâ quâdam cerneret Telephum ſportulam tenentem aliáſque opulentum, ad Philoſophiam Cynicam prorupiſſe, ac, patrimonio vendito, plus ducenta talenta civibus diviſiſſe. At idem Laërtius paulò infra refert ex Diocle, perſuaſiſſe illi Diogenem, ut peculium dimitteret, ac, ſi quid pecuniæ haberet, jactaret in mare.

2. *Velut onus ſtercoris.*] VVovverus legebat *onus tergoris*, hoc eſt, *dorſi*.

3. *Crates, inquit, Cratem manumittit.*] Ita legendum cum Fulvio, non autem, ut in vulgaris pleriſque editionibus *Crates, inquit, Crates te manumittes.* Suidas in voce Κράτης: Ἀρθεὶς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ εἶπεν; ἐλευθεροῖ Κράτητα Θηβαῖον Κράτης: *Elatus in tumulum dixit; liberat Thebanum Cratetem Crates.*

4. *Virgo nobilis.*] Quæ infrà Hipparche à noſtro dicitur. Laërtius vocat eam Hipparchiam, ejuſque Vitam ſeorſim ſcribit.

5. *Interſcapilium.*] Sive *interſcapulum*, (utroque enim modo dicitur) eſt ſpatium illud quod eſt inter ſcapulas. Hyginus in deſcriptione urſæ, *in humero claram unam: in pede de poſterioribus noviſſimo, duas: in ſummo interſcapilio, unam.* Cœlius Aurelianus lib. 1. cap. 6. *vel mordicationes oris, vel ventris uſque ad interſcapulum, quod Græci μετάφρενον vocaverunt.* Gloſſæ μετάφρενον *Conſcaplium, & Interſcapulum.*

6. *Quod erat aucto gibbere.*] Quid, ſi legas, *quod erat auctum?* nempè interſcapilium gibbo intumuerat. Crates, ut refert Laërtius, cùm ſentiret ſe morti proximum, inſpiciebat ſeipſum, dicens:

στείχεις δὴ φίλε κύρτων,
Βαίνεις εἰς ἀίδαο δόμους κυφὸς ὢν διὰ
γῆρας.
vadis nunc, amice curve,
Vadis ad Orci ædes gibboſus præ ſenectâ.

7. *Eamque ſupellectilem ſibi eſſe, puellæ profiteretur.*] Laërtius in vitâ Hipparchiæ ἀναστὰς (ὁ Κράτης) ... ἀποθέμενος τὴν ἑαυτοῦ σκευὴν ἀντικρὺς αὐτῆς (τῆς Ἱππαρχίας) εἶπεν, ὁ μὲν νυμφίος οὗτος, ἡ δὲ κτῆσις, αὕτη: πρὸς ταῦτα βουλεύου &c. εἵλετο ἡ παῖς, &c. *exurgens (Crates) omni ſuâ ſupellectile ante illius oculos expoſitâ. hic (ait) ſponſus, hæc ejus poſſeſſio eſt, ad hæc delibera, &c. elegit continuò puella, &c.*

ſiteretur, eamque formam quam viderat: proinde ſedulò conſuleret, ne pòſt [1] querelæ cauſam caperet: enimverò Hipparche [2] conditionem accipit. Jamdudum ſibi proviſum ſatis, & ſatis conſultum reſpondit: neque ditiorem maritum, neque formoſiorem uſpiam gentium poſſe invenire. proinde duceret quò liberet. Ducit Cynicus [3] in porticum. ibidem, in loco celebri, coràm, luce clariſſimâ accubuit: coramque virginem imminuiſſet, paratam pari conſtantiâ; ni Zeno procinctu palliaſtri, à circumſtantis coronæ obtutu magiſtrum in ſecreto defendiſſet.

INTERPRETATIO.

ſuam pulchritudinem, quam ipſa *aſpexerat: atque ideò cautè deliberaret, ne poſtmodum arriperet anſam conquerendi: atenim Hipparche amplectitur conditionem* ſibi oblatam. *Repoſuit ſe jam pridem ſatis proſpexiſſe, ac ſatis deliberâſſe: nec ſe poſſe reperire uſquam terrarum virum locupletiorem, neque pulchriorem. ideòque duceret ſe quocumque vellet.* Philoſophus ille *Cynicus ducit* eam *in porticum. ibidem in publico loco, palàm* cum eâ *cubuit de medio die: & devirginâſſet puellam coràm* omnibus, *paratam* ad id patiendum *eâdem inverecundiâ; niſi Zeno ſepto pallioli ſui protexiſſet magiſtrum ſuum in occulto ab oculis cœtus ambientis* eum.

NOTÆ.

1. *Querelæ cauſam.*] Optima lectio. Appoſitè querela hîc ſumitur pro offenſione nimirùm inter conjuges. Hinc in veteribus monumentis ſæpè leguntur hæc maritorum de morigeris uxoribus:

Cum quâ vixit ſine ullâ querelâ.

2. *Conditionem accipit.*] Solemne eſt *conditionis* vocabulum, ubi de nuptiis agitur. Plautus, *Trinummo:*

Habeo dotem, unde dem
Ut eam in ſe dignam conditionem collocem.

in Sticho:

Nam me quidem hæc conditio nunc non pœnitet.
Neque eſt cur nunc ſtudeam has nuptias mutarier.

& ſolemnis formula diſcutiendorum ſponſalium: *Conditione tuâ non utor*, l. 2. ff. *De Divort. & Repud* parag 2.

3. *In porticum.*] εἰς στοὰν, à quâ Stoïci dicti ſunt in eâ philoſophantes.

XV.

[1] SAMOS Icario in mari modica inſula eſt, [2] exadverſùm Mileto,

INTERPRETATIO.

SAMOS eſt parva inſula in mari Icario contra Miletum, poſita ad ejus

NOTÆ.

1. *Samos.*] Præter hanc Junoniam Samum, quæ Ioniæ adjacet, eſt altera *Samos* Thracica in mari Ægæo, Thraciæ oppoſita, quæ *Same* Straboni ac Diodoro Siculo *Samothracia* & *Samothrace* Ptolemæo, Melæ, & Plinio; olim *Dardania*. Quin & *Cephalenia* inſula *Samus* etiam, & *Same* dicta eſt olim.

2. *Ex adverſum Mileto.*] Quæ urbs eſt in finibus Ioniæ & Cariæ ſita, de quâ jam diximus ad lib. 1. Metamorph. ſive Aſini.

ad Occidentem ejus ſita, nec ab eâ multo pelagi diſpeſcitur. [1] Utrumvis clementer navigantem dies alter in portu ſiſtit. Ager frumento piger, aratro irritus, fœcundior oliveto, [2] nec vinitori, nec olitori ſcalpitur. Ruratio omnis [3] in ſarculo & ſurculo: quorum proventu [4] magis fructuoſa inſula eſt quàm frugifera. Cæterùm & incolis frequens, & hoſpitibus celebrata. Oppidum habet nequaquam pro gloriâ: ſed quod fuiſſe amplum, ſemiruta mœnium multifariàm indicant. Enimverò [5] fanum Junonis antiquitùs famigeratum. id fanum ſecundùm littora, ſi rectè recordor, viam viginti haud ampliùs ſtadiis oppido abeſt. Ibi [6] donarium Deæ perquàm opulentum: plurima auri & argenti ratio, [7] in lancibus, [8] ſpeculis, poculis, & hujuſmodi utenſilibus.

INTERPRETATIO.

Occidentem, neque ſeparatur ab eâ lato intervallo *maris. Secundus dies defert in portum* eum, *qui* vel *leniter navigat* ab utralibet *ad alteram. Solum* ejus inſulæ *eſt tardum frumento* ferendo, *fruſtrà aratur, feracius eſt olivarum, neque foditur à vinitore, neque ab hortulano. Tota ejus cultura* conſiſtit *in ſarritione, &* plantandis *ſurculis* olivarum, *quorum ubertate* fit ut *inſula magis abundet fructibus, quàm frugibus. Porrò & abundat habitatoribus; & frequentatur ab extraneis. Eſt in eâ urbs minimè reſpondens ejus famæ; ſed quam ruinæ murorum pluribus in locis demonſtrant fuiſſe magnam.* Ibi *autem* eſt *templum Junonis celeberrimum. illud templum, ſi benè memini, diſtat ab urbe itinere non plus quàm viginti ſtadiorum juxtà oram* maris. *In eo eſt ſacrarium Deæ quàm locupletiſſimum; magnum pondus auri & argenti in patinis, ſpeculis, crateribus, atque id genus ſupellectile.*

NOTÆ.

1. *Utrumvis.*] Id eſt, utrumverſum. ſive Mileto Samum, ſive Samo Miletum.

2. *Nec vinitori, nec olitori ſcalpitur.*] Id eſt, nec à vinitore, nec ab olitore. Porrò *olitori* legendum eſſe, non *olivitori*, ut perperàm putat Colvius, ſatis oſtendit id quod ait ſuprà *fœcundior oliveto.* Id nimirùm vult Sami inſulæ ſolum ſolis olivetis aptum, frumento ineptum, vitibus quoque & oleribus horumque cultui minimè accommodatum.

3. *In ſarculo & ſurculo.*] Id eſt, in plantandis olivarum ſeminariis, iiſque ſarculo purgandis. frequenter ſarrienda olivarum ſeminaria, ait Columella, lib. 5. *De Re Ruſticâ*, cap. 9.

4. *Magis fructuoſa inſula eſt quàm frugifera.*] Fructuoſa olearum baccis. Fructus ſunt arborum: fruges ſegetum, putà tritici, hordei, avenæ, &c.

5. *Fanum Junonis.*] Et ſimulacrum habitu nubentis figuratum. quippè dicitur Juno in illâ inſulâ nata, & educata ac Jovi nupta. unde & ſacra ejus anniverſaria ibi celebrantur nuptiarum ritu.

6. *Donarium Deæ.*] Donarium hîc locus eſt, quo dona reconderentur, cujuſmodi loca nos in noſtris templis theſauros dicimus.

7. *In lancibus, poculis, &c.*] Quibus ad ſacrificia utebantur. *Lancibus*, in quibus exta victimarum ponebantur. Virgil. 2. Georgic.

Lancibus aut pandis fumantia reddimus exta.

Poculis ad libandum vinum, alios-ve liquores, ſanguinem etiam victimarum excipiendum.

8. *Speculis.*] Rectè in Junonis Donario ſpecula collocat. Seneca, epiſt. 95. *vetemus lintea & ſtrigiles Jovi ferre, & ſpeculum tenere Junoni.* & maximè Sami Junonem decebant ſpecula, ubi nubentis habitu colebatur.

Magna etiam vis æris, vario effigiatu, veterrimo & ſpectabili opere. Vel inde ante aram Bathylli ſtatua [1] à Polycrate tyranno dicata: quâ nihil videor effectius cognoviſſe. quidam Pythagoræ eam falsò exiſtimant. Adoleſcens eſt viſendâ pulchritudine, crinibus fronte parili ſeparatu per malas revulſis: ponè autem coma prolixior interlucentem cervicem ſcapularum finibus obumbrat. Cervix ſucci plena, [2] malæ uberes, genæ teretes, [3] ac modica mento lacuna, eique prorsùs citharœdicus ſtatus Deam conſpiciens, canenti ſimilis, tunicam picturis variegatam deorſùs ad pedes dejectus ipſos, Græcanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium aduſque articulos palmarum. [4] Cætera decoris hiſtrici dependent. Cithara baltheo cælato apta, ſtrictim ſuſtinetur. manus ejus teneræ, procerula læva diſtantibus digitis nervos molitur, [5] dextera pſallentis geſtu ſuo pulſabulum citharæ

INTERPRETATIO.

Ingens quoque copia æris in diverſis ſimulacris factis *opere antiquiſſimo, & conſpicuo.* Documento ſit *vel* unum *ſignum Bathylli, conſecratum ante altare à tyranno Polycrate: quo non credo me quidquam vidiſſe magis abſolutum. nonnulli falsò putant illud eſſe Pythagoræ. Puer eſt formâ inſigni. capillis à fronte deductis in genas æquali diſcriminatione, à tergo verò crines longiores tegunt collum ejus, quod conſpicitur inter* ipſas *uſque ad confinium ſcapularum. Collum* ipſum *eſt ſucculentum, malæ imberbes, genæ rotundæ, & parvum cavum in mento: atque habitus ejus eſt omninò qualis citharœdi, intuetur Deam ſimilis cantanti. habet veſtem diſtinctam picturis, demiſſam infernè ad ipſos uſque pedes, cum zonâ more Græco, chlamys tegit ambo brachia uſque ad juncturas manuum. Reliqua ornamenta hiſtrionica pendent. Teſtudo alligata baltheo inſculpto ſuſpenditur breviter. ejus manus ſunt molles, ſiniſtra ejus longiuſculè extenſa tentat chordas digitis dilatatis. dextra admovet plectrum ſuum citharæ, geſtu*

NOTÆ.

1. *A Polycrate, &c.*] Hic cùm diu rerum in Samo inſulâ potitus eſſet, opibuſque abundans ſummâ cum felicitate vixiſſet, ad extremum ab Oroëte Sardium præfecto per fraudem interficitur, ac mortuus ſuſpenditur, hoc exemplo docens felicem neminem ante obitum ſupremaque funera eſſe dicendum. Æqualis fuit Anacreonti poëtæ & Pythagoræ philoſopho. nempè circà Olympiadem ſexageſimam ſecundam, quâ dominari cœpit.

2. *Malæ uberes.*] Quid hoc eſt rei? Sunt ne magnæ & amplæ malæ? At ejuſmodi malæ turpes ſunt & invenuſtæ, proindeque ab hujus ſigni deſcriptione alienæ corruptum eſt aliquid. lege meo periculo *impuberes*, hoc eſt, *imberbes.*

3. *Ac modica mento lacuna.*] Sic repono ex corrupto Ald. & Rom. Edit. loco, *ac modico mento lacunatur.* Per lacunam intellige cavum illud, quod in mento quorumdam cernitur, quod ſi modicum eſt, gratiam addit & venuſtatem ori.

4. *Cætera decoris hiſtrici.*] Ita correxit Lipſ. Elect. 1. cap. 21. ex MS. codice ſuo, in quo ſcriptum *decoris hiſtricis.* in vulgatis erat *decoris inſtrumentis.* porrò *decorem hiſtricum* dixit noſter, ut Plautus *Imperium hiſtricum, & Imperator hiſtricus,* Pœnuli prologo.

5. *Dextera pſallentis geſtu ſuo pulſabulum, &c*] Abundat illud *ſuo.* aut igitur tollendum, aut reponendum *ſuum pulſabulum*, hoc eſt, ſuum plectrum,

admovet, ceu parata percutere, cùm vox in cantico interquieverit. Interim canticum videtur ore tereti ſemihiantibus in conatu labellis eliquare. Verùm hæc quidem ſtatua eſt [1] cujuſpiam puberum, quem, Polycrati tyranno dilectum, Anacreon Teius amicitiæ gratiâ cantillat. Cæterùm multùm abeſt Pythagoræ Philoſophi ſtatuam eſſe. [2] Et natu Samius, [3] & pulchritudine apprimè inſignis, [4] & pſallendi Muſicæque omnis multò doctiſſimus, ac fermè id ævi, quo Polycrates Samo potiebatur. [5] Sed haudquaquam Philoſophus tyranno dilectus eſt. [6] Quippè eo commodùm dominari orſo, profugit ex inſulâ clanculò Pythagoras, patre Mneſarcho nuper amiſſo: quem comperio inter ſellularios artifices, [7] gemmis faberrime ſculpendis, laudem magis quàm opem quæſiſſe. [8] Sunt qui Pythagoram aiant eò temporis in-

INTERPRETATIO.

pſallentis, quaſi jamjam pulſatura quando vox ſubſtiterit inter canendum. Interea ipſe videtur emittere cantionem ex ſuâ rotunda bucculâ, labris ſemiapertis ex niſu. Sed hoc quidem ſignum eſt cujuſdam juvenis, quem, charum tyranno Polycrati, Anacreon Teius carminibus celebrat amicitiæ causâ. Porrò longè abeſt ut ſit ſimulachrum Pythagoræ philoſophi. Hic quidem erat *& Samius origine, & egregiè ſpectabilis formâ, & longè peritiſſimus pſallendi, totiuſque adeò Muſicæ* artis, *& illius ferè ætatis, quâ Polycrates tenebat Samum. Verùm* hic *philoſophus minimè amatus fuit ab illo tyranno Nam cùm is inciperet rerum potiri, Pythagoras clàm aufugit ex inſulâ, orbatus haud ita pridem patre* ſuo *Mneſarcho: quem invenio,* degentem *inter fabros ſellularios, acquiſiviſſe potiùs honorem quàm divitias cælandis ſolertiſſimè gemmis. Quidam dicunt Pythagoram tunc tempe-*

NOTÆ.

plectrum, quod tenet. *Plectrum.* porrò quod Græcum eſt *pulſabulum* rectè Latinè redditur.

1. *Cujuſquam puberum, quem, &c.*] Bathyllum priùs nominavit. at Ælianus variæ hiſtoriæ lib. 9. ait Anacreontem verſibus in cœlum tuliſſe Smerdiam puerum amatum Polycrati Sami tyranno: quod non tam amoris, quàm amicitiæ gratiâ faciebat. Hunc ergo Smerdiam hîc intelligendum puto. Cæterùm in iis qui extant ejus verſibus, Bathylli tantùm fit mentio: at perierint quæ de Smerdia ſcripſerit. Vide Laërt. in ejus Vitâ, lib. 8.

2. *Et natu Samius.*] Subintelligendum *quidem.*

3. *Et pulchritudine apprimè inſignis.*] Vide quæ de ipſo diximus ſub initium Apologiæ.

4. *Et pſallendi Muſicæque omnis multò doctiſſimus.*] Monochordii (quod canonem ex unâ chordâ vocat) inventorem fuiſſe ait Laërtius in ejus Vitâ. τὸν τε κανόνα τ̄ ἐκ μιᾶς χορδῆς εὑρεῖν.

5. *Sed haudquaquam philoſophus tyranno dilectus.*] Poſtquàm tyrannus fuit. at priùs aliter ſe res habebat. Scribit enim Laërtius Pythagoram, cùm Ægyptum peteret, fuiſſe Amaſidi Ægypti regi per epiſtolam à Polycrate commendatum.

6. *Quippe eo commodùm dominari orſo, &c.*] Rem ſic narrat Laërtius: εἶτα ἐπανῆλθεν εἰς Σάμον, καὶ εὑρὼν τὴν πατρίδα τυραννουμένην ὑπὸ Πολυκράτους ἀπῆρεν εἰς Κρότωνα τῆς Ἰταλίας. *deinde,* (nempè poſt Ægypti peregrinationem) *rediit Samum, offendenſque patriam à tyranno Polycrate incubari, Crotonem Italiæ urbem petiit.* Vide Strabon. lib. 14. pag. 439.

7. *Gemmis faberrimè ſculpendis.*] Laërtius annulorum ſculptorem dicit, δακτυλιογλύφον.

8. *Sunt qui Pythagoram aiunt, &c.*] De hac re ne verbum quidem habet Laërtius.

ter

ter captivos Cambyſæ regis, [1] Ægyptum cùm adveheretur, doctores habuiſſe Perſarum Magos, ac præcipuè [2] Zoroaſtrem, omnis divini arcani antiſtitem: poſteáque eum [3] à quodam Gillo Crotonienſium principe reciperatum. Verùm enimverò celebrior fama obtinet, ſponte eum petiſſe Ægyptias diſciplinas, atque ibi à ſacerdotibus, cærimoniarum incredendas potentias, numerorum admirandas vices, [4] Geometriæ ſolertiſſimas formulas didiciſſe: ſed nec his artibus animi expletum, mox [5] Chaldæos, atque inde Brachmanas: [6] * eorum ergo Brachmanum [7] Gymnoſophiſtas adiſſe. Chaldæi ſideralem ſcientiam, luminum vagantium ſtatos ambitus, utrorumque varios effectus in genituris hominum oſtendere: necnon medendi remedia mortalibus, latis pecuniis,

INTERPRETATIO.

ris advectum in Ægyptum inter captivos regis Cambyſæ, uſum fuiſſe magiſtris Magis Perſarum, atque in primis Zoroaſtre præſule omnium ſecretorum divinorum: eumque poſt receptum à quodam Gillo primario viro inter Crotonienſes. Atenim vulgatior fama eſt, eum ultrò iviſſe ad artes Ægyptias diſcendas, *atque illic edoctum eſſe à ſacerdotibus vires incredibiles cerimoniarum, mirabiles commutationes numerorum, & artificioſiſſimas figuras Geometriæ: verùm* eum *non contentum his mentis diſciplinis, ſtatim petiiſſe Chaldæos, indeque Brachmanas, & eorum Brachmanum Gymnoſophiſtas. Chaldæi docuerunt eum doctrinam aſtrorum, certos circuitus ſtellarum errantium, & diverſos effectus utriuſque* aſtrorum generis *in nativitate hominum, atque etiam medicamina ad medendum hominibus comparata ex tellure, & aëre,*

NOTÆ.

1. *Ægyptum cùm adveheretur.*] Quando videlicet Cambyſes adverſus Amaſidem, ſeu potiùs Pſammetichum ejus filium, regem Ægypti bellum moveret. quo bello Ægyptum univerſam ſuæ fecit ditionis.

2. *Zoroaſtrem.*] Non antiquum illum, Zoroaſtrem Bactrianorum regem, quem Ninus ſecundus Aſſyriorum rex domuit; immanis enim eſt inter ejus ætatem & Pythagoræ tempora intercapedo. at Zoroaſtres, de quo hîc ſermo, fuerit aliquis ex Cambyſis aulæ Magis. Pythagoræ certè magiſter memoratur Ζαράτας quidam apud Plutarchum, in περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας, qui Ζαβράτος Malcho, Ναζάρατος apud Clementem lib. 1. Stromatum dicitur; quemque nonnulli veterum Ezechielem prophetam fuiſſe putârunt. Ex Ζαράτα illo, ſeu Ζαβράτῳ, & *Nazarato* potuit fieri *Zoroaſtres.*

3. *A quodam Gillo Crotonienſium principe.*] Themiſius Euphrada Orat. 4. Principem Crotonenſium illius temporis non Gillum, ſed Gylonem Γύλωνα appellat, ubi ait Pythagoram Mneſarchi filium Samo Crotonem petiiſſe, propter Polycratem; Crotone verò ſeceſſiſſe Locros, Gylonis illius causâ.

4. *Geometriæ ſolertiſſimas formulas didiciſſe.*] Inveniſſe eum ac demonſtráſſe narrat teſte Laërtio Apollodorus, trianguli rectanguli latus angulo recto ſubjectum tantumdem poſſe quantum reliqua duo latera, quæ propoſitio nunc 47. eſt lib. 1 Elementorum Euclidis; atque ob egregium hoc inventum hecatomben immoláſſe.

5. *Chaldæos.*] Hi in Syriâ erant. Chaldæorum tamen nomine poſtmodum inſigniti ſunt Romæ Aſtrologi illi omnes Genethliaci.

6. *] In vulgatis hîc inſeruntur hæc verba, *Hi ſapientes viri ſunt. Inaia gens eſt*; quæ rectè Colv. & VVovv. ſuſpicati ſunt eſſe a manu Gloſſatoris & in textum irrepſiſſe. del itaque ex contextu.

7. *Gymnoſophiſtas.*] Vide quæ de his ſuperiùs.

terrâ cœloque & mari conquiſita. [1] Brachmanæ autem pleraque Philoſophiæ ejus contulerunt: quæ mentium documenta, quæ corporum exercitamenta, quot partes animi, quot vices vitæ; [2] quæ Diis Manibus pro merito ſuo cuique tormenta vel præmia. Quinetiam Pherecydes [3] Syro ex inſulâ oriundus, [4] qui primus verſuum nexu repudiato, conſcribere auſus eſt paſſis verbis, ſoluto loquutu, liberâ oratione, [5] eum quoque Pythagoras magiſtrum coluit, & infandi morbi putredine [6] in ſerpentium ſcabiem ſolutum, religioſè humavit. Fertur

INTERPRETATIO.

& pelago, magnis pecuniis. Brachmanes verò docuerunt eum maximam partem ejus Philoſophiæ: quæ ſint *præcepta animorum, quæ* ſint *exercitationes corporum, quot facultates mentis, quot munia vitæ; qui cruciatus, aut* quæ *mercedes* deſtinentur *animis mortuorum, ſingulis ſecundùm ſuum meritum. Sed & Pherecydes quoque natus in inſulâ Syro, qui primus, rejecto vinculo carminum, aggreſſus eſt ſcribere promiſcuis vocibus, oratiqne ſolutâ, libero ſermone, Pythagoras audivit etiam eum magiſtrum, & piè ſepelivit, reſolutum in ſcabiem pediculorum corruptione abominandi mor-*

NOTÆ.

1. *Brachmanæ autem pleraque Philoſophiæ ejus contulerunt: quæ mentium documenta, quæ corporum exercitamenta, &c.*] Mandanis unus ex illis Indorum Sophiſtis, referente Strabone, Oneſicrito ad ſe ab Alexandro miſſo inter cætera reſpondit, ipſos corpora exercere, ut mentes confirmarentur, quibus motus ſedarentur &c. poſthæc interrogâſſe, num talia etiam apud Græcos diſcerentur? & reſpondiſſe Oneſicritum, eadem Pythagoram docere ac jubere ab animalibus abſtinere, &c.

2. *Quæ Diis Manibus pro merito ſuo cuique tormenta vel præmia, &c.*] Deos Manes animas eſſe defunctorum, quod jam aliàs obſervavimus, vel hic locus probet. Porrò, ut ad noſtros Brachmanas redeamus, Strabo ex Megaſthene, inter alia multa, hæc de iis refert: παραπλέκουσι δὲ καὶ μύθους, ὥσπερ καὶ Πλάτων, περί τε ἀφθαρσίας ψυχῆς καὶ τῶν καθ' ᾅδου κρίσεων, καὶ ἄλλα τοιαῦτα. *texunt autem & fabulas, quemadmodum Plato, de immortalitate animæ & de judiciis, quæ apud inferos fiunt, & alia hujuſmodi.* Obſerva Strabonem, cùm, quæ Plato de immortalitate animæ & inferorum judiciis ſcripſit, fabulas vocat, ex mente Epicureorum loqui videri, qui mortalem animam eſſe, fabulaſque Manes putaverunt. Strabonem tamen Stoïcum fuiſſe ait Caſaubonus.

3. *Syro ex inſulâ.*] Una eſt ex Cycladibus.

4. *Qui primus verſuum nexu repudiato conſcribere auſus eſt paſſis verbis.*] Plin. lib. 7. cap. 56. *Proſam orationem condere Pherecydes Syrius inſtituit Cyri regis ætate.*

5. *Eum quoque magiſtrum Pythagoras coluit.*] Laërt. in ejus vitâ idem teſtatur.

6. *In ſerpentium ſcabiem ſolutum.*] Similiter Plin. lib. 7. cap. 51. *Ut Pherecydes Syrius copiâ ſerpentium ex corpore ejus erumpente expiraverit.* Serpentes illi pediculi erant, morbo enim pediculari, qui Græcis φθειρίασις dicitur, obiit Pherecydes. quod teſtatur Heraclides libro περὶ πολιτειῶν; Φερεκύδης ὁ Σύριος ὑπὸ φθειρῶν καταβρωθεὶς ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησεν. *Pherecydes Syrius à pediculis corroſus in inſulâ Samo interiit.*
Serenus Sammonicus:

> *Sed quis non paveat Pherecydis fata Tragœdi,*
> *Qui nimio ſudore fluens, animalia tetra*
> *Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.*

& [1] penes Anaximandrum Mileſium naturabilia commentatus : necnon & [2] Cretenſem Epimenidem, inclutum fatiloquum & poëtam diſciplinæ gratiâ ſectatus : itemque [3] Leodamantem, Creophyli diſcipulum. [4] qui Creophylus memoratur poëtæ Homeri hoſpes & æmulator canendi fuiſſe. Tot ille doctoribus eruditus, tot tamque multijugis fontibus diſciplinarum toto orbe hauſtis, vir præſertim ingenio ingenti, ac profectò ſupra captum hominis animi auguſtior, [5] primus Philoſophiæ nuncupator & conditor, [6] nihil prius diſcipulos ſuos docuit, quàm tacere : primaque apud eum meditatio, ſapienti futuro, linguam omnem coërcere : verbaque [7] quæ volantia poëtæ appellant, ea verba, detractis pinnis, [8] intra murum candentium dentium premere.

INTERPRETATIO.

bi. Dicitur etiam explicuiſſe naturales quæſtiones *apud Anaximandrum Mileſium, atque etiam audiviſſe doctrinæ causâ Epimenidem Cretenſem illuſtrem vatem & poëtam : inſuper Leodamantem diſcipulum Creophyli, qui Creophylus dicitur fuiſſe hoſpes Homeri, & imitator in poëſi. Ille edoctus à tot magiſtris, delibatis ex univerſo orbe tot & tam variis laticibus ſcientiarum, vir præcipuè magno ingenio, & mente ſublimiore certè quàm poſſet eſſe* mens *hominis, qui primus nomen dedit Philoſophiæ, & eam fundavit, nihil docuit prius ſuos auditores, quàm ſilere : & primum ſtudium ejus, qui evaſurus erat ſapiens, apud eum fuit, penitùs cohibere linguam : & verba, quæ poëtæ vocant volucria, illa verba avulſis alis coërcere intra ſeptum alborum dentium.*

NOTÆ.

Ælianus lib. 4. variæ hiſtor. cap. 28. dicit eum, ob impietatem in Deos, in morbum illum incidiſſe.

1. *Penès Anaximandrum Mileſium.*] Qui Thaletis fuit diſcipulus. ejus præclara aliquot inventa recenſet in ejus Vitâ Laërt. quem vide.

2. *Creienſem Epimenidem.*] Cum quo etiam deſcendiſſe eum in Idæum antrum refert Laërtius.

3. *Leodamantem Creophyli diſcipulum.*] Hermodamantem Creophyli nepotem habet Laërtius in Pythag. Vitâ, non Leodamantem.

4 *Qui Creophylus memoratur poëtæ Homeri hoſpes, &c.*] Samius fuit ille Creophylus. Strabo lib. 14. pag. 439. eadem de eo refert, quæ hîc Apuleius. additque nonnullos etiam tradere, eum Homeri fuiſſe magiſtrum : alios tamen non hunc dicere, ſed Ariſteam Proconneſium

5. *Primus Philoſophiæ nuncupator.*] Φιλοσοφίαν πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας, καὶ ἑαυτὸν φιλόσοφον, inquit Laërt. in Prooemio : *Philoſophiam primus appellavit Pythagoras, & ſeipſum Philoſophum,* cùm ante eum σοφία diceretur, & Philoſophi σοφοὶ, hoc eſt, *ſapientes.* contendebat quippè Pythagoras ſapientiæ ſtudium eſſe quidem hominum, at ſapientiam ſolius Dei.

6. *Nibil prius di cipulos, &c*] Vide hæc fuſiùs apud Laërt. in Pythagoræ vitâ.

7. *Quæ volantia poëtæ appellant.*] Homerus multis in locis ἔπεα πτερόεντα. Similiter in Apologiâ, *ſi verba, ita uti poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarent.* Plautus, Amphitruone, Act. 1. Scen. 1. MERC. *Vox mihi ad aures advolavit.* SOS. *Næ ego homo infelix fui, qui non alas intervelli, volucrem vocem geſtito.*

8. *Intra murum candentium dentium.*] Reſpicit ad eumdem Homerum, apud quem frequens hic verſus,

Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων,
Quale verbum effugit tibi ſeptum dentium

Prorsùs, inquam, hoc erat primum Sapientiæ rudimentum, meditari condiſcere, loquitari dediſcere. Non in totum ævum tamen vocem deſueſcebant; [1] nec omnes pari tempore elingues magiſtrum ſectabantur: ſed gravioribus viris brevi ſpatio ſatis videbatur taciturnitas modificata. loquaciores enimverò fermè in quinquennium velut in exilium vocis puniebantur. Porrò noſter Plato nihil ab hac ſectâ vel paululùm devius Pythagoriſſat. In plurimis æquè & ipſe in nomen ejus à magiſtris meis adoptatus, utrumque meditationibus Academicis didici: & cum dicto eſt opus, impigrè dicere; &, cùm tacito opus eſt, libenter tacere. Quâ moderatione videor ab omnibus tuis anteceſſoribus haud minus opportuni ſilentii laudem, quàm tempeſtivæ vocis teſtimonium conſecutus.

INTERPRETATIO.

Hoc erat, inquam, omninò primum tyrocinium ſapientiæ, diſcere cogitare, & dediſcere garrire. Non tamen abſtinebant à loquendo per totam vitam. neque omnes ſequebantur magiſtrum muti per æquale ſpatium temporis: ſed ſilentium moderatum per breve tempus videbatur ſufficere viris ſeverioribus. at qui nimis erant garruli multabantur ſilentio *in quinque annos, quaſi* miſsâ *in exilium voce. Cæterùm, Plato noſter minimè, aut* certè *perparum deflectens ab hac ſectâ, Pythagoram imitatur. Ego quoque inter plurimos aſcitus in ejus ſectam à meis magiſtris, meditationibus Academicis utrumque didici, & incontanter loqui, quando loquendum eſt; & ultrò ſilere, quando ſilendum eſt. Quâ modeſtiâ videor non minùs laudatus fuiſſe à cunctis tuis prædeceſſoribus, quòd tempeſtivè taceam, quàm quòd opportunè loquar.*

NOTÆ.

1. *Nec omnes pari tempore elingues Magiſtrum ſectabantur.*] A. Gellius lib. 1. cap. 9. *Eum, qui exploratus ab eo (Pythagora) idoneuſque fuerat, recipi in diſciplinam ſtatim jubebat, & tempus certum tacere; non omnes idem, ſed aliud aliis tempus, pro æſtimato captu ſollertiæ, &c. ſed non minùs quiſquam tacuit, quàm biennium.*

XVI.

Hìc incipit in vulgaribus libris tertius Floridorum liber. Malè.

1 PRIUSQUAM vobis occipiam, principes Africæ viri, gratias agere, ob ſtatuam, quam mihi præſenti honeſtè poſtulâſtis,

INTERPRETATIO.

ANTEQUAM *aggrediar agere vobis grates, viri primarii Africæ, propter ſimulacrum, quod honorificè rogâſtis mihi præſenti, & liberaliter*

NOTÆ.

1. *Priuſquàm vobis occipiam, &c.*] Hoc Fragmentum eſt orationis, quam coràm Carthaginis proceribus habuit, gratiarum agendarum causâ, ob decretam ſibi ſtatuam.

& abſenti benignè decreviſtis; priùs volo cauſam vobis allegare, cur aliquammultos dies à conſpectu auditorii abfuerim, contulerimque me[1] ad Perſianas aquas: gratiſſima prorsùs & ſanis natabula, & ægris medicabula. Quippè ita inſtitui omne vitæ meæ tempus probare, quibus me in pepetuum firmiter dicavi: nihil tantum, nihil tantulum faciam, quin ejus vos & gnaros & judices habeam. Quid igitur derepentinò ab hoc ſplendidiſſimo conſpectu veſtro diſtulerim, exemplum ejus rei paulò ſecùs ſimillimum memorabo,[2] quàm improviſa pericula hominibus ſubitò oboriantur, de Philemone comico. De ingenio ejus, qui ſatis noſtis, de interitu paucis cognoſcite.[3] An etiam de ingenio pauca vultis? Poëta fuit hic Philemon,[4] mediæ comœdiæ ſcriptor. fabulas cum Menandro in ſcenâ dictavit, certavitque cum eo: for-

INTERPRETATIO.

ſtatuiſtis mihi erigi *abſenti; volo priùs vobis afferre rationem, quare deſideratus fuerim ab auditorio per aliquot dies, & petierim aquas Perſianas, in quibus & ſani poſſunt ſuaviter natare, & ægri reperire medelam. Etenim ſic decrevi probare totum ſpatium meæ vitæ vobis, quibus me conſecravi in æternum: nihil agam tanti, vel tam exigui momenti, quin illud ſubjiciam veſtræ cognitioni, & veſtro arbitrio. Ergo*, ut ſciatis *quamobrem ſubitò diſceſſerim ab hoc illuſtriſſimo veſtro conſpectu, & quàm inexpectati caſus ſubitò eveniant hominibus, narrabo exemplum hujus rei parùm abeſt quin ſimillimum de Philemone Comico. Vos, qui ſatis cognoſcitis ejus ingenium, audite pauca de ejus morte. Vúltiſ-ne etiam* ut vobis dicam *aliquid de ejus ingenio? Hic Philemon fuit poëta, ſcriptor mediæ comœdiæ. dedit comœdias* agendas *in ſcenâ unà cum Menandro, & contendit cum eo: fortaſſe inferior, ſed ſal-*

NOTÆ.

1. *Ad Perſianas aquas.*] Harum aquarum cùm mentio nuſquam, niſi hîc, occurrat, de his earumque loco conjicere nihil aliud poſſumus, niſi eas alicubi circa Carthaginem ſitas fuiſſe.

2. *Quàm improviſa pericula h. ſ. oboriantur.*] Iſta abundant, videnturque à manu Gloſſatoris eſſe, & irrepſiſſe in textum.

3. *An etiam de ingenio pauca vultis.*] Videtur hoc dicere impulſus auditorum murmure, totam Philemonis hiſtoriam audire expetentium.

4. *Mediæ Comœdiæ ſcriptor.*] Fuit triplex Comœdia, ἡ ἀρχαία, ἡ μέση, ϗ ἡ νέα. *Vetus, media, & nova.* Vetus maledicentior fuit, ut videre eſt ex initio Satyræ 4. lib. 1. Horatii:

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque poëtæ,
Atque alii, quorum Comœdia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multâ cum libertate notabant.

Hæc libertas in vitium excidit, & vim dignam lege regi, ut habet in Arte poëticâ:

Lex eſt accepta, choruſque
Turpiter obticuit ſublato jure nocendi.

& hæc videtur media Comœdia fuiſſe, cujus ſcriptor hic Philemon, & Menander & Heniochus quidam apud Suidam. Nova, ut videre eſt ex loco Antonini Imperatoris ab Elmenhorſtio relato, in artificioſam ex imitatione varietatem defluxit.

taſſe impar, certè æmulus.[1] Nam quòd eum etiam vicit ſæpenumerò, pudet dicere. Reperias tamen apud ipſum multos ſales, argumenta lepidè inflexa, [2] agnatos lucidè explicatos, perſonas rebus competentes, [3] ſententias vitæ congruentes: joca non infrà ſoccum, ſeria non uſque ad cothurnum. Raræ apud illum corruptelæ: &, uti errores, conceſſi amores. Nec eò minùs [4] & leno perjurus, & amator fervidus, & ſervulus callidus, & amica illudens, & uxor inhibens, & mater indulgens, [5] & patruus objurgator, & ſodalis opitulator, [6] & miles præ-

INTERPRETATIO.

ten æmulator. Pudet enim dicere quòd ſæpè ſuperaverit eum. Nihilominùs invenias apud eum plurimas facetias, argumenta venuſtè intorta, agnitiones clarè expoſitas, perſonas convenientes rebus, effata competentia vitæ: ſcommata non viliora, quàm quæ Comœdiam deceant, ſeria non elata *uſque ad Tragœdiam. Non ſunt frequentes corruptiones apud eum: & amores* ſunt *permiſſi, veluti errores. Nihilo tamen ſecius* reperitur apud eum *& leno perjurus, & amator ardens, & famulus aſtutus, & amica ductans* amatorem, *& uxor coërcens, & mater indulgens, & patruus increpans, & amicus auxiliator, &*

NOTÆ.

1. *Nam quòd eum etiam vicit ſæpenumero, pudet dicere.*] Ambitu enim & factionibus vincebat eum, non verâ laude. Gellius, lib 17. cap. 4. *Menander à Philemone, nequaquam pari ſcriptore, in certaminibus Comœdiarum ambitu gratiâque, & factionibus ſæpenumerò vincebatur. Cùm eum fortè habuiſſet obviàm, Quæſo, inquit, bonâ veniâ, dic mihi: cùm me vincis non erubeſcis?*

2. *Agnatos lucidè explicatos.*] Colvius conjiciebat legendum eſſe, *ac nodos lucidè explicatos.* Notum quid ſit in Dramatico poëmate *nodus.*
Horat. de Arte Poëticâ.

Nec Deus interſit (Tragœdiæ) *niſi*
dignus vindice nodus.

Ariſtoteles δέσιν, & πλοκὴν appellat. Si ſcriptam lectionem retineas, per *agnatos lucidè explicatos* intellige affines, conſanguineos, ſe ſe mutuò recognoſcentes. quod in Comœdiis tùm Plautinis tùm Terentianis ſæpiùs videre eſt. Aſt Caſaubonus ad Apologiam pag. 165. cenſet hoc in loco legendum *agnitus* quarto caſu numeri multitudinis quartæ declinationis. Et exponit agnitiones ſeu recognitiones in Comœdiis veterum tam frequentes, ἀναγνωρίσεις dictas, quod maximè probo, & in interpretatione expreſſi.

3. *Sententias vitæ competentes.*] Sic Horat. prædicto lib. de Arte Poëticâ.

Intererit multùm Davus-ne loquatur
an heros,
Maturus-ne ſenex, an adhuc florente juventâ
Fervidus, an matrona potens, an
ſedula nutrix;
Mercator ne vagus, cultor-ne virentis agelli, &c.

4. *Et leno perjurus, & amator fervidus, &c.*] Terent. in prologo Heautontimor.

Ne ſemper ſervos currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem
impudens,
Avarus leno, aſſiduè agendi ſint mihi
Clamore ſummo, cum labore maximo.

5. *Et patruus objurgator.*] Appoſitè loquitur. Perſ. Sat. 1.

Cùm ſapimus patruos.

Horat. lib. 2. Sat. 3.

ſive ego pravè,
Seu rectè, hoc volui: ne ſis patruus
mihi.

apud eumdem lib. 3. Od. 12.

patruæ verbera linguæ.

6. *Et miles præliator.*] Verbis, non re. Vide Eunuchum Terent. & Plauti Militem glorioſum.

ſiator : ſed & paraſiti edaces, & parentes tenaces, & meretrices procaces. Hiſce laudibus diu in arte comœdicâ nobilis, fortè recitabat partem fabulæ, quam recens fecerat. Cúmque jam in tertio actu, quod genus in Comœdiâ fieri amat, jucundiores affectus moveret; imber repentinò coortus, ita ut mihi ad vos venit uſus nuperrimè, differri auditorii cœtum, & auditionis cœptum coëgit: reliquum autem variis poſtulantibus, ſine intermiſſione [1] deincipiti die [2] perrecturum. Poſtridiè igitur maximo ſtudio ingens hominum frequentia convenêre. ſe ſe quiſque ex adverſùm quàm proximè collocat. Serus adveniens amicis ſuis annuit, locum ſeſſui impertiunt. extimus quiſque [3] excuneati queruntur. farto toto theatro, ingens ſtipatio. occipiunt inter ſe queri. [4] Qui non affuerant, percontari ante dicta: qui affuerant, recordari audita, [5] cunctiſque jam prioribus gnaris, ſequentia expectare. Interim dies ire, neque Philemon ad condictum venire.

INTERPRETATIO.

miles pugnator : paraſiti quoque voraces, & parentes avari, & meretrices protervæ. Hic *dotibus his jamdudum clarus in arte comicâ, fortè recitabat partem Comœdiæ, quam nuper compoſuerat. Et cùm jam* perveniſſet *ad tertium actum,* & *excitaret affectus ſuaviores, cujuſmodi* affectus *optimè conveniunt Comœdiæ; pluvia ſubitò interveniens, quemadmodum mihi accidit nuperrimè coràm vobis* dicenti, *coëgit protrahi concionem, & auſcultationem inchoatam. Multis verò flagitantibus quod ſupererat,* promiſit *ſe perlecturum poſtero die abſque interruptione. Ergo magna hominum turba poſtridiè confluxerunt ingenti deſiderio* audiendi reliqua. *Cuncti ſedent quàm proximè poſſunt ex adverſùm. Qui tardiùs venit, annuit amicis,* illi *dant ei locum ad ſedendum. Extremi omnes expulſi è cuneo conqueruntur. Magna fit denſatio, repleto jam theatro. Incipiunt conqueri invicem. Qui non interfuerant* pridiè, cœperunt *rogare quid fuiſſet dictum priùs : qui* verò *interfuerant* cœperunt *revocare in memoriam ea quæ audiverant; & omnibus præcedentibus jam cognitis, expectare reliqua. Interim dies fluit, neque Philemon venit, ut promiſerat.*

NOTÆ.

1. *Deincipiti die.*] Ex adverbio *deinceps* factum ab Apuleio nomen adjectivum *deinceps deincipitis,* ut *anceps ancipitis. Deinceps dies* eſt *poſterus* vel *ſequens dies.*

2. *Perrecturum.*] Quid ſi *perlecturum*? legebat enim ex ſcripto ſuam Comœdiam Philemon.

3. *Excuneati.*] Ejecti extrà theatri cuneos. Vitruvius lib. 5. *cunei ſpectaculorum in theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant aſcenſus, ſcalaſque inter cuneos ad primam præcinctionem, &c.* Cunei igitur ſpatia erant, in quibus ſpectatores ſedebant, diviſa à ſe invicem ſcalis ſeu gradibus, quæ, quoniam orcheſtram versùs coarctabantur, ideò cunei ſunt appellati. Vide rem clariùs & fuſiùs explicatam apud Vitruvium & ejus expoſitores.

4. *Qui non affuerant.*] Pridie, cùm priorem partem ſuæ Comœdiæ recitaret Philemon.

5. *Cunctiſque jam prioribus gnaris.*] Id eſt, *cognitis. Gnarus* enim hoc loco paſſivè ſumitur, ſicut & apud Tacitum, lib. 1. *Trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam neſciis.* & lib. 15. *idque nulli magis gnarum, quàm Neroni.*

quidam tarditatem poëtæ murmurari, plures defendere. Sed ubi diutiùs æquo ſedetur, nec Philemon uſpiam comparet; miſſi ex promptioribus qui accirent. atque eum in ſuo ſibi lectulo mortuum offendunt. Commodùm ille animâ editâ obriguerat: jacebatque incumbens toro, ſimilis cogitanti. adhuc manus [1] volumini implexa, adhuc os recto libro impreſſum. ſedenim jam animæ vacuus, libri oblitus, & auditorii ſecurus. Sterêre pauliſper qui introierant, perculſi tam inopinatæ rei, tam formoſæ mortis miraculo. Deinde regreſſi ad populum renuntiavêre, Philemonem poëtam, qui exſpectaretur, quò in theatro fictum argumentum finiret, jam domi [2] veram fabulam conſummâſſe. Enimverò jam dixiſſe rebus humanis, VALERE ET PLAUDERE: ſuis verò familiaribus, dolere & plangere. [3] heſternum illi imbrem lacrymas auſpicâſſe: comœdiam ejus [4] prius ad funebrem facem, quàm ad nuptialem veniſſe. Proin quoniam poëta optimus perſonam vitæ depoſuerit; [5] recta de auditorio ejus exequias eundum. [6] legenda

INTERPRETATIO.

quidam increpant tarditatem poëtæ, plures eum deffendunt. At poſtquàm ditiùs juſto ſeſſum eſt, neque Philemon uſquam cernitur; miſſi ſunt aliqui *ex paratioribus ad eum accerſendum, & inveniunt eum mortuum in ſuo lecto. Modò obriguerat exhalato ſpiritu: & jacebat innixus lecto, ſimilis meditanti. manus ejus* erat *adhuc inſerta volumini, facies adhuc obverſa in librum,* quem *rectum* tenebat. *verùm* ipſe *jam* erat *deſtitutus animâ, oblitus libri, & minimè ſollicitus de auditoribus* ſuis. *Qui ingreſſi erant, reſtiterunt tantiſper attoniti miraculo rei tam inexpectatæ, & lethi tam pulchri. Poſteà reverſi ad populum retulêre, Philemonem poëtam, qui expectabatur ut abſolveret fictam fabulam in theatro, jam abſolviſſe verum domi. Eum enim jam dixiſſe rebus humanis* VALERE ET PLAUDERE*: ſuis autem amicis reliquiſſe mœrorem & planctum. pluviam heſternam præſagiiſſe ipſi fletum: ejus comœdiam perductam fuiſſe ad tædam feralem, antequàm* perducere*tur ad jugalem. Proinde, quandoquidem optimus poëta poſuiſſet perſonam vitæ; ex auditorio rectà procedendum ad ejus funus. nunc oportere legere ejus*

NOTÆ.

1. *Volumini.*] Suæ nimirùm Comœdiæ, quam in Theatro perlegere habebat in animo, cùm mortuus eſt.

2. *Veram fabulam conſummâſſe*] Scilicet mimum vitæ ſuæ. Inſcriptio vetus apud Gruterum, fol. 742.

JAM MEA PERACTA,
MOX VESTRA AGETUR FABULA.
VALETE ET PLAUDITE.

3. *Heſternum illi imbrem.*] Quo co actus fabulam interruperat, atque auditorium dimiſerat.

4. *Priùs ad funebrem facem, quàm ad nuptialem veniſſe.*] Quod eſt contrà Comœdiæ rationem. Ejus enim exitus ut plurimùm eſt connubium.

5. *Rectà de auditorio ejus exequias eundum.*] Vetus formula, quâ præco populum ad funus evocabat. *Exequias L. Titio, L. Filio, quibus eſt commodum, ire jam tempus eſt. ollus ex ædibus effertur.*

6. *Legenda ejus eſſe nunc oſſa.*] Priùs tamen erat cremandus. Neque enim oſſilegium (quod erat oſſium ac reliquiarum collectio) fiebat, niſi combuſto jam cadavere. Propert. lib. 11.

Vix venit extremo qui legat oſſa die.

Virgil. lib. 6. Æneid. in funere Miſeni:

Poſtquàm collapſi cineres, & flamma quievit:
lavêre favillam,
Oſſaque lecta cado texit Chorinæus aheno.

ejus

ejus eſſe nunc oſſa, mox carmina. Hæc ego ita facta ut commemoravi, olim didiceram. ſed hodie ſum meo periculo recordatus. Nam, ut meminiſtis profectò, cùm impedita eſſet imbri recitatio, in propinquum diem, vobis volentibus protuli: & quidem Philemonis exemplo. pœniſſimè quippè eodem die in palæſtrâ adeò vehementer talum inverti, ut minimùm abfuerim, quin articulum etiam à crure fregerim. tamen articulus loco conceſſit, exque eo luxu adhuc fluxus eſt: [1] & jam dum eum ingenti plagâ reconcilio, jamjam, [2] ſudoro affatim corpore, diutinè obrigui. Inde [3] acerbus dolor inteſtinorum coortus, modicò antè ſedatus eſt, quàm me denique violentus exanimaret: & Philemonis ritu compelleret [4] antè letum abire, quàm lectum; potiùs implere Fata, quàm fanda; conſummare potiùs animam, quàm hiſtoriam. Cùm primùm igitur apud Perſianas aquas, leni temperie, nec minùs utili quàm blando fomento greſſum reciperavi; nondum quidem ad innitendum idoneè, ſed quantum ad vos feſtinanti ſatis videbatur, veniebam redditum quod pepigeram: cùm interim vos mihi beneficio veſtro non tantùm claudiratem dempſiſtis, verùm etiam pernicitatem addidiſtis. An non properandum mihi erat, ut pro eo

INTERPRETATIO.

oſſa ac poſteà verſus. Audieram olim ea ſic geſta eſſe ut narravi. verùm hodie revocata ſunt mihi in memoriam meo diſcrimine. Sicut enim recordamini procul dubio, cùm recitatio mea *interrupta eſſet pluviâ, diſtuli* eam, *vobis* ita *cupientibus, in ſequentem diem: & certè ad exemplum Philemonis. nam eodem die intorſi* mihi *calcem prorsùs tantâ vi, ut perparum abfuerit, quin ruperim quoque juncturam à tibiâ. nihilominùs junctura mota eſt loco; & adhuc laxior eſt ex eâ luxatione: & primò, dum reſtituo eam percuſſione ingenti, cùm jam abundanter ſudarem toto corpore, diutiùs alſi. Hinc obortus mihi ſævus dolor inteſtinorum, paulò priùs lenitus eſt, quàm me demùm enecaret ſuâ vehementiâ: & cogeret me exemplo Philemonis priùs petere mortem, quàm lectionem; explere potiùs Fata, quàm* quæ *dicenda* mihi ſupererant; *& finire vitam potiùs quàm hiſtoriam* inceptam. *Ergo ſtatim atque recuperavi inceſſum apud Aquas Perſianas miti earum temperaturâ, & tepore non minùs conducibili, quàm leni; nondum quidem ſatis ad benè firmandum veſtigia, ſed quantum ſufficere mihi videbatur properanti redire ad vos, veniebam præſtitum quod promiſeram: cùm vos intereà non ſolùm abſtuliſtis mihi claudicationem veſtro munere, ſed adjeciſtis quoque velocitatem. Nonne mihi feſtinandum erat, ut*

NOTÆ.

1. *Et jam eum ingenti plagâ reconcilio.*] An *dum illum articulum reconcilio*, hoc eſt, *in ſuum locum reſtituo ex magno illo ictu, ſeu contorſione?* an verò, *dum eum reſtituo magno ictu manûs incuſſo, quo luxata oſſa in ſuum locum redirent?*

2. *Sudoro affatim corpore.*] Ex palæſtricâ exercitatione.

3. *Acerbus dolor inteſtinorum.*] Vulgò *colicus affectus*, qui ſæpiſſimè ex frigore poſt ſudorem contracto oritur.

4. *Ante letum abire, &c.*] Luſus eſt in vocibus *letum* & *lectum*: inter *fata*, hoc eſt, extremum vitæ ſtadium, & *fanda*, hoc eſt, *dicenda.*

honore vobis multas gratias dicerem, pro quo nullas preces dixeram? Non quin magnitudo Carthaginis mereatur etiam precem à Philoſopho pro honore; ſed ut integrum & intemeratum veſtrum eſſet beneficium, ſi nihil ex gratiâ ejus petitio mea defregiſſet, [1] (id eſt, ut uſquequaque eſſet gratuitum.) [2] Neque enim aut levi mercede emit qui precatur, aut parvum pretium accipit qui rogatur. adeò ut omnia utenſilia emere potiùs velis, quàm rogare. Id ego arbitror præcipuè in honore obſervandum. quem qui laborioſè exoraverit, ſibi debet unam gratiam quòd impetrârit. qui verò ſine moleſtiâ ambitûs adeptus eſt, duplam gratiam præbentibus debet: & quòd non petierit, & quòd acceperit. Duplam ergo gratiam vobis debeo: immò enimverò multijugam. quam ubique equidem & ſemper prædicabo. Sed nunc impræſentiarum libro iſto ad hunc honorem mihi conſcripto, ita ut ſoleo, publicè proteſtabor. Certa eſt enim ratio quâ debeat Philoſophus ob decretam ſibi publicè ſtatuam gratias agere. à quâ paululùm demutabit liber, quem Strabonis Æmiliani excellentiſſimus honor flagitat. quem librum ſperabo me commodè poſſe conſcribere, ſi itis eum hodie nobiſcum probare. Eſt enim in ſtudiis tantus, ut prænobilior ſit proprio ingenio, quàm patrio conſulatu. Quibuſnam verbis tibi, Æmiliane Strabo, vir omnium, qui unquam

INTERPRETATIO.

agerem vobis multas grates pro illo honore, pro quo nequaquam vos rogâram? non quòd amplitudo Carthaginis non digna ſit, quam etiam Philoſophus roget pro honore; ſed ut benefactum veſtrum eſſet ſolidum & intactum, ſi mea rogatio nihil imminuiſſet ex ipſo: (hoc eſt ut eſſet omni ex parte gratuitum.) Nam, neque is qui petit, vili pretio comparat, neque is à quo petitur, recipit exiguam mercedem. ita ut malis comparare quæcumque uſui *tuo ſunt* neceſſaria, *quàm petere* ab aliis. *Ego exiſtimo hoc præſertim ſpectandum eſſe in honore. quem* is *qui impetraverit cum moleſtiâ, debet ſibi unam gratiam, quòd obtinuerit* eum. *at ille qui aſſecutus eſt* eum *abſque labore petitionis, debet binas grates tribuentibus: ſcilicet quod non poſtulaverit* illum honorem, *& quòd fuerit* eum *conſecutus. Igitur debeo vobis duplicem gratiam: atenim potiùs multiplicem. quam quidem prædicabo ubique & ſemper. At nunc, ut meus mos eſt, profitebor palam in præſens hoc libro compoſito à me propter hunc honorem. Nam eſt quidam modus, quo Philoſophus debeat reddere grates pro ſimulacro ſibi decreto publicè. à quo liber, quem præſtantiſſimus honor* mihi exhibitus *ab Æmiliano Strabone poſtulat, aliquantum deflectet. qem librum confidam me poſſe rectè componere, ſi laudaturi eſtis eum mecum hodie. Etenim is adeò excellit in ſtudiis, ut multò clarior ſit ſuopte ingenio, quàm conſulatu paterno. Quibus verbis, Æmiliane Strabo, vir ex cunctis*

NOTÆ.

1. *Id eſt, ut uſquequaque eſſet gratuitum.*] Videntur hæc verba à manu Gloſſatoris textui poſteà inſerta.

2. *Neque enim aut levi mercede emit qui precatur.* Seneca lib. II. de beneficiis, cap. I. *non tulit gratis qui cùm rogâſſet accepit. quoniam quidem, ut majoribus noſtris graviſſimis viris viſum eſt, nulla res cariùs conſtat, quàm quæ precibus empta eſt.*

[1 Numantiæ] fuerunt, aut ſunt, aut etiam erunt inter optimos clariſſime, & inter clariſſimos optime, inter utroſque doctiſſime; quibus tandem verbis, pro hoc tuo erga me animo, gratias habiturus ſum commemoratu meo? Quâ dignâ ratione tam honorificam benignitatem tuam celebrem, quâ remuneratione dicendi gloriam tui facti æquiparem, nondum herclè reperio. Sed quæram ſedulò & connitar,

2 Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Nam nunc impræſentiarum, neque enim diffitebor, 3 lætitia facundiæ obſtrepit: & cogitatio voluptate impeditur, ac mens occupata delectatione, mavult impræſentiarum gaudere, quàm prædicare. Quid faciam? Cupio gratus videri: ſed præ gaudio nondum mihi vacat gratias agere. Nemo me, nemo ex illis triſtioribus velit in iſto vituperare, 4 quòd honorem meum non minùs mereor, quam intelligo: quòd clariſſimi & eruditiſſimi viri tanto honore exulto. quippè teſti-

INTERPRETATIO.

qui unquam [Numantiæ] extiterunt, aut exiſtunt, aut etiam futuri ſunt, illuſtriſſime inter probiſſimos, & probiſſime inter illuſtriſſimos; quibus demùm verbis reddam tibi grates meâ narratione pro hoc tuo affectu in me? Certè nondum invenio, quo congruo modo prædicem tuam tam honorabilem liberalitatem, & quâ mercede ſermonis æquem laudem hujus quod erga me *feciſti. At ſtudioſè id inveſtigabo, & conabor* reperire.

Quandiu ego recordabor mei ipſius, quandiu anima gubernabit hæc membra.

Nunc enim in præſens, nec id negabo, hilaritas interpellat meam eloquentiam: & delectatio officit meditationi, & animus meus, *voluptate præpeditus, mavult lætari quàm laudare. Quid agam? Expeto haberi gratus: at nondum licet mihi rependere grates præ lætitiâ. Nemo ex iſtis ſeverioribus, nemo* prorsùs *velit me hac in re damnare, quoniam non minùs dignus ſum hoc meo honore, quàm* illum *cognoſco: quod geſtio propter tantum honorem* mihi exhibitum *à viro nobiliſſimo & doctiſſimo.*

NOTÆ.

1. *Numantiæ.*] Non eſt hæc vox in membranis Florentinis, nec certè in animum facilè mihi induxerim illum Æmilianum Strabonem fuiſſe Numantinum. Quid eo tempore Numantia erat, niſi Numantiæ rudera? præterea apparet illum Strabonem Carthaginienſem quidem eſſe, ſed Civem Romanum: quippè cujus pater Conſul fuiſſet.

2. *Dum memor ipſe mei.*] Ex lib. 4. Æneidos.

3. *Lætitia.*] Quâ geſtiebat ob decretam ſibi ſtatuam.

4. *Quod honorem meum non minùs mereor quàm intelligo.*] Quid in hoc vituperare poſſent triſtiores illi & ſeveriores cenſores, non video. Aliquid hîc corruptum eſſe videtur. Quid, ſi tranſponas verba *mereor*, & *intelligo?* ac legas, *quod honorem meum non minùs intelligo, quàm mereor?* id eſt, quod ut mereor ita ſentiam honorem mihi delatum, & ex eo gaudeam, ac præ gaudio etiam geſtiam? quod ſanè illi ſeveriores atque *ἀπαθεῖς* cenſores ex animi ſui triſtitiâ damnare poſſint. Tuum eſto judicium, candide lector, certè conjecturam meam non leviter juvat quod ſequitur: *quod clariſſimi & eruditiſſimi viri tanto honore exulto.* Aldus habet: *non minùs vereor.* ex quo Brantius *revereor.* ſed haud multò ad rem magis,

monium mihi perhibuit in curiâ Carthaginienſium non minùs ſplendidiſſimâ quàm benigniſſimâ vir conſularis : cui etiam notum eſſe tantummodò ſummus honor eſt. Is etiam laudator mihi apud principes Africæ viros quodammodò adſtitit. Nam, ut comperior, nudiuſtertius libello miſſo, per quem poſtulabat locum celebrem ſtatuæ meæ, cumprimis commemoravit inter nos jura amicitiæ à commilitio ſtudiorum eiſdem magiſtris inchoata honeſtè : tunc poſteà [1] vota omnia mea ſecundùm dignitatis ſuæ gradus recognovit, Jam illud primum beneficium, quòd condiſcipulum ſe meminit. Ecce & hoc alterum beneficium, quòd tantus diligi ſe ex pari prædicat Quinetiam commemoravit, & alibi gentium & civitatum honores mihi ſtatuarum & alios decretos. Quid addi poteſt ad hoc præconium viri conſularis ? [2] Immò etiam docuit argumento ſuſcepti ſacerdotii, ſummum mihi honorem Carthaginis adeſſe. Jam hoc præcipuum beneficium ac longè ante cæteros excellens, quòd me vobis locupletiſſimus teſtis [3] ſuo

INTERPRETATIO.

Etenim vir conſularis, cui vel eſſe duntaxat cognitum maxima gloria eſt, reddidit mihi teſtimonium in Senatu Carthaginienſium clariſſimo juxtà, & beneficentiſſimo. Ipſe quoque adfuit mihi quâdam ratione laudator apud viros primarios Africæ. Ut enim accipio, miſſo nudiuſtertius libello, quo poſcebat locum frequentem collocando *meo ſimulacro, retulit præcipuè jura amicitiæ inter nos incepta honeſtè à ſocietate ſtudiorum apud eoſdem magiſtros : ac deinde recenſuit cuncta mea vota pro gradibus ſui honoris. Jam hoc eſt primum beneficium, quòd recordatur ſe fuiſſe meum condiſcipulum En & illud alterum beneficium, quòd tantus vir prædicat ſe amari à* me *ex æquo. Sed & recenſuit quoque honores tum ſimulacrorum, tum alios mihi attributos in aliis provinciis & urbibus. Quid poteſt adjici ad hanc laudationem viri conſularis ? Quin oſtendit quoque ratione ſacerdotii, quòd ſuſcepi, ſupremum honorem Carthaginis mihi delatum iri propediem. Jam hoc beneficium primarium eſt, & multò præſtantius aliis, quòd ipſe locupletiſſimus teſtis laudat*

NOTÆ.

1. *Vota omnia mea ſecundùm dignitatis ſuæ gradum recognovit.*] Id eſt, memoravit etiam omnia vota, quæ feceram pro ejus progreſſu & evectione ad omnes ſuas dignitates, & hoc intelligit infrà, cùm dicit, *ecce & hoc alterum beneficium, quòd tantus diligi ſe ex pari prædicat.*

2. *Immò etiam docuit argumento ſuſcepti ſacerdotii, ſummum mihi honorem Carthaginis adeſſe.*] Dixerat nimirùm Æmilianus Strabo Apuleium eâ eſſe doctrinâ, eâ morum probitate, atque eâ religionum peritiâ, ut procul dubio evaſurus eſſet propediem Pontifex maximus, qui ſummus Carthagini honos erat, quemadmodum & Romæ; atque eum jam habere prærequiſitam conditionem, ſacerdotem ſcilicet eſſe, ex ſolo enim ſacerdotum collegio creari poterat Pontifex Maximus Romæ, quem morem etiam veriſimile eſt Carthaginienſes, cum Romanis legibus, ſuſcepiſſe.

3. *Suo etiam ſuffragio commendat.*] Cùm Maximo Pontificatu dignum prædicat, atque eum propediem adepturum, quâ re Carthaginienſium animos in Apuleii favorem quodammodo præoccupabat, ac ſuo ſuffragio, quod maximi momenti erat, utpotè viri conſularis, cæterorum ſuffragia videbatur in futurum ſpondere.

etiam ſuffragio commendat. Ad ſummam pollicitus eſt, ſe mihi Carthagini de ſuo ſtatuam poſiturum: vir, cui omnes provinciæ quadrijuges & ſejuges currus ubique gentium ponere gratulantur. Quid ergo ſupereſt ad honoris mei tribunal & culmen, ad laudis meæ cumulum? Immò enimverò quid ſupereſt? Æmilianus Strabo vir conſularis, brevi votis omnium futurus proconſul, ſententiam de honoribus meis in curiâ Carthaginienſium dixit. omnes ejus auctoritatem ſecuti ſunt. Nonne videtur hoc vobis ſenatuſconſultum eſſe? Quid? quod & Carthaginienſes omnes, qui in illâ ſanctiſſimâ curiâ aderant, [1] tam libenter decreverunt omnes locum ſtatuæ, ut ſcires idcircò [2] alteram ſtatuam, quantùm ſpero, in ſequentem curiam protuliſſe, ut ſalvâ veneratione, ſalvâ reverentiâ conſularis ſui, viderentur factum ejus non æmulati, ſed ſecuti: id eſt, ut [3] integro die beneficium ad me publicum perveniret. Cæterùm meminerant optimi Magiſtratus & benivolentiſſimi principes, mandatum ſibi [4] à vobis quod volebant. Id ego neſcirem? haud prædicarem? ingratus eſſem. Quinetiam [5] univerſo ordini veſtro pro ampliſſimis erga me meritis, quantas maximas poſſum gratias ago, atque habeo: qui me in illâ curiâ honeſtiſ-

INTERPRETATIO.

etiam me ſuo ſuffragio. Poſtremò promiſit ſe collocaturum mihi ſimulacrum Carthagini ſuo ære *: vir, cui univerſa provincia gaudent collocare ubique currus quadrijuges, & ſejuges. Quid igitur deſideratur ampliùs ad ſolium & faſtigium mei honoris, & ad cumulationem meæ gloriæ? Immò enim quid reſtat? Æmilianus Strabo vir conſularis, propediem futurus Proconſul ſecundùm deſideria omnium, dixit ſententiam de honoribus mihi exhibendis in Senatu Carthaginienſium. cuncti aſſenſi ſunt ejus auctoritati. An non hoc vobis videtur eſſe decretum ſenatûs? Quid? quod & univerſi Carthaginienſes, qui erant in illo auguſtiſſimo ſenatu, tam volenter conſtituerunt locum* meæ *ſtatuæ, ut agnoſceres* illos, *ut ſpero, ideò* tantùm *diſtuliſſe* rogationem *de alterâ ſtatuâ* mihi concedendâ *in proximum Senatum, ut inviolato honore, & ſalvâ veneratione*, quam debent *ſuo* civi *conſulari* viro, *viderentur non æmulati, ſed ſecuti ejus factum: hoc eſt, ut publicum munus mihi deferretur ſolido die. Porrò* illi *optimi Magiſtratus, & proceres faventiſſimi recordabantur, id quod cupiebant fuiſſe ipſis præſcriptum à vobis. Ego* verò *hoc ignorarem?* & *non jactarem? eſſem ingratus. Quinetiam reddo & memini grates quàm maximas queo toti veſtro ordini, ob maxima ejus in me beneficia.* O vos, *qui me honoraviſtis honeſtiſſimis*

NOTÆ.

1. *Tam libenter decreverunt locum ſtatuæ.*] Quam Æmilianus Strabo velle ſe Apuleio de ſuo ponere dixerat.

2. *Alteram ſtatuam.*] Publicis Carthaginienſium ſumptibus locandam, ut hac oratione callidè poſcit, cùm ſe confidere ait eam proximâ curiâ ſibi decretum iri.

3. *Integro die.*] Nec alterius ſtatuæ munere jam occupato, qualis erat ille, quo locum petenti Æmiliano Straboni Senatus decreverat. Brantius reponit, *de integro*, ſed nihil emendatione opus.

4. *A vobis.*] Populum Carthaginienſem affatur.

5. *Univerſo ordini veſtro.*] Senatui.

ſimis acclamationibus decoravêre, in quâ curiâ vel nominari tantummodò ſummus honor eſt. Igitur, quod difficile factu erat, quodque reverà arduum nobis exiſtimabatur, gratum eſſe populo, placere ordini, probari magiſtratibus & principibus: id ([1] præfiſcinè dixerim) jam quodammodo mihi obtigit. Quid igitur ſupereſt ad ſtatuæ meæ honorem, niſi æris pretium, artificis miniſterium? [2] quæ mihi ne in mediocribus quidem civitatibus unquam defuere: ne ut Carthagini deſint, ubi ſplendidiſſimus ordo etiam de rebus majoribus judicare potiùs ſolet, quàm computare. [3] Sed de hoc tùm ego perfectiùs, cùm vos effectiùs. Quinetiam tibi, nobilitas ſenatorum, claritudo civium, dignitas amicorum, mox ad dedicationem ſtatuæ meæ, libro etiam conſcripto, pleniùs gratias [4] canam, ocyuſque libro mandabo, uti per omnes provincias eat: totoque abhinc orbe, totoque abhinc tempore, laudes benefacti tui ubique gentium ſemper annorum repræſentet.

INTERPRETATIO.

acclamationibus in illo Senatu, in quo vel ſolùm nominari eſt maxima gloria. Itaque, quod erat difficile factu, &, quod putabamus quidem eſſe difficillimum, ſcilicet *placere populo, eſſe acceptum Senatui approbari à Magiſtratibus atque optimatibus, id (abſit verbo invidia) jam quâdam ratione mihi evenit. Quid reſtat ergo ut* fruar *honore meæ ſtatuæ, niſi pretium æris, & merces ſtatuarii? quæ nunquam defecerunt, ne in parvis quidem urbibus: nedum me deficiant Carthagini, ubi illuſtriſſimus Senatus ſolet potiùs decernere, quàm ſupputare de rebus etiam maximi momenti. At tunc ego* agam *de hoc fuſiùs, quando vos plus effeceritis. Quinetiam, ô nobiles Senatores, inclyti cives, digni amici, referam grates fuſiùs libro, quem mox componam pro dedicatione meæ ſtatuæ, & jubebo* illum *librum pervagari cunctas provincias, & exhibere laudes veſtri beneficii per omnem hinc terrarum orbem, & per omne tempus ſequens, apud omnes nationes, & per omnes ætates.*

NOTÆ.

1. *Præfiſcinè dixerim.*] Inſederat ſuperſtitioſis veterum animis opinio, periculum eſſe à faſcino, cùm quis aut ſe ipſe laudaret impenſiùs, aut ab aliis laudaretur. atque ideò cùm ſe aut alium quempiam laudarent, ut à ſe arcerent invidiam, & faſcinationem, addebant hanc vocem *præfiſcine*, vel *profiſcini*, aut *abſit verbo invidia.*

2. *Quæ mihi ne in mediocribus quidem civitatibus unquam defuere.*] Suprà: *quin etiam commemoravit, & alibi gentium & civitatum honores mihi ſtatuarum, & alios decretos.*

3. *Sed de hoc ego tùm perfectiùs, cùm vos effectiùs.*] Hoc eſt grates vobis majores agam, & beneficia veſtra fuſiùs prædicabo, quando vos ſtatuam, quam ſpero decreturos, reipsâ mihi decreveritis, ac poſueritis.

4. *Canam ocyuſque.*] Sic emendavit Schoppius, quem ſecutus ſum. Vulgò eſt corruptè *canaciuſque.*

XVII.

VIDERINT, quibus mos eſt oggerere ſemet otioſis præſidibus; ut [1] impotentiâ linguæ commendationem ingenii quærant, [2] & affectatâ amicitiæ veſtræ ſpecie glorientur. [3] Utrumque enim à me, Scipio Orfite, longè abeſt. Nam & quantulumcunque ingenium meum, jampridem pro captu ſuo hominibus notius eſt, quàm ut indigeat novæ commendationis. Et gratiam tuam tuorumque ſimilium malo, quàm jacto: magiſque ſum tantæ amicitiæ cupitor, quàm gloriator. quoniam cupere nemo, [4] niſi verè putet, poteſt: poteſt autem quivis [5] falsò gloriari. Ad hoc ita ſemper ab ineunte ævo bonas artes ſedulò colui; eamque exiſtimationem morum ac ſtudiorum cùm in provinciâ veſtrâ, tum etiam Romæ penès amicos tuos quæſiſſe me tute ipſe locupletiſſimus teſtis es: ut non minùs vobis amicitia mea capeſſenda ſit, quàm mihi veſtra [6] inconcupiſcenda. Quippè non promptè veniam impertire rarenter adeunti, aſſiduitatem ejus requirentis

INTERPRETATIO.

ILLI, *qui ſoliti ſunt ſeipſos obtrudere præfectis dum vacant, conſiderent, ſi volunt, quomodo comparent laudem ſuo ingenio ex intemperantiâ* ſuæ *linguæ, & ſuperbiant fictâ ſimulatione veſtræ amicitiæ. Nam hæc duo* vitia *multùm aliena ſunt à me, ô Scipio Orfite. Ingenium enim meum, quantumvis ſit parvum, jam dudum nimis cognitum eſt ſecundùm ſuas vires hominibus, quàm ut opus habeat novâ commendatione. Et magis cupio amicitiam tuam & tui ſimilium, quàm eam oſtento. & ſum magis exoptator tantæ amicitiæ, quàm ejus jactator. quia nullus poteſt optare, niſi reipsâ exiſtimet* rem eſſe optabilem *: at quilibet poteſt ſe jactare falsò. Præterea ſic ſtudioſè ſemper incubui bonis artibus ab initio meæ vitæ, & tu ipſe es mihi luculentiſſimus teſtis, me comparaviſſe mihi talem famam vitæ & doctrinæ apud tuos familiares tum in veſtrâ provinciâ, tum maximè Romæ: ut mea amicitia non ſit vobis minùs acceptanda, quàm veſtra mihi* eſt *expetenda. Etenim non libenter ignoſcere ei, qui rarò tantùm conveniat, eſt* hominis *qui optet fre-*

NOTÆ.

1. *Impotentiâ linguæ.*] Ita idem Schoppius. In vulgaris eſt *impatientiâ*, quod etiam tolerabile, utpote in idem recidens. Impotentiam linguæ intellige hî *φλυαρίας* loquacitatem, quâ ſe ſuaſque dotes ad faſtidium uſque prædicant; non autem obtrectationem & maledicentiam. argumento ſunt quæ ſequuntur.

2. *Et affectatâ amicitiæ veſtræ ſpeciæ.*] Hoc eſt, ſimulantes & jactantes ſe à vobis amari. patet ex ſequentibus.

3. *Utrumque.*] Loquacitas & jactantia.

4. *Niſi verè putet.*] Subintellige *id quod cupit eſſe optandum.* aut aliquid ſimile

5. *Falsò gloriari.*] Nempè ſe conſequutum quod reverà non eſt conſequutus.

6 *Inconcupiſcenda.*] Sic lege uno vocabulo. *inconcupiſcere* eſt *vehementer cupere.* & particula *in* hoc loco non negat, ſed auget verbi ſignificationem. Sic infrà lib. 4. *ut incognoſceret, more ingenii humani, quiſnam eſſet.* & lib 8. Metamorphoſ. p. 251. *lac incoactum.* pro *concretum. Eum rogavit unus è noſtris, haberet-ne vanui lacte, vel adhuc liquidum, vel in caſeum recentem incoactum.*

eſt: ſummumque argumentum amoris, frequentibus delectari, ceſſantibus obiraſci, perſeverantem celebrare, deſinentem deſiderare. [1] quoniam neceſſe eſt ejuſdem eſſe, cujus angat abſentia. Cæterùm vox cohibita ſilentio perpeti, non magis uſui fuerit, quàm nares gravedine oppletæ, aures ſpiritu obſeratæ, oculi albugine obducti. Quid, ſi manus manicis reſtringantur? quid, ſi pedes pedicis coarctentur? jam rector noſtri animus aut ſomno ſolvatur, aut vino mergatur, aut morbo ſepeliatur? Profectò, ut gladius uſu ſplendeſcit, ſitu rubiginat: ità vox in vaginâ ſilentii condita, diutino torpore hebetatur. Deſuetudo omnibus pigritiam, pigritia veternum parit. Tragœdi adeò nî quotidie proclament, claritudo [2] arteriis obſoleſcit. Igitur idemtidem [3] boando purgant ravim. Cæterùm ipſius vocis hominis exercendi caſſus labor ſupervacaneo ſtudio plurifariàm ſuperatur. Siquidem vox hominis [4] & tubâ rudore torvior, & lyrâ concentu variatior, & tibiâ queſtu delectabilior, & fiſtulâ ſuſurru jucundior, & buccinâ ſignifi-

INTERPRETATIO.

quentiùs adiri ab illo: & maximum indicium amoris eſt, gaudere aſſiduitate amicorum, *ſuccenſere ipſis cùm deſinunt* nos adire, *laudare eum, qui pergit* nos frequentare, *ceſſantem verò deſiderare. quia neceſſe eſt illum* amari, *cujus abſentia cruciat. Porrò vox compreſſa jugi ſilentio non plus proderit, quàm nares obſtructæ deſtillatione, aures clauſæ flatu, & oculi obvelati cataractâ. Quid, ſi manus vinciantur vinculis? quid, ſi pedes conſtringantur compedibus? mens autem gubernatrix noſtra, vel relaxetur ſopore, vel abſorbeatur vino, vel involvatur ægritudine? Certè, quemadmodum enſis niteſcit uſu, contrahit* autem *ferruginem ceſſatione: ſic vox incluſa in vaginâ taciturnitatis, retunditur longo torpore. Deſuetudo creat omnibus ſegnitiem, ſegnities* verò *ſomnolentiam. Tragœdi quoque, niſi declament quotidie, claritas* vocis *faceſſit* ab eorum *gutture. Ergo expurgant raucedinem ſubinde clamitando. Porrò, irritus labor exercendæ ipſius vocis humanæ vincitur multis modis curâ ſuperfluâ. Nam vox humana ſtridet ferociùs, quàm tuba, & magis diverſa eſt in ſuo concentu, quàm lyra, & jucundiùs queritur quàm tibia, & ſuſurrat ſuaviùs quàm fiſtula, & auditur remo-*

NOTÆ.

1. *Quoniam neceſſe eſt ejuſdem eſſe.*] Supple *amorem.* Hoc eſt, neceſſe eſt illos amari, amorem pertinere ad illos, quorum, &c.

2. *Arteriis.*] Non arteriis pluribus, ſed uni, aſperæ nimirùm ſeu laryngi, qui ſuprema ejus pars eſt, cujuſque ope vox editur.

3. *Boando purgant ravim.*] Plaut. in Prologo Pœnuli.

Exurge præco: fac populo audientiam.
Jamdudum expecto, ſi tuum officium ſcias.
Exerce vocem, quam per vivis & colis.
Nam, niſi clamabis, tacitum te obrepet fames.

4. *Et tubâ rudore torvior, &c.*] Obſerva Apuleium hîc tubam à buccinâ diſtinguere, ut & tibiam à fiſtulâ. Quidam diſcrimen tubam inter & buccinam ſtatuunt, quòd buccina cornea ſit, & litui modo intorta, ciendiſque armentis inſerviat, tuba verò argentea aut ærea, & adhibeatur ciendis viris, Martique accendendo. At tubam buccinamque promiſcuè uſurpatam paſſim invenias.

catu

catu longinquior. Mitto dicere multorum animalium immeditatos ſonores, diſtinctis proprietatibus admirandos: ut eſt taurorum gravis mugitus, luporum acutus ululatus, elephantorum triſtis barritus, equorum hilaris hinnitus: necnon avium inſtigati clangores: necnon [1] leonum indignati fremores: cæteræque id genus voces animalium truces ac[2] liquidæ, quas infeſta rabies vel propitia voluptas ciant. Pro quibus homini vox divinitùs data, anguſtior quidem; ſed majorem habet utilitatem mentibus, quàm auribus delectationem. Quò magis celebrari debet frequentiùs uſurpata, & quidem nonniſi in auditorio, tanto viro præſidente, in hac excellenti celebritate multorum eruditorum, multorum benignorum. Equidem etſi fidibus apprimè callerem, non niſi confertos homines conſectarer. In ſolitudine cantillavit,

[3] *Orpheus in ſilvis, inter delphinas Arion.*

Quippè, ſi fides fabulis, Orpheus [4] exilio deſolatus, [5] Arion navigio præcipitatus. Ille immanium beſtiarum delinitor; hic miſericordium belluarum oblectator. ambo miſerrimi cantores; quia non ſponte ad laudem, ſed neceſſariò ad ſalutem nitebantur. Eos ego impenſiùs ad-

INTERPRETATIO.

tiùs quàm buccina. Non loquor de vocibus plurimorum animalium inarticulatis, quæ mirabiles ſunt ob diverſas proprietates: veluti gravis mugitus proprius eſt taurorum, ululatus argutus luporum, barritus mœſtus elephantorum, lætus hinnitus equorum: ſunt quoque cantus avium incitati, & fremitus iracundi leonum: atque aliæ ejuſmodi animalium voces feroces & claræ, quas vel incenſus furor, vel blanda voluptas excitent. Quarum loco vox à Deo tributa eſt hominibus minor quidem: at affert plus commodi animis, quàm voluptatis auribus. Quapropter magis colenda eſt utendo ea ſæpiùs, & ſanè non alibi quàm in concione, præſide tanto viro, in hac illuſtri frequentiâ plurimorum doctorum, plurimorum benevolorum. Certè quamvis ſcirem egregiè fidibus canere, *non quærerem niſi magnos* cœtus *hominum. Cantitavit in ſolitario loco,*

Orpheus in nemoribus, & Arion inter delphinos.

Nempè, ſi credendum eſt fabulis, Orpheus exilio relegatus in ſolitudinem. Arion deturbatus ex navi. Ille mitigator crudelium ferarum; hic oblectator cetorum miſericordium. uterque cantores infeliciſſimi; quoniam id *moliebantur non ultrò ad gloriam* ſibi parandam, *ſed neceſſariò ad ſuam conſervationem. Ego mirarer eos magis, ſi*

NOTÆ.

1. *Leonum indignati fremores.*] Rugitus vulgò dicuntur.

2. *Liquidæ.*] Lenes, blandæ, quæ leniter fluunt. cùm contrà truces & feroces non fluere, ſed magno impetu extrudi, & guttur ſuâ aſperitate radere videantur. & hæ ſunt, quas mittit infeſta rabies.

3. *Orpheus in ſilvis, &c.*] Deſumptus eſt hic verſus ex Pharmaceutriâ, Eclogâ 8. Virgil.

4. *Exilio.*] At voluntario quidem, ad quod ſe, poſt amiſſam Euridicen, hominum pertæſus ultrò damnaverat.

5. *Arion navigio præcipitatus.*] Gellius omnem hiſtoriam, ſeu potiùs fabulam, ex Herodoto refert Noct. Atticarum lib. 16. cap. 19.

mirarer, ſi hominibus potiùs quàm beſtiis placuiſſent. Avibus[1] hæc ſecretaria utique magis congruerint merulis, & luſciniis, & oloribus. Et merulæ[2] in remotis teſquis[3] fringultiunt; luſciniæ in ſolitudine Africanâ[4] canticum adoleſcentiæ garriunt; [5] olores apud avios fluvios carmen ſenectæ meditantur. Enimverò qui pueris, adoleſcentibus, & ſenibus utile carmen prompturus eſt, is in mediis millibus hominum canat; ita ut hoc meum de virtutibus Orfiti carmen eſt: ſerum quidem fortaſſean, ſed ſerium; nec minùs gratum, quàm utile Carthaginienſium pueris, juvenibus & ſenibus. quos indulgentiâ ſuâ præcipuus omnium proconſul ſublevavit: temperatoque deſiderio, & moderato remedio dedit pueris ſaturitatem, juvenibus hilaritatem, ſenibus ſecuritatem. Metuo quidem, Scipio, quoniam laudes tuas attigi, ne me impræſentiarum refrænet vel tua generoſa modeſtia, vel mea ingenua verecundia. Sed nequeo quin ex plurimis, quæ in te meritiſſimo admiramur, ex his plurimis quin vel pauciſſima attingam. Vos ea mecum, cives ab eo ſervati, recognoſcite.

INTERPRETATIO.

placuiſſent potiùs hominibus quàm belluis. Hæ ſolitudines certè meliùs convenerint volucribus, merulis, philomelis, & cygnis. Etenim merulæ cantillant in ſolitudinibus: philomelæ canunt in deſerto Africano cantilenam ſuæ juventæ: cygni moliuntur canticum ſuæ ſenectutis in amnibus ſolitariis. At qui exhibiturus eſt canticum conducibile pueris, juvenibus, & ſenibus, ille debet cantare in mediis millibus hominum. ſicut eſt hoc meum canticum de virtutibus Orfiti, fortaſſe quidem tardum, at ſerium; neque minùs jucundum quàm conducibile pueris, adoleſcentibus, & ſenibus Carthaginienſium. quos proconſul omnium præſtantiſſimus ſublevavit ſuâ benignitate, & moderatâ cupiditate, & medelâ temperatâ, tribuit ſatietatem pueris, lætitiam adoleſcentibus, & tranquillitatem ſenibus. Vereor equidem, ô Scipio Orfite, *quia delibavi tua præconia, ne aut tua nobilis modeſtia, aut meus nativus pudor me nunc coërceat. Verum non poſſum* abſtinere *quin ex plurimis quæ juſtiſſimè miramur in te, ſaltem perpauca delibem ex his plurimis. Vos, cives conſervati ab eo, agnoſcite ea mecum.*

NOTÆ.

1. *Hæc ſecretaria.*] Secreta loca, ſolitaria, remotiora.

2. *In remotis teſquis.*] De hac voce jam ſuprà Florid. l. 2. *quoniam nullus in ſuis teſquis fructus eſt.*

3. *Fringuiltiunt.*] Et de hoc jam ad Apologiam.

4. *Canticum adoleſcentiæ.*] Amores nempe ſuos, qui amores adoleſcentiam decent.

5. *Olores apud avios fluvios carmen ſenectæ meditantur.*] Quod morituri canant. Ovid. Epiſt. Didûs ad Æneam.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus Olor.

Hanc eſſe Cygnorum indolem permulti magni nomnis auctores tradiderunt, at id fabuloſum eſſe multi item docti viri affirmant, atque inter hos Plinius l. 10. c. 23. *Olorum* (inquit) *morte narratur flebilis cantus: falſo, ut arbitror aliquot experimentis.*

XVIII.

Hic in vulgatis incipit liber quartus Floridorum.

TANTA multitudo ad audiendum conveniſtis, ut potiùs gratulari Carthagini debeam, quòd tam multos eruditionis amicos habet: quàm excuſare, quòd Philoſophus non recuſaverim diſſertare. Nam & pro amplitudine civitatis frequentia collecta, & pro magnitudine frequentiæ locus delectus eſt. Præterea in auditorio hoc genus ſpectari debet, non [1] pavimenti marmoratio, [2] nec proſcenii contabulatio, nec ſcenæ columnatio: ſed nec culminum eminentia, nec lacunarum refulgentia, nec ſedilium circumferentia: nec quod hic aliàs [3] mimus hallucinatur; comœdus ſermocinatur; [4] tragœdus vociferatur; funerepus periclitatur; præſtigiator furatur; hiſtrio geſticulatur: cæterique omnes ludiones oſtentant populo quod cujuſque artis eſt. ſed [5] iſtis omnibus ſuperſeſſis, nihil ampliùs ſpectari debet, quàm convenientium ratio, & dicentis oratio. Quapropter, ut poëtæ ſo-

INTERPRETATIO.

TANTA turba confluxiſtis ad me *audiendum, ut debeam potiùs gratulari Carthagini, quòd habeat* tot *amatores doctrinæ: quàm me purgare, quòd* cùm ſim *Philoſophus, non abnuerim verba facere. Cœtus enim congregatus eſt reſpondens magnitudini urbis, & locus captus eſt reſpondens amplitudini cœtus. Inſuper in hujuſmodi concione conſideranda ſunt, non ſtratum marmoreum, nec tabulata proſcenii, nec columnæ ſcenæ: ſed neque ſublimitas faſtigiorum, nec ſplendor laquearium, neque ambitus ſedilium, neque quòd hic modò mimus decipitur, comœdus diſſerit, tragœdus clamat, funambulus verſatur in diſcrimine, circulator ſubripit, hiſtrio geſticulatur, & omnes alii ſcenici monſtrant populo quod ſpectat ad* ſuam *cujuſque artem. verùm, omiſſis iis omnibus, nihil aliud conſiderandum eſt, quàm ingenium confluentium, & ſermo differentis. Quare, quemadmodum poëtæ ſolent hic fin-*

NOTÆ.

1. *Pavimenti marmoratio.*] Marmorea pavimenta quibus ſolum ſternitur. marmoratum, apud Vitruvium, eſt marmor tuſum calce admixtâ, quo utebantur veteres in tectoriis.

2. *Nec proſcenii contabulatio. nec ſcenæ columnatio, &c.*] Theatri deſcriptionem vide apud Vitruvium l. 5. c. 6. & ſequentibus.

3. *Mimus hallucinatur.*] Obſerva verbum hallucinari activâ ſignificatione hic uſurpari pro eo quod eſt *fallere, decipere*, cum vulgo ſignificet *decipi.*

4. *Tragœdus vociferatur.*] Dum vehementiores movet affectus, quod in tragœdiis ſolet.

5. *Iſtis omnibus ſuperſeſſis.*] Dicitur tamen *ſuperſedere aliqua re*, non *aliquam rem.* at multa ſibi indulget Apuleius. quin & cum accuſativo conſtructum hoc verbum reperio apud Gellium Noctium Atticarum l. 2. c. 29. *Aliâ luce ortâ avis in paſtum profecta eſt. Cognati & affines operam quam dare rogati ſunt ſuperſedent*; unde & *operâ ſuperſeſſâ* dici potuiſſet, quomodo hic *omnibus ſuperſeſſis.*

lent, hic ibidem varias civitates ſubſtituere; ut [1] ille Tragicus, qui in theatro dici facit:

Liber, qui auguſta hæc loca [2] *Cythæronis colis:*

item [3] ille comicus, qui

Quam parvam partem poſtulat Plautus loci
[4] *De veſtris magnis atque amœnis mœnibus,*
Athenas quo [5] *ſine architectis conferat:*

non ſecùs & mihi liceat nullam longinquam & transmarinam civitatem hîc, ſedenim ipſius Carthaginis vel curiam vel bibliothecam ſubſtituere. Igitur proinde habetote, ſi curiâ digna protulero; ut ſi in ipsâ curiâ me audiatis: ſi erudita fuerint; ut ſi in biblothecâ legantur. Quod utinam mihi pro amplitudine auditorii prolixa oratio ſuppeteret, ac non hîc maximè [6] clauderet, ubi me facundiſſimum cuperem! Sed verum verbum eſt profectò, quod aiunt: [7] Nihil quidquam ho-

INTERPRETATIO.

gere diverſas urbes, veluti ille Tragœdus, qui inducit hiſtrionem *dicentem in theatro:*

Bacche, qui habitas hæc ſancta loca Cythæronis.

item ille comicus, qui dicit:

Plautus poſcit ſibi perexiguam portionem loci
Ex veſtris amplis & pulchris muris,
In quam transferat Athenas abſque architectis:

ſimiliter fas ſit mibi quoque ponere hîc nullam quidem *remotam & transmarinam urbem, verùm vel ſenatum, vel Bibliothecam ipſius Carthaginis. Ergo, ſi pronuntiavero* verba *digna ſenatu, itidem ea exiſtimate, ac ſi auſcultetis me in ipſo ſenatu:* &, *ſi ea,* quæ dixero *docta fuerint,* accipite ea, *ut ſi recitentur in Bibliothecâ. Atque utinam mihi parata eſſet longa oratio reſpondens magnitudini auditorii: neque hîc finiretur, ubi optarem me* eſſe *eloquentiſſimum! At verum eſt certè quod* vulgò *dicitur: Nihil adeò fortunatum*

NOTÆ.

1. *Ille Tragicus.*] Cujus Tragici ſit verſus quem ſubjungit, dicere mihi in promptu non eſt.

2. *Citharonis.*] Mons eſt Bœotiæ Baccho Sacer in quo ejus Orgia celebrabantur Ovid. 3. Metam. 1.

Vadit ubi feſtus facienda ad ſacra Citharon
Cantibus & clarâ bacchantum voce ſonabat.

3. *Ille Comicus.*] Plautus in Truculento, ex cujus Prologo deſumpti ſunt verſus ſequentes.

4. *De veſtris magnis atque amœnis mœnibus.*] Hoc eſt, de amplâ veſtrâ & amœnâ urbe mœnibus cinctâ, continens pro contento.

5. *Sine architectis.*] Sana lectio eſt. Nugantur qui aliud quærunt; *ſine architectis*, eſt *ſine operâ architectorum*, qui Athenas ipſas deſtruant, & tranſlatis illinc lignis, lapidibus, aliâque omni materiâ, eas hic ædificent denuò, quod Plauto certè ad exhibendam ſuam comœdiam neceſſe non erat, cum ſatis eſſet ſi ſpectatores animo fingerent ſe eſſe Athenis.

6. *Clauderet.*] Si ſincera ſit lectio, *claudere* hic neutraliter ſumitur pro *deſinere*. at Rom. habet *clauderetur*, quod melius eſſe mihi videtur. Colvius *claudere* hic pro *claudicare* poſitum autumat. ſed favet meæ interpretationi quod ſuprà dixit: *utinam pro amplitudine auditorii prolixa oratio ſuppeteret.* Brevis enim & cito deſinens oratio melius opponitur prolixæ, quam claudicans.

7. *Nihil quidquam, &c.*] Sic Plau-

mini tam proſperum divinitùs datum, quin ei tamen admixtum ſit aliquid difficultatis; ut etiam in ampliſſimâ quâque lætitiâ ſubſit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quâdam mellis & fellis. [1] Ubi uber, ibi tuber. Id ego cùm aliàs tùm etiam nunc impræſentiarum uſu experior. Nam quantò videor plura apud vos habere ad commendationem ſuffragia; tantò ſum ad dicendum nimiâ reverentiâ veſtri contatior. Et qui penès extrarios ſæpenumerò promptiſſimè diſceptavi, idem nunc penès meos hæſito: ac mirum dictu, ipſis illecebris deterreor, & ſtimulis refrænor, & incitamentis cohibeor. An non multa mihi apud vos adhortamina ſuppetunt: qui ſum vobis nec Lare alienus, nec pueritiâ inviſitatus, nec magiſtris peregrinus, [2] nec ſectâ incognitus, nec voce inauditus, nec libris illectus improbatus-ve? Ita [3] mihi & patria in concilio Africæ, enimverò & pueritia apud vos, & magiſtri vos. Et ſecta, licèt Athenis Atticis confirmata, tamen hìc inchoata eſt: & vox mea [4] utrâque linguâ jam veſtris auribus ante proximum ſexennium probè cognita.

INTERPRETATIO.

conceſſum eſſe à Diis, *cui nihilominus aliqua difficultas non ſit conjuncta :* ita *ut etiam in maximâ quâque hilaritate lateat aliqua ſaltem exigua querelæ materia, quâdam commixtione dulcedinis & amaritudinis. Ubi* eſt *mamma, ibidem* eſt *tumor. Ego hoc uſu ſenſi aliàs, & ſentio nunc maximè.* Etenim *quò videor habere plura ſuffragia apud vos ad laudem, eò ſum timidior ad differendum, quia nimis revereor vos. Atque* ego, *qui ſæpiùs diſputavi paratiſſimè apud exteros, nunc hæreo apud meos* populares *: &, quod mirandum eſt, avocor* à dicendo *ipſis allectamentis, retardor ipſis inſtigationibus, & coërceor ipſis ſtimulationibus. Nonne ſunt mihi penes vos plurima hortamenta : cùm non ſim domo extraneus vobis. & ſæpiùs viſus ſim à vobis dum eſſem puer, & habuerim magiſtros apud vos, neque ignoretis meam ſectam, & audiveritis jam me dicentem, & legeritis ac probaveritis meos libros? Sic mihi & patria eſt in* finibus *Africæ, ſed & pueritia quoque mea apud vos* tranſacta eſt, *& vos fuiſtis mei magiſtri, & Philoſophia mea, quamvis ſit corroborata Athenis Atticis, nihilominùs hìc ſumpſit exordium & mea vox jam eſt optimè nota veſtris auribus in utrâque linguâ pluſquàm à ſex annis,*

NOTÆ.

tus, Amphitruone: *Ita quoque comparatum eſt in ætate hominum, ita diis placitum; voluptati ut mœror comes conſequatur.* Lucret. lib. 4.

medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid.

1. *Ubi uber, ibi tuber.*] Proverbium eſt. cujus ſenſus : commodum abſque incommodo non inveniri. Ubera enim percommoda ſunt, quippe quibus infantes aluntur : at hoc habent moleſtiæ, quòd turgida ſint, & nutricibus in multis obeundis muniis ſuo tumore incommodent.

2. *Nec ſectâ incognitus.*] Nec ignoretis quam ſectam profitear, cujus Philoſophi me ſectatorem feram, Platonis ſcilicet.

3. *Mihi & patria in concilio Africæ.*] Scribe in *confinio* & Africam propriè dictam hic intellige. noſter in Apologiâ : *De patria mea vero, quod eam ſitam Numidiæ & Getuliæ in ipſo confinio meis ſcriptis oſtendiſti, &c.*

4. *Utraque linguâ.*] Græcâ & Latinâ,

Quin & libri mei non aliâ ubique laude clariùs cenſentur, quàm quòd judicio veſtro comprobantur. Hæc tanta ac totjuga invitamenta communia non minùs vos ad audiendum prolectant, quàm me ad dicendum retardant: faciliuſque laudes veſtras alibi gentium, quàm apud vos prædicarim: ita [1] apud ſuos cuique modeſtia obnoxia eſt; apud extrarios autem veritas libera. ſemper adeò & ubique vos quippè ut parentes ac primos magiſtros meos celebro, mercedemque vobis rependo: non illam, quam Protagoras ſophiſta pepigit, nec accepit; ſed quam Thales ſapiens nec pepigit, & accepit. Video quid poſtuletis. utramque narrabo. [2] Protagoras quidam ſophiſta fuit longè multiſcius, & cum primis Rhetoricæ repertis perfacundus: [3] Democriti Phyſici civis æquævus. [4] Inde ei ſuppeditata doctrina eſt. Eum Protagoram aiunt cum ſuo ſibi diſcipulo Evathlo [5] mercedem nimis uberem conditione temerariâ pepigiſſe: ut ſibi tum demùm id argenti daret,

INTERPRETATIO.

Libri quoque mei non magis celebrantur ubique ullâ aliâ gloriâ, quàm quòd approbantur veſtrâ ſententiâ. Hæc tanta ac tam multiplicia illectamenta communia non minùs vos alliciunt ad audiendum, quàm remorantur me à diſſerendo, & faciliùs celebraverim veſtra præconia apud alias gentes, quàm apud vos. Sic modeſtia coërcita eſt unicuique apud ſuos, veritas verò eſt libera apud exteros. Etenim prædico vos ſemper & ubique tanquam parentes meos & primos inſtitutores, & reddo vobis remunerationem non illam, quam Protagoras ſophiſta pactus eſt, nec tamen tulit; ſed quam Thales ſapiens non pactus eſt, *& tulit. Intelligo quid poſcatis. exponam* quæ fuerint *hæc duo* præmia. *Fuit quidam ſophiſta Protagoras longè doctiſſimus, & eloquentiſſimus pro initio Inventionis Rhetoricæ: civis & æqualis Democriti Phyſici. à quo hauſit ſcientiam. Ferunt hunc Protagoram pactum fuiſſe cum ſuo diſcipulo Evathlo nimis amplam mercedem ſub conditione imprudenti:* nempè *ut tum demùm ſibi perſolveret illam pecuniam,*

NOTÆ.

1. *Apud ſuos cuique.*] Vulg. *apud vos* male. Stevvechio debetur hæc emendatio.

2. *Protagoras.*] Patrem habuit Artemonem, ſeu ut quidam volunt Mæandrum, ut refert Laërtius lib 9. in ejus Vitâ. Ob principium cujuſdam ſui operis (quod ſic ſe habebat περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσί. πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥτε ἀδηλότης, καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. *De Diis quidem ſtatuere nequeo an ſint, necne. ſunt enim plurima quæ id ſcire prohibeant. quippe & ſumma rei incertitudo, & brevis hominis vita.*) pulſus ab Athenienſibus eſt, librique illius in foro ſub præconis voce à ſingulis qui illos habebant inveſtigati.

3. *Democriti Phyſici Civis.*] Abderites enim fuit Protagoras, ut tradidit Heraclides Ponticus in libris περὶ νόμων. Eupolis tamen in Tragœdiâ quæ inſcribitur, Κόλακες, eum facit Teïum, hoc verſu:

Ἔνδοθι μὲν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήϊος.
Intus quidem eſt Protagoras Teïus.

4. *Inde ei ſuppeditata doctrina.*] Audivit enim Democritum, ut refert Laërtius.

5. *Mercedem nimis uberem.*] Laërt. ait eum primùm pro mercede minas centum exegiſſe. Cæterùm de conditione cum Evathlo pactâ nihil habet. Sed itemi Evathli cum Protagora ita refert; ut infrà dicitur. At Gell. l. 5. c. 10. rem ſic prorſus narrat, ut hic Apuleius.

ſi primo tyrocinio agendi penès Judices viciſſet. Igitur Evathlus poſtquàm cuncta illa exorabula judicantium, & decipula adverſantium, & artificia dicentium, verſutus alioquin [1] & ingeniatus ad aſtutiam, facilè perdidicit; contentus ſcire quod concupierat, cœpit nolle quod pepigerat: ſed callidè nectendis moris fruſtrari magiſtrum, diutuléque nec aſſerere velle, nec reddere; uſque dum Protagoras eum ad Judices provocatum, expoſitâque conditione quâ docendum receperat, anceps argumentum ambifariàm propoſuit. [2] Nam, Sive ego vicero, inquit, ſolvere mercedem debebis ut condemnatus: ſeu tu viceris, nihilominùs reddere debebis ut pactus. quippè qui hanc primam cauſam penès Judices viceris. Ita, ſi vincis, in conditionem incidiſti: ſi vinceris in damnationem. Quid quæris? Ratio concluſa Judicibus acriter & invincibiliter videbatur. Enimverò Evathlus, utpote tanti veteratoris perfectiſſimus diſcipulus, biceps illud argumentum retorſit. Nam, ſi ita eſt, inquit, neutro, modo quod petis, debeo. Aut

INTERPRETATIO.

cùm ſuperior evaſiſſet apud Judices in primâ causâ, quam oraret. Evathlus ergo callidus aliàs & indolis pronæ ad vafritiem, cùm facilè didiciſſet cuncta illa artificia flectendorum Judicum, & fallendorum adverſariorum, & aſtutias orantium: ſat habens ſcire quod optaverat, cœpit nolle præſtare *quod promiſerat: ſed fraudare præceptorem* ſuum, *rem protrahendo aſtutè, & diutiùs neque velle negare, neque perſolvere; donec Protagoras vocavit eum in jus, &, explicatâ conditione, quâ aggreſſus fuerat eum erudire, protulit argumentum utrimque ambiguum. Nam, inquit, ſeu ſuperior fuero* causâ, *cogêris perſolvere mercedem, utpote damnatus: ſeu tu ſuperaveris* me, *debebis tamen eam præſtare ex pacto, utpote qui ſuperior fueris apud Judices in hac primâ lite. Sic, ſi ſuperas, lapſus es in conditionem* pacto tuo poſitam: *ſi ſuperaris, in condemnationem. Quid vis* ampliùs? *Concluſio videbatur Judicibus illata ſolerter & ineluctabiliter. Atenim Evathlus, quippè qui eſſet præſtantiſſimus diſcipulus magiſtri tam vafri, convertit in eum illud argumentum anceps. Si enim ſic ſe res habet, inquit, nullatenùs debeo* tibi *quod poſtulas. Nam, vel te*

NOTÆ.

1. *Et ingeniatus.*] Hoc etiam vocabulo utitur Plautus in Milite glorioſo. Act. 3. ſcen. 1.

Itidem Divos diſpertiſſe vitam humanam æquum fuit,
Qui lepide ingeniatus eſſet, vitam longinquam darent:
Qui improbi eſſent & ſceleſti, iis adimerent animam cito.

Gellius quoque Noct. Attic. l. 12. c. 1. *Quæ, malum, igitur ratio eſt, nobilitatem iſtam nati modo hominis, corpuſque & animum bene ingeniatis primordiis inchoatum inſitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere?*

2. *Nam ſive ego vicero, inquit,*] Laërtius Argumentum Protagoræ tantùm refert, nec meminit Evathli reſponſionis. Fertur, inquit Laërtius, cum mercedem aliquando exigeret, Evathluſque illius diſcipulus diceret, *ſed nondum quidquam vici, dixiſſe:* ἀλλ᾽ ἐγὼ μὲν ἂν νικήσω, ὅτι ἐγὼ ἐνίκησα λαβεῖν με ἔδει· ἐὰν δ᾽ σὺ, ὅτι σύ. *At ego quidem ſi vicero, neceſſe eſt me accipere quia vici: ſi verò tu viceris, etiam oportebit me capere, quia tu viceris.* Quod quidem conditionem Protagoram inter & Evathlum priùs pactam innuit, quamvis Laërt. nullam ejus priùs fecerit mentionem.

enim vinco, & judicio dimittor: aut vincor, & pacto abſolvor, ex quo non debeo mercedem, ſi hanc primam cauſam fuero penès Judices victus. Ita me omni modo liberat, [1] ſi vinco, conditio; ſi vincor, ſententia. Nonne vobis videntur hæc ſophiſmatum argumenta obverſa invicem vice ſpinarum, quas ventus convolverit, inter ſe hærere, paribus utrimque aculeis, ſimili penetratione, mutuo vulnere? Atque ideò merces Protagoræ tam aſpera, tam ſenticoſa, verſutis & avaris relinquenda eſt. Cui ſcilicet multò tantò præſtat illa altera merces, quam Thalem memorant ſuaſiſſe. Thales Mileſius ex ſeptem illis ſapientiâ memoratis viris facilè præcipuus fuit. enim [2] geometricæ penès Graios primus repertor, & naturæ rerum certiſſimus explorator, & aſtrorum peritiſſimus contemplator, maximas res parvis lineis reperit: temporum ambitus, ventorum flatus, ſtellarum meatus, tonitruum ſonora miracula, ſiderum obliqua curricula, Solis annua reverticula: idem Lunæ vel naſcentis incrementa, vel ſeneſcentis diſpendia, [3] vel delinquentis obſtacula. Idem ſanè jam proclivi ſenectute divinam rationem de Sole commentus eſt. quam equidem non di-

INTERPRETATIO.

ſupero, & dimittor causâ: vel ſuperor, & liberor pacto, juxtà quod non debeo mercedem, ſi ſuperatus fuero apud Judices in hac primâ lite. Sic, ſi ſupero, decretum Judicum *me omninò abſolvit; ſi* autem *ſuperor, conditio* noſtro pacto lata me abſolvit. *Nonne hæc argumenta ſophiſtica videntur vobis in ſe mutuò converſa inſtar ſpinarum, quas ventus conglobaverit, ſibi invicem impingi aculeis ab utraque parte æqualibus, pari confoſſione, plagâ reciprocâ? Proptereáque merces Protagoræ tam horrida, tam ſpinoſa, permittenda eſt callidis & avaris, quá nimirùm longè excellentior eſt hæc altera merces, quam Thales fertur poſtuláſſe* ſibi reddi. *Thales Mileſius fuit facilè princeps illorum ſeptem virorum celebratorum* ob *ſapientiam. nam fuit primus inventor Geometriæ apud Græcos, & accuratiſſimus obſervator rerum naturalium, & doctiſſimus ſpeculator ſiderum, invenit lineis exiguis res maximas:* putà *circuitus temporum, flamina ventorum, vias ſiderum, admirandos fragores tonitruum, obliquos meatus aſtrorum, annuas revolutiones Solis: prætereà vel augmenta novæ Lunæ, vel decrementa veteraſcentis, vel obices deficientis. Ille idem jam vergente ſenectâ excogitavit divinum inventum de ſole, quod ego quidem non tantùm didici, ſed etiam*

NOTÆ.

1. *Si vinco, conditio; ſi vincor, ſententia.*] Præpoſterè. Repone meo periculo. *Si vinco, ſententia ſi vincor, conditio.* Hoc eſt, ſi vinco, ſententia judicis me liberat; ſi autem vincor, liberat me pacta inter nos conditio ex quâ nihil debeo niſi primam cauſam vicero. *Tum judices* (inquit Gellius) *dubioſum hoc inexplicabileque eſſe, quod utrimque dicebatur, rati, ne ſententia ſua, utramcunque in partem dicta eſſet, ipſa ſeſe reſcinderet, rem injudicatam reliquerunt: cauſamque in diem longiſſimam diſtulerunt.*

2. *Geometricæ penes Graios primus repertor.*] Cujus ſcientiæ præcepta ab Ægyptiis hauſerat, ut refert Laërtius in ejus Vitâ quem vide.

3. *Vel delinquentis obſtacula.*] Terram: quæ, cùm media ſolem inter & lunam intercedit, tenebras offundit huic ſideri.

dici

dici modò, verùm etiam experiundo comprobavi: [1] quotiens Sol magnitudine ſuâ circulum, quem permeat, metiatur. Id à ſe recens inventum Thales memoratur edocuiſſe [2] Mandraytum Prienenſem. qui novâ & inopinatâ cognitione impendio delectatus, optare juſſit quantam vellet mercedem ſibi pro tanto documento rependi. Satis, inquit Thales ſapiens, mihi fuerit mercedis, ſi id, quod à me didiciſti, cùm proferre ad quoſpiam cœperis, tibi non adſciveris; ſed ejus inventi me potiùs quàm alium repertorem prædicaveris. Pulchra merces prorsùm, ac tali viro digna, & perpetua. Nam & in hodiernum, ac dehinc ſemper, Thali ea merces perſolvetur ab omnibus nobis, qui ejus cœleſtia ſtudia verè cognovimus. Hanc ego vobis mercedem, Carthaginienſes, ubique gentium dependo, pro diſciplinis quas in pueritiâ ſum apud vos adeptus. Ubique enim me veſtræ civitatis alumnum fero; ubique vos omnimodis laudibus celebro; veſtras diſciplinas ſtudioſiùs percolo; veſtras opes glorioſiùs prædico; veſtros etiam Deos religioſiùs veneror. Nunc quoque igitur principium mihi apud veſtras aures auſpicatiſſimum [3] ab Æſculapio Deo capiam, qui

INTERPRETATIO.

confirmavi experientiâ; nempe quoties Sol menſuret ſuâ latitudine circulum quem percurrit. Hoc à ſe nuper repertum Thales dicitur oſtendiſſe Madrayto Prienenſi. qui vehementer delectatus hac novâ & inexpectatâ obſervatione, præcepit ei ut peteret quantum præmium vellet ſibi perſolvi pro tanto documento. Satis præmii mihi erit, inquit Thales ſapiens, ſi, quando incipies exponere aliquibus, id quod edoctus es à me, non attribueris illud tibi, ſed celebraveris me tanquam *auctorem ejus reperti, potius quam alium. Egregium planè præmium, & dignum tali viro, & æternum. Nam & nunc & in poſterum, ſemper reddetur id præmium Thaleti à nobis omnibus, quibus verè perſpecta ſunt ejus ſtudia cœleſtia. Ego, ô Carthaginienſes, perſolvo vobis hoc præmium apud omnes nationes pro ſcientiis, quas acquiſivi apud vos dum eſſem puer. Nam ubique dico me educatum fuiſſe in veſtrâ urbe, ubique effero vos omnimodis præconiis; diligentiùs colo veſtras artes; glorioſiùs jacto veſtras divitias; adoro etiam religioſiùs veſtra Numina. Ego nunc etiam ſumam mihi fauſtiſſimum exordium apud veſtras aures à Deo Æſ-*

NOTÆ.

1. *Quotiens Sol magnitudine ſuâ circulum quem permeat metiatur.*] Hoc eſt, quotam circuli illius partem occupet Solis diameter, ſeu quot ſit minutorum. Hujus ſolaris diametri menſuræ Laërtius in Thaletis Vitâ nuſquam meminit, at aliud refert ejuſdem Thaletis de magnitudine Lunari & Solari inventum; Lunarem nimirum Solaris eſſe tantum ſeptingenteſimam & viceſimam.

2. *Mandraytum Prienenſem.*] Neque hujus meminit Laërtius. Cod. Flor. habet *Mandritum.*

3. *Ab Æſculapio Deo, qui arcem veſtræ Carthaginis.*] Tertullianus: *In ipſis denique templis Deum junctim imploras ſub Æſculapio ſtans.* Fuit quoque urbis Oceenſium tutelare numen Æſculapius, templumque habuit nobile Oeæ, ut jam obſervavi ad Apologiam, ad hæc verba: *Ea diſputatio celebratiſſima eſt, vulgo legitur, in omnium manibus verſatur, non tam facundiâ meâ, quam mentione Æſculapii religiis Oeenſibus commendata.*

arcem veſtræ Carthaginis indubitabili numine propitius reſpicit. Ejus Dei hymnum Græco & Latino carmine vobis hîc canam, jam illi à me dedicatum. Sum enim non ignotus [1] illius ſacricola, nec recens cultor, nec ingratus antiſtes: ac jam & proſâ & vorsâ facundiâ veneratus ſum; ita ut etiam nunc hymnum ejus utrâque linguâ canam. cui dialogum ſimiliter Græcum & Latinum prætexui: in quo ſermocinabuntur Sabidius Severus, & Julius Perſius: viri & inter ſe mutuò, & vobis, & utilitatibus publicis meritò amiciſſimi, doctrinâ & eloquentiâ & benivolentiâ paribus: incertum modeſtiâ quietiores, an induſtriâ promptiores, an honoribus clariores. Quibus cùm ſit ſumma concordia; tamen hæc ſola æmulatio, & in hoc unum certamen eſt, uter eorum magis Carthaginem diligat: atque ſummis medullitùs viribus contendunt ambo; vincitur neuter. Eorum ego ſermonem ratus & vobis auditu gratiſſimum, & mihi compoſitu congruentem, & dedicatu religioſum, in principio libri [2] facio quemdam ex his, qui mihi Athenis condidicêre, percontari à Perſio Græcè, quæ ego pridiè in templo Æſculapii diſſeruerim: paulatimque illis Severum adjungo. cui interim Romanæ linguæ partes dedi. Nam & Perſius, quamvis & ipſe optimè Latinè poſſit, tamen hodie nobis ac vobis [3] Atticiſſabit.

INTERPRETATIO.

culapio, qui favens intuetur certâ præſentiâ arcem veſtræ Carthaginis. Hîc concinam vobis hymnum illius Dei verſibus Græcis & Latinis, jam illi conſecratum à me. Nam ſum cultor ejus ſacrorum non obſcurus, & adorator non novus, & Pontifex non diſplicens Deo; *& jam colui eum Oratione ſolutâ & ſtricta; ſicut nunc quoque concinam hymnum ejus utrâque linguâ. cui præpoſui colloquium pariter Græcum & Latinum: in quo colloquentur Sabidius Severus, & Julius Perſius: viri amiciſſimi & ſibi invicem, & vobis, & publicis commodis, æquali ſcientiâ & facundiâ, & benignitate: dubium* eſt *an pacatiores moderatione* ſuâ, *an expeditiores ſuâ ſolertiâ, an ſublimiores dignitatibus. Qui cum ſint valdè unanimes, tamen rivales ſunt, & contendunt in hoc ſolùm, uter eorum plus amet Carthaginem: &* in hoc quidem *certant uterque ex totis penitùs viribus*; at *neuter ſuperatur. Ego exiſtimans eorum orationem futuram eſſe & vobis jucundiſſimam auſcultatu, & dignam quam componerem, & ſatis piam ut eam conſecrarem, initio libri induco quendam ex meis condiſcipulis Athenarum, quærentem Græcè à Perſio, quænam ego diſputaverim pridie in æde Æſculapii: ſinſimque addo eis Severum. quem interea induco loquentem linguâ Romanâ. Perſius enim Atticè loquetur nobis ac vobis, tametſi ipſe quoque poſſit perbene* loqui *Latinè.*

NOTÆ.

1. *Illius ſacricola.*] Sic emendavit Guilhelmius in Miſcellis Quæſtionibus c.4. prius erat *illius agricola*, ineptè.

2. *Facio quemdam ex his qui, &c. percontari.*] Similiter ſuprà: *ut ille Tragicus qui in Theatro dici facit, &c.*

3. *Atticiſſabit.*] Plaut. in Prologo Menæchmorum:

Atque adeo hoc argumentum Græciſſat, tamen
Non atticiſſat, verùm Siciliciſſitat.

XIX.

ASCLEPIADES ille, inter præcipuos Medicorum, ſi unum Hippocratem excipias, cæteris princeps, primus etiam vino opitulari ægris reperit: [2] ſed dando ſcilicet in tempore. cujus rei obſervationem probè callebat: ut qui diligentiſſimè animadverteret venarum pulſus inconditos, vel præ varos. Is igitur, cùm fortè [3] in civitatem ſeſe reciperet, & rure ſuo ſuburbano rediret; aſpexit [4] in pomœriis civitatis funus ingens locatum, plurimos homines ingenti multitudine, qui exequias venerant, circumſtare omneis triſtiſſimos & obſoletiſſimos veſtitu. Propiùs acceſſit, ut etiam incognoſceret, more ingenii humani, quiſnam eſſet; quoniam percontanti nemo reſponderat. An verò ut ipſe [5] aliquid in illo ex arte deprehenderet. Certè quidem jacenti homini ac propè depoſito Fatum abſtulit. Jam miſeri illius [6] membra omnia aromatis perſperſa. jam os ipſius unguine odoro

INTERPRETATIO.

ILLE Aſclepiades, inter primarios medicos, reliquorum primus, ſi demas ſolum Hippocratem, invenit etiam primus vino mederi ægrotantibus; at præbendo illud *ipſis tempeſtivè. quod optimè ſciebat explorare; utpotè qui accuratiſſimè obſervaret pulſus arteriarum inordinatos aut valde depravatos. Ille ergo cum forte rediret in urbem, & reverteretur ex prædio ſuo ſuburbano, vidit magnum funus poſitum in pomœriis urbis. permultos homines magnâ turbâ, qui proſecuti fuerant funus, circumſiſtere* ipſum *cunctos mœſtiſſimos & ſordidiſſimè indutos. Acceſſit propius, ut, juxta indolem hominum, ſciret etiam qui nam eſſet, quia nemo reſponderat ipſi, cùm* id *ſciſcitaretur. Aut potiùs ut ipſe ope ſuæ ſcientiæ animadverteret aliquid in eo. Sane quidem depulit mortem ab* illo *homine ſtrato, ac pœnè* jam *tumulato. Omnes artus illius infortunati jam* erant *reſperſi aromatis. facies ejus jam* erat *uncta un-*

NOTÆ.

1. *Primus etiam vino opitulari ægris reperit.*] De Aſclepiade hoc medico Plin. l. 7 cap. 37. *Summa autem Aſclepiadi Pruſienſi* (fama fuit) *conditâ novâ ſectâ, ſpretis legatis & pollicitationibus Mithridatis regis, repertâ ratione quâ vinum ægris medetur, relato è funere homine & ſervato: ſed maximè ſponſione factâ cum fortunâ, ne medicus crederetur, ſi unquam invalidus ullo modo fuiſſet ipſe: & victor ſupremâ in ſenectâ lapſu ſcalarum exanimatus eſt.* Cn. Pompeii familiaris fuit. De ipſo, deque ejus ſectâ vide plura apud Corn. Celſum in procemio operis.

2. *Sed dando ſcilicet in tempore.*] De eodem Aſclepiade Scribonius Largus in præfat. lib. de compoſit. medicament. *Ille enim febricitantibus, vitiiſque præcipitibus correptis, quæ ὀξῆ πάθη Græci dicunt, negavit medicamenta danda, quia cibo vinoque apte interdum dato remediari tutius eos exiſtimavit.*

3. *In civitatem.*] Romam.

4. *In Pomœriis civitatis.*] Rectè. Funera enim in urbe facere vetitum lege XII. Tabularum: *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito.*

5. *Aliquid in illo ex arte deprehenderet.*] Ex quo cognoſceret an viveret. Vide Cornelium Celſum in procemio operis.

6. *Membra omnia aromatis perſperſa, &c.*] Ex more antiquorum, ad lethalem illum fœtorem abigendum. Virg. l. 6. Æneid. in Miſeni funere.

corpuſque lavant frigentis & ungunt.

delibutum, [1] jam eum pollinctum, [2] jam cœnæ paratum contemplatus, eum diligentiſſimè quibuſdam ſignis animadvertit. etiam atque etiam pertractavit corpus hominis: & invenit in illo vitam latentem. Confeſtim exclamavit, vivere hominem. procul ergo faces abigerent, procul ignes amolirentur; rogum demolirentur, [3] cœnam feralem à tumulo ad menſam referrent. Murmur intereà exortum. partim medico credendum dicere; partim etiam irridere medicinam. Poſtremò, propinquis etiam omnibus invitis, [4] quòd-ne jam ipſi hereditatem habebant, an quòd adhuc illi fidem non habebant: ægrè tamen ac difficulter Aſclepiades impetravit brevem mortuo dilationem. Atque ita veſpillonum manibus extortum, [5] velut ab Inferis, poſtliminiò domum retulit, confeſtimque ſpiritum recreavit: confeſtimque animam in corporis latibulis deliteſcentem quibuſdam medicamentis provocavit.

INTERPRETATIO.

guento ſuaveolente; cum conſideraſſet attentiſſimè eum jam unctum, & jam præparatum ſilicernio deprehendit aliqua indicia vitæ *in eo. Contrectavit ſæpiùs corpus hominis; & reperit vitam deliteſcentem in ipſo. Statim exclamavit eum vivum eſſe. Igitur arcerent tædas, removerent flammas deſtruerent pyram reportarent epulum funebre à ſepulchro ad menſam. Interim oritur ſtrepitus, alii dicunt fidem habendam eſſe medico, alii etiam derident medicinam. Denique Aſclepiades exoravit brevem moram mortuo, ægrè nihilominus & difficultatem invitis quoque cunctis ejus cognatis,* dubium *an quia ipſi jam occupaverant ejus hæreditatem, an verò quoniam nondum ipſi credebant. Et ſic ereptum è manibus viſpillonum, & tanquam ob orco, reportavit eum domum poſtliminio, & ſtatim refocillavit ei ſpiritum, ſtatimque excivit quibuſdam medicaminibus animam reconditam in latebris corporis.*

NOTÆ.

Tertull. de Reſurrect. carnis: *Proinde enim & corpora medicata condimentis, ſepulturæ Mauſoleis, & monumentis ſequeſtrantur.*

1. *Iam eum pollinctum.*] Hoc eſt unctum, & odoratis herbis fartum, linteaminibuſque involutum. hoc enim eſt pollinci, & pollinctores qui cadavera ſic curabant. Plaut. in Prologo Pœnuli.

Nam mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

2. *Iam cœnæ paratum.*] Noviſſimæ cœnæ ferali, quæ *ſilicernium* dicebatur.

3. *Cœnam feralem à tumulo ad menſam referrent.*] Hinc patet cœnam illam feralem juxta ipſum rogum eſitari ſolitam.

4. *Quodne jam ipſi hereditate habebant.*] Lipſ. Elect. l. 2. cap. 11. vult hic legi non *habebant*, ſed *havebant*, hoc eſt, inhiabant hæreditati.

4. *Velut ab inferis poſtliminio domum retulit.*] Similiter 10 Metam. *Ecce pater ſuis ipſe manibus cooperculo capuli remoto, commodùm diſcuſſo mortifero ſopore, ſurgentem poſtliminio mortis deprehendit filium.* Ubi vide notata, p. 317.

XX.

[1] SAPIENTIS viri ſuper menſam celebre dictum eſt : Prima, inquit, cratera ad ſitim pertinet, ſecunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad inſaniam. Verum enimverò Muſarum cratera, verſâ vice, quantò crebrior quantóque meracior, tantò propior ad animi ſanitatem. Prima cratera [2] Litteratoris ruditatem eximit : ſecunda Grammatici doctrinâ inſtruit : tertia Rhetoris eloquentiâ armat. Hactenùs à pleriſque potatur. Ego & alias crateras Athenis bibi : [3] Poëticæ commentam, [4] Geometricæ limpidam, Muſicæ dulcem, [5] Dialecticæ auſterulam : enimverò univerſæ Philoſophiæ inexplebilem ſcilicet, nectaream. [6] Canit enim Empedocles carmina, [7] Plato dialogos, [8] Socrates hymnos, [9] Epicharmus modos,

INTERPRETATIO.

EXTAT inſignis ſententia ſapientis viri de menſâ : Primum, inquit, poculum ſpectat ad ſitim ſedandam, *ſecundum ad lætitiam, tertium ad delectationem, quartum ad furorem. At enim Muſarum poculum è contra quo ſæpiùs* iteratur, *& purius* bibitur, *eo magis accedit ad ſanitatem mentis. Primum poculum* quod eſt *litteratoris, aufert* puero *ignorantiam: ſecundum* quod eſt *Grammatici, erudit ſcientiâ : tertium* quod eſt *Rhetoris, inſtruit facundiâ. Plerique huc uſque tantùm bibunt. Ego hauſi etiam alia pocula Athenis : Poëticæ fabuloſum, Geometriæ clarum, Muſicæ ſuave, Dialecticæ acerbiuſculum : ſed enim totius Philoſophiæ nunquam ſatians nempe, & nectareum. Nam Empedocles compoſuit verſus, Plato colloquia, Socrates cantica, Epicharmus modulos, Xenophon hi-*

NOTÆ.

1. *Sapientis viri ſuper menſam celebre dictum eſt : Prima inquit cratera, &c.*] Laërtius in Vitâ Anacharſis, hoc ejus dictum refert, τὴν ἄμπελον τρεῖς φέρειν βότρυς, τὸν πρῶτον, ἡδονῆς : τὸν δεύτερον μέθης : τὸν τρίτον, ἀηδίας ; *vitem uvas tres ferre : primam voluptatis ; ſecundam ebrietatis ; tertiam mœroris.* Vetus Poëta apud Suidam, in voce οἶνος, non tres, neque quatuor, ſed decem crateras memorat, & decimum facit μανίας.

2. *Litteratoris.*] Litterator eſt legendi Magiſter qui pueros docet litterarum characteres dignoſcere, & ſonos, quorum illi ſigna ſunt, viſis iis proferre. Et illi primam puerorum imperitiam tollunt.

3. *Poëticæ commentam.*] Corruptus videtur hic locus, at reſtituere in promptu non eſt. Interim interpretatus ſum fabuloſam. Verti etiam potuit *inventricem*, aut *excogitatricem*. Certè quæcunque ſit hujus loci vera ſcriptura, hic debuit eſſe ejus ſenſus.

4. *Geometricæ limpidam.*] Rectè. Evidentia enim & perſpicuitas hujus eſt diſciplinæ propria, quippe quæ nihil affirmat quin illud demonſtret.

5. *Dialecticæ auſterulam.*] Ob argumentorum & argutiarum & captionum ſentes, quibus horret tota.

6. *Canit enim Empedocles carmina.*] Laërt. in ejus Vitâ ait, quæ ille de Naturâ déque expiationibus ſcripſit, ad quinque millia verſuum pertingere : quæ verò de medicinâ, ad ſexcentos. Item ſcripſiſſe Tragœdias & Xerxis tranſitum verſibus, atque alia poëmata.

7. *Plato Dialogos.*] Numero quinquaginta ſex ſcripſiſſe eum teſtatur Laërt. in ejus Vitâ, quos etiam ſingillatim recenſet.

8. *Socrates Hymnos.*] Laërt. refert ipſi à nonnullis tanquam auctori tribui Pæana quemdam, cujus initium, Δήλι' Ἄπολλον χαῖρε, καὶ Ἄρτεμι παῖδε κλεεινά. Hoc eſt, *Delie Apollo ſalve, & Diana, pueri glorioſi.*

9. *Epicharmus modos.*] Coüs fuit hic

1 Xenophon hiſtorias, 2 Xenocrates ſatyras: Apuleius veſter hæc omnia. novemque Muſas pari ſtudio colit, majore ſcilicet voluntate. quàm facultate. eóque propenſiùs fortaſſis, laudandus eſt; quòd omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in caſu eſt. ita ut contrà in maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc vindicantur: cruentâ mente, purâ manu. Ergo ſicut ad pœnam ſufficit meditari punienda; ſic & ad laudem ſatis eſt, conari prædicanda. Quæ autem major laus aut certior, quàm Carthagini benè dicere, ubi tota civitas eruditiſſimi eſtis: penes quos omnem diſciplinam pueri diſcunt, juvenes oſtentant, ſenes docent? Carthago provinciæ noſtræ magiſtra venerabilis, 3 Carthago Africæ Muſa cœleſtis, Carthago Camœna togatorum.

INTERPRETATIO.

ſtorias. Xenocrates ſatyras: veſter Apuleius ſcripſit *hæc omnia. & colit novem Muſas æquali ſtudio, majori nempe affectu, quam virtute. Et forſitan ideo libentius laudandus eſt; quia in omnibus bonis rebus niſus laudandus eſt, effectus pendet à fortunâ. Sicut contrà in malefactis, crimina quamvis* tantum *meditata, & nondum perpetrata puniuntur cùm animus* jam *ſit ſanguinolentus,* licèt *manus* ſit adhuc *pura. Igitur quemadmodum ſatis eſt ad ſupplicium* ſubeundum *moliri digna ſupplicio, ita ſufficit ad laudem* merendam *aggredi laudabilia. Quæ verò major, aut certior laus, quàm eleganter loqui Carthagini, in quâ* vos *omnes cives eſtis doctiſſimi: apud quos pueri docentur omnes ſcientias, juvenes* eas *præ ſe ferunt, ſenes* eas *docent? Carthago* eſt *veneranda Magiſtra noſtræ provinciæ, Carthago* eſt *cœleſtis Camœna Africæ, Carthago eſt Muſa togatorum.*

NOTÆ.

Philoſophus, Pythagoræ auditor. Hujus commentariorum de naturâ rerum, de ſententiis, de medicinâ meminit Laërt. ſed de modis, ſive modulis, ne verbum quidem habet.

1. *Xenophon Hiſtorias.*] Nempè, περὶ παιδείας Κύρου libros octo, περὶ ἀναβάσεως Κύρου libros ſeptem, & περὶ ἑλληνικῶν libros ſeptem, qui omnes etiamnum extant cum aliis ejus tùm Philoſophicis, tum Rhetoricis operibus.

2. *Xenocrates ſatyras.*] Eum ſcripſiſſe verſus refert Laërtius, at ſatyrarum expreſsè non meminit. VVovverus hic non *Xenocrates*, ſed *Xenophanes* legi volebat, intelligebatque Xenophanem poëtam, cujus meminit in Xenophanis Philoſophi Vitâ idem Laërt., & quem ait ſcripſiſſe Iambos. qui verſus primùm ſatyrographorum fuit. Horat. in arte Poëticâ.

Archilochum proprio rabies armavit
Iambo.

3. *Carthago Africæ Muſa cœleſtis.*] Quæ hic Colvius de Cœleſti Africæ Deâ ex Pithoeo & Lipſio refert, erudita quidem ſunt; ſed ad hunc locum minimè ſpectare mihi videntur. Illa enim Cœleſtis, Juno erat, quam Virginem vecturâ leonis cœlo commeantem Carthago percolebat, ut habet noſter, lib. 6. de Aſino. at hîc *Cœleſtis* eſt Epitheton Muſæ, itaque Uraniam, unam ex novem Muſis, intelligere malim. Carthaginem verò Apuleius figuratè vocat Africæ Muſam cœleſtem, eò quòd in illâ urbe Afri litteras docerentur humaniores.

XXI.

HABET interdùm & neceſſaria feſtinatio honeſtas moras, ſæpè uti malis interpellatam [1] voluntatem. Quippè & illis, quibus curriculo confecta via opus eſt, adeò ut præoptent pendere equo, quàm carpento ſedere, propter moleſtias ſarcinarum, & pondera vehiculorum, & moras orbium, & ſalebras orbitarum, adde & lapidum globos, & [2] caudicum toros, & camporum rivos, & collium clivos. [3] Hiſce igitur moramentis omnibus qui volunt devitari, [4] advectorem ſibimet equum deligunt, diutinæ fortitudinis, vivacis pernicitatis: idem & ferre validum, & ire rapidum:

[5] *Qui campos colleſque gradu perlabitur uno,*

Interpretatio.

NECESSARIA properatio habet etiam aliquando honeſtas retardationes, adeò ut ſæpe gaudeas interruptum eſſe tuum propoſitum. Nam & iis qui neceſſe habent celeriter peragere iter, ita ut malint vehi equo quam ſedere in curru, ob incommoda impedimentorum, & gravitatem curruum, & retardationes rotarum, & aſperitates orbitarum, adjunge & cumulos lapidum, & prominentias ſtipitum, & rivos, qui *in planis locis* occurrunt, *& acclivia collium. Igitur qui volunt occurrere his omnibus retardationibus, eligunt ſibi vectorem equum conſtantis roboris, celeritatis vividæ: inſuper & firmum in vehendo, & celerem in gradiendo:*

Qui prætergreditur planities & clivos eodem greſſu,

Notæ.

1. *Voluntatem.*] Feſtinandi.

2. *Caudicum toros.*] Hoc eſt, arborum truncos paulum extra terram prominentes & rotundos.

3 *Hiſce igitur moramentis omnibus, &c. devitari.*] Florent. Codex *devitare.* Locus hic mendi ſuſpectus mihi eſt. Quid enim ſit *moramentis devitari* vel *devitare?* Hoc certè verbum poſtulat non tertium caſum, ſed quartum. Meliùs mihi videtur fore ſi legatur *obviare*, aut etiam, quòd minùs alienum erit, *deviare:* ita ut ſubintelligatur præpoſitio *ab:* & *deviare ab illis moramentis*, ſit ab illis *deflectere*, illa *vitare.* Hæc mea conjectura eſt, quam lectoris judicio ſubjectam volo. Brantius reponebat, *hiſce igitur moramentis omnibus qui nolunt diverari.* rectè, ſi MS. alicujus teſtimonio juvaretur.

4. *Advectorem.*] Vel tollenda ſyllaba *ad* legendumque *vectorem*, vel vocabulum in duo dividendum, ut ſit *ad vectorem*, id eſt, *in vectorem*, vel potiùs legendum *ad vecturam*, ſenſu planiſſimo.

5. *Qui campos, &c. ut ait Lucilius.*] Satyr. lib. 25. cujus fragmenta aliqua nobis ſuperſunt. Colvius autem plures ejuſdem Lucilii verſus ad equi virtutes ſpectantes ſingillatim a Grammaticis veteribus laudatos refert, & continuâ ſerie digerit, quos hic retuliſſe non pigebit.

Ipſe equu' non formoſu', gradarius, optimu' vector,
Qui colles campoſque gradu perlabitur uno.
Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
Ducere pro telo validis cervicibu' poſſint,
Hunc milli paſſûm qui vicerit atque duobus,
Campanus ſonipes ſub curſor nu'lu' ſequetur
Majore ſpatio; ac diverſu' videbitur ire.

ut ait Lucilius. tum cùm eo equo per viam concito pervolant, ſi quem intereà conſpicantur ex principalibus viris nobilem hominem, benè conſultum, benè cognitum; quamquam oppidò feſtinarit, tamen honoris ejus gratià cohibent curſum, relevant gradum, retardant equum: & illicò in pedes deſiliunt. fruticem, quem verberando equo geſtant, eam virgam in lævam manum transferunt. Itaque expeditâ dextrâ adeunt, ac ſalutant: &, ſi diutulè ille quippiam percontetur; ambulant diutulè, & fabulantur. denique quantumvis moræ in officio libenter inſumunt.

INTERPRETATIO.

ut inquit Lucilius. Poſt cùm currunt per viam illo equo incitato, ſi interim aſpiciunt aliquem ex primariis hominibus virum clarum, magnæ authoritatis, & valde notum; licèt multum properent, nihilominus, ad ipſum honorandum, reprimunt curſum, ſuſpendunt greſſum, remorantur equum: & confeſtim deſultant in pedes. quantum ad *virgam quam ferunt ad pulſandum equum, transmittunt illam virgam in manum ſiniſtram. Et ſic liberâ dextrâ eunt ad* ipſum *& ſalutant, & ſi ille aliquid ſciſcitetur diutiùs, ſpatiantur diutiùs, & colloquuntur. poſtremò ultrò impendunt quantumlibet temporis in obſequio.*

XXII.

[1] SICUTI navem bonam fabrefactam, benè intrinſecùs compactam, extrinſecùs eleganter depictam, mobili clavo, firmis rudentibus, procero malo, [2] inſigni carcheſio, ſplendentibus velis, poſtremò omnibus armamentis idoneis ad uſum, & honeſtis ad contemplationem. eam autem navem ſi aut gubernator non agat, aut tempeſtas agat, ut facilè cum illis egregiis inſtrumentis aut profunda hauſerint, aut ſcopuli comminuerint! Sed & medici cum in-

INTERPRETATIO.

QUEMADMODUM videmus *bonam navem, ſolerter fabricatam, benè coagmentatam interiùs, pulchrè picturatam exteriùs,* habentem *gubernaculum agile, funes validos, altum malum, carcheſium conſpicuum, carbaſa nitentia, denique cuncta armamenta apta uſui, & pulchra aſpectu. Si verò vel nauta non regat illam navim, vel tempeſtas* eam *jactet, quàm facile vel gurgites* eam *abſorpſerint cum illis præclaris armamentis, vel rupes fregerint! Quin & medici cum ingreſſi fue-*

NOTÆ.

1. *Sicuti navem bonam, &c.*] Hoc totum fragmentum videtur loco ſuo motum. Referendum crediderim ad Floridum XIV. & interſerendum ante hæc verba: *Hæc atque hoc genus alia partim cum audiret à Diogene Crates,* poſt illa vero: *Omnia fluxa infirmaque eſſe; quidquid ſub cælo divitiarum eſt eas omnes ad bene vivendum non quidquam eſſe.* Eſt enim ejuſdem argumenti nihil juvare divitias, ſanam mentem unice expetendam. atque reverâ in Colvianâ editione reperiuntur illa priora cum fragmento hoc conjuncta, ſed ad finem lib. quarti rejecta, & male divulſa à poſterioribus, quæ lib. 2. habentur.

2. *Inſigni carcheſio.*] Carcheſium ſummitas mali cui rudentes alligati, vulgò *la hune.* à cujus figurâ Carcheſia etiam dicta ſunt quædam pocula.

traverint

traverint ad ægrum uti viſant, nemo eorum, quòd [1] tabulina perpulchra in ædibus cernant, & lacunaria auro oblita, [2] & gregatim pueros ac juvenes eximiâ formâ in cubiculo circà lectum ſtantes, ægrum jubet uti ſit animo bono: ſed ubi juxtim conſedit; manum hominis prehendit, eam pertractat, venarum pulſum & momenta captat: ſi quid illic turbatum atque inconditum offendit, illi renuntiat, malè morbo haberi. Dives ille cibo interdicitur, eâ die in ſuâ ſibi copioſâ domo panem non accipit: cùm intereà totum ejus ſervitium hilares ſunt atque epulantur. Nec in eâ re quidquam efficit conditio.

INTERPRETATIO.

rint ad ægrotum ejus viſitandi causâ, nullus ex ipſis præcipit ægro ut bene ſperet, eo quod videant pulcherrima tablina in domo, & laquearia deaurata, & ſervos atque adoleſcentes egregiâ facie poſitos agminatim circa lectum in cubiculo: verùm poſtquam ſedit prope ipſum; *capit manum ejus, tractat illam, explorat pulſum arteriarum,* & ejus *tempora: ſi reperit ibi aliquid perturbatum & inordinatum, monet eum, ipſum gravi laborare morbo. Cibus prohibetur huic locupleti, illo die non ſumit panem, dum interim omnes ejus famuli ſunt læti, & convivantur. Nec* ejus *conditio quidquam* eum *juvat in hoc.*

NOTÆ.

1. *Tabulina.*] Seu *Tablina*. Conclavia ſunt, in quibus tabulæ ſeu inſtrumenta contractuum, nomina debitorum, atque aliæ ejuſmodi chartæ aſſervantur. *Pinacotheca* vero, in quibus tabulæ pictæ & alia ornamenta. Tablinorum proportiones vide apud Vitruvium. l. 6. c. 3.

2. *Et gregatim pueros, &c.*] Maximum opulentiæ argumentum greges ſervorum habere. Horat. l. Epod. Ode 2.

Poſitoſque vernas, ditis examen domus,
Circa renidentes lares.

XXIII.

1 QUI me voluiſtis dicere ex tempore, [2] accipite rudimentum, pòſt experimentum. Quippè, prout mea opinio eſt, bono periculo periculum faciam, [3] poſtquàm re probata meditata ſum dictu-

INTERPRETATIO.

VOS *qui voluiſtis ut loquerer è veſtigio, accipite* nunc *tyrocinium, poſtea ſpecimen. Etenim, quantum arbitror, ſecurè experiar. ſi dico improviſa, poſtquam dixi præcogitata quæ revera*

NOTÆ.

1. *Qui me voluiſtis dicere ex tempore.*] Fragmentum hoc in multis editionibus, & in MS. Thuan. à me ſæpiùs laudato, legitur initio libri de Deo Socratis, perperàm. Nihil enim cum eo habet commune, & diverſi prorſus eſt argumenti. Itaque illud ad finem Floridorum merito rejecerunt Elmenhorſtius & VVovverius.

2. *Accipite rudimentum, poſt experimentum.*] Similiter l. 1. Florid. *Sed in omnibus fermè ante eſt ſpei rudimentum, quàm rei experimentum.*

3. *Poſtquam re probata meditata ſum dicturus incogitata.*] Intricatus locus,

rus incognita. Neque enim metuo ne in frivolis diſpliceam, qui in gravioribus placui. Sed ut me omnifariàm noveritis; [1] etiam in iſto, ut ait Lucilius, ſchedio & incondito experimini, an idem ſim repentinus, qui præparatus; ſi qui tamen veſtrûm nondum ſubitaria iſta noſtra cognôſtis. quæ ſcilicet audietis, [2] pari labore, quo ſcribimus, veniâ propenſiore, quàm legimus. Sic enim fermè adſolet apud prudentes viros eſſe in operibus elaboratis judicatio reſtrictior; in rebus ſubitariis venia prolixior. Scripta enim penſiculatis & examinatis: repentina autem noſcitis ſimul & ignoſcitis, nec injuriâ. Illa enim, quæ ſcripta legimus, etiam tacentibus vobis talia erunt, qualia illata ſunt: hæc verò quæ impræſentiarum, & quaſi vobiſcum partienda ſunt, talia erunt qualia vos illa favendo feceritis. Quanto enim exinde orationi modificabor, tantò à vobis in majus tolletur. Vos animadverto libenter audire. Proinde in veſtrâ manu ſitum eſt, [3] vela

INTERPRETATIO.

approbata ſunt. Nam haud timeo, ne ego, *qui gratus fui in majoribus, offendam in levioribus. At ut me cognoſcatis ex omni parte, periculum facite etiam in hoc compendio & inordinato* ſpecimine, *num ſim talis ex improviſo, qualis* ſum *meditatus: ſi tamen aliqui ex vobis nondum noviſtis noſtra hæc repentina, quæ nimirum auſcultabitis eodem labore, quo* auſcultatis illa quæ *ſcribimus, at faciliori indulgentiâ, quam* ea quæ *recitamus* è ſcripto. *Nam ita vulgò ſolet judicium eſſe accuratius penes viros ſapientes in operibus expolitis;* at *major indulgentia in rebus repentinis. Nam perpenditis & examinatis* quæ *ſcripta* ſunt, *at unà auditis ſubitaria, & condonatis* quod in iis *peccatum eſt, atque* id *merito. Nam ea quæ legimus ſcripta, talia erunt etiam vobis ſilentibus, qualia prolata ſunt. At hæc quæ ſunt digerenda nunc, & veluti vobiſcum, talia erunt, qualia vos effeceritis ea* veſtrâ *benevolentiâ. Nam quo magis moderabor dehinc meo ſermoni, eo* ille *efferetur altius à vobis. Video vos auſcultare libenter. Ideo poſitum eſt in veſtrâ poteſtate attollere noſtra carbaſa, &*

NOTÆ.

&, ut puto, corruptus. ſenſum tamen qualemcunque erues, ſi loco *poſtquam*, reponas *cum poſt*, & vocem *meditata* paſſivè intelligas, ut jam alibi obſervavimus intelligendam. ut ſit *cum poſt reprobata meditata*, hoc eſt, nunc enim poſtquam quæ meditatus fueram revera probata à vobis ſunt, *ſum dicturus incogitata*. Interpretationem hanc firmat quod ſequitur. *Neque enim metuo ne in frivolis* (ea ſunt quæ incogitata dixit) *diſpliceam, qui in gravioribus* (ea ſunt meditata) *placui*.

1. *Etiam in iſto, ut ait Lucilius, ſchedio.*] Petronius arbiter: *Sed, ne me putes improbaſſe ſchedium Lucilltanæ humilitatis; quod ſentio & ipſe carmine effingam. Scheda* ſive *ſchedium* ſcriptum eſt inemendatum & rude.

2. *Pari labore quo ſcribimus, veniâ propenſiore, &c.*] Obſcurior oratio ad quam intelligendam ſupplenda ſunt quæ in interpretatione ſupplevimus. quod patet ex ſequentibus.

3. *Vela noſtra ſummare & auram immittere.*] Sic rectè emendavit Stevvechius, *prius erat ſinuare & etiam remittere*, ſenſu prorſus contrario iis quæ ſequuntur, *ne pendula neve flaccida, &c.* Vela ſummare, eſt vela extollere & expandere, opponiturque τῷ *legere*, ſeu *deducere*, quod inferioribus ſæculis *calare* dictum eſt. poſſet tamen retineri *ſinuare*, & exponi in *ſinum curvare*. MS. Thuan. habet *& amittere*.

noſtra ſummare, & auram immittere: ne pendula, néve flaccida, néve reſtricta & caperata ſint. At ego, quod Ariſtippus dixit, experiar. Ariſtippus ille [1] Cyrenaïcæ ſectæ repertor, quodque malebat ipſe, Socratis diſcipulus. [2] Eum quidam tyrannus rogavit, Quid illi Philoſophiæ ſtudium tam impenſum tamque diutinum profuiſſet? Ariſtippus reſpondit: Ut cum omnibus, inquit, hominibus ſecurè & intrepidè fabularer. Verbo ſubitò ſumpta eſt ſententia, quia de repentino oborta eſt. [3] quaſi velut [4] in maceriâ lapides temerario interjectu poni neceſſe eſt: neque interjecto intrinſecùs [5] pondere, neque collineato pro fronte ſitu, [6] neque cohibentibus ad regulam lineis. Quippè ſtructor orationis hujus egomet, [7] non è meo monte lapidem directim cæſum afferam, probè omnifariàm complanatum, læviter [8] ex extimis oris ad unguem coæquatum: ſed cuique operi ac-

Interpretatio.

mittere ventum in ea: *ne ſint pendentia, neu laxa, neve contracta & corrugata. Ego vero periculum faciam* ejus *quod Ariſtippus dixit. Ille Ariſtippus* fuit *inventor ſectæ Cyrenaicæ, &, quod ipſe præoptabat, diſcipulus Socratis. Quidam tyrannus quæſivit ab eo, Cui uſui amor Philoſophiæ adeo vehemens & adeo diuturnus, ei fuiſſet? Ariſtippus retulit; ut loquerer ſecurè & audacter cum omnibus hominibus. Hoc dictum ſumptum eſt de repente, quoniam exortum eſt ſubito. quemadmodum neceſſe eſt lapides in maceriâ collocari fortuito ſartu: neque interpoſito interius rudere, neque directa poſiturâ* eorum *in fronte, neque lineis revocantibus eos ad normam. Etenim ego ipſe ædificator hujus orationis, non advehar ex meo monte ſaxum ſectum directè, bene æquatum ex omni parte, accurate lævigatum uſque ab extremitatibus. Verùm aptabo unicuique*

Notæ.

1. *Cyrenaïcæ ſectæ repertor.*] Quæ ſic dicta fuit, quia Ariſtippus erat Cyrenæus. Hæc poſtea ex ſimplici triplex effecta eſt, cùm alii ſe ad Hegeſia *Hegeſiacos*, alii ab Anniceride *Annicerios*, alii demum à Theodoro *Theodoreos* appellarent. Ariſtippus ille, ut refert Diog. Laërt. in ejus Vitâ, primus Socraticorum mercedem exegit, & quæſtu Philoſophatus eſt. De Cyrenaïcis Cicero Tuſculan. quæſt. l. 3. *Atque ab Ariſtippo Cyrenaïci Philoſophi nominati omne bonum in voluptate poſuerunt, virtutemque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quod efficiens eſſet voluptatis.*

2. *Eum quidam tyrannus rogavit: quid illi Philoſophiæ ſtudium, &c.*] Tyrannus ille procul dubio Dionyſius fuit, cui valde familiaris erat Ariſtippus. Multarum Dionyſii interrogationum reſponſionumque Ariſtippi meminit Laërtius; hujus tamen mentionem nullam facit.

3. *Quaſi velut.*] Abundat alterutrum.

4. *In maceriâ.*] Maceria paries eſt ex lapidibus abſque calce & arenato. Cato tamen De re Ruſticâ cap. 15. Maceriam aliter uſurpat: *Maceria*, inquit, *ſi ex calce & cæmentis, vel ſilice ædificetur, &c.*

5. *Pondere.*] Farcimine minutiorum lapidum & arenati.

6. *Neque cohibentibus, &c.*] Sic etiam habet MS. Thuan. Scriveriana editio *conniventibus*. Quod vertendum eſſet *collimantibus*.

7. *Non è meo monte, &c.*] Pergit in metaphorâ ſuâ, ab arte ædificatoriâ deſumptâ.

8. *Ex extimis oris.*] Sic maluit vulgò eſt *ex optimis oris*, aut etiam *horis*. excerpta Batav. *ex omnibus oris.*

commodabo, vel inæqualitate aſpera, [1] vel lenitate lubrica, vel angulis eminula, vel rotunditate volubilia, ſine regulæ correctione, & menſuræ parilitate, & perpendiculi ſolertiâ. Nulla enim res poteſt eſſe eadem feſtinata [ſimul] & examinata: [2] nec eſſe quidquam omnium quód habeat & laudem diligentiæ ſimul & gratiam celeritatis. Præbui me quorumdam voluntati, qui [3] oppidò voluerunt, quæ à me deſiderabantur, ut dicerem ex tempore. Et eſt, herculè, formido, ne id mihi evenerit, quod corvo ſuo eveniſſe Æſopus fabulatur. Id erit, ne, dum laudem hanc novam capto, parvam illam, quam antè peperi, cogar amittere. Si de Apologo quæritis. non pigebit aliquid fabulari. [4] Corvus & vulpes unam offulam ſimul viderant. eamque [5] raptum ſimul feſtinabant pari ſtudio, [6] ſed impari celeritate: vulpes curſu, corvus volatu. Igitur ales beſtiam prævenit, & ſecundo flatu, propaſſis utriſque pennis prælabitur, & anticipat, atque ita prædâ ſimul & victoriâ lætus, ſublimè evectus, in quâdam proximâ quercu, in ſummo ejus cacumine tutus ſedit. Eò quoque tamen vulpes, quia lapidem nequibat, dolum jecit: namque eamdem arborem ſucceſſit: & ſubſiſtens, cùm ſupernè raptorem prædâ ovantem videret, laudare aſtu adorſa eſt, Næ ego inſcita, quæ [7] cum alite Apollinis

INTERPRETATIO.

operi, aut ſcabra ſuâ *inæqualitate, aut lubrica* ſuâ *expolitione, aut prominentia* ſuis *angulis, aut volubilia* ſuâ *rotunditate, abſque emendatione regulæ, & æqualitate menſuræ, & arte perpendiculi. Nam nihil poteſt eſſe ſimul acceleratum, & penſiculatum: nec quidquam omnium eſt, quod ſimul habeat & honorem ſedulitatis, & venuſtatem feſtinationis. Morem geſſi voluntati quorumdam, qui vehementer cupiverunt, ut illico dicerem, quæ petebantur à me. Et certe timeo ne hoc mihi contigerit quod Æſopus fingit contigiſſe ſuo Corvo. Hoc eſt, ne, dum aucupor hanc novam gloriam, cogar perdere illam exiguam quam antehac acquiſivi. Si rogatis* illam *fabulam, narrabo libenter aliquid. Corvus & Vulpes conſpexerant ſimul unam offulam. & properabant unà ad eam tollendam æquali cupiditate,* at *inæquali velocitate: vulpes curſu, corvus volatu. Ergo volucris antevertit feram, & proſpero vento expanſis ambabus alis prævolat, & prævenit, & ſic gaudens ob prædam ſimul & ob victoriam, elata in altum. conſedit ſecura in quadam quercu vicina, in ſupremo ejus vertice. Nihilominus vulpes illuc etiam fraudem miſit, quia non poterat* mittere *lapidem: ſubiit enim eandem arborem: &* illic *manens, cum cerneret ſursùm raptorem lætum ſuâ prædâ, cœpit laudare eum doloſè. Certe,* inquit, *ego ſum imperita, quæ incaſſum contenderim cum ave Phœ-*

NOTÆ.

1. *Vel lenitate lubrica.*] MS. Thuanus habet *levitate*, ſcribe *lævitate.*

2. *Nec eſſe.*] Scribe ex MS. Thuano: *nec eſt.*

3. *Qui oppido, &c.*] MS. Thuan. *Qui oppido quæ à me deſiderabantur, ut dicerem expetivere.*

4. *Corvus & Vulpes.*] Hunc apologum vide apud Phædrum:

Quum de feneſtrâ corvus raptum caſeum, &c.

5. *Raptum ſimul.*] Addidi vocem *ſimul*, ex MS. Thuano.

6. *Sed impari.*] Et hanc particulam *ſed*, ex eodem MS. adjeci.

7. *Cum alite Apollinis.*] Cui etiàm augurium dedit; ex albo tamen, qui priùs erat, mutavit in nigrum pœnitentiâ du-

fruſtrà certaverim. quippè cui jam pridem corpus tam concinnum eſt, ut neque oppidò parvum, neque nimis grande ſit, ſed quantum ſatis ad uſum decoremque: pluma mollis, caput argutum, roſtrum validum. Jam ipſe ales oculis perſequax, unguibus pertinax. nam de colore quid dicam? Nam cùm duo colores præſtabiles forent, piceus & niveus, quibus inter ſe nox cum die differunt; utrumque colorem Apollo [1] ſuis alitibus condonavit: candidum olori, nigrum corvo. Quod utinam ſicuti cygno cantum indulſit, ita huic quoque vocem tribuiſſet! ne tam pulchra ales, quæ ex omni [2] avitio longè præcellit, voce viduata, deliciæ facundi Dei, muta viveret, & elinguis. Id verò ubi corvus audivit, hoc ſolum ſibi præ cæteris deeſſe, dum vult clariſſimè clangere, ut ne id ſaltem olori concederet; oblitus offulæ, quam mordicùs retinebat, toto rictu hiavit. atque ita, quod volatu pepererat, cantu amiſit. enimverò vulpis, quod curſu amiſerat, aſtu recuperavit. Eandem iſtam fabulam in pauca cogamus, quantum poteſt fieri [3] cohibiliter. Corvus ut ſe vocalem probaret, quod ſolum

INTERPRETATIO.

bi. utpote quæ habet jamdudum corpus adeo elegans, ut neque valdè exiguum ſit, neque nimis vaſtum, ſed quantum ſufficit ad uſum & venuſtatem: pluma ipſi *mollis, caput exile, roſtrum firmum. Jam ipſa avis* egregiè *inſequitur oculis, & retinet unguibus* prædam. *quid autem dicam de colore? Cùm enim duo colores eſſent excellentiores, niger & albus, quibus nox & dies diſcrepant à ſe invicem; Phœbus dedit hos ambos colores ſuis avibus: album cygno, atrum corvo. Atque utinam conceſſiſſet etiam huic vocem, quemadmodum conceſſit cantum olori! ne avis tam formoſa, quæ multo præſtantiſſima eſt totius generis avium, amor Dei eloquentis, privata voce, viveret muta & elinguis Cum autem Corvus hoc audivit, id tantum ſibi deeſſe,* ut *ſuperet reliquas* aves; *dum vult clangere acutiſſimè, ut ne in hoc quidem inferior eſſet cygno; immemor offulæ quam tenebat mordicùs, aperuit totum roſtrum. Sicque perdidit cantu, quod acquiſiverat volatu. At vulpes recepit calliditate* ſuâ *quod perdiderat curſu. Contrahamus in pauca hanc eamdem fabulam quàm breviſſimè fieri poteſt. Corvus ut oſtenderet ſe eſſe canorum, quod unum Vulpes finxe-*

NOTÆ.

ctus Apollo, poſt interfectam ejus monitis & ſuaſu Coronida, ut canit Ovid. lib. 2. Metam. Fab. 11.

1. *Suis alitibus condonavit: c. olori, nigrum corvo*] De Apollinis avibus hæc habet Lil. Gyraldus Syntagmate 7. *Sed enim non modò Gryphes huic Deo aſcripſit antiquitas, ſed & corvum, ut docet Ælianus in hiſtoriis animalium: unde ab Auſonio Phœbeius oſcen corvus dicitur: cujus fabulam & Ovidius exequitur, & Hyginus. Phornutus tamen hoc abnuere videtur. Corvum enim ait à Phœbo alienum eſſe, quòd vel ipſo colore profanus ac impurus ſit habitus, id eſt* μιαρὸς: *illique potius cygnum avem attribuit,* μουσικώτατον καὶ λευκότατον ὀρνέων, *quod ſcilicet avium ſit maximè muſicus, & candidiſſimus. Sanè & Apollini quidam eruditiſſimi attribuunt accipitris genus, quod Perdicoteros dicitur, ut miniſtret illi,*

1. *Avitio.*] Vox eſt Apuleiana. *Avitium* dicitur genus, ſeu populus avium, quâ formâ famulorum grex dicitur *famulitium.*

2. *Cohibiliter.*] MS. Thuan. *cohibentes.*

deeſſe tantæ ejus formæ vulpis ſimulaverat, crocire adortus, prædæ, quam ore geſtabat, [1] inductricem compotivit.

INTERPRETATIO.

rat deeſſe tantæ ejus pulchritudini, aggreſſus crocitare, fallacem Vulpem compotem fecit prædæ, quam gerebat ore.

NOTÆ.

1. *Inductricem.*] Vulpem, quæ eum in fraudem induxerat.

XXIV.

[1] JAMDUDUM ſcio, quid [2] hoc ſignificatu flagitetis, ut cætera [3] Latinæ materiæ perſequamur. Nam & in principio vobis [4] diverſa petentibus, ita memini polliceri, ut neutra pars veſtrûm, nec qui Græcè, nec qui Latinè petebatis, dictionis hujus expertes abiretis. Quapropter, ſi ita videtur, ſatis oratio noſtra atticiſſaverit. Tempus eſt in Latium demigrare de Græciâ. Nam & quæſtionis hujus fermè media tenemus: ut, quantùm mea opinio eſt, pars iſta poſterior præ illâ Græcâ, quæ antevertit, nec argumentis ſit effœtior, nec ſententiis rarior, nec exemplis pauperior, nec oratione defectior.

INTERPRETATIO.

JAM pridem novi, quid poſtuletis hac ſignificatione, nempe *ut exequamur reliqua materiæ Latinæ. Cum enim initio flagitaretis diverſa, recordor me promiſiſſe ita* facturum, *ut neutri ex vobis, neque qui poſtulabatis Græca, neque qui* poſtulabatis *Latina, diſcederitis* hinc *vacui hujus orationis. Quare, ſi ſic vo*bis *placet, noſter ſermo ſatis Atticiſſaverit. Tempus eſt tranſeundi in Latium ex Græciâ. Pervenimus enim fere ad medium hujus quæſtionis;* ita *ut, quemadmodum arbitror, illa poſterior pars* collata *ad illam Græcam quæ præceſſit, non ſit minus plena argumentorum* quam ipſa, *neque minus frequens ſententiis, neque magis deſtituta exemplis, neque minus prolixa ſermone.*

NOTÆ.

1. *Jam dudum ſcio.*] Aliud fragmentum argumenti ab hoc priore diverſi, quod quidem in MS. Thuano ſeparatum à ſuperiore legitur.

2. *Hoc ſignificatu.*] Murmure aliquo quod excitarant auditores, aut geſtu nutu ve aliquo.

3. *Latinæ materiæ.*] Materiæ Latinâ oratione explicandæ. neque enim materia, quantum ad ſe, Latina vel Græca eſt, ſed linguâ quâlibet poteſt explicari. Schoppius ex ~~Libro Fulvii~~ legebat *Latine narrare proſequamur.*

4. *Diverſa petentibus.*] MS. Thuan: *diverſa tendentibus*, melius, mox enim ſequitur *petebatis.*

FINIS.

FRAGMENTA ET TITULI Librorum Apuleianorum, qui interciderunt.

Ex Lib. Ludicrorum, & Convivalium Quæſtionum.

IN te fuiſti quondam Athenis parcus, atque abſtemius. eu libro *Ludicrorum* apud Nonium Marcellum, in voce *Abſtemius*.

Horum Ludicrorum, & Convivalium Quæſtionum Apuleii meminerunt, præter Nonium, Macrob. Saturnal. lib. 8. cap. 3. & ex eo Joannes Sariſberienſis Policratici lib. 8. cap. 10, Sidon. Apollinaris lib. 9. Epiſt. 13., Imperator Severus Epiſt. ad Senatum de Clodio Albino apud Julium Capitolinum, & Apuleius ipſe in Apologiâ: *Primò igitur legerunt è* Ludicris *meis epiſtolium de Dentifricio, verſibus ſcriptum ad quemdam Calpurnianum*, &c.

Ex Lib. Proverbiorum

Aut facere non audet, ut apud Apuleium Platonicum *De Proverbiis* ſcriptum eſt lib. 2. Fl. Soſipater Chariſius lib. 2. extremo.

Ex Hermagora.

Viſus eſt ei adoleſcens honeſtâ formâ, quaſi ad nuptias exornatus; trahere ſe in penitiorem partem domûs. Apuleius in 1. *Hermagoræ* Priſcianus lib. 3. circà initium.

Verùm infirmâ ſcammellorum obice fultæ fores. Apuleius in 1. *Hermagoræ*, Idem Priſcian. eodem lib. ſub finem.

Poſtquàm defeſſus perrogitando advenas de natis, neque quemquam invenit ſcium. Apuleius 1. *Hermagoræ.* Idem Priſcian. lib. 4.

Aſpera hyems erat, omnia ningue canebant. Apuleius in 1. *Hermagoræ.* Idem Priſcian. lib. 6. extremo.

Et cibatum, quem jucundum eſſe nobis animadverterant, eum apposiverunt. Apuleius in 1 *Hermagoræ.* Idem Priſcian. lib. 10.

Pollinctores funere domuitionem paramus. vel, ut alia exemplaria habent, *Pollinctor ejus funere dum unctionem parat*, vel, ut alia, *Pollincto ejus funere domuitionem parat. Apuleius in Hermagora*, Fulgentius Placiades *de ſermone antiquo.*

Hîc Hermagoras Dialogus fuiſſe videtur, Platonis exemplo ſcriptus,

Ex Phædone.

De animâ ſic auditurum, ſic diſciturum, qui meliùs ſcit hæc omnia & ſingula ſic agere aut pati, ut patiuntur atque agunt. Apuleius in Phædone. Idem Priſcianus lib. 10.

Et cauſam gignendi oſtenturum, & immortalitatem animæ reperturum. Apul. in Phædone. Idem Priſcianus lib. eodem.

Meminit hujus Apuleiani Phædonis etiam Sidon. Apollinaris lib. 2. Epiſt 9.

Ex Epitomâ.

Sed tum Seſtertius dupondium ſemiſſem, quinarius quinqueſſis, denarius decuſſis valebat. Apuleius in Epitomâ. Idem Priſcian. lib. 6.

Ex Lib. de Republicâ.

Qui celocem regere nequit, onerariam petit. Apul. lib. de Republ. Fulgentius *de priſco ſermone.*

Ex Medicinalibus.

Cepe ſuccum melle mixtum. Apuleius in Medicinalibus. Priſcianus lib. 6

Meminit quoque Apuleii ut Medicinæ artis Auctoris Marcellus de Medicamentis, Præfatione ad filios.

Meminerunt & Apuleii librorum

De Re Ruſticâ, Palladius *de Re Ruſticâ, lib.* 1. *tit.* 35.

De Arboribus, Servius ad lib. 2. Georgic. Virgilii.

De Arithmeticâ Aurel. Caſſiodorus *de Arithmeticâ*, & Iſidorus Originum lib. 3.

De Muſicâ, Caſſiodorus *de Muſicâ.*

Intercidêre plura alia tàm Græcè, quàm Latinè ſcripta, quorum partim alii meminerunt, partim Apuleius ipſe in Apologiâ, & Floridis, quæ ibi vide.

Sunt qui Aſclepium Hermetis Triſmegiſti Dialogum, tanquam ab Apuleio in Linguam Latinam verſum, inter ejus opera vulgare ſoleant: ſed oratio planè ſicca & exanguis nihilque ſimile habens Apuleianæ ubertati VVovverium, Scriverium, alioſque multos eruditos impulit, ut ex ejus ſcriptis ejicerent, quemadmodum & librum *De Herbis*, quem VVovverius in Vitâ Apuleii, falsò huic noſtro tribui ait, & Apuleii Celſi Medici eſſe aſſerit, adjutus eruditorum hominum ſuffragio. quibus ego lubens aſſentior, quanquam Elmenhorſtius profiteatur ſe non audire eos, qui *Herbarium* Celſo Medico adſcribunt.

FINIS.

OBSCOENA
EX APULEIANO TEXTU RESECTA
ET AD CALCEM REJECTA.
TYPOGRAPHUS LECTORI.

PLURIMA erant in lepidiſſimâ Aſini Metamorphoſi adeò obſcœnè, adeò nudis & dominantibus nominibus ſcripta, ut legere ea ſine verecundiâ nemo, niſi inverecundus, aut adverſùs pruritus omnes libidinis ætate ac ſapientiâ munitus poſſet. Indigniſſima ergo quæ Auguſtiſſimo Principi, &, ſub ejus auſpiciis, teneræ ac pudicæ juventuti traderentur in manus. Meritò itaque à reliquo corpore avulſa. Ne tamen à maturiore Lectore aliquid in hac editione deſiderari poſſet, huc ad operis calcem rejecta ſunt: quemadmodum & quæ in Apologiâ parùm caſtè ſcripta occurrerunt. Quibus omnibus, & paginæ lineæque, à quâ ſingula avulſa ſunt, numerum præfixi, ut ad ſua quæque loca facilioris intelligentiæ causâ referri poſſent: & notulis ex Beroaldo, Pricæo, Elmenhorſtio, aliiſque, petitis, ſi quæ obſcuriora viſa ſunt, illuſtranda curavi.

EX ASINO.

EX LIBRO II.

Pag. 43. *lin.* 8.

[1] STeterunt & membra quæ jacebant antè.

lin. 9.

Quàm pulchrè, quamque feſtivè, inquam, Fotis mea, ollulam iſtam cum natibus intorques.

Pag. 44. *lin.* 4.

Quæ dulcè condiens, & ollam, [2] & lectulum ſuavè quatere novi.

Pag. 46. *lin.* 8.

Nec diutiùs quivi tantum cruciatum voluptatis eximiæ ſuſtinere; ſed

NOTÆ.

1. *Steterunt, &c.*] Honeſtis verbis genitalia ſibi arrecta fuiſſe deſignat. *Beroaldus.*

2. *Et lectulum ſuavè quatere.*] In collucatione Venereâ. Catullus: *tremulaque quaſſa lecti argutatio, inambulatioque.* Beroaldus.

pronus in eam, [1] quâ ſine ſummum cacumen capillus aſcendit, mellitiſſimum illud ſuavium impreſſi.

Pag. 46. *lin.* 12.

Quid iſtic, inquam, eſt, [2] mea feſtivitas, cùm ſim paratus, vel uno ſaviolo interim recreatus, ſuper iſtum ignem porrectus aſſari? Et cum dicto arctiùs eam complexus, cœpi ſuaviari. Jamque æmulâ libidine in amoris parilitatem [3] congermaneſcenti mecum, jam patentis oris inhalatu cinnameo, & occurſantis linguæ illiſu nectareo pronâ cupidine adlubeſcenti: Pereo, inquam, immò jamdudum perii, niſi tu [4] propitiaris. Ad hæc illa, rursùm me deoſculato, Bono animo eſto, inquit, nam ego tibi mutuâ voluntate mancipata ſum. nec voluptas noſtra differetur ulteriùs, ſed [5] primâ face cubiculum tuum adero. Abi ergo, ac te præpara: totâ enim nocte tecum fortiter & ex animo [6] prœliabor. *lin.* 16.

Tunc ego vocatâ Fotide, Ecce, inquam, [7] Veneris hortator & armiger Liber advenit ultrò. Vinum iſtud ſorbeamus hodie omne, quod nobis reſtinguat pudoris ignaviam, & alacrem vigorem libidinis incutiat; [8] hac enim ſitarchiâ navigium Veneris indiget ſolâ; ut in

N o t æ.

1. *Quâ ſine ſummum, &c.*] Legerim *quâ in ſummum cacumen.* Pricæus.

2. *Mea feſtivitas.*] Plaut. Caſina:

Mea vita, mea feſtivitas, ſine amabo, ted amari
Meus feſtus dies. Pricæus.

3. *Congermaneſcenti.*] *Congermaneſcere* eſt quod apud Philonem (de Evâ loquentem) γάννυσθαι, καὶ ἀντιπροσφθέγγεσθαι, lib. περὶ κοσμογρ. *Pricæus.* Congermaneſcens libido eleganter pro coaleſcenti, & conſociatâ uſurpatur. *Beroald.*

4. *Propitiaris.*] Placata ſis & propitia. *Beroald.*

5. *Primâ face.*] Horam veſpertinam ſignificat, quâ faces accenduntur. *Beroald.*

6. *Prœliabor.*] Prœlio ſcilicet Venereo. Martial.

O quæ prœlia, quas utrimque pugnas,
Felix lectulus & lucerna vidit!
Beroald.

7. *Veneris hortator & armiger Liber.*] Ovid. *Vina parant animos Veneri.* Pricæus. Auguſtinus, quod annotatu dignum eſt, lib. 6. de Civitate Dei, Liberum ex eo dici refert, quòd mares in coëundo per ejus beneficium emiſſis ſeminibus liberentur. Hoc idem dicunt in fœminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, & hinc Libero virilem corporis partem in templo poni, fœmineam Liberæ. & ob hoc addunt, mulieres attributas Libero, & vinum propter libidinem concitandam. *Beroald.*

8. *Hac enim ſitarchiâ navigium Veneris, &c.*] Senſus eſt per metaphoram à navigantibus ductus, Venerem egere hac ſolâ annonâ, & alimento. Sitarchiam enim dici voluerunt pro commeatibus, & re annonariâ: ut illud ex lib. Regum 1. *Panis deficit in ſitarchiis noſtris, & ſportulam non habemus.* dictio ex Græco ducta: ſiquidem apud Græcos σιτὸν *cibus*, σίτος *frumentum*, σῖτος *eſculentus* ſignificat, &c. Ut autem ſitarchiæ, id eſt, commeatûs ratio cumprimis habetur in navibus à nautis: ſic Veneris navigium eget vino & oleo, perinde ac ſitarchiâ. Nam vino libido exſtimulatur, oleo lucernæ lumen alitur, quâ amatores gaudent: tanquam pleniores ſint voluptates nocturnæ, quas lucernâ ardente oculis quoque uſurpant. *Beroaldus.* Utuntur voce iſtâ (ſitarchiæ) Hieronymus in de Malchi Vitâ, Interpres vetus 1. Samuel. 9. 7. Chryſologus ſermone 39. Scholiaſtes ad Sat. 12. Juvenalis. *Pricæus.*

nocte pervigili, & oleo lucerna, & vino calix abundet.

Pag. 51. lin. 10.

Prorsùs gladiatoriæ Veneris[1] antecœnia. Commodùm cubueram: & ecce Fotis mea, jam dominâ cubitum redditâ: [2] jacta proximat roſa ſerta, & roſa ſoluta in ſinu [3] tuberante. Ac me preſſim deoſculato, & corollis revincto, ac flore perſperſo, arripit poculum: ac deſuper aquâ calidâ injectâ, porrigit bibam: idque modicò priùs quàm totum exſorberem, clementer invadit; ac relictum paululatim labellis minuens, meque reſpiciens, ſorbillat dulciter: ſequens & tertium inter nos viciſſim & frequens alternat poculum. Cùm ego jam vino madens, nec animo tantùm, verùm etiam corpore ipſo ad libidinem inquies alioquin & petulans, etiam ſaucius, [4] pauliſper inguinum fine laciniâ remotâ [5] impatientiam Veneris Fotidi meæ monſtrans: Miſerere, inquam, & ſubveni maturiùs. Nam, ut vides, prœlio, quod nobis [6] ſine Fecialis officio indixeras, jam proximante vehementer intentus, ubi primam ſagittam ſævi Cupidinis in ima præcordia mea delapſam excepi, [7] arcum meum & ipſe vigor attendit, & oppidò formido, [8] ne nervus rigoris nimietate rumpatur. Sed, ut mihi morem pleniùs geſſeris, ineffuſum laxa crinem, & capillo fluenter undante, ede complexus amabiles. Nec mora, cùm cibariis omnibus illis vaſculis raptim remotis, laciniis cunctis (ſuis) renudata, crinibuſque diſſolutis ad hilarem laſciviam, in ſpeciem Veneris, quæ

N o t æ.

1. *Antecœnia.*] Novator verborum non minùs eleganter, quàm licenter appellat lagenam Veneris antecœniam, tanquam prægustatio quædam ſit, & præludium, ac præparatio ad palæſtram Veneriam exercendam. *Beroaldus.*

2. *acta proximat roſa ſerta, &c*] Locus variè vexatus. Legendum fortan *juxtim proximat* infrà hoc libro *dumque jam juxtim proximamus.* Serta & ſoluta hîc, ut & 4. *floribus ſertis, & ſolutis apprecantur.* Sertis in coronam intellige. *Pricæus.*

3. *Tuberante.*] Tumeſcente. *Beroald.*

4. *Pauliſper inguinum fine laciniâ remotâ.*] Vulgò *inguinum ſanè.* Lipſius, *inguinum ſanie.* Sed nihil mutandum. Salluſtius in Fragmentis Hiſtoriarum: *Fine ignium ingrediuntur mare.* Elmenhorſtius Illud *inguinum fine* rectiſſimè ex Salluſtio (cujus & nos locum annotaveramus) Elmenhorſtius explicavit. Sumpſit ab eodem ſcriptore noſter & vocem *inquies*, id eſt, *inquietus*: ſic *impes*, *impetus* in vet. Gloſſario. *Pricæus.*

5. *Impatientiam Veneris.*] Juvenal. *Tunc prurigo moræ impatiens.* Pricæus.

6. *Sine Fecialis officio indixeras.*] Sic rectè diſertiſſimus Baudius. in Flor. eſt *Faciali officio*, in Rom. *fœnali o.* Berth. *feriali o*, in Aldo *finali o.* Elmenhorſtius. Ritum belli per Feciales denunciandi vide apud Livium, lib. 1. cap. 33

7. *arcum meum &c. vigor attendit.*] Hinc *Tentum* αἰδοῖον in veteri Onomaſtico. *Pricæus.*

8. *Ne nervus rigoris nimietate rumpatur.*] Benè hîc *rumpatur.* Donatus ad Phormionem: *immoderatæ plerumque vires adducendo arcu, non telum incitant, ſed nervum rumpunt.* Et alibi ad eandem Comœdiam *in nervum ibit. Proverbio tracto à ſagittariis, cùm vis conatuſque tendentis arcum non in volatum teli, ſed in ruptionem nervi expetatur.* Pricæus.

marinos fluctus ſubit, pulchrè reformata; pauliſper etiam [1] glabellum fœminal roſeâ palmulâ potiùs obumbrans de induſtriâ, quam tegens verecundiâ, Prœliare, inquit, & fortiter prœliare: nec enim tibi cedam, nec terga vortam. Cominùs [in aſpectum] ſi vir es, dirige; & graſſare naviter, [2] & occide moriturus; hodierna pugna [3] non habet miſſionem. Hæc ſimul dicens, inſcenſo grabatulo, ſuper me coſſim reſidens, ac crebra ſubſiliens, lubricisque geſtibus mobilem ſpinam quatiens, pendulæ Veneris fructu me ſatiavit; uſque dum laſſis animis, & marcidis artubus defatigati, ſimul ambo corruimus inter mutuos amplexus animas anhelantes. His & hujuſcemodi colluctationibus ad confinia lucis uſque pervigiles egimus, poculis interdum laſſitudinem refoventes, & libidinem incitantes, & voluptatem integrantes. Ad cujus noctis exemplar ſimiles adſtruximus alias pluſculas.

EX LIBRO III.

Pag. 84. *lin.* 18.

Cum iſto fine ſermonis oculos Fotidis meæ [4] udos ac tremulos & pronâ [5] libidine marcidos, jamjamque ſemiadopertulos [6] adnixis & ſorbillantibus ſuaviis ſitienter hauriebam.

Pag. 90. *lin.* 19

Sic nobis garrientibus libido mutua & animos ſimul & membra ſuſcitat; & omnibus abjectis amiculis, hactenùs denique intecti atque nudati [7] bacchamur in Venerem. Cùm quidem mihi jam fatigato

NOTÆ.

1. *Glabellum fœminal roſeâ palmulâ.*] Sic eſt in Florentino. quod etiam in mentem venit Lipſio Elect. 2. cap. 21 Bertinus legit *giabella vel roſea p* Rom. & Aldus: *glabella fœmina vel roſea.* Fulvii liber *glabellum fœmen vel roſea palmula.* Roaldus: *Glabellum interfœminium velamento roſea palmula.* Quod non ſperno. *Elmenhorſtius.* Codex MS. meus *Glabellum fœminal veli roſ pal. &c.* quæ certè ſcriptio proximè à vero abeſt. lege ex compendii veſtigiis *velamento roſea palmula.* Pricæus *Glabellum fœminal* intellige muliebre pudendum, quod Fotis meretricio more depilaverat.

2. *Et occide moriturus.*] Non intelligit locum hunc Pricæus, qui *aut*, loco *&*, vult reponi, & *occide*, penultimâ correptâ legi. nodum in ſcirpo quærit. *occidit moriturus* qui ſuo telo mortem illam Veneream amicæ ſimul & ſibi conſciſcit.

3. *Non habet miſſionem.*] Antiqui vocabant pugnam ſine miſſione, cùm gladiatores eâ lege deſcendebant in arenam, ut neutri fas eſſet petere miſſionem, ſed neceſſum eò uſque dimicare, dum alter caderet. *Lipſius Saturnal.* 2. *cap.* 21.

4. *Udos ac tremulos.*] Ovid. in Arte, lib. 2

Aſpicies oculos tremulo fulgore micantes,
Ut Sol in liquidâ ſæpè refulſit aquâ.

Pricæus.

5. *Libidine marcidos.*] Horatius *putres* dixit. ubi Scholiaſtes; *libidine reſolutos.* Pricæus.

